Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


HISTORIAE SOCIETATIS IESV PARS TERTIA

Siue

BORGIA.

Auctore

R. P. Franciſco Sacchino Societatis eiuſdem Sacerdote.



ROMAE,
Typis Manelfi Manelfij. Anno M.DC.IL.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

CVM Sanctiſſimus D.N. Vrbanus Papa VIII. die 13. Martij anno 1625. in Sacra Congregatione S.R. & Vniuerſalis Inquiſitionis Decretum ediderit, idemque confirmauerit die 5. Iulij anno 1634. quo inhibuit imprimi libros hominum, qui Sanctitate, ſeu Martyrij fama celebres è vita migrauerunt, geſta, miracula, vel reuelationes, ſeu quæcunque beneficia, tanquam eorum interceſſionibus à Deo accepta continentes, ſine recognitione, atque approbatione Ordinarij, & quæ hactenus ſine ea impreſſa ſunt, nullo modo vult cenſeri aperobata. Idem autem Sanctiſſimus die 5. Iunij 1631. ita explicauerit, vt nimirum non admittantur elogia Sancti, vel Beati abſolutè, & quæ cadunt ſuper perſonam; benè tamen ea, quæ cadunt ſupra mores, & opinionem; cum proteſtatione in principio, quod ijs nulla adſit auctoritas ab Eccleſia Romana, ſed fides tantùm ſit penes auctorem. Huic Decreto, eiuſque confirmationi, & declarationi, obſeruantia, & reuerentia, qua par eſt, inſiſtendo; profiteor me haud alio ſenſu quicquid in hoc Libro refero, accipere, aut accipi ab vllo velle, quàm quo ea ſolent, quæ humana duntaxat authoritate, non autem diuina Catholicæ Romanæ Eccleſiæ, aut Sanctæ Sedis Apoſtolicæ nituntur. Ijs tantummodo exceptis, quos eadem ſancta Sedes Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum catalogo adſcripſit.

Imprimatur ſi videbitur Reuerendiſs. Sac. Apoſt. Palatij Magiſtro.

Alex. Vittricius Epiſc. Alatr. Viceſg.

Imprimatur

Fr. Raymundus Capiſuccus Mag. & Socius Reuerendiſs. P. Fr. Vincentij Candidi Sac. Pal. Apoſt. Mag. Ord. Præd.

Digitized by Google

ANACHORETARVM virtutes eximias Anachoreta & ipse nobilis dum narraret Copres, ab auditore visus est ea, quæ diceret è codice pulcherrimo aureis scripto literis recitare. Idem mihi quoquè euenire (Venerandi Patres, Fratresque) nostrorum Patrum res memoranti, haud pro dubio equidem habeo. Etenim quæ pro Dei gloria, & salute mortalium gesta per eos sunt, quæque generosa indole quotidie geruntur à vobis, in libro vitæ non auro scribi modo, sed insculpi etiam manu cælesti dubitare non licet, scientibus vel gelidæ pocillum piè præbitum in diuina ratione imputari. Ceterùm illud dolendum est mihi, quæ monumentis æternis, & Superum scriptura cohonestantur, vsque adeo malè excribi à me, ac propemodum deformari. Et profectò si qua pars Historiæ nostræ aureo digna stylo est, vti planè sunt omnes, id certè hæc, quam in præsentia edimus, tertia, præcipuo quodam iure postulat. Quam enim dignitatem orationis, quam styli venustatem, quod pretium literarum non mereantur sanctissimi adolescentes (vt ceteros interim sileam) beati, inquam, illi in corporibus humanis Angeli, Rodulfus Aquauiua, inclytus postea mortis ab Ethnicis obitæ triumphator, & Stanislaus Kostka Confessor egregius: quorum alterius præclarissima initia, alterius etiam felicissimus exitus proditur? Qui deinde colores eorum ex merito laudes exornent, quorum sanguine christiana sacra decorata sunt? Nullam enim habuit Societas nostra ætatem virorum religiosè fortium fæcundiorem. Hic Florida Orbis noui Prouincia quàm maligna frugum, tam benigna heroum, qui sanguinem ab Ethnicis in odium fidei exhaustum generosè dederunt, continuo illum, cuius nimis est pressa vestigijs, tum alios, atque alios in flores commutat IESV nomen inscriptos. Hic inter Oceani prope inobseruabilem vastitatem illustris signatur limes, per quem ignotis antiquitati terris, & gentibus Euangelium inferatur. Ignatij enim Azebedij, cumque eo, & Petro Diazio egregiarum tot victimarum gloriam, quam deceret non atramento oblini, sed pretiosissimis quibusque commendari succis, omnibusque non colorum, sed & odorum suauitatibus dedicari? Prætereo inter Sarmatas tanto religionis subsidio propagatam familiam; penetrata Orbis noui ditissima Regna Peruuium, Mexicumque, per totum Septentrionem depugnata cum Hæreticis mira animi excelsitate bella. Hæc, & alia de genere hoc præ-

stan-

Digitized by Google

ſtantiſsima vt tranſeantur, age Franciſcus Borgia ordinis ductor, idemque princeps huius voluminis argumentum, illa viri tanta pro Chriſto nuditas, illa ſui tanta contemptio, obſcuritatis illa inexplebilis ambitio, quod præconij lumen, quas notitiæ publicæ quaſi opes non exigunt? Atque vt nihil hoc tempore ſanctum, ac cæleſte non eſſet, acceſsit ipſa ſummi quoque Pontificis veneranda ſanctitas Pij Quinti: ſi tamen fas eſt dicere acceſsiſſe eam, cum potius indè æquum ſit exiſtimare in membra velut ex capite permanaſſe. Iure igitur & materiæ, & ætatis aureæ ſcriptori optandum eſſet perinde ingenium, & os aureum; vt quæ in celeſtibus illis vitæ codicibus tantopere fulgent, quamleuiſsimè tenebris humanis obſcurarentur. Ceterùm illud habeo ſolatij, quod quicquid in hac noſtra quantulacumque molitione deeſt, cum pro dignitate ſit ibi iam conſignatum, extra aleam periculi eſt: ac ſeriùs, ocyùs, aliquando tandem Beatorum honoribus, cumulatum fœnore adiungetur. Denique materia ſancta, & veſtro potius ingenio, eloquioque digna, etſi meis ſermonibus (vt cum Sancto Paulino loquar) velut atro habitu veſtiatur, ſpeciem tamen diuini luminis, & interni decoris, quanquam in egenæ ſupellectilis vtilitate cuſtodit. Et vos, quorum pietati labores noſtri potiſsimum ſeruiunt, ſic eruditos habetis, perfectoſque oculos, ſic attemperatam cæleſtibus aciem; vt per has quamlibet atras notas, aureas diſpicere illas poſsitis: prorſus digni, qui, & legatis aurea, cùm faciatis. Vos enim eſtis, qui, vt Sanctus Cyprianus ait, quod nos verbis conſcripſimus, factis impletis. Benè in æternum valete. Romæ Anno Domini M. D. C. XXII.

Ep. 9. ad Seu. in fine.

L. 3. ep. 3. in f.

HISTO-

Digitized by Google

HISTORIAE SOCIETATIS IESV PARTIS TERTIAE

Liber Primus.

A.D.1565. Soc. 26.

AVCTAM multis modis Societatem Iesu Iacobus Lainius decedens è vita reliquit, cum domiciliorum, atque hominum numero, tum celebritate nominis. Florebat studijs literarum: simul industriam regendis hominum moribus, & defendenda Christiana Religione, restituendaque, ac propaganda versabat conatu omni, læto successu. Verùm in eo statu rerum, tanquam ad lubricum, & anceps adolescentiæ ventum erat; periculum vt esset, ne tanta agendarum occupatione rerum, ac tractatione literarum, quò longiùs ab ortu, atque impetu primo recedebat; interioris cuique sui hominis cura paulatim laxior fieret: suauisque erga res diuinas affectio, earumque gustus, qui solidarum virtutum custos idem, ac fructus est, exarescceret. Id, vti cuncta, prouidens Sapientissimus Deus, rerum tempestiuitates non sciens modò, sed pro suo nutu faciens; modicam hanc suam familiam, veluti procreauerat, conseruare pergens, ac promouere, qualem maximè desiderabant tempora, Moderatorem ei præposuit. Is fuit Franciscus Borgia, vir & ab alijs, ad clauum rectè tenendum, humanis, diuinisque instructus donis, tum summa in primis summissione, ac modestia ornatus, postremò omni deditus piorum studiorum generi: in quibus, collectis subinde ab externa actione viribus, vni sibi, Deoque vacat animus: ac beato Mariæ otio negotia Marthæ fæcundat. Itaque, si fas est mortali homini in abdita summæ illius, ac sempiternæ mentis consilia cogitationem intendere; videntur tres primi familiæ huius Generales Præpositi admirabili prouidentia, & ordine contigisse. Quippè in Beato Ignatio, quamquam, vt in parente, cuncta fuere summa; mens tamen alta illa, & capax excellere visa est ad comprehendendam cogitatione formam, & explicandam vsu tam miri operis fabricam. Quoniam verò eum virorum cœtum, quem Deus ad subsidium proferebat laborantis Ecclesiæ ea tempestate, cum grauissimè mores procubuerant, & rerum bonarum glisccente in vulgus inscitia, opiniones grassabantur pestiferæ, sinceri cultus, & castæ sapientiæ corruptrices, abundare oportebat virtute, ac literis; opportunè Ignatio nobile Præpositorum par Lainius, ac Borgia succedere. Qui cum ambo vtraque laude florerent, nec Francisci sanctitas eruditionem desideraret, nec Lainij doctrina, quamuis eximia, eiusdem superaret virtutem; tamen (si comparentur inuicem) ita euenit, vt scientia rerum conspectior in altero esset, in altero vitæ sanctimonia emineret. Nimirum vt sibi aptos vnaquæque Societatis quasi ætas nanciscceretur præsides, ac singularum perfectæ sapientiæ partium absolutissima exempla extarent ad posteros: ac demum in vno cum disciplinarum cognitione exacta, in altero cum maximo sanctæ contemplationis studio, negotiosam benè coniungi salutis publicæ curam posse appareret. Fuit Generalatus Borgiæ multis sanè rebus præclarè gestis, itemque Societate cum per Regnum Poloniæ sparsa, tum ad Hispanicas, quas vocant, Indias, propagata: nec conuersis modò ad fidem nationibus, sed relatis etiam, illata in odium fidei nece, fortium virorum palmis: ad hæc priuata multorum Sanctitate, nobilis. Quamquam nec domi, nec foris graues defuerunt tempestates, quibus & Diaboli, & hominum opera, siue per impietatem, siue per falsam speciem pietatis obstantium, concussa est hæc Christi Iesu nauicula: ipso tamen tegente, & gubernante seruata, atque prouecta est.

1 Diuina prouidentia in Societate gubernanda.

2 Generalium Societatis primorum inter se comparatio.

3 Summa decorum Generalatus Borgiæ.

Digitized by Google

Postridie quàm Lainius decesserat, quatuor Votorum Professis, qui aderant Romæ, in vnùm coactis; idem Borgia rite substituitur Generalis Vicarius, qui vnus erat Assistentium: & ad quem Lainius ægrotans quasi prærogatiuam detulerat, iussum consultationibus inter collegas præesse. Franciscus die postero generalem conuentum edixit, post quinque menses, ad duodecimum Kalendas Iulias habendum Romę: breuiore ad conueniendum spatio, quod designant Constitutiones, prefixo: quò maturiùs Generalem Præpositum haberet Societas, ipseque impositò sibi, vti sperabat, liberaretur onere: denique itinera ne in summos calores, eamque tempestatem inciderent, qua periculosus Romam accessus est. Iam Generalis Præpositi obitu, è conuentus primi decretis, Commissariorum potestas exierat, cum tamen Araozio Franciscus, siue vt tanta se curarum leuaret parte, siue vt quantùm homini tribueret, palàm faceret, prorogare Magistratum haberet in animo, Assistentes prohibuerunt, negantes id vel oportere fieri à Vicario, vel licere. Prouinciales inter cetera curare iussi, vti prudentes, ac periti inter suos viri, adnotarent vias, & rationes, quas suo cuique in ministerio maximè aptas, & efficaces cum diuino lumine monstrasset vsus, siue ad iuuandos morientes, siue ad confitentes regendos, siue ad agendum cum populo è loco superiore: item ad priuatos congressus, & familiarem consuetudinem cum pietatis profectu instituendam, ad literas quoque in gymnasijs, doctrinamque Christianam in templis, atque locis quibusuis tradendam. Simul vt qui collegiorum Rectores, quique Ministri fuissent, conferrent in medium, si quid obseruassent ad optimam administrationem opportunum. Hæc ab expertis, præstantibusque viris è cuncta Societate collata in vnùm, & redacta in normam præcepta, fore ceteris socijs pro magistro, & duce: vt appositè, interque se congruenter ea tractarent munia vbique terrarum. Quoniam verò ampliùs trecenti Romæ sociorum versabantur in summis rei familiaris angustijs, totoque æstiuo tempore calores, ac deliberationes de rebus oppidò quàm multis, congregatos ad conuentum Patres retentura erant; id quoque Prouincialibus, vt, si quid ex extraneorum liberalitate, rebus Collegiorum intactis, suppeteret, Romanæ inopiæ meminissent, indicatum est. Quippe amanti sat est indicare, inquit Borgia. Qui hac quoque exercendæ paupertatis, summissioniſque lætus materia, haud sibi graue duxit ab Principum multis aliquid, mendicorum more, stipis per literas supplices postulare. Iam Societas multò erat robustior, & Professorum auctior numero, quàm fuerat in primo conuentu. Itaque ad hunc laturi suffragium duplo conuenere plures, & Prouincialia ferè vbique, è Constitutionum præscripto, concilia præcesserunt. Quæ cunctis in Prouincijs, præterquam in Lusitania, fuere prima. Curatum interim est, vt domesticis dum rebus studetur, operæ in commune bonum conferri solitæ quàm minimum demeretur. Et quidem cum alibi, tum præcipuè in plurimis circa Romam Oppidis, Pagisque, præclaro cum diuinæ gloriæ prouentu, sub vernum tempus, elaboratum est. In Vrbe autem, non ipsis modò Romanis, sed aduenis quoque, qui cunctis è gentibus confluunt, vel alienis à fide, eorum præcipuè sociorum consultum opera, qui eiusdem erant nationis. Hebræorum haud paucos, & vniuersas quasdam eorum familias Ioannes Baptista Romanus ab pertinaci superstitione ad Christum conuertit. At Guilielmus Crittonius, haud sine aliorum ope Sociorum, prænobilem iuuenem, ex Hamiltonia Scotorum gente, ab hæresi deduxit, maximam sanè in spem si propria fuisset. Is Ducis Castri Eraldi (hoc Vrbi in Gallia propè Pictauos ab Eraldo conditore nomen) erat filius: ad quem, si qui casus Reginam non relicta stirpe abstuliſſet; Regnum Scotiæ pertinere dicebatur. Dissimulato habitu visendi, vt fit, studio Romam profectum, dum pererrat Vrbem, fortè obuius Guilielmus, qui nonnulla hominem necessitudine etiam sanguinis contingebat, agnouit. Continuò indicium tanta cura, quantam spem hæc, si fieret, accessio rei Catholicæ, promittebat, ad Cardinalem Borromeum, dein Cardinalis ductu ad Pontificem perfertur. Pontifex rei totius administrationem Societati permisit. Iuuenis nescio quid suspicatus, fugam dissimulanter captabat: sed deprehensus comiter, & honorificè apud vnum è Cardinalibus habetur. Hic Guilielmus, alijque sociorum tractare hospitem aggressi,

4 Borgia Vicarius Congregationem edicit.

5 Cura Societatis perficiendæ.

6 Auxilia præbita proximis.

Digitized by Google

greſſi, adeo humanitate, & officijs, & diſputationibus permouerunt; vt damnatis erroribus, generali confeſſione expiarit. Tum demum ad Pontificem deductus, ab eoque perbenignè acceptus, pijſque, ac pretioſis cohoneſtatus donis, valde tum quidem, vt præferebat, noſtro nomini, Sedique Apoſtolicæ obnoxius ab Vrbe diſceſſit. Idem ſub tempus, Luſitani Regis rogatu Pontifex inſtitit, graui præcepto obedientiæ adurgens, vti Borgia Patres deſignaret duos, quorum alter Sinarum, alter Iaponiæ Epiſcopus crearetur; atque ægrè impetratum eſt, vt hanc rem ſineret Generali Præpoſito integram reſeruari. At è Prouincijs eodem tractu temporis varia nuntiata: maximè ſecunda è Poloniæ Regno, maximèq; aduerſa Pariſijs. Sigiſmundus ſecundus hoc nomine Poloniæ Rex, qui ſe alieniorem ante ab Societate viſus erat ferre, non conſenſerat modò Polocenſi Epiſcopo, Collegium deducere Pultouiam meditanti; ſed ipſemet diploma ederat, quo cunctis beneficijs, quibus in Poloniæ Regno ceteri Religioſorum fruebantur ordines, Societatem impertiebat. Ante alios permouerat Regem auctoritate, ac ſtudio Ioannes Franciſcus Commendonus: qui cum apud eum Internuntius Pontificius ageret, hoc ipſo vere Cardinalis factus, Legatus Apoſtolicus manſit. Ab eodem hæc Patribus nuntiata Romam, & regium diploma tranſmiſſum.

7 Societas in Poloniam recepta.

8 Pariſienſe Collegium vexatur.

Hæc in Polonia cum gererentur, Pariſijs Martio, Aprilique toto, quàm cum maximè, Collegium diuexatum. Academici, quod nuper incæptarant, enixè adurgentes, vt Societatis gymnaſio ſilentium imponerent; cum edictis adhuc ſuis parum profeciſſent, rem ad Senatum regium deferunt, & ad cauſam ibi dicendam Patres accerſunt. Erat tum noſtrarum ſtatus rerum Pariſijs, qualis eſt naſcentis diei, cum lux exoriens haud dum planè è tenebris explicata, vmbras iacit longiſſimas. Obſcuritate adhuc, vt in principio, & inter hæreticorum mendacia inuoluta Lutetiæ Societas, non nullum iam incipiebat, doctrina præſertim, fulgorem ſpargere. Is in homines vel prauos, vel rerum ignaros incidens, quàm maximas inanium ſuſpicionum, formidinum, inuidiæ creabat vmbras. Indè factum, nullum prope vt hominum genus fuerit, quod non contra modicam illam noui Collegij albeſcentem lucem cooriretur. Nec mihi dubium eſt, quin multi errore, ſtudioque ducerentur. Adde quòd præcipui inter aduerſarios Hugonotti, Caſtellionio duce, alijque vel dubiæ fidei mortales, vel ad ſua, publicorum incurioſi, plus æquo attenti compendia, id agebant, vt quos, quaque ratione poſſent, alios alia ſimulatione, ac ſpecie, ad intendendam ſimul litem ſolicitarent, quod ex æquitate deſperabant, factionibus extorturi. Petrus Ramus, & Galandius, ille apertus hæreticus, hic *ſuſpectus, principes habebantur*.

Fauebant etiam tempora per abſentiam Regis, Reginæque Matris: cumque ijs, Procerum quoque illorum, qui patrocinium commodare cauſæ noſtræ ſolebant. Itaque ad quartum Kalendas Aprilis, quo die primùm agitata eſt in Senatu cauſa; contra, diſceptantium & opibus, & lingua pollentium ingens ſtetit agmen. Non Paſchaſius modò aderat, qui velut agminis ductor, Academiæ depugnauit nomine; ſed & alius, qui partes Epiſcopi tuebatur. Ad hæc Magiſtratus Ciuium, quem & Præpoſitum mercatorum, ſeu tribunum plebis appellant, munus in ea vrbe perampium, oratorem ſuum addiderat. Denique Paſtorum alius, & Curionum patronus: alius pro Mendicantium Ordinibus impleuerant curiam.

9 Paſchaſij contra Pariſienſe Collegium oratio.

Aduersùs hanc numeroſam, & potentem aciem vnus pro Societate ſtabat Petrus Verſoris, vt facultate, fideque, & cura nulli aduerſariorum impar (nam inter doctiſſimos religioſiſſimus habebatur) ita bonitate cauſæ facilè cunctis ſuperior. Aduerſarij omnes eodem die acriter declamauerunt: ſed vehementiſſimè omnium, vberrimèque Paſchaſius, cui velut ſubſcriptores ceteri acceſſerunt: Qui ſe Ieſuitas vocant, nouam aiebat eſſe, atque damnatam ſectam: quæ nil ageret, nil ſpectaret aliud, niſi vt funditus Pariſienſem Academiam euerteret. Collegium Claramontanum contra ius faſque ab ea obtineri: Quippe quòd Guilielmus à Prato Claramontanus Antiſtes Religioſis quibuſdam nominis Ieſu legaſſet: Ieſuitas autem palàm pro ſecularibus ferre ſe. Multos enim eſſe Pariſijs Religioſos in ditione, ac poteſtate Rectoris: illos verò nullis obſtrictos legibus, ritibuſue, Proteſtantium

Digitized by Google

more, contra omnes omnia dicere, ac facere: nec quicquam eorum religionem, præter admirabilem hypocrisim, habere, per quam callidè in improuidorum se gratiam insinuent, non secus ac Donatistæ olim, aut Ariani, aut Fraticelli soliti essent. Exagitauit nomen Iesuitarum, quod dicebat commune omnium esse Christum Iesum colentium. Reprehendit, quòd gratis profiterentur se docere, cum tamen dona non illibenter acciperent: addens Parisiensibus Collegijs frequentiam, & magistris stipendia ad vitam tuendam defutura, iuuentute ad Iesuitas auersa. Vbi, post celebratas Academiæ ab Carolo Magno constitutæ laudes, imminens ei ab Iesuitis exitium inuidiosè deplorauit: causam his annexuit pauperum, quibus fraudi esset ciuium liberalitatem in peregrina, atque ignota capita deriuari. Protulit deinde, mirèque exaggerauit decretum, quo Societatem Sorbona pronunciauerat, sectam tranquillitatis publicæ perturbatricem, in negotijs fidei suspectam, & dubiam, & Academiæ pernicioſam fore. Addidit Poissiaco in conuentu omnium consensu, & conuicio reiectam fuisse, apertè mentiens: quia in eo conuentu, tametsi non tanquam Religiosorum ordo; tamen vti Societas doctorum hominum, quibus habendi collegia ius esset, quemadmodum suo loco est demonstratum, recepta fuerat. Postremò eo psalmi versiculo, Tu es, qui restitues hereditatem meam mihi, Senatum appellans, ad vetera iura, decora, subsidia simul Academiæ, simul Episcopo, & Pastoribus conseruanda, miserabili peroratione hortatus est. Ad hæc Nonis Aprilis Senatu iterum conuocato Versoris, cum se humillimè inclinasset, quasi humi repens, respondere exorsus, longam, disertamque orationem habuit in

10 Oratio Versoris pro Collegio.

hanc sententiam. Haud nouum, Viri Amplissimi, Societatis Iesu Patribus, neque ab vitæ genere, quod profitentur, alienum est, maledicta hominum de Ordine suo minus rectè opinantium tacitè, ac patienter ferre. Quòd si maximè vellent in respondendo esse turbulenti; cohibet eos, & coërcet Sacrosanctum illud eorum Ordini ab Sede Apostolica inditum nomen. Quod cum in memoriam assiduè reuocet auctorem, ac principem humanæ salutis Dei Filium, multis contumelijs, & probris appetitum, in his, quæ humanam solùm, non etiam diuinam attingebant naturam, mirum adamasse silentium; nequaquam finit eos de sua solicitos ignominia esse, nisi cum diuinæ gloriæ defensione coniuncta sit. Quare eodem animo in hac controuersia sunt. Quicquid ad suam contumeliam declamatum est amicè cõdonant: si qua in re diuina laus violata est, in hac vestram, Senatores, implorant fidem. Tametsi enim tandem seipsa defendit veritas; tamen cuiusuis Christiani est arcere ab innocente iniuriam, nec obmutescere, cum id in discrimen vocatur, quo ius, fasque continetur: palàmque & publicè confusis, ac permutatis rectis, prauique vocabulis totius honesti natura corrumpitur. Igitur neque ego de mira illa hypocrisi, quæ obiecta est, quicquam dicam. Criminatio hæc est, quæ sola cadit in

11 Quæ habetur hypocrisis, si diuturna est hypocrisis nõ est.

bonum virum: vltima obtrectatori materia, vbi & vitia, & vitiorum species defecerunt. Quæ cum iamdiu sola obijciatur, nihilque magis pugnet, quàm cum simulatione constantia; satis videri potest ipsa met ea diuturnitas refutasse: & non adumbratas, quas incessebat, sed solidas probasse virtutes. Quòd autem Societas hæc damnata, ac nefaria secta, quòd Protestantium, quòd Donatistarum, Arianorum, & Fraticellorum similis dicitur; ad id necessariò, sed paucis est respondendum. Ignatium Loiolam perhonesto genere Cantabrum, sunt multi in hac Vrbe,

12 Societatis cunabula Parisijs

in Academia, in confessu opinor vestro, Patres, qui de facie nouerunt, cum inter nos, in hac regia sapientiæ, ingenti cum fama sanctitatis, iam grandis natu, & militaribus factis inclytus transtulit se ad studia literarum, vt ad salutem hominum procurandam, ad quod militiæ genus diuino quodam incitabatur classico, necessaria sibi doctrinæ compararet arma. Is ex hac ipsa Academia lectissimos iuuenes, cunctisque notæ, ac probatæ virtutis iuxtà, atque doctrinæ, ijsdemque præditos animis aggregauit sibi: cum quibus inita præclari societate operis, cum Christianam Rempublicam, & corruptis passim moribus, & suborientibus erroribus laborare cerneret; ad eam pro virili iuuandam, conatum omnem, & impetum vertit. Nec modò notas nobis amplitudine animi complexus prouincias est; sed parte sociorum ad vltimas Orientis nuper aperti oras missa, plurimos mortales, nationesque integras

ad

Digitized by Google

ad signa compulit Saluatoris. Itaque non obscuro in angulo, sed in huius clarissimæ vrbis luce, in ipso Academiæ sinu exorta primùm hæc Societas est: nec ad serendos, sed ad extirpandos errores. Quam ad rem cum intelligerent, in teneræ institutione ætatis momentum inesse maximum, quamuis arduam, inuidiosamque prouinciam, summo consilio cunctis viribus susceperunt: vt sinceras adolescentium mentes contra hæreticorum præmunirent virus, ac nouis existentibus errorum magistris, nequaquam deessent in Ecclesia Dei noui veritatis doctores. Hæc instituta Paulus Tertius Pontifex Maximus cum primùm nouit, ab doctissimis, & clarissimis viris inspici, expendiq. iussa, de eorum sententia ornatissimè comprobauit. Idem fecere, qui deinceps consequuti sunt summi sacrorum Antistites, ac modò Synodus Tridentina. Iesuitarum nomen quid cuipiam negotij faceſſat, equidem nescio, præsertim cum aduersarij fateantur idem esse, ac Christianorum. Quid enim modestius facere poterant, cum propriam certorum hominum Societatem, non communem omnibus conderent, eamque nomine distingui aliquo oporteret; quid, inquam, modestius facere poterant, quàm vt id ei nomen imponerent, quod re commune, vocis duntaxat sono proprium esset? Neque vt nouum criminari possunt: quia fuisse olim quendam eiusmodi ordinem constat, eiusque meminit multis in locis Panormitanus. Quamobrem per vestram fidem, Senatores, quæ nam est vel inscitia rerum, vel peruersitas animi, hunc ordinem reiectum, ac nefarium dicere, cum eum primùm quidem Christi Vicarius Paulus Tertius, deinde Iulius Tertius, post hunc Paulus Quartus, post Paulum Pius, qui nunc supereſt Quartus, ac proximè ipsummet Tridentinum Concilium (in quo & Legati, & Episcopi, & doctores multi ex Gallia interfuerunt) receperint, comprobarint, ornarint? Hæc qui nescit, audet de rebus publicis, de iure, deque iniuria hoc in conſessu verba facere? Qui autem perspecta habet, & tamen criminatur; is permittitur impunè inter Christianos loqui? Quid? quòd multi in Italia Reguli, in Germania, & Vngaria Episcopi, liberæ Ciuitates, ac Ferdinandus Imperator: in Hispania, Flandria, Brabantia Philippus Rex: in Lusitania, & in Indijs Lusitani Reges: in Gallia multis locis Rex ipse Christianissimus hos viros, quasi in stationibus, collocarunt ad propugnandam religionem, & propagandam? Tamenne erit, qui hoc in Conuentu, tanquam nouum, & pernicioſum genus hominum audeat deformare, & propulsare, quod Christianarum gentium cuncti Principes firmissimum à Deo præsidium, miseris hisce temporibus oppositum contra Hæreticos, & Ethnicos arbitrantur, & complectuntur? At enim verendum est ne peruetustam, atque clarissimam huius Vrbis, atque adeo totius terrarum Orbis Academiam noua hæc natio euertat. Equidem semper sacrum hoc Athenæum pro parente colui, colamq. dum viuam, ex quo quicquid sum, quanquam agnoſco tenuitatem meam, profectus sum: neque vllo modo eius commoda mihi oppugnare animus est, sed tueri, & augere vel vita, & sanguine. Sed tamen hoc velim persuaderi sibi Domini mei sinant, Iesuitas eodem, quo nos omnes sumus, animo esse, & Academiam venerari quasi parentem: neque conari irrumpere ad euertendam, sed dignam existimare, ad quam stabiliendam, atque (si fieri queat) illustrandam, suos ipsi quoque qualescũque conatus conferant: ac demum rogare suppliciter, vt, quod naturę iure permissum est omnibus, vt lumen de suo accendant lumine, & comiter erranti viam monstrent; id sibi interdictum ne velint. Nam, quod aiunt aduersarij, nullis deuinctos esse legibus; perinde vt alia, apertiùs est falsum crimen, quàm vt debeat, vel à mediocriter callido calumniatore obijci. Habent enim moderatores suos, habent instituta, quibus regantur: verentur pro summo capite Romanum Pontificem: & in hac Vrbe Episcopum Parisiensem, & Rectorem Academiæ perofficiosè obseruant, & quibus in rebus æquum est, libenter vtrisque parent. Doctrina verò non alia est, quàm quæ ab integerrimis Academiæ huius manauit fontibus, illimis, ac salutaris. Euolue, Paschasi, euolue Catechismos ab his magistris editos, tum tu ab infamibus illis hæreticis, quorum ad contumeliam abste coaceruata sunt nomina, quantùm distent intelliges. Si docent gratuitò; id profectò faciunt, quod Euangelium monet, Gratis accepistis, gratis date. Si dona accipiunt; an quisquam

13 Societatis approbatio.

14 Vtilis est Academijs publicis.

15 Non est onerosa populo.

Digitized by Google

adeo sit inhumanus, qui quæ liberaliter deferuntur, accipi vetet ab ijs, quibus minùs suppetat, vndè vitam sustentent? Oro vos, Viri clarissimi, reputate hoc cum animis vestris. Si alijs honestum est cum auditoribus suis de mercede pacisci, vndè locupletes, & opulenti fiant; quamobrem his nefas erit vel Euangelicum sequi consilium, vel id accipere, quod nequissimis mendiculis non negatur? Nam quod additum de causa est pauperum; pudet me (meam fidem testor) pudet, pigetque attingere, adeo vanum est. Aliquot iam annis Claromontanum Collegium habent Iesuitæ: quæro ecquod incommodum quisquam inde senserit? Ecquod sensurus vnquam sit, si clarissimi Antistitis permittantur benignitate vti? Quid deinde? Eo ne redactæ Parisiensium fortunæ sunt, vt paucorum hominum Collegium penuriam, inopiam, famem allaturum sit terrarum principi Ciuitati? Fac quadraginta cæci è vagis mendicabulorum quisquilijs, vel alia eiusmodi ignaua corpora huc ad nos immigrent; hi tua sententia, capient propemodum, vastabuntque hanc vrbem, adeoque exhaurient, conficientque rem, ac pietatem ciuium; vt religiosissimis Mendicantium Ordinibus pereundum fame sit. O præclara regendarum consilia Ciuitatum! Nunquam Senatores, nunquam bonorum, atque doctorum hominum vlla in Vrbe abunde est: neque vlla melior est annona Reipublicæ, quàm horum copia. Hæc Versorius cum liberè, accuratèque hactenus ad repellendas dixisset contumelias; ingressus exinde laudes Societatis, de eius scientia, docendique via, de boni publici studio, de laboribus pro re communi susceptis, & allatis in publicum emolumentis: ad hæc de Apostolicæ auctoritate Sedis, deque labentibus Academiæ moribus, ad quos restituendos conferre Societas aliquantùm posset, non pauca disputauit. Vbi ille finem loquendi fecit, Aduocatus regius, homo ancipiti religione, cum ab exordio speciem præbuisset Societatis causæ fauentis, collaudato vtriusque disceptatorum ingenio, & dicendi genere; tandem ad criminandum erupit: quod Versorium, & ceteros Aduocatos magnopere perculit, existimantes in ea dictione verti rei summam. Quippe ea est regij Aduocati in Senatu Parisiensi auctoritas; vt, quamuis iudex ipse non sit, tamen iudicum sententiæ ferè semper in eam ferantur partem, in quam sententia eius inclinat. Exagitato nomine Societatis (quod cuique contradicentium solemne erat) adiecit haud negligendum illud in ea causa videri sibi, quòd peregrini inducerentur, qui exortis bellis, in ipso Reipublicæ insidentes gremio, literis suis Regem prodere, ac Regnum possent. Super hæc, cum Gallicana Respublica non admodùm abundet pecunia; si cui veniat in mentem infinitam auri vim (nam pietati hominum modus statui nequit) Iesuitis largiri; verendum esse, ne alienas in oras Regni neruos transferrent. Indè conuersus ad pauperes Parisienses, (quanquam perindè vt Iudæ Iscarioti, dicebant boni, pauperes ei curæ esse) cum tanta sit multitudo eorum in hospitijs, & religiosis tectis; iurè metuendum aiebat, ne aduenis exsaturatis, ciues destituti perirent. Videre se præterea imminentem Academiæ pestem, peruerti statum Reipublicæ, docendi nouas rationes iniri, veteres negligi, vt sumus omnes appetentissimi nouitatis. Nihil autem periculosius in benè moratis Ciuitatibus mutatione legum, ac morum veterum esse. Hæc vociferabatur, cui nihil pensi erat veterem Christi disciplinam, legesque sanctissimas peruerti nouis deliramentis: scilicet de Academia Parisiensi solicitus, de Ecclesia Dei securus. Addebat eò certiora se hæc mala prospicere; quòd penes Academiam potestas non esset Iesuitarum conatus interrumpendi, cum ab Papa ipso regantur, qui Academicis legibus constringi nequeat. Obseruantiam se profiteri, ac deferre Pontifici: sed eam liberalem, vt filium, non seruilem, vti mancipium, quominus pro Reipublicæ suæ commodis constanter liceat, liberèque decertare. Minimè negare se Iesuitis esse literarum varietatem, & scientiam; nequaquam tamen Sorbonam, quasi iam senio effœtam, abijci, aut deprimi oportere. Si redintegranda sit Academiæ disciplina; reuocandam esse ad pristinos mores per viros prudentes, & graues, qui vetera norint instituta, non accersendos, nescio vndè, homines nouos. Hæc Aduocatus Regius cum dixisset, & causa, quam ita impugnasset, pro auctoritate, qua is pollet, deplorata haberetur (vt sunt diuinæ prouidentiæ prorsus admirabiles viæ) indè planè salus, vndè exitium

16 Aduocatus Regius in Societate minuebitur.

exitium timebatur, affulsit. Qui aderant in Curia Religionis integræ Senatores, ijs tam desperati capitis visa illa oratio est, argumenta tam vana, ac futilia, sed malitiosè collecta, ac turbulenter ad inuidiam detorta; vt non obscurè animaduerterint, quo ex fonte tam acerba insectatio oriretur. Profectò non de vno Parisiensi Collegio, sed de Societate è toto Galliæ Regno exturbanda, agi: deque auctoritate Summi Pontificis, & Religione Catholica penitus proculcanda, per speciosum illum Regni tuendi titulum, per quem olim Christum Dominum Iudæi crucifixissent. Hæc itaque Senatores Catholici attentari cum intelligerent, eò sibi patrocinium Collegij suscipiendum enixiùs statuerunt: nec permittendum, vt nomine, vmbraque Academiæ, ab Catholicæ Religionis hostibus vexaretur. Verùm cum adeo turbulento rerum statu non auderent decidere causam; ad declinandam inuidiæ molem, atque Hæreticorum, qui supra quàm credi possit Iesuitas optabant perditos; furorem ab se auertendum, ex tempore ipso sperantes affore medicinam; pronuntiant: Claromontani Collegæ docere pergunt, ad regium paucorum Consilium causam reijci. Quæ formula non solum eò adiudicabat Collegio causam, quòd nihil mutabat, sed etiam, quòd rarò aliud in consilio illo decernitur. Ceterùm hac lata sententia, propiùs aditum discrimen est. Aduersariorum importunissimi, quos hæreticæ exagitabant furiæ, spe deiecti causæ vnquam per aliquam iuris speciem obtinendæ; demoliri funditus Claromontanum Collegium, Iesuitasque in eo ad vnum contrucidare omnes constituunt. Quod Consilium, quanquam ad finem non venit; quæ tamen interea passi sint Dei famuli, longum, & miserandum esset enarrare. Conati sunt homines facinorosi sæpiùs domum irrumpere, vitreas fenestras lapidibus, & sclopetis perfregerunt: quanquam illud nequiuere consequi, vt depictam in ijs Crucifixi imaginem, ad quam maximè collimabant, vnquam attingerent. Incedentes per Vrbem Sodales, vel è feneſtris sordibus deiectis operuerunt, vel appetierunt lapidibus. In declamationibus, fabulisque, reuocata veteris comædiæ licentia, introductis etiam eorum personis, habuere ludibrio. Quæ, & id genus alia constantes illi imitatores, & assectæ Christi Iesu, ea pertulerunt modestia; vt cunctæ Ciuitati exemplo essent: neque Claromontanorum vlla ex parte minueretur, sed potius augeretur auditorum frequentia. Tanto plerunque plus innocentia constans ad conciliandum fauorem, quàm iniqua vis ad creandum contemptum valet. Ceterum quia tot inter fluctus maximè opus erat perito gubernatore; in Prouinciali conuentu, communi vtriusque Prouinciæ Galliæ consensu, decretum est, vt Oliuerius, cuius in Prouincia Parisij erant, solatium sòcijs, atque præsidium in Regno permaneret; quod is haud grauatè, Romam ad Comitia vicario pro se misso Guidone Roiletto, præstitit. Placuit simul, hortatu maximè Apostolici Nuntij, & Hispanorum nobilium, cum hac æstate ad Aquas Augustas (ita Baionam veteris studiosi nomenclaturæ vocant) cum Carolo Rege suo fratre, Reginaque Catharina parente, ventura in colloquium Hispaniarum Regina esset, quempiam eò destinari, qui causam apud Carolum, atque parentem, interposita apud vtrumque Reginæ Hispanæ commendatione, ageret: visusque ad id negotij idoneus Posseuinus, qui Auenione diuinam rem multiplici opere, ingentique animo procurabat. At Romæ, vexationibus hisce cognitis, Franciscus exiguam illam adeo exercitam suorum familiam paterno miserans animo, & Parisiensi populo consultum cupiens; ad Pontificis maximi, tanquam ad communis Christianorum parentis, opem confugit: quam sanè paratam, vti semper, inuenit. Pontifex cum Societatem vniuersam, tum nominatim Parisiense Collegium proprijs literis Senatui, & Cardinali Borbonio, & Regi impensè commendauit: quod satis ostendit earum, quæ sunt ad Regem, infrascriptum exemplum.

17 Catholici Senatores fauent

Carissi-

Digitized by Google

Carissimo in Christo filio nostro Carolo Francorum Regi Christianissimo.

19 Literæ Pontificis ad Carolum Regem.

CArissime in Christo fili noster salutem. Ad aures nostras peruenit Collegium Parisiense Societatis Iesu magnis affici cœpisse molestijs, & varijs vexationibus impediri, quominus, sicut cœperat, inseruire saluti animarum, & vacare iuuentuti doctrina Catholica, & pietate, ac bonis literis, atque artibus imbuendæ, atque erudiendæ possit. Id accidit nimirum humani generis hostis instinctu, qui consueuit illis aduersari, seque opponere, quos bonis operibus videt esse intentos: & Dei seruos, quò fideliùs officio suo funguntur, eò acriùs insectari. Sed id non laturam Maiestatem tuam esse scimus, vbi edocta fuerit de eius Societatis meritis. Nihil enim æquè Christianissimum Regem decet, ac religiosos viros, & Dei honori inseruientes tueri, & ab iniurijs defendere. Eam igitur Societatem, sciat Maiestas tua, propter pia, & laudabilia sua instituta, & ab Apostolica Sede confirmatam, & nuper à Sacro Oecumenico Tridentino Concilio approbatam fuisse. Cuius Societatis, propter vberes fructus, quos Dei Ecclesiæ his tam turbulentis temporibus attulit, non in Italia modò, & in Hispaniæ, ac Lusitaniæ Regnis; sed in ipsius etiam Germaniæ multis locis, & in Vrbe Regia Boemiæ Praga, eiusdem Societatis Catholicorum cura, & studio Collegia instituta fuerunt: quę constat Deo iuuante multùm in reprimendis hæresibus, hæreticisque ipsis ad vnitatem Ecclesiæ reducendis profeciſse. In hac quidem alma Vrbe nos præcipuè Collegij, quod hîc est, opera vtimur, quam & fidelem, & vtilem admodùm experimur, quascumque in partes Orbis terrarum euenit, vt eius Collegij Presbyteros diuini obsequij causa mittamus: atque etiam eiusdem Collegij fidei, regiminique, de Fratrum nostrorum consilio, nuper commisimus Seminarium, quod ex sacri Concilij decreto instituendum curauimus. Hoc eò Maiestati tuæ referimus, vt ipsa quoque, pro suo in Catholicam Religionem, piosque viros studio, Collegia Societatis in Regno suo sibi diligenter tuenda, & fouenda esse intelligat. Sed cum reliqua pietati tuæ studiosè commendamus; tum præcipuè ipsum Parisiense Collegium: eam vehementer hortantes, vt prouideat, curetque, vt id ab Hęreticorum, obtrectatorumque iniurijs, vexationibusque diligenter defendatur. Qua in re & Dei honori, & suæ, & regiæ illius Ciuitatis existimationi consulet: experieturque in dies magis, sicut confidimus, quantopere expedierit id in ea Ciuitate Collegium institui. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub anulo Piscatoris die vigesimanona Maij, Millesimo quingentesimoquinto, Pontificatus nostri Anno sexto.

20 Lugdunensis Collegij exordia.

Quo tempore aduersariorum ita studia feruebant Lutetiæ, ad dextruendam Societatem; nihilo Catholicorum propè cunctorum feruebant Lugduni minus, ad introducendam. Fessa multiplici malo Ciuitas, iamque ex Hugonottorum clade, & pestilentiæ lue aliquantùm respirans, non adiumenta modò, quibus sese reficeret, sed & munimenta, quibus in posterùm tueretur, circumspectabat. Euinci nondum potuerat, vt Senatus esset omnis catholicus: in quatuor è duodecim locis etiamnum hæserant Hugonotti. Ceterùm capita rerum Antonius Albonius Sacrarum, Franciscus Mandelotius Humanarum egregia erant: suosque duces, siue Prętorem orthodoxi Scabini, siue Archiepiscopum Comites, Equitesque S. Ioannis (ea primarij templi sacra militia est, iustisque Canonicis Comitum, inferiori ordini Equitum indidere nomen) præclarè sequebantur. Et Archiepiscopus eò vigilantiùs dies, ac noctes in sua specula consistebat, quòd persuasum habebat, pro situ regionis, pro claritudine vrbis, pro celebritate Emporij, haud facilè vrbem aliam, pluſquam Lugdunum, ad Religionis summam momenti habere. Omnibus quoque dum Societatis institutum ex vna parte, acceptaque laborum eius in Augerio, Posseuinoque pignora, ex altera rerum, ac temporum statum comparant; sine dubitatione conueniebat, opportunius nihil eius ope instantibus malis inueniri. Præcipuum auxilium in iuuentutis educatione ponebant. Qua de causa Collegium ei suum tradere

Digitized by Google

dere auebant ciues, eò magis, quòd & multis iam annis, per Magistrorum nomen, corruptoribus illapsis, propinatum improuidis animis, pro lacte doctrinæ, venenum impietatis erat: tumque vacuum gymnasium illud erat gymnasiarcha hæretico ab Catholicis inter tumultum perempto. Archiepiscopus autem Seminarium ex Concilio Tridentino moliens, doctrinam ei Patrum destinabat animo. Itaque multum in hanc sententiam literarum dedere Romam ad Societatis Moderatores, ad Præsulum quosdam, & Cardinalium, & ad summum ipsum Pontificem. His communibus votis vni obstabant Hæretici. Pernegare primò Collegium publicum, quod commune esse oporteret ciuium, nouæque iuxtà, ac veteri religioni patere, sine alterius partis iniuria tradi posse Iesuitis, quos constaret religionis nouæ, reformatæque (ita suam ipsi deformatissimam vocant) adeo acerbos hostes, & oppugnatores esse. Quæ cum parùm audirentur, illud contendunt, vt suum ipsis quoque, pro liberis suis, Collegium habere ius sit. Hoc quoque conatu deiecti, ad extremum eò confugiunt: si deliberatum sit tradere, tradant vtique, non perdant Iesuitas: qui quamuis in literarijs exercitationibus, dum recens ordo est, & emergere ad famam, atque fortunas volunt, industriam fortasse probent; tamen nulli hominum generi tandem non somnum, non senectutem obrepere. Ecquis post centum annos, quales nunc sunt, tales præstet futuros? Ergo integrum reseruandum Senatui ius identidem cognoscendi, susceptum munus quanta cum fide, curaque gerant. Tam hæc prouidenter in speciem, iustèque visa suggeri, vt Concilium frequens comprobarit: cum auctores illud intuerentur, vt negotium vel disturbarent, si conditiones illæ minimè acciperentur: vel si acciperentur, vt ad vexandam, eijciendamque Societatem, quandocumque incessisset libido, senestram apertam haberent. Verumtamen sic boni omnes institerunt, meliora tempora, & liberaliora propediem pacta (vt demum euenit) pollicentes; vt Augerius integram rem Præposito, qui crearetur, relinquens, Collegij possessionem adierit: in eoque Annibalem Codrettum cum socijs duobus collocarit, interim mansuros, dum certiora ipse ex generali Congregatione afferret. Idem sub tempus & Pragæ in Prouincia Austria, & Hispali in Bætica res quamoptimè gestæ. Pragæ præter cetera, Hæretici ad centum triginta ad fidem Catholicam reuocati. Hispali ad centum viginti mulierculæ impudicæ, vel in fornice prostitutæ, vel per angulos tantæ Vrbis sparsæ, alijs, atque alijs concionibus, ab infami mercatu ad claustra resipiscentium, vel castum matrimonium abductæ sunt: ampliùs mille nummum in eum vsum ex pijs corrogato. Vigebat nimirum aduersùs impura monstra cæleste bellum. Nec socij duntaxat conferebant fortiter manus; sed & è populo, commoti præceptis, & exemplis eorum, auxilio veniebant. Fuit ex his, qui cognito quendam direxisse ad lupanar gradum; occurrit homini, instititque orare, ne se perditum iret: saltem sacri diei, qui tunc agebatur, verecundia cohiberet: cumque nequam libidine, & ira flagrans, stricto pugione, in salutarem monitorem irrueret; is complicato vtroque genu, palmis ante pectus coniunctis, lumina in cælum tollit, & vulnus expectat. Quæ magni animi caritas furentem ita mitigauit, ita percussurum salutifero ictu præoccupauit, ac perculit; vt & ipse prouolutus in genua meliorem frugem promittens, veniam suppliciter precaretur, & dexteram eius exosculari voluerit. Ibidem, præter septem in Societatem receptos, ampliùs triginta ex disciplina Collegij attentiorem religionis suscepere cultum: atque ex vna tantùm classe decem ad Franciscanorum Cœnobium transiere, læto eius Cœnobij Præfecto, vt numero Tyronum, ita virtute, peritiaque interioris sapientiæ, qua præformatos animos afferebant. Eadem in vrbe, dum Patres vltimo supplicio afficiendis præstò sunt, ingentis rem vsus incæptauere. Inualuerat enim (qui hodieque multis locis tenet) mos sanè non laudabilis, administrorum, reorum, incogitantia magis, tantulique negotij tædio, quàm religionis vllo respectu, vt morte multandi diuinissimo Christi corpore fraudarentur: quasi verò tam grandis via, quanta est ex hac vita ad alteram, ex imo rerum ad montem Dei, sine diuino Viatico iniri à quopiam debeat, nedum ab ijs, quibus minus virium, minusque commeatus ex ante præparato adest. Impetratum ergo Hispali est priori huius anni parte, vt quibus

21 Pragæ, & Hispali res gestæ.

vita

22 Mos inductus diuinæ Eucharistiæ præbendæ supplicio afficiendis.

vita mortalis adimebatur, ijs pignus ante præbertetur æternæ. Sed vt salutaris consuetudo cunctas Hispaniæ peruagaretur oras, duobus post annis, occasio talis Granatæ fecit. Iuuenem haud infima sorte ad furandi insaniam adegerat vita luxuriosa: mox furta adegerunt ad restim. Consolantem, cohortantemque quendam Patrum obsequenter audiebat, professusque apud eum peccata, constanter animum ad luenda ea quouis cruciatu componebat. Sed vbi fortè accepit sanctissimæ experti communionis sibi esse moriendum; in lacrymas, gemitusque erupit insolabiliter, orans, obtestansque, qui aderant, sinerent vt Christianum mori: quid enim se commisisse, quamobrem vt putidum, defectumque membrum abijceretur? cur prohiberent vltimum spiritum in eius, à quo acceperit, exhalare sinum? Ne nudum, inermemque in fauces mortis proijcerent, quem possent immortalitatis pharmaco præmunire. Intererat Sacerdoti comes laicus Ioannes Hispalensis nomine, qui lacrymabili, iustaque obtestatione commotus, extemplò pergit ad Iudices: cumque in vnum coactos reperisset, enixè precatur, vt pia iuuenis morituri vota benignè respiciant. Illi nec moris id esse respondent, nec verò decere Christi Domini Corpus in carcerem deportari: perinde quasi clementissimo Domino graue sit per se viuere, quos inuisentium officia imputat sibi, quasique horreat vincula nostra, qui pro nobis sua non horruit: & iam ex totò beatus reformidet hominum causa pedorem carceris, pro quibus adhuc doloris capax supplicium appetijt Crucis: denique non eò libenter ad mancipandas animas eat, vbi sanguine emit. Itaque talia reputans Ioannes, velut diuino in purum pectus illapso spiritu, tam multa, tantoque ardore subiecit; vt Archiepiscopo rem Iudices omnem permiserint. At verò Sanctus Antistes Petrus Guerrerus non eum modò iuuenem sanctissimi voti compotem fecit; sed etiam cum Pio Quinto, qui iam Pontificatum gerebat, egit, vt idem vniuersè, sublato quocumque impedimento, ediceret: vt edixit octauo & sexagesimo huius sæculi ineunte anno. Idem proximo anno etiam Philippus Secundus Rex sanxit, adiecto, quò res maiore cultu administraretur, vt suum in quoque carcere conderetur Sacellum, vbi damnati, ad Sacrificium admissi, sacrosanctis mysterijs donarentur: ac supplicium non nisi postero die exigeretur. Quæ omnia huc in locum, vbi primùm memoria incidit, conferri placuit.

23 Congregatio Generalis inchoatur:

Aderat iam dicta conuentui dies: frequentes interfuturi Patres aduenerant; tantùm ex Bætica, & Germania inferiore desiderabantur. Igitur duodecimo Kalendas Iulias primùm itum est in consilium: decretumque legitimum videri comitiatum: vtque Vicarius, & Salmeron bonam à Summo Pontifice precationem ad creandum Præpositum, & cetera quæcumque tractanda forent, peterent: quam Pontifex perbenignè largitus est. Ceteris deinceps diebus, actis primi conuentus ad comitiorum spectantibus modum, ac formam accuratè recognitis: atque ex ijs horum quoque comitiorum ratione maximam partem temperata, posteriore concione Palmio, comitij custodia Emmanueli Sà, cum quatuor prouinciarum Procuratoribus, ex nationibus diuersis, quos Vicarius nominasset, delegata; idem Vicarius quarto Kalendas Iulias, ex quo die placuerat, quatriduum antegrediens, comitialem diem inchoari, congregatos Patres pro suo munere ita est allocutus.

24 Oratio Borgiæ Vicarij ad Patres lecturos Præpositum.

Quanquam vester mihi animus, Venerandi Patres, ac pia solicitudo in his, quæ ad Societatem pertinent, cognita omnino, atque perspecta erat, videbamque incensos omnes, ac paratissimos ad id præficiendum ei caput, quod non modò diuinæ gratiæ perfusum odore esset, sed vndè in oram vsque vltimam vestimenti benignitas cælestis descenderet: nec audebam adhortari, à quibus doceri me, & admoneri æquius sit: & prope pudebat imperitiam meam prodere, ac balbutire ad eos, quorum sermones, & opera, Domino confirmante, per diuersas terrarum oras adeo præclara sunt: tamen, quoniam obedientia cogebat, aperiendum os fuit. Impleat illud verbis suis Deus Verbum. Conabor certè adhortari meipsum: quidque super hac deliberatione grauissima, in octaua Constitutionum parte sancitum sit, proponam simpliciter: vt, si minus hic vobis labor, qui minimè indigetis, sit fructuosus; mihi certè, cui væ si tacuero, obedientia ipsa fructus sit.

Primùm ergo sancitum est, vt Vicarius alloquatur Patres, & ad eam Præpositi lectio-

lectionem hortetur, quæ ad maius Dei obsequium, & bonam Societatis gubernationem conueniat. Non enim, qui nihil incommodet, nec qui parum quid commodet, satisfuerit legisse; sed qui virtute, ac sanctitate, qui doctrina, prudentiaque præstans, idem ad res gerendas aptissimus, ad pascendum, tuendumque gregem maximè benignus, ac fortis, ad augendum accuratissimus, denique in omnes partes opportunissimus fore videatur. Quæ prouisio si adhibetur in bellis humanis, vt exercitus quàm optimo Duci committatur; quantò in hac sacra cohorte adhibenda impensiùs erit, qua populi Dei tanta res agitur? præsertim cum ferè eueniat, non modò vt sicut populus, sic Sacerdos; sed etiam vicissim, vt qualis Sacerdos est, talis sit populus. Præterea Constitutiones hunc nobis, & proximos tres dies decernunt, quibus agamus cum Deo. Nimirum si orare semper oportet, & nunquam deficere; dubitari non potest quid faciendam sit nobis hoc tempore, quibus Redemptorem ipsum lecturum Apostolos pernoctasse constat in oratione Dei. Orat misericordia, orat, qui corda intuetur: & miseria, & cœcitas non orabit? Interim etiam considerare iubemur, quis ad magistratum gerendum maximè idoneus futurus sit. Nempe Deus vult operam nostram adiungi operi suo. Iubemur autem ex vniuersa Societate delectum habere, ita scilicet, Professos vt nobis ob oculos omnes, nec modo præsentes, sed etiam absentes ponamus. Interdum enim quem minimè mortales destinant, ei (vt Dauid exemplo est) Dominus suffragatur. Nunquam igitur permittat summa bonitas, vt Societas nostra cooptet eum, quem tantùm humana ratio commendat; sed vt eum, quem & Deus commendat: ille enim verè probatus est. Eodèm arbitror pertinere (quanquam intimas Constitutionum, propriasque rationes, cum æterna in eis sapientia, bonitasque tantopere eluceant, quis indagare, nedum explicare queat?) tamen eodèm pertinere ego decretum arbitror, ne quis apud se statuat, quem electurus sit, antequam in comitium includatur: scilicet, vt electio nõ ab homine fiat, neque per hominem; sed præcipuè per Spiritus Sancti gratiam. Ad quam consequendam, si imitari eos oportet, vt panè oportet, quibus eam perfectiùs, & vberiùs idem Spiritus elargitus est; intueamur Apostolos, qui non apud se decreuerunt, quem in Apostolatum sufficerent, sed propositis duobus dixerunt: Tu Domine, qui nosti corda hominum, ostende quem elegeris. Quid autem attineret Dominum consulere, si apud quemque iam fixum esset, quid ageret? Locus etiam in omnium conuentu, & comprecatione Patrum aptissimus est: quia sæpenumerò quod negatur singulis, tribuitur vniuersis. Denique qui sunt in vno, eodemque spiritu congregati, haud dubiè paratiores ad accipiendum id fiunt, quod vno ore, vnaque mente, tempore eodem, ac loco deposcunt. Enim verò si olim ille attrita fronte populus, cum Regem vellet, nequaquam sibi ausus est assumere, sed de manu præberi voluit Dei; an Societas suis nixa viribus Rectorem sibi adsciscet, ac non potius à Patre luminum, ex quo descendit omne datum optimum, precaretur? Additur ad extremum anathema, qui hoc munus ambierit, qui conscius non indicarit. O altitudo sapientiæ, & scientiæ Dei! Tali morbo remedium tale debebatur. Angelos è cælo, Capita gentis humanæ è Paradiso deiecit superbia. Abscindatur ergo, & tollatur de medio fratrum, & eijciatur, qui simili peste contactus sit. Quis autem cœcum faciat ducem? An rogo non cœcus ambitiosus, qui cum nihil sit, existimat se aliquid esse? Non planè sensu omni captus, qui cum se agere ipsum nequeat, grauia sibi affectet, & conquirat onera? Illum de Hierico descendentem, postquam plagis impositis latrones semiuiuum reliquissent, quo reponeremus in numero, si à prætereuntibus peteret, non vt humeris leuarent se, sed vt graui sarcina onerarent? O puluis, & cinis! Non sentis ab imo vestigio te ad verticem coopertum plagis? Vulnera tua fomentis vini, & olei, alligaturaque opus habent: humeris alienis in stabulum ipse portandus es, & assumere, quos portes, audes? Vide manus tuas, si nec dum vereris opera tua: vide pedes viæ pacis ignaros, vias ambulantes difficiles: infer & in duritiam cordis tui digitum tuum, considerans quid indè exeat, quid ex ore procedat, quid ex mente pullulet. Nam dissipatæ cogitationes nil nisi cor hominis torquent. Id si feceris, tum tu, instar publicani, oculos in cælum leuare non audebis. Sed leua oculos tuos,

25 Optimus in Præpositum legendus.

26 Precatio ad Deum adhibenda.

27 Et consideratio ad cognoscendos homines.

28 Sustinenda sententia in horam orationis ante electionem.

29 Anathema in ambitiosos, & non indicantes.

leua

leua ad Christum. Contemplare quid medicus fecerit, vt mortifero ambitionis vulneri, quo mundus laborat, faceret medicinam. Non habuit locum in diuersorio, ne tu locum ambitiosè quæras. Ne Rex constitueretur, fugit: ne tu appetas Rector constitui. Venit ministrare, ne tu tibi ministrari velis. Sed vbi non exempla humilitatis in Christo? Exaltationem semel admisit; sed in Crucem: vt doceat titulum Regis, siue Rectoris, non nisi pendenti in Cruce deberi. Proinde qui in Cruce non est, quid titulum Regis quærit? & si quærit, certè in Cruce non est, nec crucem nouit. Cruci enim affixo honores pro clauis sunt, deliciæ pro spinis, hominum laudes pro contumelijs, ac probris. Age, qui excelsa appetis, num ignoras idcirco sublimem elatum in Crucem Filium Dei, elationis vt tuæ pœnas luat? Stulte, quem te ipsum facis? Qui Christi est, longè est ab ijs, qui nomina sua vocauerunt in terra: cum ille, cuius nomen est super omne nomen, illo titulo glorietur, Ego sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis. Qua igitur non dignus pœna ambitiosus? Quid mirum si legibus nostris ita percellatur? Ergo cum ad creandum Præpositum includemur, excludatur procul ambitio, vt accessum, ne ad fores quidem, inueniat. Quòd si fortè accesserit, & pulsauerit; obsurdescant aures: excitetur Domini Dei zelus: meminerimus vocationem nostram. Nam electi sumus, per viscera misericordiæ Dei nostri, ad conculcandam pedibus mundi ambitionem, ad erigendum supra caput improperium Crucis. Sin autem ambitionem, quam per Religionis ingressum destruxi, iterum reædifico; præuaricatorem me constituo. Non ne hæc, Societas Iesu Christi est? nonne gloriatur hoc nomine? non ne hoc signo munitur? Erit igitur, qui quærat, quæ sua sunt, oblitus, quæ sunt Iesu Christi, cum de Societate sit Iesu Christi? O Patres carissimi, iterum, atque iterum hortor, Videamus vocationem nostram: audiamus præceptorem, eundemque Dominum nostrum clamantem, Reges gentium dominantur eorum: &, qui potestatem habent super eos, benefici vocantur: vos autem non sic: sed, qui maior est in vobis, fiat sicut iunior: & qui præcessor est, sicut ministrator. Vnum iam illud monuerim, omnium intentos huc oculos esse, vt videant, num Societas, vti docet legendum esse optimum, item & faciat. Quòd si secus fecerit; proh dolor, quis iam feret linguas mendaces, cum & veraces tam pauci ferant? Vocem igitur, quam dixi, Christi sequamur. Nemoque, vt filius Adæ, metuat, ne quem carum sibi contristet. Nam qui sibi ad suum sensum Rectorem imponit, quòd amicus est, quòd ingenio, ac sententia conuenit; frustra est. Eueniet illi, vt Iudæis prædixit Samuel euenturum ab Rege, quem petebant, vt tolleret, quæ eorum erant. Iusta Dei vindicis pœna est, vt pro sperata lætitia moeror subeat. Non rarò ita fieri videmus, vt quibus è fontibus hauriebatur modò dulcedo; indè post paulò bibatur amarities. Malum itaque, malum homini, qui gaudia petit ab homine. Sed quid ego hæc apud vos? Non ne vobis, Patres carissimi, hæc omnia sunt notiora, magisque curæ, quàm mihi? An inter vos non ego quosdam intueor, per quos Constitutiones ipsæ sunt conditæ? Num mihi est dubium, quin Christum indueritis omnes? & in eo permaneatis spiritu, in quo & congregati sumus? Solùm igitur superest, suppliciter vt Deum precemur, eam cordibus nostris lucem immittat, vt quem ipse vult huius gregis pastorem, huius corporis caput; eum nos quoque & velimus, & declaremus: idque cum operatus fuerit in nobis, etiam gratia sua confirmet: vt dicere liceat, Præpositus natus est nobis: Pater datus est nobis à Domino factum est mirabile in oculis nostris. Exultemus in eo, qui fecit, & illum dedit nobis in pastorem, nos autem in populum eius, & oues pascuæ eius: Sicque, quasi modò geniti infantes, renouemur spiritu Societatis nostræ. Nouum fides robur, nouum spes, & caritas vigorem assumat: sit obedientia promptior, sit castimonia, paupertasque perfectior. Crescat in aduersis, & ærumnis alacritas: inexternis rebus, & secularibus circumspectio, & prudentia: in amore proximi, & salute feruor, ac sedulitas. Nam hæc est vocatio nostra, hæc sors, & hæreditas nostra. Hanc persequi sanctum est, hanc consequi sanctissimum erit.

30 Humani respectus in id trahunt, quod per ipsos declinatur.

Si enim hoc Societas præstiterit; in sanctitate, & iustitia erimus coram Deo, omnibus diebus nostris: illuminabimusque eos, qui in tenebris ambulant, & pedes

eorum

Digitized by Google

eorum dirigentur in viam pacis. Ille, qui est pax vera, pacisque largitor, hoc ipsum nobis largiatur, benedicatque nos ad hanc electionem faciendam: nobiscumque maneat seruans, ac dirigens nos Patris potentia, Filij sapientia, Spiritus Sancti bonitas, & amor. Amen.

Vbi Borgia dixit, lecti de more, qui comitijs cum Vicario præessent Ioannes Polancus Secretarius, Salmeron Assistens. Denique ceremonia, ordineque eodem, simulque eodem die Visitationi Deiparæ sacro, quo anno ante octauo declaratus erat Lainius, renuntiatur Præpositus Generalis Franciscus Borgia prima suffragiorum latione, vno & triginta suffragijs, haud plus octo ex omnium numero desideratis. Renunciationis decretum Professorum antiquissimus rite concepit Salmeron. Comitiorum euentum non tam præsagiens, quàm formidans ante Franciscus, diu secum luctatus, an præueniret deprecando Patres, Salmerone, & Ribadeneria, quos consulerat, Auctoribus, ne forte rei, quæ nulli in mentem veniisset, cogitationem excitare videretur velle; ipsum opperiens exitum, tumque si opus foret, contra iturus, ægrè quieuerat. At vbi ventum ad rem, atque in eum onus incubuit, perturbatus (quod clarissimè prodebat vultus) & stupore correptus sic est, tanquam diuinitùs ei lingua vincta esset, mensque & corporis membra obtorpuissent, ne cuncta reluctando misceret. Et sanè non paucis visa lectio diuini potiùs, quàm humani consilij: cum vulgatum inter omnes esset quantopere & sancto contemplationis otio teneretur, & ab administrationis publicæ curis Franciscus abhorreret: atque adeo increbuisset suspicio, moribus illum quibusdam ab Societatis disciplina alienis imbutum. At proximis indè diebus ea conspectus est animi fiducia, eaque ad res gerendas alacritate; non obscurè vt additum viro cum prouincia nouum è cœlo stipendium, & vires multiplicatas appareret. Atque ipsemet agnoscens in hac sua creatione diuinæ mentis consilium, ea se cogitatione consolabatur, quòd Societas cum Iesu sit, idem esset eam recturus Iesus per ea molimenta, quæcumque ei placuisset assumere: vt cui pronum esset quicquid vellet, adminiculis quibus vellet, effectum dare. Dicebat tamen se quidem semper optasse in cruce mori: ceterum nunquam suspicatum, tam grauem sibi crucem esse repositam, quàm quæ ab Societate imposita esset. Prouincialium in his comitijs haud vllus desideratus est, præter Oliuerium Manareum, quem, vt diximus, difficultates temporum in prouincia tenuerunt: & Ioannem Plazam, qui post creatum Præpositum serus venit: nam Euerardus ex inferiore Germania primo quatridui ante comitia die Romam attigerat. Tres adhuc ea tempestate supererant è decem primis Salmeron, Bobadilla, Rodericius: is postremus cum ageret in Hispania, quò superiore anno reditum impetrarat, excusans iam minùs aptam longinquæ peregrinationi ætatem, non interfuit. Borgia quo primum die renuntiatus est Generalis, eo vnà cum ceteris Patribus Pontificem adijt, fortè eodem die in cœnobio Franciscanorum ad Aræ Cœli pransum. Clementissimè Patres excepit Sanctissimus Dominus: estque palàm professus comitiorum exitum non potuisse neque ad communes Ecclesiæ, neque ad Societatis priuatas rationes, neque ad suam voluntatem magis aptum, & conuenientem accidere. Nec secus alij acceperunt. Dux Methymnæ Cæli Ioannes Zerda, qui ab Siciliæ procuratione in Hispaniam remearat, Madriti re cognita, illico ad Collegium cursu tetendit, literasque eius rei nuntias habens in manibus, nil nisi gratulabundus iterabat, Franciscus Dux sanctus, Generalis. Ad eundem nuntium Cardinalis Augustanus Dilingæ, in templo solemni ritu, musicoque concentu Deo grates egit. Hosius verò Cardinalis Varmiensis ipsi Francisco gratulatus est his verbis. Etsi pridem allatum huc fuerat R. D. Vestram, cuius insignis pietas toto celebratur in Orbe, summa cum voluntate omnium, & incredibili quodam consensu sanctæ Societatis Iesu Generalem esse designatum; quoniam tamen ex Vrbe nullas ante mensem Decembrem ea de re literas acceperim, differendam esse duxi meam gratulationem in id vsque tempus, quo certius aliquid hac de re cognoscere licuisset. Deo gratias ago, cuius beneficio factum est, vt non solum huic sanctæ Societati, verum etiam Ecclesiæ vniuersæ de viro tanta vitæ integritate, grauitate, prudentia prædito prospiceret:

31 Borgia renuntiatur Præpositus generalis.

32 Pontifex laudat Borgiæ lectionem.

33 Gratulationes de ea.

Digitized by Google

cuius cura, & diligentia prouideri possit Ecclesijs omnibus, vt ne careant verbi ministris, qui non magis doctrina, quàm exemplo ceteris præeant. Quibus quò magis hæc mea diœcesis indigere videtur; hoc impensiùs munus hoc R. P. V. delatum, illi gratulor, mihi verò gaudeo. Nam illius opera futurum confido, vt nec alijs Ecclesijs, nec meæ desinit fideles operarij, qui laborent in vinea Domini. Sed inter officiosas absentium gratulationes non inuenustè Ioannes quidam Tapia Hispanus ex Vrbe Valentia literas tales dedit: Gratulentur cuncti mortales è terra, cui grates agunt, immortales è Cælo, ac nominatim singularem eius erga te indulgentiam collaudent, dum pro populis, qui tantùm corporibus tibi parebant, eos dedit, qui etiam subiecti sunt animis ad imaginem vnius trinique Dei procreatis: vt ipse è dominatu terreno euehereris ad principatum cæleſtem: curandosque, & regendos acciperes homines quosdam diuinos, nationem eiusmodi, qualem nemo Regum sortitus est. Ita distant imperia, quæ humanis consilijs, & quæ mandantur diuinis: & ex his, qui ad imperandum leguntur, lector apparet. Bonum sit, felix, fauſtumque Paternitati tuæ onus, per quod mundo peccatorum leuantur onera, munus simillimum muneri Redemptoris: Societas, cui nunquam Iesu societas abest. Qui Franciscum interiùs norant miscebant gratulationi consolationem. Quidam veniam precabantur, quòd lætati ad eum nuntium essent: alij magnum quid solatij aiebant esse, vbi si conqueri vellet, non nisi de Deo posset. Patres salutato Pontifice, continuò ad consultationes negotiorum, quæ multa, & grauia restabant, adiecere curam. Quinto Kalendas Augusti ad plura dimidia parte suffragia renuntiati Assistentes: data opera, vt, quantùm fieri posset, è varijs nationibus caperentur. Quadripartita nationum hæc facta distributio: Italia, Siciliaque coniunctæ: Gallia item atque Germania: Lusitania quoque, Brasilia, & India: denique Hispaniæ prouinciæ Castella, Toletana, Bætica, Aragonia: proque his Assistens primo loco Antonius Araozius absens nominatus est, tanto consensu, vt duo tantum ex omnibus desiderarit suffragia: Secundo loco pro Italia, ac Sicilia Benedictus Palmius: Tertio pro Germania, & Gallia Euerardus Mercurianus: Quarto pro Lusitania, India, Brasilia Iacobus Miro decreti. Eodemque die, quem Præpositus Generalis sibi à secretis cooptauerat, eiusdem Admonitor declaratus est Ioannes Polancus, vtroque munere perfunctus nuper apud Lainium, & altero scribendarum epistolarum olim etiam apud Ignatium. Sub hæc, ad cæleſtis agricolæ instar, qui palmitem quamuis frugiferum purgat, quo fructum plus afferat, circumlatis per commissam sibi Domini vineam oculis, totaque diligenter lustrata, operam dederunt, vt & perpurgarent, si quid succreuisset recidendum: & si qua re possent, perficerent, & quodammodo opimarent. Duabus maximè rebus laborare tum Societatem multi querebantur. Primùm quòd nimis multa exigua, & malè fundata inchoarentur Collegia. Deinde quòd rei familiaris causa offerretur populo materia sermonum. Vtrobique sanè diuina gloria, & salus proposita mortalium erat. Verùm, vt inter homines non sola rerum honestate contentos, sed singularum honestatum expendentes momenta, quantumque cum Christi ope licet, perfectum vbique consectantes, permulti gemina illa in re satiùs censebant fore, si adhiberetur modus: præsertim cum vtrobique rimulas, per quas sensim se insinuaret tartareus anguis inueniret. Ex minutis, inopibusque collegijs plurima ostendebantur incommoda. Carptis in tot exiles domunculas socijs, eneruari totius Ordinis vires, nec vspiam dininam rem tractari pro dignitate: occupatisque vbi operæ non sit, sodalibus, ibi deesse, vbi enixiùs vires contendi celebritas locorum, spes fructus amplioris, fundatorum benignitas postulet. Conteri in edocendis pueris iuuenum ætates: magna ingenia, præclarasque naturas debilitari, & acerbas consenescere: ex quibus: si maturitatem adipiscerentur, vtilitates olim Christiana res incomparabiles caperet. Præterea in tanta idoneorum Rectorum penuria, necessariò id munus ijs imponi, quos regi ipsos oporteret, eodemque modo minùs idoneos alijs muneribus præfici. Ad hæc paucitate ipsa hominum vilescere quodammodo maiestatem rerum sacrarum, & laxari seueritatem œconomiæ religiosæ, vbi nec præscriptus ex disciplina cõmuni munerum ordo seruari, nec

34 Assistentium creatio.

35 Admonitor, & Secretarius Polancus.

36 Societatis perficiendæ studium.

37 Incommoda ex minutis Collegijs.

suum

suum exigi à quoque pensum queat. Frequenti etiam inter se vsu obsoleſcere inuicem obseruantiam: & familiaritates nunc immodicas contrahi, nunc offensiuncu-las concipi perindignas. Raros etiam inueniri, qui non propemodum ijs locis teneantur inuiti: vndè fiat, vt commissa sibi obsequij diuini munera nec illi, qua voluntate, quaque diligentia opus est, tractent, nec indè (quod consequens est) animarum optata lucra proueniant. Postremò incredibilem esse molestiam, mentisque occupationem in conquirendis alimentis: & tamen nec sermones hominum, inuidiamque declinari, nec angustijs domesticis occurri: nec licere vnquam tollere caput, sed cum inuidia publica, cum ære alieno, cum inopia assiduè esse conflictandum. Hæc, atque id genus multa eò vehementiùs, fusiusque cum ab alijs, tum maximè à Benedicto Palmio commemorabantur, quòd metuebant, ne sancto illo suo cunctos iuuandi, exercendæque paupertatis studio (vti documenta in Hispania dederat) abripi se Franciscus permitteret. Quamobrem rogarunt eum quamplurimùm vniuersi Patres, decreto in eam rem condito, vt ad roboranda, quæ iam suscepta erant Collegia verso animo, si quæ post hac admittenda censeret; ea eiusmodi essent, ijsque locis, & conditionibus eiusmodi offerrentur; vt ad commune bonum Ecclesiæ Dei ingens habitura momentum viderentur: tum etiam ab rebus vitæ necessarijs ita essent instructa, non modò vt ij sustentari possent, quos opera postularent; sed is etiam Scholasticorum numerus, qui ad idem perpetuandum Collegium satis foret. Denique quamuis hæc suppeterent vniuersa; nequaquam tamen acciperet, nisi haberet Societas Rectores, Magistros, & Operarios idoneos, vt sine veterum detrimento, sustineri posse nouum Collegium, Pater Generalis, auditis Assistentium sententijs, iudicaret. Neque id sanxit Congregatio seueriùs, quàm seruauit. Eodem die recitatis aliquot Præsulum, & Ciuitatum literis, quinque Collegiorum, quæ deferebantur, admittendum nullum censuit: susceptorum quin etiam quædam soluendi potestatem Generali permisit. Id priori incommodo prouisum leuamentum est: nec difficile inuentu, & omnino efficax, si perinde, vt prima facie videtur, habile esset. Operosiùs erat, alteri amoliendo malo, remedij viam inuenire, quòd Collegium præcipuè Romanum haud dubiè petebatur, iacturamque maximam faciebat. Quæ res, vt à prima origine palàm fiat, altiùs repetenda narratio est. Sanctus Ignatius, mente illa magna colluſtrata diuinitus, è re Societatis totius plurimùm existimauit fore, si Collegium Romæ condidisset, quod omnibus commune nationibus, ac prope cunctæ familiæ Seminarium esset. Id ipsum, cum præcipuis Patrum, sentiebat Lainius. Ideoque Romanum Collegium tutatus omni ope est, ac promouit. Id consilij, qui rectè animaduertat, cum planè necessarium deprehendet fuisse, tum maximè opportunum. Nam in primis, cum esset necesse, vt victura familia sobolem sibi idoneam iuuenibus, quos recipiebat, formandis sufficeret; in plerisque Prouinciarum nec idonei magistri, nec illa discentium aderat multitudo, quæ necessarium studijs impetum, & ardorem iniiceret. Quippe in numeroso condiscipulatu non solùm quædam accedit studijs maiestas, quo fiat, vt tractentur enixiùs, veriorque, & acrior inter disputandum concertatio sit; sed etiam, quasi collatis vnum in locum multis facibus, singulorum lux ex aliorum communione multiplicatur. Huiusmodi autem multis Prouincijs, Nationibusque commune Collegium, nusquam satiùs poterat, quàm Romæ institui. Quò enim libentiùs diuersæ nationes commearent, quàm Romam communem quodammodo patriam? Vndè digredi expeditiùs foret, quàm ex ea Ciuitate, quæ non modò ægrè non fert è sinu mitti suo ad alienas prouincias religionis adiumenta, sed nullas omnino ab se in eo genere alienas ducit? Cumque Societas vsque eo Apostolicæ Sedi, Fideique propagandæ sit dedita, profectò ibi maximum Sociorum educari oportebat numerum, vbi religionis caput, & summum esset oraculum: atque vbi Romanæ maiestatis, ac pietatis forma mente comprehensa, ad suas digressi terras, quæ ipsimet suis spectassent oculis memorantes, faciliùs populorum animos ad Christi Vicarij, contra quem tum maximè debacchabatur impietas, venerationem adducerent. Nec solùm ad commune id pertinebat Reipublicæ Christianæ bonum;

38 Qualia recipienda Collegia.

39 Ex Collegio Romano in omnem Societatem commoditates.

Digitized by Google

sed etiam ad priuatum Ordinis, vt in oculis Præpositi Generalis, eoque loco, vbi primùm genita mater erat, progeniès educaretur, veroque, ac solido parentum spiritu imbueretur. Ad consensionem quoque cum sciendi, tum agendi spectabat, vt ijsdem eruditi magistris, in varias nationes eundem morum habitum, eundem sententiarum colorem, eandem operum, ac scientiæ normam ferrent. Quid? illud, quantùm commodi est? vt dum vna iuuenes in domo, ex gentibus cunctis instituuntur, vniuersus terrarum Orbis vna quodammodo familia fieret, sanctoque quodam germanitatis affectu colligati, externorum ita non refugerent consuetudinem, vt potiùs, quemadmodum domestica ipsa instituta iubent, singulari studio diligerent, terrasque omnes complexi animo, adire eas, pro Christi causa, parati essent? Quantum verò prudentiæ, peritiæque compendium, multorum hominum mores, vrbesque, vno quasi sub tecto, spectare? vt, cum ad longinquas tendendum prouincias sit; non peregrinus, sed sciens morum, ac notus, & quodammodo ciuis aduenias? Quantùm ad res gerendas momenti, omnibus in prouincijs viros notos inter se, amicosque, & vnà educatos esse? Adde quòd si maximè floreret Romæ Societas; res omnium agebatur, ac dignitas prouinciarum. Quæ enim gens respueret, quod probasset Roma? Deinde cum ab Vrbe Nuntij Apostolici, Antistitesque rerum Sacrarum, & alij quamplurimi summæ auctoritatis viri in varias terrarum partes digrediantur; haud dubiè permultùm ad Dei gloriam intererat, hos Romæ præclara de Societate imbutos existimatione esse: vt suis deinde quisque in prouincijs, eam studiosiùs protegerent, & ad opera libentiùs admouerent. Postremò ipsemet Christus Dominus, cum se Ignatio Romæ propitium fore promisit, haud leui significatu, Romam Societati præcipuam designarat sedem: & tanquam præceperat, vt hanc pro parente, hanc pro arce haberet, nihilque tam benignæ sponsionis pignore desperaret. Hæc omnia planè peruincebant peramplum Romæ Collegium collocari oportere. Sed cum certi vectigalis suppeditaret omnino nihil; enimuerò tam multis commodis aduersaria grauiùs obstabat rerum inopia. At Ignatius, Lainius, cæterique familiæ duces præclarissimum opus nequaquam idcircò prætermittendum rati, diuinaque in primis clementia, ac sponsione freti, parsimonia sancta, curaque peruigili, vtcumque necessitati succurrere nitebantur. Inter quæ quàm multa præstantes illi magistri, egregijque discipuli, ac ceteri omnes eius Collegij fundatores, in angustijs domicilij, in victu, vestituque, in librorum, & omnium rerum penuria, quàm excelso, lætoque tolerarint animo reputanti mihi; subit interdum vereri, ne posteriores (quod nunquam fore confido) minùs aut Deo, aut Gregorio Pontifici, alijsque de sancta illa, grandique sapientiæ, ac virtutis officina optimè meritis, grati sint, atque in minore ærumnarum copia voluntatem quoque patiendi relaxent. Quod contra decet. Nam quò benigniorem Dominum, parentemque indulgentiorem experimur; eò nos fideliores seruos par est, amantioresque filios præbeamus. Ceterùm, vt ex omnibus prouincijs Romæ iuuenes alebantur; ita tum Patres subsidiorum partem ex ijsdem, tantas inter difficultates, peti (vt sanè erat) æquum censebant. Quid enim conuenientius, quàm vt quæ in communes terrarum omnium vtilitates educabatur iuuentus, earundem communi benignitate subleuaretur, & terrenis iuuaretur eòrum fructibus, quibus semina diuina comparabat? Itaque qui Societati dabant nomina, si quid erogare in pauperes, Euangelij iussu vellent, idque Præpositi Generalis voluntati permitterent; is nonnullam partem, vt qui totius corporis studebat bono, Romam sæpè deriuabat. Hinc interdum existebant lites cum ijs, ex quibus erant exigendæ res: vt est ferme mortalibus arctior nulla, quàm cum pecunia necessitudo, nec ab his ægrè distrahuntur, quorum spolia legunt. Hinc cupiditatis, atque adeò auaritiæ ad vulgus, etsi falsus rumor, tamen aduersus religioso cætui, eique maximè, qui bellum cum auaritia, vti cum vitijs ceteris, suscepisset. Qui rumor vel seruebat, vel ferebatur certè feruere in Hispania maximè. Primùm quòd illæ prouinciæ non æquè vti ceteræ indigebant Collegij Romani ope: cum plures illic adiungerent sese, cum ætate robusti, tum disciplinis exculti, vt protinus in publicum

40 Commodis vitæ quomodo vtendum.

produ-

Digitized by Google

produci liceret: nec docendi ipsi essent, sed docere alios possent. Deinde quòd multa indè exportabantur, quamquam pleraque è quibusdam iuribus, quæ primò Carolus Imperator, posteaque Philippus Rex Borgiæ ipsi attribuerat. Postremò, quòd vehementer Collegia ibi quoque ab vitæ subsidijs laborabant. Ante omnia celebrabatur offensio Dynastarum quorundam, quasi edicta regia violarentur, quæ vetabant, extra regnum pecunias exportari, quæ edicta in conuentu Patrum recitata sunt. Benedictus Palmius ante alios clamabat fidendum Deo: ex Christi, Apostolique Pauli præcepto, volenti auferre tunicam, dimittendum & pallium: denique accipiendam magis iniuriam, patiendam magis fraudem, quàm iudicio contendendum. Id si Patres serió inducerent in animum, & nihil bono nomine, nihil caritate aduersùs omnes, & scilicet Euangelica iustitia priùs haberent; additamenta non desideraturos humanæ opis. Non vinci benignitate fontem boni. Immissurum Vicarijs suis Deum Romanis Pontificibus mentem, vt Romani Collegij tutelam susciperent. Alij contra disserebant. Nequaquam, propter iniquissimos sermones, opus omni, & Christiano, & nec dum Christiano Orbi saluberrimum destitui oportere. Vtrum tandem æquius esse donatas, sacrataque Deo res, in alimenta Euangelij præconum, in escam tantæ sanctitatis, in pabulum pereuntium fame verbi Dei Nationum, & quodammodo in lac infantium in Indijs Ecclesiarum redimi: an auaritiæ tradi hominum tantum non per sacrilegia retinentium, quibus mox in superbiam, & luxum, & libidines, & maleficia alia abutantur? Non ignorare se suum Christi, Apostolique præceptis locum, ac tempus esse. Scire etiam Sanctum Paulinum Nolanum, mirificum illud omnium virtutum, maximèque benignitatis exemplar, cum ingentia sua vendidisset prædia, & pauperibus erogasset, vbi factus Episcopus est, nequaquam Ecclesiæ facultates neglexisse. Idem Sanctum Hilarium, idem alios fecisse Sanctissimos viros. Hoc enim esse (vt ait Sanctus Prosper) possidendo contemnere, non sibi, sed alijs possidere: nec habendi cupiditate facultates ambire, sed eas pietate subueniendi suscipere. Qui cum subijciat, nihil è facultatibus Ecclesiæ eis, qui sibi de suo sufficiunt, debere erogari, quando nihil aliud sit habentibus dare, quàm perdere; quid porrò esse ijs, qui non habent, vt habentibus detur, adimere? Nec enim dubiè eripi indigentibus Christi famulis, quod non indigentibus seculi mancipijs per socordiam exigendi donetur. Quid ergò? Vtrum ne potiùs non tam per veram humilitatem, quàm per timidam ignauiam alendam cupidissimorum hominum rapacitatem; an fortissimum, laudatissimumque virum Mathathiam imitandum, qui cum vidisset malitiosè hostes Sabbata obseruare, quibus populum feriatum inuaderent, ac cessantem impunè trucidarent; censuit, etiam illo sacræ quietis tempore, iustis armis reliquias dilectæ Deo gentis conseruari debere? Talia cum dicerentur, acriter inter Patres certatum est. Nam occurrendum offensioni censebant omnes. Sed cum viderent Collegium Romanum, subtractis auxilijs externis stare non posse, vtra causa præponderaret, qui nam essent limites caritatis, qui rectus ordo, ambigebatur. Ad extremum, donec pro sua benignitate Deus, si placeret, suorum prospiceret seruorum difficultatibus, quam nonnulli exaggerabant offensionem, quibusuis siue Romani Collegij, siue cunctæ Societatis, & Ecclesiæ emolumentis visum est præferri oportere. Igitur ad minuendas Collegij eius impensas commendatum quò pauciores Romam aduocarentur, vt in singulis prouincijs, vbi primùm fieri posset, generales Academiæ instituerentur: præsertim cum iam nonnulla ad manum esset & discentium, & docentium copia. Decretum etiam, vt edicta regia sine tergiuersatione in transmittendis pecunijs seruarentur: adhæc vt forensibus litibus abstineretur, ac ne vltro quidem intentatis responderetur, nisi priùs consulto Generali Præposito. Præterea vt in colendis agris, fructibusque in foro vendendis, mercaturæ abesset species. Denique si quid in Societatem conscripti ei donarent; id cuiusque prouinciæ addiceretur, explicatis in eam sententiam varijs Constitutionum locis. Super hæc, quoniam non solùm offensionibus amouendis, sed religiosæ etiam perficiendæ paupertati erant intenti Patres; decreuere simul, vt ædes nobilis Sanctæ Mariæ Virginum Maceratæ,

41 Offensiones quatenus vitandæ.

l.2.de vit.con. templat.cap.9

42 Constituta ad perfectionem paupertatis cõseruandam.

Digitized by Google

indè ducentos aureos nummos annui reditus Maceratense capiebat Collegium, peropportunum inopiæ leuamentum, tamen quia Sodales eius ædis arculam proferre volebant, ad stipem ædificationis causa colligendam, omnino relinqueretur: nec vspiam in templis Societatis neque ad proprios, neque ad alienos vsus, quantumuis pios, arculas id genus proponi fas esset. Perusiæ cum vnus adhuc Sociorum in publico gymnasio humaniorum literarum scholam habuisset, & quanquam nomine eleemosynæ, tamen id, quod solebat professoris earum literarum stipendium esse, Collegio tribueretur; renuntiari simul docendi muneri, simul ei dono iusserunt. Vetuerunt quoque Socios extrariorum cuipiam suadere, vt Societati potiùs, quàm alijs pauperum quidpiam legaret, donaretue: nec stipem nisi planè, ac simpliciter per Dei amorem rogari voluerunt. Postremò quoniam nuper Concilium Tridentinum Religiosis omnibus, præter Capuccinos, ac Minores Obseruantes, habere perpetua, soloque contenta bona permiserat; quicquid iuris ex eo Concilij beneficio pertinere ad Societatem professam posset; magno consensu id omne abdicari, ac penitus eo cedi (vt continuo rite factum est) placuit. Per hæc maximè decreta gemino illi, quod molestissimè videbatur premere, quoad humana conditio tulit, occursum incommodo est. Ac ne quid vnquam noxium posset radices agere; adiectum est salubre consultum, vt, congregatis posthac ad creandum Præpositum Generalem Patribus, aliquot designentur, qui vnà cum Vicario, & Assistentibus ecqua in re passa detrimentum Societas sit, vel periculum sit ne patiatur, inspiciant: atque in Præposito, qui maximè idoneus videatur, ex omnibus deligendo, earum rerum habeant rationem: eum scilicet virum præferentes, quem vel prohibiturum, vel resarturum damna spes sit. Super hæc, ad abigenda dissidiorum semina, confirmatum primæ Congregationis decretum, ne Commissariorum ordinaria potestas haberetur. Superintendentes quoque sublati. Versabatur horum munus in eo, vt quamquam Rectori præessent, in administrationem sese palàm non inferrent, neque locum apud se de Rectore forte conquerentibus, cum eius auctoritatis imminutione, darent; sed velut in specula, & in medio constituti, caritatis, & obseruantiæ, & obsequij Auctores, si quid in Rectoris desiderarent officio, seu minùs probarent gestis; id per ipsum met secretò admonitum exequerentur: ita vt administrationem omnem non nisi ab Rectore proficisci constaret. Indè fiebat, vt pollentes consilio viri, vel ad agendum cum populo, Ecclesiæque publicas curandas vtilitates valde idonei, vel certè viribus, ac valetudine corporis destituti, quò minùs possent difficultates administrationis sustinere; Superintendentes, quasi custodes, ac duces Rectori appositi, haud magno labore multùm prodessent. Verùm cum, quæ inter Prouinciales, & Commissarios, eæ Rectores inter, ac Superintendentes angustiæ essent; tantùmque sibi quidam inania relinqui vocabula conquererentur, & interdum inter se (vt sua cuique consilia blandiuntur) dissentirent; denique adultæ iam regendæ familiæ abundè Prouinciales, Rectoresque sufficerent; visum est Patribus, nisi si quando Præpositi Generalis arbitrio necessitas, vel magnitudo Collegij aliter postularet; Superintendentium posthac appellatione, ac munere abstinendum. Qui tamen ad eam diem (vt alibi significatum est) sapienter, ac necessariò adiecti fuerant, vti primordiorum infirmitatem multiplicata adminicula fulcirent: quodque deerat vni homini vel à peritia, vel à legibus non satis dum explicatis, vel ab auctoritate, vel aliunde adiumenti, id coniuncta multorum cura suppleret. Porrò locus postulat, vt notemus consequens huic decreto fuisse, vt posterioribus annis Collegiorum procuratio crebriùs Professis demandaretur. Quippe auctoritatis pondus, adiumenta literarum, ceteraque præsidia necesse fuit vt iam Rector ex sese haberet, quæ ab Superintendente, qui ferme de Professorum ordine imponebatur, mutuari priùs solebat. His ad conseruandam Societatem statutis, vias quoque perueſtigarunt, quibus etiam magis, magisque promouerent, atque perficerent. Eam ob rem sancitum est, vt sua in quaque prouincia domus probationis, cum primùm facultas adesset, institueretur, in qua Nouitij biennio exercerentur, non literarum, sed pietatis studijs. Nam ad eam diem dubitauerant quidam, vtrum toto

43 Decreta ad remouenda, si quæ in Societatem irrepererent emendanda.

44 Superintendentes sublati.

45 Domus probationis in vnaquaque prouincia.

Digitized by Google

toto eo tempore cessandum esset à perceptione doctrinæ. Dein per aliquot dies disputatum, ampliùs nec ne orationi, meditationique, quàm finitum Constitutionibus est, decerni spatium oporteret. Et placuit tandem Congregationi, vt Præposito Generali, si videretur, decernendi potestas esset. Ille in primis amplificandum censuerat. Itaque facta potestate vsus, amplificauit, addita semihora: isque deinceps viguit, & à quarta etiam Congregatione comprobatus salubriter viget vsus. Vbi admirandam se Sancti Ignatij mens offert, qui in Societate condenda, non calentia Ordinum initia, sed quantumuis feras, fessasque ætates spectans, instituta sic temperauit, non modò vt ea ad communes hominum accomodaret vires, perseuerantiæ, & æqualitati tuendæ; sed inclinauit in eam partem potiùs, vt profectui locum relinqueret, quàm vt quicquam relaxari è prima seueritate vnquam oporteret. Nam summæ rei laxamentum, vel modicum, pestilens est, vitio facto, vndè cetera sensim labent, ac ruant. Præter Collegia, quæ supra, vt præfestinatis incrementis occurreretur, repudiata narrauimus; offerebantur alia benè ab facultatibus constituta, interque cetera Valentiæ vrbis, quæ in Hispania est, Academia cum vectigalibus annuis ternum millium aureorum: tamen omnia, quòd vel conditiones, vel munia cum institutis Sancti Ignatij haud satis congruentia haberent implicita, gratijs vehementer actis ijs, qui deferebant, Patres remiserunt: sperantes non molestè laturos illos, quandoquidem perbeneuoli erant, si nihil admissum esset, vndè ab sua degenerare disciplina viderentur, & Societas aliquid detrimenti caperet. Adeo se constantes, amantesque veterum institutorum probarunt. Ac ne illud quidem leue, ac negligendum sibi putarunt ad aliquod submissionis, ac simplicitatis religiosæ ornamentum, vt decernerent præfationem illam, Don, seu Domini, quæ apud quasdam nationes index nobilitatis est, vsurpandam inter Socios non videri. Itaque Ignatius Azebedius, cui adhuc id insigne adhæserat, atque aderat in Congregatione, Brasiliæ, atque Indiæ procurator, ibidem illud reliquit, eoque leuatus onere in Lusitaniam redijt. In has præclaras intenti curas dum agunt primarij Societatis ex tota Europa congregati viri, vt simul auxilia tantò maiora pro sua virili publicis rebus pararent, quantò priuatim hæc sacra cohors munitior, atque instructior esset; Melita insula vehementer ab Solimani Turcarum tyranni classe oppugnari cœpta est. Quo in discrimine cum maius, quàm pro vnius paruæ Insulæ modo, ageretur rei Christianæ momentum; ne sibi quidem Patres cessandum putarunt. Itaque cum Hispanus Rex auxilia compararet, suam qualemcumque operam ad incitandos milites, diuinisque mysterijs armandos, & curandos ægros Summo Pontifici detulerunt. Accidit id officium Sanctissimo Domino mirè gratum, ingentibusque beneficijs ex Apostolica potestate, & indulgentia eos, qui missi sunt, ornauit. Hieronymus Natalis inter ceteros eam sibi deposcebat prouinciam: sed hunc Congregatio ad consultationes Romæ perneceſſarium ex viri meritis rata, ire non sinuit. Hieronymus Domeneccus Siciliæ Prouincialis, Bartholomæus Fernandius, Ioannes Gurrea, Iacobus Suarius, Ioannes Baptista Vitalis, & Angelus Hyparchus Sacerdotes, cum laicis duobus profecti. Per idem tempus Edmundus Augerius Aquitaniæ Prouincialis dimittendus in Galliam, grauibus suæ prouinciæ aduocantibus causis, fuit: qui Petrum Perpinianum, & Guilielmum Crittonium secum ducens, abscessit. Alijs subinde facta potestas abeundi: & quamuis multæ multos in suas prouincias properè necessitates accerserent, Congregatio tamen ad tertium vsque nonas Septembris producta est.

46 Tempus orandi amplificatur.

47 S. Ignatij sapientia in Societatis temperamento.

48 Repudiata Collegia propter adiectas conditiones.

49 In Classe contra Turcas Patres profecti.

Eo die P. Franciscus memorabilem exhortationem habuit. Quatuor verba, quæ vltima speraret fore, cum ætas, valetudo, labores, & alia eiusmodi instare tempus resolutionis suæ clamarent, suggesturum præfatus, de Deo primum, de proximis alterum, tertium de Patribus ipsis, postremum de se. Vbi cetera breui peregit, atque omnes ad religiosam humilitatem, caritatem, patientiam, & obedientiam præcipuè mentis, atque iudicij, ac demum ad omnem perfectionem incendit; de me, inquit, hoc tantum adijciam, Oro, quæsoque vos, Patres, concedite, vt mecum saltem id fiat, quod facere solent cum suis iumentis, qui ea onerant:

50 Borgiæ humilitas in supremo Conuentu.

Nam

Nam hi non solùm onus imponunt, sed etiam sedulò curant, vt suum perficiant iter. Quòd si fortè claudicent, subleuant: si lentiùs incedant, extimulant: si cadant, erigunt: denique si nimium fatigentur, exonerant. Vestrum ego iumentum sum: vos me oneraſtis: fiat saltem mecum, quod cum iumento fit: vt dicere possim, iumentum sum apud vos, & ego semper vobiscum. Erigite ergo iumentum vestrum precibus vestris: subleuate etiam illud vos, qui in partem solicitudinis Societatis huius vocati estis: segniùs gradienti vestris exemplis, ac monitionibus instate: fatigatum exonerate. Denique si subleuatum vultis; videam ego vos, Patres carissimi, eundem habere sensum, vt omnes vnum dicatis, idemque sentiatis. Sit cor vnum, vnusque spiritus, alterque alterius onera portate, vt ego vestra onera portare valeam. Implete ergo gaudium meum, & gaudium nostrum sit plenum, nemoque tollat à nobis. Vt autem hæc deprecatio mea apud vos in cordibus vestris semper maneat, meique memores sitis, ac sermonis, quem locutus sum vobis, vtque ostendam dilectionem meam erga vos; vestros osculabor humiliter pedes, Deum Optimum Maximum deprecans, vt sint pedes vestri tanquam Ceruorum, pedes beati ad euangelizandum pacem, ad euangelizandum bona: ac demum super excelsa statuti quiescant sine labore, ac sine fine lætentur. Amen. Sub hæc prolapsus in genua humi repens, ad singulosque circumiens, cuiusque pedes exosculatur: pariterque de genibus singillatim omnes item in genua proruentes, summo caritatis sensu, complectitur. Quod vbi peregit, magno cum omnium motu, inter se ceteri quoque Patres amplexibus mutuis, alijsque caritatis prosequuti argumentis, tandem sancta cumulati lætitia recessere. Protinus ad ordinandam Societatem curam Franciscus vertit. Designauit in primis nouos Prouinciales, qui Kalendis Ianuarij insequentis anni inirent munus. Leo Henricius Lusitaniæ, Iacobus Auellaneda Bæticæ, Consaluus Consaluius Toleti, Iacobus Carrillus Castellæ, Alfonsus Romanus Aragoniæ designati. Ceterarum prouinciarum pleræque ijs qui administrabant, quorum multi nuper occœperant, relictæ. Ita Edmundo Augerio Aquitania, Oliuerio Manaræo Francia, Antonio Vinkio Rhenus, Petro Canisio superior Germania, Nicolao Lanoio Austria, Alfonso Salmeroni Neapolis, Hieronymo Domenecco Sicilia, Christophoro Roderico Thuscia, Ludouico Granæ Brasilia, Antonio Quadrio India prorogata. In Germaniam inferiorem loco Euerardi, qui manebat Romæ Assistens, Franciscus Costerus Proprouincialis est missus: Longobardiam Benedictus Palmius, quandoquidem ab Cardinali Borromæo Mediolanum ad habendam Synodum proficiscente ducebatur, interim obtinere iussus: & loco Petri Canisij, quem iubebat Pontifex Antistites Germanos adire, & cum alia Pontificis nomine curare, tum adhortari, vt Tridentinam Synodum promulgarent, atque ad vsum referrent, prouinciæ Theodoricus Canisius frater eius, dum ille abesset, præpositus. Collegia Romæ, circaque, & quæ erant in Sardinia, vti iam cœptum erat Lainij tempore, à Prouincia Aragoniæ secreta, ob faciliorem, vti experti erant, communicationem, Generali Præposito reseruata. Cum Commissarij nomine, sicut conuentui Patrum visum erat, Ordinaria potestas relicta nulla est. Superintendentes, quanquam hos quoque (vti demonstratum est) Congregatio sustulerat, tamen nonnullos visa est quorumdam magnitudo Collegiorum, vel rerum status postulare. Iam cœptum erat sub initium anni Seminarium Romanum, tresque & sexaginta in eo Clerici, Conuictores nonnulli educabantur. Ei præpositus est Superintendens Pater Vsmarus Goissonius: Polancus autem Collegio Germanico, vbi supra ducentos agebant, maximam partem egregiæ nobilitatis Conuictores. Collegio Romano Petrus Ribadeneria, qui suum munus die omnium Sanctorum initurus, cum vniuersos simul alloquutus esset, & adhortatus magno sensu ad dignè ambulandum in vocatione, qua vocati erant, & prandentibus etiam ministrasset; vesperi publicè se accusans, quòd parùm vocationi suæ respondisset tot annis, quibus fuerat sub religioso vexillo, primùm omnium siue sedentium ad mensam, siue ministrantium singillatim pedes exosculatus, ad extremùm grauiter sese, nec sine ingenti omnium motu, flagello cæcidit. Collegio Conimbricensi Antonius Cordesius, Granatensi

51 Prouinciales vel noui, vel confirmati.

52 Superintendentes quidam decreti.

Ioan-

Ioannes Plaza titulo eodem præfecti. Romana Professorum domus Christophoro Madridio Ministri nomine demandata: nam Præpositum eius eundem debere esse, qui toti præsit Societati Congregatio statuerat. Suaui quidem spiritu, sed tamen qui ad quandam renouationem, perfectionemque Societatis tenderet, gubernatio cœpta, Generali, non salutaribus modò præceptis, sed multò etiam magis exemplis, prægrediente: quæ vis, & acerrima, & blandissima est imperandi. Instituta Romæ in primis, & formata præceptis domus probationis: ac duodecimo Kalendas Octobris Alfonso Ruitio erudiendis Tyronibus præposito, initium doctrinæ factum. In Collegio quoque, qui non dum biennium religiosæ militiæ impleuerant, vnum in locum segregati, & Ioannis Xauerij disciplinæ commissi. Destinata in Prouincia Longobardiæ domus probationis Venetijs, sic vt è Collegio illo translatis ritè in Patauinum vectigalibus, Professorum domus fieret, cui Tyrones adiungerentur. In Neapolitana Nolæ: in Tuscia Laureti. Ad triginta Romæ Tyrones, Lauretum aliquot missis, reliqui facti. Vt calebant omnia, inuigilandum erat Magistro in adducendis habenis. Nam siue in atterendo corpore, siue in proculcanda existimationis, & honoris cupidine nullum habebant modum. Eminebat erga diuinissimum Christi Corpus (haud dubiè Præpositum Generalem Borgiam agnouisses) pietatis, atque amoris sensus: vt non solùm in templis, & sacrificijs; sed etiam in Sacerdotis occursu, ad venerationem sacrosancti Mysterij, vitalisque panis cogitationem, ac famem excitarentur. Illud tamen præcipuè dabat operam Institutor, vt precationi, diuinarumque rerum contemplationi ita dederent sese, vt nequaquam sancti eius otij dulcedo illigaret, & ab caritatis erga proximos auocaret opere: sed ad voluntates suas, velut in æquata lance constituendas eniterentur, alendamque, & roborandam perfectè obtemperandi alacritatem: quicquid vnquam moderatores iniungerent cupidè suscepturi, exhausturi fortiter. Mira simplicitate, animique candore sua omnia, seque totos Magistro apertos habebant. Vndè cum alij aliàs præsentem fructum, tum vnus præcipuè cœpit: qui cum grauiter, diuque solicitaretur, vt missa ad aratrum manu, per fœdam ignauiam retrò respiceret; importunum solicitatorem, simul ac Magistro indicauit, prorsus infregit, abegitque: atque omni deinceps vexatione liber, forti proposito, tranquilloque animo tenuit. In his, qui Lauretum missi sunt Alexander Nuntius fuit, Romanus patria iuuenis, verèque Romanus animo, vt vel ipsa ostendit propositi religiosi constantia. Namque vidua mater, qua consentiente Dei famulatum susceperat, propinquorum posteà vocibus immutata, vbi cognouit ab Vrbe mittendum; instituit à Patribus, vt semel ante discessum darent sibi conuiuam, dolo structo, vt, si voluntate non posset, vi retineret. Alexandrum non fefellere fraudes, & conuiuium declinare modestè conatus, suspicionem suam Patribus patefecit: sed his nihilominus indulgendum matri censentibus, obsequenter abijt. Conuiuium, aduocata propinquorum caterua, hilariter instituitur: quo vix peracto, propinquorum alij, moxque alij prope omnes secedunt: & auia Alexandrum in superioris contignationis conclaue ad secretum colloquium vocat. Organtinus, Collegij tum Romani Minister, additus erat tyroni custos: is, vt erat iam animus suspicione perstrictus, & assiduè cuncta obseruans, clariora vsque deprehenderat insidiarum argumenta: Quin ipsa, ad nos descende, inquit, & colloquio (quando nihil nisi piè dictura es) ambo fruamur. Tum anus, & ingenio iracunda, ad hæc coërcito diu dolore tumens, cum contumelia exclamat: teneri ambos: ostia domus occlusa. Ac repentè vndique coorti propinqui, per vim Alexandrum correptum, & nequicquam obluctantem, ore (quia opem inclamabat) oppositu sudarij oppresso, in conclaue carceri destinatum supportant. Indè fores Organtino reserant. Qui spoliatum se vbi per tantam contumeliam vidit; ad Cardinalem Sabellum Pontificis in Vrbe Vicarium, cum Iosepho Cortesono Collegij Germanici Rectore Cardinali noto, contendit. Dumque factam iuueni, Religionique iniuriam queritur, vicinorum quidam, quorum Alexander, repagulis fenestræ reuulsis, pietatem commouerat, idem adnuntiantes superuenere. Sabellus continuò de suis viros nobiles mittit, qui Alexandrum ad se adducant. Respondent propinqui, aditurosse

53 Feruor cum Præposito nouo instauratur

54 Domus probationis instituta in Italia.

55 Nouitij in Collegio segregati.

56 Nouitiorum ardor

57 Alexandri Nuntij constantia.

Digitized by Google

se Cardinalem, & edocturos: posteà, si iusserit, iuuenem tradituros. Quæ cum persensisset Alexander, se quoque velle suam Cardinali causam coram exponere, è feneſtra vociferatur: peruicitque vt pariter duceretur. Iussa mater dicere, cum eiulatu,& lacrymis,vnicum sibi orbitatis, aiebat, & egestatis,& senectutis solatium, atque præsidium à Patribus per fallacias interceptum: nihil se alieni attigisse: sed vbi filium in potestate habuerit; quod suum erat, quod iniquè, & crudeliter ereptum, per ius, fasque recepisse. Alexander ad ea: Nullas à Patribus insidias sibi, sed à matre positas: ab illis, quamuis rogarentur, & iure possent, non ante se domum receptum, quàm matris accessisset voluntas: hanc filium, in quem nihil iam iuris obtineret, ab ipsa met traditum Deo,ac dedicatum; per proditionem, per vim, per iniuriam Patrum,contra suam met fidem sacrilegè rapuisse. Vbi satis vtrinque declamatum; Cardinalis, quò partis vtriusque habita ratio videretur,ad Alexandrum versus, ita pronuntiat: Fili, rem omnino integram tibi esse puta: en mater, en Patres: tuum consilium, tua optio est, vtrum manere cum hac, an abire cum his malis. Ille verò sine cunctatione: Malo, inquit,apud Patres mortuus,quàm viuus apud Matrem esse. Quod tanto dixit ardore,vt in constantiæ suæ approbationem omnes, qui aderant, & admirationem adduxerit. Ergo addicente Cardinali victor sequitur Patres. Subinde Lauretum missus, dum congruentem exordijs sanctitatem attexit; quinto tyrocinij mense vita piè perfungitur: id celeriter cõsequutus; vt quam tantopere adamarat Societatem, ea neque viuo eripi, neque mortuo posset.

58 Recognita in Romano Collegio literarum studia.

At Pater Generalis dum ita tyronum institutioni insistit,simul operam dedit,vt in Romano Collegio literarum studia viserentur,ac regerentur: prouiditque vt Philosophiæ, ac Theologiæ Magistri ab sententijs, quæ nouam, vel minùs solidam afferre viderentur doctrinam, omnino abstinerent: consilio doctorum habito, cui ipse interfuit, & nominatim quibusdam opinionibus interdictis. Nec solùm in doctrinæ genere, sed in vitæ quoque religiosæ disciplina nouo ardore cœperunt Magistri (in quo inæstimabile momentum est) præferre facem discipulis, præsertim in absoluta communium legum custodia, suique contemptione.

59 Professi per Vrbem Christianam doctrinam tradunt.

In Professis etiam tradendæ vulgò Christianæ doctrinæ feruor est renouatus,quàm initio Sacri Aduentus in multis per Vrbem templis aggressi tradere. Nihilò segniùs in reliqua extra Vrbem Societate nouus,quasi de integro, ad perfectionẽ impetus captus est.

60 Rhetorica, Philosophia, ac Theologia Neapoli inchoata.

Non nihil de Philosophia ab hinc biennio tradi cœptum erat Neapoli,hoc autumno, scholis inferioribus ex parte intermissis, adiecta Rhetorica est, & noua Philosophiæ, itemque Theologiæ curricula inchoata. Theologiam Iacobus Acosta, Ludouicus Masellus Philosophiam auspicati. In Sicilia quoque primùm Panormi cœpta erat in Collegio Dialectica explicari: dein à proximo vere Messanæ. Sed dum Mamertini enixè id petunt, traditas in certum tempus ex Academia scholas,

61 Mamertinæ Academiæ Philosophia Collegio tradita.

vt iam Lainius paulò ante finem consenserat, tres Magistri susceperе, Georgius Mercatus Dialecticas, Michaël Garzia Physicas, Petrus Regius de Anima, & Metaphysicas. Hæc valuere non ad firmamenta solùm,& ornamenta Prouinciarum, sed ad Collegij quoque Romani leuamen, scholasticorum,qui in illud, quasi in mare vndique omnes ibant, parte aliò deriuata. Rector Messanam Ioannes Victoria Roma missus,domum quoquè probationis ad Romanæ formam ibidem composuit,

62 Christophorus Rodericius hæreses in Calabria extirpat

cui Iacobus Suarius datus Magister. Idem sub tempus Christophorus Rodericius ab Cardinalibus Sanctæ Fidei Quæsitoribus missus est in Calabriam ad oppida Guardiæ, & Sancti Sixti, vbi fama erat reliquias adhuc hæreticorum esse. Rem gessit nihilò minùs felici exitu,quàm proximis gessisset annis. Inquisitis per singulas domos noxijs, cum id concionibus, vitæ exemplo, suis ad Deum nunquam intermissis precibus, publicisque supplicationibus effeciſſet, vt parentes ipsi filios proderent, hortarenturque ad detestandos errores, vicissimque ipsos filij parentes, alij cognati inter se indicarent, atque pellicerent; quadringenti quinquaginta ad catholicæ complexum Ecclesiæ reuocati sunt: orthodoxisque catechistis adhibitis,curatum est sedulò,vt in agnita veritate permanerent. Sed maioris illud dexteritatis, Deique gratiæ fuit. Viuebat inter multos occulta pestis, qui errores simulatè execrati, sub catholica persona abditos gerebant sensus hæreticos. Horum

rum numerus, qui simulationem, vanitatemque dogmatum ex animo posuere, nongentos excessit. Hæc, Deo benè iuuante, Rodericius post Generalem absolutam Congregationem, in Calabria gessit. At ij, qui ad Melitensem expeditionem abierant, vbi attigere Messanam, cognito Garziam Toletum, qui classi, prouinciæque Siciliæ pro Rege præerat, Syracusas abijsse, auxilia in Melitem indè transportaturum; eò sequuti sunt. Hic Angelus Hipparchus continuò graui febri corripitur: ceteri cum indè quoquè iam soluissent classis, quanquam per Pontificem Summum abundè licebat, tamen Præsidis, Episcopi, eiusque Vicarij voluntatem, modestiæ, atque obseruantiæ ergo scisciti, rectà ad Nosocomium pergunt. Ingentem ibi iacentium turbam inueniunt humanis adeo, diuinisque indigos adiumentis; vt ad opem omni ope ferendam haud se magis voluntariæ suasu pietatis impelli, quàm supremæ iure necessitatis, vique cogi existimarent. Dum autem eo sanctissimo funguntur opere, nec seruile vllum, sordidumque subterfugiunt, horrentue ministerium, & animos iuxtà iuuant, & corpora. Ad hæc & vexilla quædam militum Hispanorum, quos Bartholomæus Fernandius adhortatione permouerat, per sacras omologeses expiant. Garzia nouem armatorum millia auxilio obsessis in Melitem exposuit, adeò prosperè, vt ipsemet admirans agnoscere se vim precum, quæ, & ab obsessis, & tota Sicilia, alibique perstudiosè fiebant, profiteretur. Iamque alia quatuor millia traiecturus, in Siciliam redierat, cum illo cognito apparatu classis Turcica, desperatoque successu, obsidione omissa, Constantinopolim versùs vela fecit. Eius cursum obseruans aliquot dies Garzia insequutus est, assumptis in classem sex de Societate, quorum aduentu valde est lætatus, eo præsertim nomine, quòd Roma missi à Pontifice essent. Interim Angelus Hipparchus idibus Septembris piè, vti vixerat, lætusque quòd in tali causa, inque parendi conatu contingeret vita defungi, casibus humanis eximitur. Ancona ei patria fuit, non longa, sed strenua in Societate militia, haud vltra quinque annos. Qui cum classe abierant, dum discordias, dum fœdam linguæ petulantiam, & insanam impietatem, pariterque temerariam iurandi scabiem cohibent; dum consolantur, & continent in officio, inter summas ærumnas, socios nauales, cum rerum omnium, atque aquæ in primis laboraretur inopia; non quantum animo præceperant, sed magnum tamen pietatis lucrum fecere. Tulerant leges, in quas classiarij, remigesque vltrò conuenerant: qui temerè iurasset militum; figurato manu in triremi signo Crucis, id procumbens oscularetur; qui remigum; ternis multaretur verberibus. Quod cum seuerè, ac ferme hilariter præstarent omnes, præibat tamen in triremi prætoria Guilielmus Rocafolius, is, qui maioris olim Balearis Prorex erat, cum primùm illuc inductum Collegium est. Hunc (si fortè iusiurandum imprudenti excideret) dicto citiùs in corona sæpè nobilium sterni humi, ac subire vltrò pœnam vidisses. Denique post quatuor, ac viginti dierum nauigationem, Messanam octauo idus Octobris classis reducta est. Ob liberatam insulam ingens tota ferè Christiano Orbe gratulatio fuit. Eam Romæ fecit aliquantò illustriorem vox ipsa Præpositi Generalis Borgiæ. Nam in Sancti Iacobi Hispanorum (vbi multi Patrum, Conuentus Generalis tempore, auditi cupidè erant) cum grates Deo magna ceremonia agerentur; ipse delectus orator, præter ingentem nobilitatem, magno Cardinalium audiente numero, piam admodùm, & efficacis exempli concionem habuit. Sub idem tempus cum Ferrariensis Dux, & Franciscus Mediceus Cosmi Florentiæ Ducis filius, vxores duxissent, duas Imperatoris Ferdinandi filias; ita illæ institerunt, vt è Societate, sub cuius adhuc disciplina vixerant, concionatores sibi, & confessarij adiungerentur; vt quamuis genus id negotiorum haud multùm probarent Patres, denegari tamen nequiuerit. Itaque cum Regina Barbara Ferrariam Laurentius Germanus, cum Regina Ioanna Florentiam Guilielmus Elderenus missi. Nec diu, quæ Patres veriti erant, abstitere prorsus incommoda. Namque sponsæ, cum instar Sacrarum Virginum educatæ, quibus in Germania insuescuerant, pietatis studia in Italia obtinerent; querimoniæ breui exortæ, quasi Iesuitæ miserum in eas dominatum exercerent. Hæc Ferrariæ præsertim fabula increbuit, ea gratia, quòd Regina Barbara serijs magis, quàm ludicris, con-

63 Res cum militibus gestæ Melitæ obsessæ succurrentibus.

64 Angelus Hipparchus moritur.

65 Reginis duabus Imperatoris Ferdinandi filijs confessarij, & concionatores ex Societate conceduntur.

scien-

Digitized by Google

scientiæque periculosis innutrita, renuebat per vrbem incedere cum persona. Quod cum alios mordebat, tum feminæ quædam è primis, ei ludicro supra bonum, atque æquum deditæ, ad contumeliam interpretabantur suam. Ergo inuidiosæ procurationis cum hæc se darent initia; libenter Præpositus Generalis occasione, ad remouendos confessarios, vsus esset: verùm cum id frustra vellet, quòd eos ferè solos in aliena terra, & lingua, habere se Reginæ, patriæ, carorumque omnium loco, ferebant; monita ad eos, quæ in suo tenerent munere, talia præscripsit. Primùm omnium cunctis in rebus iussit Rectorum potestati subesse: cumque nominatim pecuniam penes se, & quicquam clausum, obseratumque habere, item dare, accipereue iniussu literas vetuisset; subiecit in vniuersum, nullam denique ijs vacationem domesticorum munerum, nullam legum exceptionem fieri. Ad ea vetuit negotij quicquam suscipere ab munere suo alienum. Quòd si qui vel supplices libellos, vel alias quascumque causas obtruderent; ipsi, modesta cum libertate, impositam sibi religiosæ obedientiæ necessitatem excusarent. Præterea ad Principum limina adirent nunquam, nisi vocati. Quòd si vel Reginæ sæpius, quàm placeret viris, accerserent; persuadendum eis, vt ipsæmet eniterentur virorum ita præparare animos, & afficere; non modò vt probarent eam rem, sed insuper haberent gratam. In summa, viris haud probantibus, nequaquam adeundum. Super hæc, in consilio vxoribus dando, omnium primam, & antiquissimam haberi rationē oportere domesticæ inter coniuges pacis: adhortandamque vxorem, vt vbi sine culpa fas est, ad mariti se accommodet, fingatque sensum. Quòd si consequi id nequeat, nisi à quibusdam temperet, quæ alioqui per se perfectiora essent; planè suadendum, vt temperet. Quippe potiorem eò loci existimandam coniugalem pacem, atque concordiam, vbi aliter obtineri nequit. Quin adeo, si vxor prudenter obseruet ingenium viri, eique obsecundet in loco, ac morigeretur; ex facili eum ita permulceri, & capi posse, vt ad meliora sensim perducatur: quod Sanctam Elisabetham Hungarorum Regis filiam, & Sanctam Margaretam Scotorum Reginam feciſſe, proditum memoriæ est. Vndè postremò fiat, vt perfectiora virtutis studia, quæ retenta animo vxor, tantisper extrinsecùs coniugis gratiæ posthabuerit; coniunctis mox animis, vnà cum illo repetat, proque suo arbitratu, atque vberiore cum fruge tractet. Ceterum neque Mariæ Eduardi Infantis Portugalliæ filiæ, quam sub idem tempus Alexander Octauij Ducis Parmensis filius natu maximus duxit, ad eadem confessionum, & concionum auxilia, denegari potuit Sebastianus Morales, is, qui longo post tempore virtutibus inclytus, creatus Iaponiæ Episcopus, obijt.

66 Præclara monita fœminarum principū Confessarijs tradita.

67 Parmeosi etiã Principi Confessarius & cõcionator datur

Haud facilè vsquam magis, quàm Genuæ Collegij laborarunt initia, vt idonea rei gerendæ sedes inueniretur. Id factum partim frequentia vrbis, lociſque præoccupatis, partim quadam infelicitate. Nescio enim quo pacto, cum multa multi tentarent, quamuis studia Ciuium nec publicè, nec priuatim deessent, tamen omnia effluebant è manibus. Itaque ad id loci conductitia domo plus decem annis vtens Collegium, in propinqua æde Beatæ Mariæ à Gratijs precariò sacra curarat. Inter primos aduocandi Collegij Auctores Antonius Nouius fuerat, nec vnquam deponebat perficiendi cogitationem. Omnia versanti subijt ad ædem Beatæ Mariæ Annuntiatæ, quam veterem vocant, tametsi in reducta ad mœnia, Orientem versùs, parte vrbis sitam, tamen stationem non incommodam fore. Ea in maximi Xenodochij potestate, ipse Xenodochij Rector, ac Præses erat. Incolebatur annum iam decimum ab Sacerdotũ pia Sodalitate, quam presbyter Franciscus à Tortona ibidem, atque Tortonæ instituerat: conatusque in Religionem redigere, nullo effectu, paulò ante è vita concesserat, nomine sanctitatis relicto. Sed Nouius ità cum Xenodochi Patronis egit; vt ad Societatem templum illud, tectumque vltro detulerint. Res ad Cõuentum Patrum Generalem relata, magno consensu reiecta est duabus de causis. Primùm quòd subiniquum videretur veteres inquilinos, industriosq. & vtiles Sacerdotes extrudi: deinde quòd, quæ illi Parochorum instar, in Xenodochio curabant munera, ab Societatis moribus abhorrerent. Hac repulsa Nouius nequaquam deterritus, cumque eo coniuncti Nicolaus Saulius, & parens Collegij

68 Collegij Genuensis primæ difficultates.

Paulus

Digitized by Google

Paulus Auria, Ianottus Lumellinus, alijque incœptum alacriter vrgent: vtendum rati Ciuium animis eò tum magis calentibus, quòd & Gabriel Flamma Canonicus Regularis, idemque famæ ingentis Orator, eos incenderat. In ſuprema enim Quadragenarum dictione frequentiſſimæ, vt habuerat ſemper, concioni, cum multa è pietatis republica commendaret, nihil impenſiùs, ac pluribus egit, quàm vt Societatis (quam tamen nullo priuatim vſu, ſed tantùm præclaris eius factis notam ſibi aiebat) Collegium apud ſe firmandum ſuſciperent. Ergo quod ad miniſteria pertineret, via excogitata, per quam Societatis inſtituta nihil mouerentur; ſolùm reſtabat videndum, vt pia illa Sacerdotum manus æqui rem, bonique conſulerent. Illi autem, vt primùm appellati ſunt, enimuerò non modò tectum cedere Societati, ſed attribuere ſemet ipſos, ni dedignetur accipere, magnopere paratos affirmant. Denique ſingulorum cognita mente, exploratáque facultate, partim recepti ibidem continuò ſunt, partim acciti Romam, & in Collegio Germanico, experimenti amplioris gratia, collocati. Ita Genuenſi Collegio, quanquàm non prorſus mancipio, tamen gratuito vſui tectum, ac templum hoc anno, quæ multis deinceps annis magno acceſſu pietatis coluit, attributa ſunt: ad quæ vltimo huius anni die migrarunt. Ceterum, præter Sacerdotes iam dictos, item Genuæ Ioannes Petrus Maffæus Bergomas, iam tum literarum Latinarum, & Græcarum ſcientia clarus, receptus eſt.

69 Migrat ad ædem Annuntiatæ veterem.

70 Io Petrus Maffæus in Societatem recipitur.

Collegium Mediolanenſe natum anno ſuperiore, cum ſua (vt ferme quæcumque oriuntur, ſolent) luctabatur infantia, in alieno habitans, itemque ſacra curans, nec loco ſatis frequenti, nec vicinia ſatis honeſta, in Carrobio. Socij numero erant pauciores triginta in Collegij, & Seminarij munera bipertiti. Scholæ iacebant, quòd nec anguſtiæ præter Seminarianos capiebant, niſi per paucos, & Caroli Sancti procuratores operam impendi Clericis omnem volebant. Amabat tamen Ciuitas expoſitam ad vniuerſos caritatis labores Patrum alacritatem, & præcipuam commendationem referebant per Noſocomia, perque cuſtodias impenſa animis, & corporibus miſerorum obſequia, vt ante eam diem in Religioſis viris Mediolani parùm conſpecta. In Cuſtodijs etiam ſalutaria monita ad aliquam communis diſciplinæ formam tradita, & volentibus animis accepta. Robur, & lumen recentis Coloniæ Palmius erat. Magna illa dicendi, magnaque agendi ſua vi, probabile vix dictu eſt, quàm multa ex Dei laude, quàmque ardua efficeret. Apud rerum diuinarum, humanarumque Moderatores, apud Ciuium primos, medios, infimos vnus plurimùm auctoritate poterat. Itaque illa viri virtus effecit, vt Nicolaus Ormanettus, quem loco ſuo Sanctus Borromæus miſerat, Diœceſanam Synodum pacatè, ſalubriterque haberet. Ille fœdum diſſidium (cum Ormanetti ingenium, ad ſeueritatem paulò propenſius quidam è Clero ferre non poſſent) tum hos ad patiendam curationem confirmando, tum Vicarij auſteritatem mitigando, oppreſſit. Idem Cœnobia Sacrarum Virginum multa ad perfectionem excoluit. Laicorum quoquè Sodalitates vel inſtaurauit, vel nouas inſtituit. Idem cum alia vitia è moribus publicis ſuſtulit, tum illud magna omnium approbatione. Mediolanenſis Vrbs in regiones ſex, quas à portis nominant, diſtribuitur. Hæ primis poſt Pentecoſtem diebus Dominicis, ſuo quæque die, deferre ad Templum princeps ſolebant, quam contulerant ſtipem, in Templi eius ſiue ædificationem, ſiue ſarta tecta. Supplicatio ad id frequens poſt meridiem inſtituebatur, cetera omni Vrbe ſpectatum affuſa. In eas ſupplicationes licentia prope bacchanalis irrepſerat, adeo perſonarum laruis, & petulantia dictorum, factorumque profanabantur. Quam fœditatem vbi Palmius pro concione demonſtrauit; ita ſubitò pia Ciuitas cognouit, & amolita eſt; vt pigeret, puderetque non ante animaduerſam. Quo procliuiùs Sanctus poſteà Carolus in religioſam planè ceremoniam oblationes eas conuertit. Nec minùs erat vſui Benedictus Gabrieli Cueuano Gubernatori, tum ad conſcientiæ ſuæ cauſas componendas, tum ad omnem domus, familiæque diſciplinam. Nihil grauius ad religionem pertinens incidebat, in quo non exquireret Benedicti ſententiam, & ſequeretur: quem & publicè concionantem aſſiduè audiebat, vel ſi quid ab concione publica diſtineret, in ſuo Sacello de integro apud

71 Collegij Mediolanenſis labores.

72 Palmij res Mediolani.

Digitized by Google

se volebat dicere. Hoc rerum secundissimo cursu cum repentè Palmius è conspectu abijsset, ad Generalem Conuentum in Vrbem profectus; certatim omnium votis, vocibusque repetebatur. Indè Sanctus Cardinalis, cum priuatim hominis bonitatem amaret, magnique faceret sapientiam, tametsi Assistentes ab Præpositi latere (ne falsum nomen gerant) quàm minimùm abesse oportet; tamen cùm Mediolanum ad prouincialem habendam Synodum, & Tridentinum promulgandum Concilium iret; postulatu principali impetrauit, primarium in rebus omnibus habiturus administrum, vti habuit. Colligere eum adeo peritum iam morum iussit, quæ præcipuè ad Synodum referenda censeret: decreta condendi, recognoscendique illi maximè negotium dedit: eundem hortatorem adhibuit. Ter dixit, semel, iterumque latinè in prima, mediaque Synodo, semel populari sermone in postrema. Disputauit, potissimùm ad cleri, populique tollenda vitia, non tam legibus, quàm exacta custodia legum opus esse. Quare ante omnia curandum, non tam vt nouæ conderentur, quàm vt & quæ conderentur, & iam conditæ valerent, vigerentque leges: sed tum esse earum quàm maximam vim, cum leges loquentes mutis, viuæ scriptis concinerent. Nihil enim potentius ijs legibus, quas in Principum, ac Præsulum vita expressas intueantur, & legant subiecti. Quippe vt pestis est Ciuitatis corrupta moderatorum vita; sic eandem emendatam, castamque morum esse priuatorum iuxtà, ac publicorum sanitatem. Ostendit præterea plurimum in eo situm, si quammaximè inter se Moderatores Sacrarum rerum, atque Ciuilium consentirent. Et quoniam in prima oratione, præter honestissimum consessum Ecclesiastici Ordinis, Cueuanus quoquè Prætor Mediolanensis, cunctusque Senatus interfuit; magna cum sententiarum, tum verborum grauitate de vtriusque discrimine potestatis disseruit. Inter cetera docuit, seueritatem, atque clementiam, quamuis vtrobique consociari oporteat, tamen si res distinctè consideretur, ita comparari posse, vt in ciuili dominatione, seueritati clementia comitari debeat, in administratione sacra, clementia comitem habere seueritatem. Quippe cum illa, corpora magis, hæc animos regat: illa quocumque stare obsequio possit, hæc planè voluntarium postulet, vt quæ ingenerare virtutes debet, ad quarum excipiendos fatus, beneuolentia necessaria est, quam clementia mirè conciliat. Porrò administrationem humanam temperari sic oportere, vt ministra, & quasi pedissequa diuinæ sit. Quæ omnia cum præclaris rationum momentis, & grauissimis Sanctorum Patrum Testimonijs firmarentur; non modò magna cum assensione audita sunt, sed etiam referri in acta Concilij Sanctus Cardinalis volebat: sed id Oratoris modestia non permisit. Misso Concilio (vt sunt mortales vulgò seueritatis parùm amantes) ad Senatum & Gubernatorem continuò perferri cœptæ querelæ de nimia decretorum Concilij seueritate. Iamque in dies aliorum super alios cõquerentium voces percrebescebant: adeo vt decreta sibi Concilij inspicienda regij procuratores, priùs quàm promulgarentur, putarent: ne quid fortè in potestatis regiæ noxam inesset. Quæ dum periculosè mouentur; Canonici S. Mariæ, cui à Scala cognomen, sub patrocinio regio suam esse ædem contendentes, volenti eam inuisere Cardinali, non modò omni alia restiterunt ope, sed etiam iam aduentanti arma oppossuerunt. Indè grauior opinione, tota Vrbe, commota tempestas. Tum Benedictus tempus id ratus quicquid industria, quicquid gratia, & auctoritate posset experiundi; apud Prætorem, atque Senatus Præsidem pro concordia acerrimè, atque fortissimè egit. Coramque eo cum amicè in colloquium sæpiùs Cardinalis Sanctus, & Gubernator, ac Præses veniissent; ita impendentibus malis occursum est; vt neque in hominum sermonem, ac vituperationem vllam ipsi venirent, & quæ summo consilio, & labore decreta in Concilio erant, manerent immota: denique nec ferrent impunè, qui arma adeo sinistrè mouerant. Palmius autem cum priuatim, tum publicè pro suggestu, eò semper magna prudentia orationem dirigebat, vt inter se Reipublicæ Ordines, & Capita ipsa iungeret, modestè suis quemque laudibus in loco afficiens, caritatem ijs popularem concilians, demum vbique commemorans, quæ serendæ concordiæ, alendæque essent. Hæc experimenta mirum in modum Cardina-

73 S. Carolum iuuat in prouinciali Concilio.

74 Magnæ perturbationi occurrit.

Digitized by Google

dinalem cepere. Itaque cum Romam ipse reuocaretur, non solùm Mediolani subsistere Palmium iussit, sed etiam vbi non multò post, iam mortuo Pio Quarto Pontifice, ad Ecclesiam suam rediit, quàm potuit diutissimè, in vltimum vsque æstatis insequentis anni, diem ex die trahens, tenuit. Ac ne tum quidem dimisisset, nisi religione obiecta, ne obedientiam professo viro, contra suorum iussa Præpositorum, moram faceret. Hæc vnica apud Sanctissimum Præsulem valebat causa, vt quos Ecclesiæ suæ salutares aliquando nactus esset homines, ab se vnquam diuelli, transferrique aliò pateretur. Qua causa non semel Patribus nostris vtendum fuit. Nam, vt immensa quadam caritate suæ commoditates Ecclesiæ conquirebat; quicquid extra necessitatem, & diuinæ offensæ periculum (cuius speciem exhorrebat) afferres, sua causa leuius ducebat. Nostris verò Patribus cum plurimùm semper vsus est, tum initiò, nihil fermè magnum, aut paruum non agebat per eos. Ad consilia adhibebat sacrarum quæstionum, ad diudicandas conscientiæ obscuriores causas, ad pacificandos dissidentes, ad distrahendos pellicatus, ad coniugum distractorum redintegranda commercia, & caritatem: quæ munera eis nominatim imposuit: mittebat in suburbanos vicos, aliòque per Diœcesim. Quin anno proximo ad eam lustrandam exiturus, non modò secum Patrem Ioannem Baptistam Velatum duxit; sed etiam partem haud modicam, quam peragrare ipse nequibat, Rectori Collegij Leonetto Clauonio visendam attribuit. Huius industriæ nihil Sanctus Cardinalis non optimè credi putabat. Nec deerat viro prudentia, modestia, studium publicæ salutis, virtutesque aliæ, quæ dignum Sancti Caroli approbatione, & caritate facerent. Commendatam sibi lustrandæ Diœceseos partem, quæ fermè ducenta numero aut oppida, aut pagos, in decem descripta maiores curias (Plebes appellant) amplectebatur, ita obiit; vt quod inuidiosum solet munus esse, non gratum modò, sed etiam iucundum acciderit populis vniuersis. Amabant quippè paternum Visitatoris animum: quantòque is moderatiùs, ac benignius gerebat sese; tantò vicissim tractabiles se ipsi magis, facilesque præbebant. In tanto Sacerdotum numero tres duntaxat inuenti asperiores, quos & continuò visa est vindicta cælestis ad ceterorum admonitionem corripuisse. Primus paupertatem excusans, ne vnam quidem noctem cum ad se recipere Visitatorem vellet, ac demum (quòd hospitij nihil præterea suppetebat) receptum miserè planè, & inhumaniter habuisset; paucis post diebus apud Vicarium à populo postulatus, summa pecuniæ multatus est eo loco minimè leui: sed pœna fuit auaro grauissima. Alter ternos exigebat denarios, qui vellet lugubri sono, vt mos est, suorum funera honestari. Iussus ex prouinciali Concilio abstinere illo mercatu, peruicaciter abnuit. Sed qui sonum vendebat, is, & campanas, & turrim campanariam perdidit, fulmine mox vtrisque, & quidem præter tempestatem, hyeme adulta, perculsis. Ita noxæ conueniens hic quoque piaculum fuit. Postremus plenam armis domum, & suos in singulis conclaubus sclopetos, ad hæc & famulam nimiùm obsequentem habebat. Quæ iussus amoliri, negauit custode domus, & armorum paratu inimicis circumseptum carere posse. Sed Deus non irridetur: quem sibi vecordissimus homo, qui hominum timebat iras, non timebat iratum; vix decem interiectis diebus, suffodisse cuniculum, & ignem subdidisse tecto cuidam insimulatur: datur in vincula cum omnibus suis: ibi miserrimè mortuus inuenitur. Ita misericordia Dei, & iustitia inuicem conseruntur: offerturq. primò ab indulgente patre clementia: tum, vbi ea respuitur, vindictam arbiter æquus repræsentat.

75 S. Caroli in suam Ecclesiã caritas.

76 Vtitur plurimùm Societatis opera.

77 Nominatim Io. Baptistæ Velati, & Leonetti Clauonij.

78 Leonetto decem Plebes visendæ attributæ.

79 Pœna Sacerdotum triuni peruicacium.

Res interim Societatis in Gallia secundiore vsæ cursu. Edmundus Augerius cum Lugdunum attigisset, cuius Vrbis Collegium periclitans maturare Roma discessum coëgerat, omnes difficultates haud magno negotio expediuit. Collegio constituto Guilielmus Crittonius primus Rector præfectus est. Tres expositæ Grammaticæ, & Humanitatis classes. Petrus Perpinianus modico cum auditorio, sed fama ingenti, ter in hebdomada sextum Euangelij Sancti Ioannis caput explicare aggressus. Cui doctrinæ honestissimo in consessu (Antistes, Prætorque, cum Senatu, & Clero, flosque omnis nobilitatis, & sapientiæ Lugdunensis conuenerat) oratione, quæ extat de retinenda veteri Religione, prolusit. Camberium eodem tem-

80 Lugdunense Collegium inchoatur.

81 Petrus Perpinianus Lugduni docet.

Digitized by Google

82 Cambericensis Collegij initia.

tempore sodales missi, curæque Ludouici Codretti subiuncti, ac primarum literarum ibi quoque tristariam publicata doctrina. Pars Franciscani Cœnobij, quam Ciuitas, dum receptaculum aliud curaret, impetrarat, instruxeratque, sex deinceps annis pro domicilio, & gymnasio fuit inter difficultates eiusmodi, vt Religiosis vtrisque non nisi Christiana caritas tandiu tolerabiles facere posset. Auenione iam erat priore semestri apertus ludus. Ibi sub annum extremum præpositus est Rector Antonius Possevinus, iniuncta sibi peregrinatione, frugifera cum appendice benè perfunctus. Quippe Baionam profectus, non id modò cuius causa venerat, strenuè, ac sapienter egit; sed Galliæ, atque adeo Hispaniæ quoquè salutarem nauauit operam. Caluiniani apertum sibi locum rati, suum per Hispaniam spargendi virus, latronum more, qui confinia maximè regnorum insident, in eo portu venenatos dispoſuerant dolos. Librorum pestiferorum, tanquam ad nundinas, Geneua comportauerant immensam vim: quorum Possevinus magnificè expositorum, vbi latè completas videt mensas (& fortè prostabant inter ceteros, quos Viretus & Spifamius, & Nicolaus Balbanus hæretici, & alius quidam sub scholastici nomine scripserant contra ipsum) instituit sedulò, datis ad Cardinalem Armeniacum literis, vt ab Tolosa celerrimè quot quot liceret Gallica lingua aduersus hæreses scriptos libros, & quamplurimum Catechismorum mitteret, præsens veneno remedium. Quod cum factum ab Cardinali liberaliter esset, ingenti missa Sarcina, illico Possevinus per aulas Principum, totamque viciniam sparsit. Dum interim nec voci de suggestu parcit, nec vllo cessat loco, casus incidit, vndè multiplex lucrum fecit. Nocens erat, fractis cruribus, exemplo terrifico, agendus in rotam viuus. Suggestum ad id media in platea constructum erat: turba spectatorum ex Gallis, Hispaniſque mista circum ingens constiterat. Cum videt Possevinus sontem duci, affixumque lateri concionatorem laudato Religiosorum ex ordine, sed fama ipsum religionis finistra; proximè accedit, & percunctatus ab eo, expiarit ne confessione peccata; vbi is negauit verbum sibi de ea re factum; ad Monachum versus: Quin tu, bone vir, facesse hinc, inquit: non ita Regis, Regnique Christianissimi pietas auita docuit, vt qui bono publico exiguntur è terra, etiam arceantur ab cælo, & diriùs, quàm corpora mactentur animi: sed potiùs vt per interitum carnis spiritus saluus fiat. Cumque se homo furtim eripuisset; Possevinus noxium suscipit, deque regno Dei apta tempori memorans, per medias turbas in suggestum prosequitur. Hic in oculis omnium consedit: reusque in genua prouolutus de tota vita confessionem instituit: qua peracta per sanctam absolutionem visus ingenti quadam ex alto virtute indui, cum bona spe, christianaque planè constantia cruciatum acerbissimum tulit. Et circumfusam multitudinem tum illa satis longa confessio, tum spectaculi totus ordo, ad animarum respectum suarum valde commouit. Nec nihil id specimen communi Societatis nomini profecit. De eius causa cum Consilium Rex haberet, introductus Possevinus postulata breui peregit. Necesse non esse iam proferre Apostolicæ Sedis, nec nouissimum Tridentini Concilij de ea iudicium, vel exequi quo numero apud christiana omnia imperia, atque adeo non christiana in Indijs habeatur. In Gallia iamdiu obuersari oculis omnium dicta, facta, mores eius: vnicoque Hæreticorum testimonio contentum esse. Ergo solùm precari, vt sub patrocinio Christianissimi Regis, liceat Christianissimo eius Regno ad morum culturam, & Religionis custodiam deseruire. His dictis è Consilio dimittitur. Literæ ad Senatum Parisiensem decernuntur (quas Hospitalius Cancellarius, quanquam minimè volens, tamen commodas scripsit) vt Societatis quieti, tranquillitatique consuleret. Suas Regina mater, & Principum alij ad Senatum eundem, ad Episcopum, & Gubernatorem Parisiensem adiecere. Quibus literis, simulque ijs, quas Pius Quartus Pontifex scripserat, tametsi nequaquam transacta causa, quies tamen Parisiensibus Socijs est parta, & Collegio non modicum add tum incrementum. Cœpti Conuictores in disciplinam admitti. Maldonatus Theologicam scholam exorsus, vt æquis pariter, & iniquis satis, quoad posset, fieret. Nam tametsi posteà doluerunt successu, tamen obtrectatores indè capiebant oblatrandi materiam, quòd religiosi homines, cum alienas tractarent

83 Possevini res Baionæ gestæ.

84 Parisiensis Collegij incrementum.

disci-

disciplinas, diuinam, quæ maximè pertineret ad eos, negligerent. At beneuoli homines nihil ardentiùs, quàm eam doctrinam seriò expetebant: itaque frequentissimi accurrerunt. Principiò triclinium pro gymnasio fuit. Ibi confertissimi ad trecentos audiebant, plures duplo futuri (hæc erat opinio) si locus abundè pateret. Postremò rudimentorum quoque grammaticæ adiuncta classis. Indè cum celebrius in dies euaderet Collegij Claromontani nomen; vtilis æmulatio, aliorum quoque Collegiorum studia exacuit: maioribus quàm ante stipendijs primos quosque magistros conducere, & cuncta tractare solertiùs. Iam & aduenis Iesuitarum Collegium inter prima monstrari. Patres quoque, comperto haud rarò doctos homines, & quidem mutato sæpè habitu, auditorum inferere sese turbæ notantes, scriptoque diligenter excipientes quicquid ad oculos, quicquid ad aures accideret; contendere industriam, cautiùsque cuncta administrare. Ita semper in commodum cedit habere bonarum rerum vel æmulos, vel inuidos, qui sint pro fræno ne ruas in vitia, pro calcari, quo cursum in virtute contendas. Posseuinus re benè gesta Baionæ, inter ceteros Altisiodorensem Episcopum ab nostro alienum nomine conciliauit. Borbonium verò Cardinalem solertia caritatis ita demeruit, vt ad Rothomagenses eius Diœcesanos excurrere iussus sit. Nec spem boni Pastoris fefellit. Vir acer, ac strenuus binas die Dominico, singulas quarta, sextaque Feria conciones instituit. Cumque magnum numerum Catechismorum Canisij, atque Edmundi Parisijs aduexisset, die Martis, Iouis, & Sabbati fidei capita explicabat. Quibus conatibus cum mirè confirmasset vniuersum populum, præsentemque vtilitatem peperisset; etiam ad perennis emolumenti semina Ludimagistros, & Parochos viam docuit, qua inposterum nunquam satis laudatam Catechismi illam explicationem continuarent. Indè Cardinalis, ac Ciuitas ad Societatis Collegium ædificandum, de quo ante agitabatur, vehementiùs accensi: sed neque his, neque Strotio Cardinali Collegium Albis expetenti, neque Apamiensi Antistiti, omnia Apamijs iam, laxiora, quàm fuissent ante electos indè Socios, promittenti, operarum angustiæ obsequi permiserunt. At Nicolaus Psalmæus Episcopus, & Comes Virdunensis eò impatientiùs flagitabat, quòd specimen fructus iam manibus tenebat è scholis, quas accitos Colonia Sociorum quosdam, in condito ab se paucis ante annis Collegio, habere iusserat. Cognouerat rationem Ordinis nostri, & dilexerat in Concilio Tridentino: perspexerat postea inter viam, Ingolstadij præsertim, obseruaratque instituendæ iuuentutis formam, atque felicitatem. Itaque domum reuerso nulla prior, ac potior cura inerat, quàm vt tale munimentum gregi suo, tum maximè ob temporum iniquitatem periclitanti, lupisque vallato, circumdaret. Dum autem speculatur, vndè auxilia promptiùs se offerrent; cognouit ex alumno suo, quem Coloniæ in literarum studijs habebat, esse ita florens in ea vrbe Collegium, vt indè, si poscat, facilè sit aliquot, velut stirpes, impetraturus. Petijt ille continuò: tandemque cum impetrasset, ita probauit initia, vt iam resisti non posset absolutionem, velut iure suo, petenti. Receptum igitur hoc autumno Collegium, & missis Andrea Auantiano, qui Rector, & Petro Vela, qui concionator esset, alijsque; incolarum numero frequentatum est. Dum status hic Societatis erat in Gallia satis commodus, in vtriusque Germaniæ Prouincijs inter aduersa, ac prospera medius fuit. Collegio Louanienſi proprium tandem domicilium, de quo tandiu, tamque vehementer certatum est, ad manum, vt aiunt, emortuam iure translatum hoc anno. Senatus nulla prorsus adiecta conditione addixit. Idque ea voluntate præstitum est, vt senum suorum, quòd in eo hæsissent negotio, negligentiam in procurandis Reipublicæ commodis accusarent. Theologorum ad id magistrorum plurimùm valuit commendatio. Hi non solùm testimonio rite consignato professi sunt Societatem, cum à Pontificibus, & Tridentino Concilio comprobata esset, reijci non debere; sed tres præcipuos è suo legerunt corpore, qui propriè susciperent causam, & apud Senatum vrgerent. Summæ viri auctoritatis, libris etiam editis nobiles Ioannes Hesselius, Michaël Baius, & Cornelius Ianseniùs paulò ante designatus Gandauensis Episcopus, lecti sunt: causamque fideliter, & accuratè peregerunt. Hoc in Collegio Franciscus Costerus Proprouincialis partem

85 Rothomagenses à Posseuino excoluntur.

86 Virdunense Collegium inchoatur.

87 Louanienſe Collegium à Ciuitate receptum.

Digitized by Google

item domus ad instituendos Nouitios, assignato eis præfecto, secreuit. Ibidem quarto idus Nouembris Nicolaus Gaudanus doctrina, sanctitate, multisque rebus pro Societate, ac Dei Ecclesia gestis clarus piè, sed penè immaturè decessit nec dum quinquagenarius. Natus est in Hollandia Goudæ Florentio patre, vndè Nicolaus Florentij Goudanus dictus vocitatus, seque Goudanum scribebat. Doctrinas humanas, diuinasque Louanij percepit, semper inter condiscipulos ingenio, curaque primus. Creatus indè Sacerdos, cum præclara ex æquo documenta scientiæ, ac virtutis daret, ac forma ipsa, totiusque oris habitus ad modestiam, atque exemplum composita, miram bonis animi gratiam geminarent, & propterea ad regendos populos certatim peteretur; Burgenses (quibus ad Zomam cognomen est) in triennium impetrarunt. Illis dum præest, consummandæ virtutis studio, Societati sese vouit anno sæculi eius quadragesimo sexto. Biennio post Romam accitum, vbi disciplinæ caput, purusque fons erat, ægrè non modò Bergenses, sed & Louanienses Doctores abstrahi ab se permiserunt: & Bergensis Marchio Iacoba Croia semel, iterumque literas: item Bergensium Sacerdotum Collegium ad S. Geltrudis, vbi conciones Gaudanus habebat, ad Sanctum Ignatium dedere, ne spoliare tali pastore gregem illum vellet. Multùm enim, diuque laboratum, vt ita temporibus aptum Sacerdotem haberent, qui se murum aduersùs hæreses opponeret. Non tantùm simplicem populum ab errore vigilantia eius, & labore defensum, & hæreses extirpatas, sed etiam correctos mores, conuiuiorum luxum, & vestimentorum coërcitum, arctiorem sanctimoniæ cultum in virginibus, viduisque, atque etiam in coniugibus introductum. Denique Sacramentorum frequentia, concordia inter ciues, & mutua caritate reuocatam Bergis Ecclesiæ pristinam faciem, ipsis admirantibus, ac propè obstupescentibus Religionis Catholicæ inimicis. Quæ omnia, si auctor, conseruatorque remoueretur, haud dubiè occasura. Quibus literis Sanctus Pater commotus ad Cancellarium Louanienſem scripsit, vt successorem Gaudano idoneum prouideret, eique ad perfectionem tendenti ad impedimenta superanda patrocinium commodaret. Ita abstractus è Belgio Romam Gaudanus venit: nec post multò rursus in lucem productus: adeoque probatus Ignatio est, vt anno sæculi quinquagesimo quatuor vota Professis adnumerarit. Præfuit initijs Collegij Veneti: tum Ingolstadij Societatem inter primos scholis publicis, nec multo post Viennæ illustrauit. Hic super ceteram pietatis industriam inopis turbæ gaudebat gregem colligere: omnesque accommodata catechesi, & paterna exhortatione ad paternam frugem instituens, singulis autem, prout cuiusque maximè postulabat necessitas, corrogata ex locupletibus huic calceatum, illi vestitum, alijs cibaria, pleriſque pecuniolas diuidens, corporibus miserorum pariter, & animis, geminata misericordia, succurrebat. Indè Vormatiensi Colloquio, missu Ferdinandi Imperatoris, cum Canisio interfuit. Ex quo cum in Belgium redijsset, in Scotiam Nuntius Apostolicus ad Reginam Mariam, & ad Episcopos nauigauit, & magno animo per ingentia vitæ pericula legationem obiuit. Ad extremum dum labore multiplici (quod in tenuissima valetudine, sensimque tabescente corpusculo, miraculi instar erat) catechismum Louanij in Collegijs varijs, maximèque Porcensi, ac Lilienſi, audientibus disciplinarum omnium studiosis exponit: & aliquoties inter hebdomadam in Collegio nostro scholas de officio boni pastoris habet: priuatim quoque Theologos nostros ad Gallicas, Theutonicasque conciones exercet. Prius nauum operarium vita, quàm voluntas laborum defecit. Quin etiam, vt quodammodo in opere expiraret, pridie quàm decederet, fratres ad se vocatos præclara cohortatione ad omnem virtutem instituit incitare. Ante omnia monuit, status sui felicitatem diligenter perpenderent, magnique facerent: Deo, qui in eum locum vocarat, grati essent: perfectæ obedientiæ sedulò darent sese: denique verè, atque ex animo cælestem philosophiam capesserent. Quæ ab tali viro id loci magnoque sensu dicta, & lacrymas omnibus excusserunt, & animis velut stimuli acuti, clauique altè infixa inhæsere. Illum subinde seuerum Dei iudicium considerantem, timor ingens, ac tremor inuasit: sed cum Costerus, qui fortè interfuit, alijque Patres confirmarent, in hæc verba erupit: Traiectus quidem nobis restat terri-

88 Nicolai Gaudani vita, & obitus.

89 Bergis Religionem ac mores instaurat.

90 Viennæ pauperes Catechesi, & stipe subleuat.

91 Vormatiensi Colloquio adest missu Imperatoris,

92 In Scotiã mittitur Nuntius Apostolicus.

93 Moribundi ad Socios exhortatio.

94 Timor, & fiducia eius in morte.

Digitized by Google

terribili s: sed vos, ò Apostoli Domini, vos, ò Martyrum agmina, vos Confessorum, ac Virginum candidatorum turmæ, poteritis vestris precibus imbecillam animam ex mari tam turbulento in cælestem portum transuehere: poteritis sanè Dei clementia. Ita recreatus, mysteriorumque supremis munimentis corroboratus, adeo placidè animam exhalauit, vt subridere in ipso abitu visus sit, eaque blanda species in cadauere ipso mansit. Omnes vulgò, sed præcipui quique Louanienſium Doctorum maximè acerbum casum doluere. Doctores verò Ingolstadienses theologica sua in aula, inscripto hoc elogio, eiusdem memoriam honestarunt. Doctor theologus Reuerendæ Societatis Iesu Nicolaus Gaudanus vir fuit summæ moderationis, & qui ceteris viuendi norma rectissima præluxit. Hic, vt consuleret profectui iuuenum, ethica theologicis iunxit: & fontes actionum moralium, atque politicarum ex sacris literis deprompsit. In quibus omnibus cum fructus auditoribus permaximos attulisset, & innumeros humanitate, & dexteritate docendi inuitasset, sub debito obedientiæ concessit: atque indè legatus Imperatoris Vormatiam ad Comitia cum se contulisset, ibi precibus theologorum Louanienſium victus, consensu Superiorum Louanium abijt. Vbi posteà quàm annos aliquot auitam Religionem strenuè propugnasset; è viuis, omnibus Sacramentis Ecclesiæ rite susceptis, excessit anno millesimo quingentesimo sexagesimo quinto.

95 Elogium ei positum Ingolstadij.

Tornaci rerum florentium cursum leuis pestilentiæ metus æstate extrema interrupit, post obitum quatuor conuictorum, reliquis, qui amplius centum triginta numerabantur, alio super alio triduo ad vnum dilapsis. Sed breui reuersis, solemnibusque studijs repetitis, nihil ille turbo, nisi nuntius fuisse visus est insanæ tempestatis, quæ totum proximo anno Collegium funditùs dissipauit. In superiore Germania (vt cunctarum fermè rerum inclinationes nutibus Principum fiunt) cum Maximiliani aduersùs non Societatem modò, sed Catholicam etiam Religionem animum pro ancipiti haberent, non exiguos improbi capiebant spiritus. Et quidem nec pauca, nec parua edebat Princeps rectè sentientis, ac benè volentis argumenta: valdeque inter alia celebratum est quod in Comitijs Austriacorum nobilium responsum dedit. Cum enim conuocati illi ad agitandum de Turcico bello, quo premebatur Vngaria, negarent quicquam facturos, nisi præter cetera Maximilianus etiam eiecturum se Iesuitas reciperet; respondisse ferunt, ea negotia spectare ad Pontificem, suarum verò partium esse, non Iesuitas, sed Turcas expellere: tamen ea alienioris animi fama plurimum ad vulgus, quod perinde falsis, ac veris impellitur, oberat. Ergo passim vel eijciendos canebant Iesuitas, vel suspendendos: nec pauci ad ludibrium addebant, in restes se, vndè suspenderentur, vel magnam impensam facturos. Super hæc Collegium Viennense non nihil detrimenti accepit sublata domo, in qua conuictores nobiles habitabant, & contubernio dissipato. Erat ea domus Collegij templo propinqua: extruxerat Ferdinandus, Patribusque anno millesimo quingentesimo sexagesimo primo tradiderat, ibi vt nobiles Austriaci, annuo assignato prouentu, sub eorum disciplina instituerentur. Sed Austriacis non venientibus, conuictores externi repleuerant, præsertim è nobilitate Polona: in quibus etiam Beatus Stanislaus Kostka fuit. Multò autem indigniùs non multis post mensibus scholasticorum pauperum contubernio erepta domus. Post non nullam ex iure disceptationem, quia nequaquam satis erat aduersarijs, si deberetur, quocumque modo redhiberi, sed ad Iesuitarum ignominiam, & obterendam auctoritatem, oblata videbatur occasio. Dum pius ille, Christoque carus puerorum cœtus ad mensam considet, adsunt, tanquam arcem expugnaturi, milites, domoque circumsessa, iubent illico omnes exire. Patres obuiam facti demulcere feroces, summisse rogare breuissimæ dilationis gratiam, dum inopes, destitutique adolescentuli aliquid cibi sumant: nihil indè cunctationis fore: nec opus armata manu. Ad quæ surdus præclari Dux agminis, imperioso ad gregales vultu conuersus, protinus irrumpere, quicquid repererint eijcere, domum vacuam facere iubet. Tum verò cum clamore, ac strepitu repentè homines, quibus neque hominum, neque Dei verecundia erat, ingressi; adolescentulis metu, ac terrore diffugientibus alijs aliò, parte maxima (quoniam id miseris vnum

96 Tornaci terror inanis obturbat.

97 In Austria Societatis res laborant.

98 Collegium pauperum vexatur.

supe-

supererat receptaculum)ad Collegium Societatis,perinde atque in direptione hostili, vt quidque primùm ad manus accidit, absque discrimine foràs deuoluere, protrudere, proijcere in medium forum, quod Iudæorum appellant. Intererant ei stragi aliquot Sociorum, qui quamquam intimis sensibus angebantur, perque dolebant, quæ magnis molestijs ex piorum liberalitate corrogata fuerant in Christi Iesu gratiam, ita proculcari, ac perdi, vixque eam speciem siccis hauriebant oculis; nullum tamen nec gestu, nec verbo commotioris animi edidere signum. At vicinarum mulierum, & incurrentium fortè ciuium, qui optimè norant quantæ opus caritatis disturbaretur; cum ingens multitudo constitisset, lacrymæ cernebantur, voceſque audiebantur indignantium, & auxilium vltrò deferentium ad vim vi repellendam. Displicuit Imperatori barbara feritas: indigni facinoris ducem ab ministerio summouit: iussitque adolescentibus domicilium reddi. Sed Patres,ad nouas vitandas lites,contenti pretium restitui, quo emptum fuerat, redigentes vltrò se in angustias, partem Collegij, congregatis ex fuga pauperibus,vbi ab initio fuerant, tribuerunt: quò Sanctum illud opus, vsque dum meliora effulgerent tempora, quamuis summo cum suo incommodo substentarent. Quod, iuuante Deo, ita successit, vt paulò post adiunctis opulentis, & nobilibus conuictoribus, pauperum quoque numerus auctus sit. Atque ad talia exorbenda, ac perferenda temporibus aduersis christiana necesse pectora obfirment, qui publicum sincera mente bonum,Deique laudem spectant. Temporum vices mutantur: ipsa magnum negotium, & lucrum patientia est: postremò cum auræ tantùm secundæ aspirant, voluptuariorum magis, quàm mercatorum est nauigare. Inter has turbas rati opportuna calumnijs tempora auctores nouarum rerum, etiam Archiducem Ferdinandum paternarum virtutum, & patrocinij Societatis heredem conantur auertere: finguntque cum tres reliquæ eius sorores, quæ rectores animarum suarum ex Collegio Oenipontano habebant, statuissent innuptæ agere, ad id suasu Iesuitarum inductas. Quod commentum facilè ipsæ diluerunt Virgines: & Archidux nihilò remissa beneuolentia, quos habebat seruidioris ingenij milites, eos ad Socios Pragenses mitigandos, expiandosque confessione mittebat. Verùm non multò post persimili in genere exoritur in Bauaria magno cum murmure infestus rumor, & latissimè Septentrione toto, impressis quoque libellis, vulgatur: Iesuitas, vt pueros ad castitatem sanctam compellant, eos eunuchos facere. Fœdiorem alij commentabantur causam. Res meritò videbatur omnibus pro indigna, bonis, atque sapientibus incredibilis: sedenim certum, compertumque facinus non affirmabatur modò, sed & palàm demonstrabatur. Ipse met ad fidem faciendam cum obsignatis chirurgorum, qui inspexerant, testimonijs circumducebatur puer. Libet totius fabulæ seriem redordiri. Puer annorum quatuordecim Ioannes Kesselius nomine, qui Monachiensis Collegij scholas aliquandiu frequentarat, & ob mores haud bonos fuerat eiectus, ea erat natura, vt quoties liberet, introrsum testes reuocatos apparere non sineret. Indè nequam procaci ioco, vt famulos hæretici Comitis falleret, excisos sibi à Godefrido Hanatz, quem Collegij Monachiensis Oeconomum vocabat, affirmauit. Religiosus erat ex adiutorum ordine modestus, ac pius, qui Collegio opsonia, & quæ alia quotidianus postulat vsus, emptitabat. Vbi decepti illi, reque prodita irrisi sunt, visum Hæreticis fundamentum est ad superstruendam infamiam mirè factum: donis, ac promissis puerum implent, idem adfirmare vt pergat, edocentque quemadmodum pertentatus in iudicio quàm proximè, ad veri speciem, constanterque respondeat. Tum ad chirurgos sistitur Volfangi Palatini hæretici Principis. Sine cunctatione illi pronuntiant euiratum puerum. Concinnatur, & scribitur fabula, prælo mandatur, circum omnes Dynastas Germaniæ sacros, populareſque disseminatur. Albertum Bauariæ Ducem,qui Societatem vsque eò complectebatur, ea fama commouit, præsertim quòd ab suo Monachiensi Collegio prodijsse flagitium ferebatur. Ergo inquirendum sedulò: sique fraus deprehendatur, grauiter vindicandam, sin minùs abolendam ignominiam statuit. Quò testatior foret res, dat operam, vt puer vnà cum parentibus ad se perducatur: qui cum sedulò ab

99 Constantia necessaria boni publici procuratoribus.

100 Insignis infamia aduersùs Societatem per Septentrionem spargitur.

Hæ-

Digitized by Google

Hæreticis cuſtodiretur; tamen callidè ab conquiſitoribus ab Duce miſſis in currum abreptus Monachium deportatur. Tum Albertus ingentem Medicorum numerum indidem Monachio, Auguſta, Salisburgo, Ratisbona conuocat: eoſque ipſos Chirurgos, qui factam puero iniuriam conteſtati erant. In veteri aula Principum, ſpectante ſimul Principis, ſimul Ciuitatis Senatu, permultiſque primarijs viris, ſtatuitur puer in medio nudus. Nulla apparebat cicatrix, veſtigium nullum iniuriæ. At nec virilitas cernebatur. Verum haud multis interrogationibus verſatus, quanquam callidus adoleſcens, iam veritatis prodebat indicia, cum ab Ducis Chirurgo, ſagacis ingenij homine, continere ſpiritum, ac ventrem inflare iuſſus, id, quod calumniatores querebantur exemptum, palàm in conſpectum dedit. Pueri quoque parentes dederunt gloriam Deo, faſſique rite ſunt, & ſuum illum eſſe gnatum, ac re vera integrum: interrogatique qui contra ea teſtimonium tulerant Chirurgi, idem ne ille eſſet puer, quem ante pronunciauerant caſtratum, itemque num profiterentur inuiolatum poſtea compertum; quanquam non ſine rubore, notaque leuitatis, vtrumque conteſtati ſunt. Conficiuntur eius rei quàm accuratiſſimè teſtes literæ, Medicorumque, & Chirurgorum ſubſcriptæ manu: quocumque præceſſerant mendaces libelli, dimittuntur. Addidit, & literas ſuas Bauarus Princeps, quæ & typis excuſæ ſunt. Cumulatior in auctores redit infamia. Quippe quæ tanto cum ſtrepitu peruagabantur vrbes, prouinciaſque fabulæ, vbi paulò poſt adeò illuſtres in eadem loca res ipſæ peruenirent; is, qui præiuerat ſtrepitus audientiam videbatur veritati feciſſe, proque tuba eſſe admonente mortales, vt oculos hinc ad Ieſuitarum, indè ad Hæreticorum mores, quaſi in vna, eademque tabula deſcriptos, interque ſe comparatos, aduerterent. Nec ſolùm innocentiam Soctetatis illuſtrabant fraudes Hæreticorum; ſed firmitatem quoque, ac modeſtiam catholicæ doctrinæ corroborabat, decorabatque iactatio eorum arrogantiſſima. In Academia Viennenſi cum theologicas diſputationes pro more Patres haberent celeberrimo in conuentu, acceſſere ad diſputandum nouitiorum errorum patroni quidam: poſtque alios in medium quidam proceſſit, vt ſibi videbatur, ceteris longè ſapientior: qui, conſerta pugna, breui cœpit acriter premi. Locus inciderat diuinæ Scripturæ, quo catholicum dogma confirmabatur. Indè Hæreticus quemadmodum ſe expediret non inueniebat. Ergo cum diu circumiſſet, ſeque verſaſſet, nullo vſquam patente exitu; nullius homo frontis, nouam diuini teſtimonij interpretationem comminiſcitur, quam nec ipſe intelligeret, nec adſtantium quiſquam videret quid ad rem faceret. Vt autem appareret ex tempore ad effugium fictam, neque vlli Doctorum, Sanctorumque interpretum in mentem veniſſe; interrogatur ex quo tandem ſcrinio tam aptum ſenſum, tamque inauditum interpretamentum protulerit: denique ex quo magiſtro doctrinæ felix adeo genus acceperit. Cum ille vocem hæretica maieſtate contendens, ac ſupercilium altiſſimè tollens: è promptuario, inquit, Sanctiſſimæ Trinitatis deprompſi: Magiſtro didici Patre, & Filio, & Spiritu Sancto. Age verò (tum inquit Ieſuita) quæ fuit magiſterij tam beati ſchola? At Hæreticus, Chriſtus, inquit, per Matthæum dixit, Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi. Quas ad voces pauci riſum, nemo ex corona indignationem tenuit: ſcilicet eò redactas res, vt dum de religionis dogmatibus, hoc eſt non de quacumque re, ſed de æternitate agitur, exiſtat homulus neſcio quis, qui velit ſibi fidem haberi, cum egreſſus è gurguſtio ebrius clamat, Me Sanctiſſima Trinitas docuit. Errarunt Pontifices; Concilia nil viderunt, Patres antiqui, Doctores recentes cœci omnes fuerunt: Vni mihi Scripturarum tradita clauis eſt: me Pater, me Filius, me Spiritus Sanctus poſt tot ſecula idoneum inuenere vnum, quem ſuorum facerent, ſine fuco, & fallacijs, arcanorum participem. Id ita eſſe, ſi vult ſaluus eſſe, credat mundus neceſſe eſt, vno auctore, eodemque teſte, & iudice me. Ergo tibi, homo fanatice, potiùs quàm Leoni magno, quàm magno Gregorio, quàm ceteris ſanctitate, & ſapientia Pontificibus admirandis? Tibi magis quàm luminibus illis Hieronymo, Auguſtino, Ambroſio, & vniuerſæ Græcæ, Latinæque Eccleſiæ Patribus? Tibi demum veriùs, fideliùſque, quàm gentium flori, & apici cœleſtis, humanæque doctrinæ, lectiſſi-

101 Fraus Hæreticorum comprehenditur.

102 Hæreticorum arrogantia intoleranda.

103 Reuelationes, quas priuatim iactant Hæretici, quàm inſanæ.

ctissimis, inquam, Sancti Spiritus oraculis in vnum congregatis adfuit Deus? Idque postulas, vt credatur dicenti tibi, cum tu non credas Ecclesiæ? cum seculis omnibus, cum cœlo, terræque abroges fidem? Ergo cum tu in hoc angulo, in illo non dissimilis tui, contraria inter se eructetis somnia, diuisum est regnum Christi, & peius quàm regnum Diaboli constitutum? Ergo mentitur Sanctissima Trinitas, miserisque mortalibus non modò ad cælum viam non monstrat, sed eos huc, atque illuc distrahens, & incertis ambagibus inuoluens, dirum sibi ludum facit? Si nulla est certa fidei norma, sed quod cuique siue sano, siue insano visum est, id Sanctissima demonstrauit Trinitas; quid reliquum est, nisi vt iam terrarum Orbis non Orthodoxorum domicilium, sed furiosorum inter se temerè digladiantium carcer sit? Similia multa his cum omnibus, qui disputationi intererant, venirent in mentem, explosa, atque exibilata est Hæretici vecors iactantia: eiusque comparatione clariùs perspecta veræ doctrinæ soliditas: dum Catholici magistri ad explicandas diuinas literas non sua figmenta, & inania cogitationum ludibria per nomen reuelationum, quas impudentissimo cuique facillimum est architectari; sed Pontificum responsa, Conciliorum decreta, Patrum, Doctorumque sententias simplices, apertas, consentientes modestè, & grauiter proferunt. Hac igitur via doctrina Societatis in dies clarior vulgò fiebat, & gratior. Atque hoc anno Viennensis Collegij auditores theologi, Rectore Academiæ postulante, saluis institituti religiosi, & obedientiæ legibus, in Academiæ corpus sunt cooptati. Doctor Adalbertus Bausek Decanus facultatis creatus est. Dux quoque Bauarus, vt homines Societatis in ordinarios Professores, & consilia Academiæ Ingolstadiensis liceret admitti; diploma edidit, neque aliam voluit, quàm Societatis approbationem requiri. Valde in publicum salutaris fuit, quanquam non adscripto nomine, liber editus à Paulo Hoffæo. Cum enim Smidelinus, & Cyriacus Spangenbergius hæretici de communione sub vtraque specie noxios emisissent libros, contra libellum, quem idem Hoffæus de Catholico ritu ante vulgauerat; is copioso, & sanè opportuno volumine Hæreticos germanicè confutauit. Hac fama doctrinæ commotus Gnesnensis Archiepiscopus Polonici Regni Primas, non semel ad Rectorem Viennensem, ac Prouincialem Austriæ datis literis hortatus est, vt stylum aduersùs impietatem Arianam passim in Polonia reuiuiscentem stringerent, his præter cetera magnificis ad literam verbis. Nos sanè à Societate vestra, quæ hactenus non pauca præclarè scripsit, tanquam bellatoribus strenuis, & ad certamen hoc decertandum diuinitùs in Ecclesia catholica excitatis, furorem, ac rabiem insanorum hominum rectiùs, quàm à quoquam alio retundi, ac reprimi posse existimauimus. Itaque prouinciam illam Ordini vestro, nostro iudicio, maximè propriam ad vos deferendam nobis esse statuimus. Verùm aduersùs id monstrum, haud obscuro indicio, pugnauit è cælo sub idem tempus ipsa diuinissima Trinitas. Palatinus Vilnensis Nicolaus Radiuillus optimæ stirpis teterrimus parens, qui hanc maximè excitabat, ac protegebat pestem, cum ab Rege quoque occupata Vilnensi arce defecisset, morbo correptus, proque dolorum acerbitate diro omnia vlulatu complens, euomuit infelicem animam, haud dissimilis vitæ exitu Ario, cuius fuerat æmulator insaniæ. Hinc renouata Regi de Collegio Vilnæ statuendo cura, vbi plurimos nouus ille inuaserat furor. Memorabilis hic Sarmatiæ habendus annus, quòd & ad summum euectus est, & simul inclinari cœptus Hæresum Orbis. Nam eò vsque Hæreticorum impotentia excesserat, vt in Petrocouiensibus Comitijs, frustrà reclamantibus Orthodoxis, inuito Rege, in oculis Apostolici Nuntij, moxque Legati Cardinalis Commendoni, nequicquam contra tendente tota illa sanctitate, ac sapientia sua Cardinali Hosio, decretum conditum sit, quo sacrarum decimarum causæ, per summam iniuriam Ecclesiasticæ libertatis, tribunali politico subdebantur. At ex altera parte eodem tempore, & Ariani Palatini obitu, tam vehementi, potentique patrocinio remoto, debilitata est hæresis, & Collegiorum inducta præsidia, præsentissimi vsus, vt vel indè apparet. Quippe inualuerant per eas oras non tam ibidem prognati, quàm reportati, & inuecti errores. Nam præstantium desiderio magistrorum homines nobiles (vt est Sarmatica gens humanitatis omnis, & capax

104 Catholicorum quàm fundata doctrina.

105 Pauli Hoffæi liber de Communione catholica.

106 Inuitantur Austriaci Patres adscribendum cõtra Arianos.

107 Palatini Vilnẽsis Ariani exitus horrendus.

108 Exitus anno Hæresium in Polonia retroactus Orbis.

109 Quo pacto in eam inuasissent.

in

ili primis, & cultrix, vltroque etiam prudentiæ peregrinando quæsitæ appetens) in celeberrimas Germaniæ Academias fermè liberos dimittebant. Quarum pleraſque professores hæretici venditatione magis, & scriptitandi audacia, quàm vlla solidè fundata doctrina claritatem adepti, cum haberent in hos veluti Circæos Ministros, vbi simplices adolescentes inciderant, nimirum adumbrata eruditionis species, & fucata loquacitas, tanquam litum melle poculum, ætatem improuidam ludificabatur. Indè referebant domum literas infelices, insanamque sapientiam damno religionis emptam. Tum verò cum in ipsum quoque regnum intrusissent se Doctores impietatis, & apud nobiles vel iam omnino corruptos, vel emollitos, non modò procliues aures, sed & patrocinium inuenissent, & multitudo (si vsquam) ibi maximè vultus intueatur nobilitatis, ac procerum, rara vsquam tota Sarmatia Ciuitas, atque adeo domus incorrupta reliqua erat. Porta igitur hæc adeo patens inuehendæ pesti, nunc primùm obstrui cœpta, cum Societatis Collegia inducta sunt. Neque ea solùm re inclinatio hæresis facta, quòd ad religiosa gymnasia iuuentus nobilis ab corruptricibus Academijs traducta; verùm etiam, quòd in Pastorum officia, virtutum, ac literarum instructu, idonea sensim Clericorum educta soboles: quòd concionibus publicis, & disputationibus, item lucubrationibus, & stylo, præter quotidianos, priuatosque congressus, catholicarum rerum vindicata maiestas, antiquitatis propugnata veritas, & profligata vanitas nouitatis: quòd cultu pietatis paulatim restaurato, emendata vitia, quæ in pijs opinionibus viam præcipitem pandunt: denique quòd multitudini per se ad religionem auitam propensæ excitati, confirmatique sunt animi. In quo momentum inæstimabile fuit. Probabile quippe vix est, vbi simplices animæ magistros, ducesque nactæ sunt, demonstrata ab ijs parentum suorum vestigia, cum quanta & voluptate agnouerint, & voluntate institerint. Secundùm Deum primus gloriæ huius flos Hosio Cardinali debetur, conditoque ab eo Collegio Bransbergensi, vt meritò eius regni prouinciæ inter sua decora numerent sapientia, virtuteque tanta parentem. Vendicant & suam sibi Varmienses Canonici partem laudis, qui in Collegij conditionem, cum studiosè ad Cardinalis accessere vota, tum impensarum trientem contulere. Vendicant postremò non alij modò Collegiorum parentes, sed cuncti ordines, & nobilissimi quique virorum, ac fœminarum, atque in primis siue diuina, siue humana potestate eminentes Proceres. Nam simulac nosci penitus, & propagari cœpta Societas, ita omnes (paucis exceptis, qui tanquam ad illustrandam fauentium caritatem aduersari maluere) complexi sunt; ita simul eius, & profecerunt industria, & vsibus succurrerunt; certamen vt amabile inter eam, ac regnum tenuerit teneatque, pendente adhuc victoria. Collegij Bransbergensis ad perpetuitatem hoc anno transacta institutio in Diœcesana Synodo Heilsbergæ, Cardinalibus duobus Hosio, & Commendono præsentibus. Iam enim Commendonus ex Hosij manu insignia purpurati Patris sacro Apostolorũ Petri, & Pauli die susceperat. Duodecimum ante Kal. Septembris diem Collegij natalem censeri placuit, quo die decretum factum in Synodo, quamuis iam ab anni principio Collegij munera inchoata essent. Peruenerant anni superioris extremo incolæ primi futuri: quos cum Heilsbergæ paterno cepisset animo Cardinalis, & omni indulgentia recreasset, velletque diutiùs habere, dum pestilentia, quæ adhuc sæuierat, omnino extingueretur, instante maximè Petro Phaë, qui ad sacras conciones Treuiri missus venerat, nec metuendum operarijs Dei quicquam asserente, postridie Epiphaniæ humanissimè cohortatus, sperareque se ex virtute eorum, industriaque testatus omnia, & restitutionem religionis, & morum: demum suam in omni re quàm benignissimè opem pollicitus, & ad se iussos, tanquã ad parentem in omni vsu confugere, præbita ad osculum sacra dextera, & Episcopali benedictione munitos dimisit. Attributum est Collegio, Francisc anorum Patrum Cœnobium, quod iam diu temporum illa tempestas desolarat. Templum abundè capax, sed ruinosum, & incultum cum esset, certatim conferentibus Cardinali, Canonicis, Ciuibus quoquè Bransbergensibus, reparatum est, & excultum. Domus verò non modò amplitudine, sed etiam distinctione membrorum opportuna fuit & Collegis, & Conuictoribus excipiendis. Continuò enim Cardinalis operam

110 Auxilium ab Societate Poloniæ allatum.

111 Polonorum in Societatem insignis pietas.

112 Bransbergensis Collegij incrementa.

Digitized by Google

operam dedit, vt quamplurimos ex nobilitate acciret, sumptibus quoquè suppeditandis inuitans. Misit etiam octo Gnesnensis Archiepiscopus. Accurrere non ex Prussia modò, sed longè ex Lituania, Polonia vtraque, alijsque prouincijs. Itaque breui supra quadraginta nobiles in conuictu numerati: supra ducentos triginta in toto gymnasio, quod classibus quinque Rhetoricam, & disciplinas inferiores tractabat: vtroque sanè mirifico tum gaudio Catholicorum, tum Hæreticorum dolore. Nam Catholici parentes pietatem suam tam studiosè committendis in eam disciplinam liberis planè nudarunt, gestientes inuentum sibi gymnasium, cui tutò eos crederent. Sacri autem viri, ac nominatim Canonici, Cleruſque Posnanienſis haud semel amantissimè gratulati aduentum Societatis in eas terras, simul adiumentum idem expeti à se, expectarique denuntiarunt. Accessere magni etiam viri spectatum, cum gymnasij disciplinam, tum religiosæ vitæ rationem, & eiusdem amore vitæ incensi non pauci: quorum clarissimus fuit Stanislaus Varseuitius toti Regno & literis Græcis, Latinisque, & obitis etiam ad Turcam legationibus, & apud Regem gratia, apud quem scribendis epistolis præfuerat, tum Sacerdotijs notus: qui seculi res hinc adorsus componere, biennio post Romam ad Societatis Tyrocinium venit. At ex nobilibus Hæreticis, quamuis omni officio, & liberalitate ab Cardinali Hosio inuitatis, nemo vnus pellici potuit, vt suorum quemquam eò mitteret. Vulgus verò Hæreticorum, Satanicique Ministri hìc quoque tenuere suum institutum, Sociorum famæ insidiantes, vt oppressa illa, simul tam secunda cœpta debilitarent. Flagitiosos duos, simulato Societatis habitu, misere ad prostibulum. Sed nequiuit sub vestitu religiosæ simplicitatis hæreticæ malitiæ fraus tegi. Dolo prodito, cognitum est non Iesuitas, sed eos adire lustra, qui vel ipsam adulterant pietatem, & fornicantur in adinuentionibus suis. Finitimi verò inter hæc ministri non cessabant in suorum conciliabulis denuntiare, & clamare precandum Deum pro Bransbergensibus, vt eos à tyrannide Principis (Hosium designabant) & ab Iesuitarum hyprocrisi liberaret. Postremò cum nec oratio, quæ fiebat ipsis in peccatum, nec doli, qui redibant eorundem in caput, prodessent quicquam; conati sunt auertere à Bransberga commeatus, qui ex circumiecta ora comportabantur, vt Iesuitæ, atque adolescentes, qui ex proximis, remotisque prouincijs confluebant, fame pellerentur. Sed nihil aduersùs Dominum, & seruos eius, quibus cuncta proficiunt in salutem, Hosij vigilantia fecit, vt, si quid alicunde interciperetur annonæ, affatim aliunde suggereretur. Florente iam Bransbergensi Collegio, Pultouiense adornabatur. Vrbs ea modica est, sed loco sita amœno, & salubri, in Masouia prouincia, Plocensi Episcopo & humanis rebus, & diuinis parens. Andreas Noscouius hac tempestate Præsul, ac Dominus erat, qui cum Pultouiæ Collegium condidisset, Commendoni suasu, in id Societatem vocare decreuit. Commendono sedes videbatur opportunior, tum alijs causis, tum celebritate vrbis Plocia ipsa: verùm cum ædificium ibi deesset, Pultouiense Collegium receptum est, Kalendisque insequentis anni possessio rite adita, ac subinde Magistri tres constituti. Stanislaus Rosdrazouius natione Polonus è gente nobili Rector ei primus ab Vrbe missus præfuit. Vtrique autem Collegio Bransbergensi, & Pultouiensi Superintendens præfectus est Balthassar Hostouinus, & Franciscus Sunerius Roma Visitator missus.

In Hispania è Concilij Tridentini decretis multæ hoc anno habitæ Synodi, in quibus non parùm Societatis opera vsi Præsules sunt, sed in Barcinonensi maximè, ac Toletana. In ea verò, quæ Salamanticæ ab Gaspare Zuniga, & Auellaneda Archiepiscopo Compostellano, cui Franciscus Hurtadus Mendoza tum Comes Montis Acuti loco Philippi Regis interfuit, est habita; non exiguum Societatis res adierunt discrimen. Erant inter Episcopos (tredecim conuenerant) qui olim Ioannis Silicæi alumni imbiberant altoris sensum: cumque alia Societatis ministeria, tum libellum, & vsum Exercitiorum ante omnia suspectum reddebant. Verùm Deo nunquam suorum famulorum causam deserente, Ioannis Ramirij, qui pro Bartholomæo Fernandio ad Comitia Romam profecto Rectoris locum obtinebat, virtus, & eloquentia, simulque Antonij Araozij auctoritas imminentem pro-

113 Stanislaus Varseuitius animũ ad Societatem applicat.

114 Hæreticorum fallaciæ.

115 Pultouiensis Collegij exordia.

116 Res Hispanicæ

117 Ioannis Ramirij virtus & eloquentia.

Digitized by Google

procellam discussere. Vltrò postulata, impetrataque in conuentu copia dicendi Ramirius, ac rogatis initiò Episcopis, vt, si quid ipse præteriret, si cui dubitationis quicquam resideret, interpellarent, ac quærerent; de fine Societatis, deque vijs, per quas ad eum gradatur, inter quas Exercitia spiritus præcipuam ostendit esse, multa magno omnium assensu disseruit. Sed illud probatum est maximè. Voluntaria experimenta humilitatis, & abiectionis, quæ mortificationes publicas vocamus, quidam vt immodica, & interdum absurda, & iocularia carpebant. Ramirius postquàm docuisset auctoritate, exemplisque Sanctorum quàm laudabilis exercitatio talis sit, quamquè potens ad virtutem ingenerandam: Non vsque eò tamen, inquit, læua mente sumus, vt existimemus in rerum talium vsu, pro loci cuiusque, ac temporis ratione, neminem vnquam vnum nostrorum Rectorum extra prudentiæ fines egredi posse, aut egressum esse. Ceterum ego quidem & vos, opinor, Sapientissimi Antistites, nihilò sciùs errare eos crediderim, qui carere nos omni errore velint. Hominis est imbecillitatem humanam obliti, parùmque prudentis ab homine mortali nunquam deerrantem, nunquam lapsantem, nusquam offendentem prudentiam postulare. Satis nos nobis diuini muneris ducimus, voluntatem rectà semper, & inoffenso (quod aiunt) pede procedendi, quodque errore potius, quàm voluntate labamur. Nec verò, quod humanæ curæ est, Societas nostra prætermittit: Consiliarios Rectori apponit, præficit Prouinciales, alia præsidia comparata habet, per quæ tum arceat errata, tum vindicet. Habebimus quoquè gratias Præsulibus, qui nobis, vt quæque viderint in nostris ab recta ratione aliena, planè, ac nominatim demonstrent. Cetera committamus Deo necesse est. Duas horas disceptatio tenuit: tamque multæ, atque absurdæ ex maleuolorum haustæ sermonibus opiniones ex animis Episcoporum absterse sunt; vt emenda fuerit occasio ad tales viros dedocendos. Illi non benignitate modò orationis factum sibi satis, sed omni alia humanitate: Sociorum quoquè, præcipuèque Petri Sancij opera in disceptandis Concilij rebus, & componendis vtendo, præclarè docuerunt. At Hispalensis Antistes Ferdinandus Valdesius, qui antea alienior habebatur, luculenta hoc tempore edidit beneuolentiæ argumenta. Duo millia aureorum nummum ad ædificationem templi Collegij Hispalensis, quæ hoc anno cœpta est, contulit. De Collegio in Ouetensi Vrbe Societati attribuendo cœpit agere, & Consaluo Rectori Madritano, quem eam ob rem accersierat, libellum Exercitiorum, in quo Cani manu erant ad marginem notæ, vt eas recognosceret, castigaretque dedit, libello deinde ipse vsura. Idem sub tempus Venerandi Patres Franciscani suum aduersùs Societatem plenum caritate animum ostenderunt Pintiæ in Comitijs generalibus decreto in hæc verba edito. Cum noster Ordo Fratrum Minorum existat, atque in humilitate præcipuè, & caritate fundatus, nouerint Fratres omnes vbique terrarum dispersi, Religiosos cuiusuis Religionis humiliter, & humanè tractare, tum maximè eos qui de Societate Iesù fuerint: quos diligere, & honorare debent, eosque ad actus literarios, festorum celebritatẽ, aliosque publicos actus, ad quos Religiosi conuenire solent, cum caritate inuitare, & suscipere. Nec nostrorum quisquam audeat ijs publicè, vel occultè detrahere. Huius decreti nouissima ea causa fuit. Cùm in publico Hæreticorum supplicio P. Petrus Sancius, post confirmatos ad piè obeundum noxios, conuersus ad populum inter exhortandum ad pœnitentiam dixisset, fieri posse vt ex ipsis spectatoribus adesset non nemo magis nocens, quàm fuissent ij, quorum viderant pœnam; Religiosus è Franciscanis hæc audiens obstrepere cœpit, & voces etiam non exiguas mittere, ita vt omnium ad se oculos, aureſque conuerteret. Dicta arguebat Sancij, & censura notabat, quasi affirmasset grauius hæresi crimen inueniri. Simpliciùs haud dubiè, quàm eo præsertim loco deceret, videri poterat locutus Sancius: nil tamen absurdi pronuntiarat, cùm inter eos ipsos, quos appellabat, possent homines non modò sceleribus alijs, sed & ipsa hæresi contaminatiores esse. At libera Fratris reprehensio, eiusdemque auctoritas haud parum sermonum, & offensionis exciuit; vt rumor iam ferret ab Sanctæ Fidei Quæsitoribus iniectas in Sancium manus: idemque Religiosus haud multò post inconsiderato se abreptum zelo professus, modestia

118 Hispalensis Antistes amicũ se præbet.

119 Franciscanorum Patrum in Societatem caritas.

120 Occasio decreti eorum.

stia summa (vt erat re vera vir bonus) veniam facti rogauit. Ceterùm cùm Alexander Cardinalis Cribellius Fratrum Comitijs Apostolicus Legatus præesset, idem & eius Ordinis Patronus, & Societatis amantissimus, dedit operam, vt in posterùm non offensionum causæ tantùm remouerentur, sed sancta etiam consensio inter vtrumque Ordinem, nouo addito nexu firmaretur. Indè pro sua caritate facer ille Conuentus decretum, quod recitatum est, condidit. De qua optima voluntate Pater Borgia gratias Ministro Generali summas egit, Licet hìc animaduertere quàm sit Dei famulis mos contrarius seculi corruptelæ. Quemadmodum enim improbi ad peccata cumulanda occasiones ex honestis quoquè factis assumunt; ita imitatores Christi prolapsiones, & imbecillitates humanas materiam sibi faciunt exaggerandæ virtutis. Hoc anno prouinciæ Bœticæ Marcenense additum est Collegium. Aliquot ante annis in hanc toto animo intenta curam cæperat ædes opportunas extruere Maria Toletana filia Catharinæ Ferdinandiæ à Corduba Marchionis Plegi coniux Ludouici Pontij Leonij Ducis Arcos: cumque aliquantùm processisset ædificium, atque è dotalibus optimæ Ducis bonis (vti moriens legauerat) eoque quod vir supplebat, census annuus millenum ferè nummum conficeretur, addita Collegij possessio est, quamquam non nisi duobus post annis iusto incolarum numero frequentatum. Madritanum Collegium initio Septembris suorum incolarum primitias transmisit in cælum. Petrus Sancticrucius Sacerdos, qui diu Patris Araozij adiutor fuerat, ex graui febre iam quinquagenarius occubuit. Corpus delatum Complutum est, quòd Madriti non dum nisi Sacellum minimè sepulcris idoneum haberemus. Compluti autem dum sepelitur, viderunt circumfusi omnes indicem alterius manuum demortui, ac si viueret: ad hæc totum corpus, ac membra singula ita mollia, ac tractabilia, vt Valesius, & Caluus Medici nobilissimi, cùm inspexissent curiosè, multùmque tractassent, affirmarint id naturale non videri. Quare cum Antonius Araozius, præter ceteras eximias virtutes, compertum sibi testaretur integerrimum pudicitiæ florem ab eo ad finem vsque conseruatum; virginitati omnes insolitum illum vigorem sine dubitatione attribuerunt. Quæ quos artus corrumpi viuos fœda voluptate non siuerat, eos iam vita perfunctos etiam à potestate mortis aliqua ex parte tutaretur, & ipsa met quodammodo vice animæ animaret. Burgis in morbosorum obsequio Gaspar Azebedius Collegij Rector, P. Aluarus Orisius concionator, duoque Laici Petrus, & Monserratus vitam finiere. Cubitum se ad modicam quietem receperat Gaspar, cùm accitus ad excipiendam moribundi ex plebe hominis confessionem (vti adnotauit in commentariolo, quem eo tempore confecit Ioannes Polancus) confestim surgens accurrit. Nec dilata est tam promptæ caritatis merces. Indè morbum retulit domum, qui ei ad cælum iter aperuit: & alioqui solebat non expectare dum vocaretur, sed quæritare ipse destitutos per vrbem morbidos, quorum animos expiaret. Burgensi Collegio decennium fermè præfuerat, domi, foriſque probatus. Patriam Vallisoletum habuit. Aetate iam grandior ad Societatem accessit. Cunctis virtutibus, sed orandi præsertim, & macerandi corporis studio fuit insignis. Multas quotidie horas in precibus consumebat. Somni, cibique parcissimus. Cubile fermè erant nudi asseres, nempe qui non inuitarent somnum, sed & ipsum cruciarent. Nunquam vinum gustauit, nec quicquam sexta Feria, præter aquam, & panem, extra alia crebra ieiunia. Ad hæc flagello se quotidie acriter concidebat, ferreaque catena corpori applicata assiduè cingebatur, cui perfrequens, & prope continuum adijciebat cilicium. Ex quo genere vnum inuentum est in eius cubiculo postquam obierat, ad corpus totum ab collo ad talos obtegendum factum, adeo hirsutum, & horrens, vt species ipsa terreret. Hunc sibi duntaxat apparatum quæsierat destinatus ad Indos, quamquam postea missus non est. His aliisque præparatus laboribus Gaspar ad caritatis palmam euectus est: vt, qui vitam inter frequentiam egerat Sanctis proximam Anachoretis, mortem in pace affinem Martyribus sortiretur. Dissimili sorte vsus, qui Bellimarense regebat Collegium Ioannes Lopius Suarius. Cùm pestilentia non vrbem modò, & suburbana, sed totum fermè agrum Burgensem vastaret, ille autem, ne dies sibi, nec noctes parceret, diui-

121 Marcenense Collegium susceptum.

122 Petri Sancticrucij mors, & virtus insignis.

123 In pestilentibus iuuandis mortui.

124 Gasparis Azebedi caritas.

125 Summa vitæ asperitas eiusdem.

126 Ioannes Lopius miraculo tanatur.

nis,

Digitized by Google

nis, humaniſque ſubſidijs conquiſitos vndique cõfolans ægros, augerentque labores additi ad agreſtes egreſſi in Villas Burgenſes ciues, breui communi malo percellitur. Quartum iam diem febribus teterrimis, aſſiduèque inualeſcentibus iactabatur, nec ſpes vlla vitæ reliqua erat. Ergo Sanctæ Crucis reliquias, quæ in eius Collegij templo aſſeruantur, ac diuiniſſimum Viaticum ad ſe iubet afferri. Adfuit cum Saluatore, lignoque vitali ſalus, ac vita. Crucem adorat æger, Euchariſtiam ſuſcipit, febris abſcedit. Neque (vti fit in maligno illo febrium genere) imbecillitas, & languor reſedit; ſed vigor manſit, & robur eiuſmodi, vt protinus exilire lecto, & munia conſueta repetere planè ſe poſſe ſentiret: quò nihil ambigeret, nequaquam imbecillæ, tardæque naturæ victum opẽ malum, ſed eius dono, cuius paret nutui cuncta natura. In Collegio Bracharenſi Michaël Barrius è primis, qui inter Luſitanos dederunt Societati nomen, ſeptimo idus Auguſti neceſſitati conceſſit. Vir fuit & doctrina, & pietate conſpicuus: & tamen ſupremo tempore grauiſſima diffidentiæ tentatione, de qua, Deo iuuante, triumphauit, vexatus eſt: Vt admoneantur degeneres, vbi in illum cardinem venerint, quid ſe ſperent animi habituros. Conimbricæ huius anni autumno Collegij, quod in domicilia duo diuiſum adhuc per incommodè erat, molliſſimam prouidentia diuina, in vnum redigendi, viam obtulit. Cardinalis Henricus de Sacris Quæſitoribus Conimbricæ ſtatuendis agebat. Ne ingens impenſa fieret in extruendas nouas ædes; Patres vltrò Collegium inferius, quod Regium, vel Artium appellabant, in eam rem ceſſerunt. Eaque voluntas pro dono ingenti eſt habita, atque ex ærario regio pecunia deprompta, vndè Superiori Collegio, quæ in inferiori fuerant, diſciplinarum philoſophicarum exedræ adijcerentur. Illud quoquè ab Cardinali impetratum eſt, vt omiſſa cura nouos creandi Epiſcopos Iaponiæ, & Sinarum, de qua re ſupra cum Pontifice actum retulimus, transferendos in ea regna ab Aethiopia, & ab India Ouiedum, & Camerium, quando Aethiopica expeditio exitum non habebat, curaret. Atque ita in Societatem, quàm minimum fieri poſſet honorum inueherentur. Repugnabat initiò Cardinalis, veritus ne per eam rem obſequium Dei, & ſalus animarum impediretur. Sed vbi P. Ludouicus Conſaluius explicauit ita decretum in Patrum conuentu, in quo tam multi adfuiſſent ex chriſtiana omni gente adeo diuinæ gloriæ, & animarum cupidi Patres, ac proinde id exiſtimandum malle Deum, quod eis viſum eſset; vt erat ipſe maximo, ſed moderatiſſimo zelo, placidè acquieuit. Poſtremò ingens in Luſitaniam Prouinciam, cunctamque Societatem meritum extitit Luſitani Regis, vt eius rogatu, & inſigni ſtudio Aluari Caſtrij, regij ad Pontificem Legati, Pius Quartus declararet, decerneretque qui de Societate ne dum ſolennibus, ſed & ſimplicibus vſitatis illi votis illigati ab ea deficerent, vel ad alios Ordines, excepto Carthuſiano, tranſirent; vt in eos, tanquam Apoſtatas, liceret animaduerti: omnique eo quàm optimo iure, & cunctis Apoſtolicis beneficijs vti, quibus in eiuſmodi negotio Religioſi quicumque Ordines ſiue mendicantium, ſiue non medicantium vterentur. Quo conceſſo, cùm ante confectas rite literas ex humanis Pontifex abijſſet; qui ſucceſſit ei Pius Quintus non ſolùm ratum habuit, & diploma ſtatim confecit, ediditque; ſed etiam ex die ſexto ante Kalendas Decembris huius anni, quo die Pius Quartus conceſſerat, vim obtinere, & cenſeri editum voluit. Vtile munimentum id fuit aduersùs leuitatem humanam ſimul Religioſorum noſtrorum, ne ſpes immunitatis ad fædam defectionem ſolicitaret: ſimul alienorum, qui interdum eis, vel auctores erant tranſeundi ad ipſos, vel vltrò adeuntibus receptum dabant. Vndè lites, & contentiones, & multa noxij in publicum exempli oriebantur.

127 Michaëlis Barrij finis.

128 Collegium Conimbricenſe in vnum teſtũ redactum.

129 Diploma Pontificiũ contra Societatis deſertores benficium ſingulare Luſitani Regis

Ad Indos hoc anno ſex profecti Sacerdotes Ioannes Baptiſta Ribera, Petrus Bonauentura, P. Valentianus, Ferdinandus Alcarazius, Gabriel Oliuerius, & Alexander Valla ex Regio Lepidi, vndè cognomen ei Vallaregius poſtea adhæſit. Terni duabus vecti nauibus. Nauigatio obtigit maximè infeſta morbis. Patreſque omnes, poſt exercitam egregiè cum vectoribus caritatem, quorum vltra centenos in vtraque extincti naui, & vix quiſpiam vnus mali vim intactus effugit, morbo ipſi correpti exercuere patientiam. Alexandrum Vallam iam prope depoſitum

130 Res Indicæ.

Digitized by Google

ab sancta Confessione, & suprema Vnctione ita continuò febris reliquit, vt pro singulari Dei munere tam repentina mutatio habita sit. Ab Lainio Præposito, qui talibus viris fidendum crediderat, præferebant ex Vrbe literas, per quas fiebat potestas pro suo arbitratu siue ad Sinas, siue mallent ad Iaponios nauigandi, pro vt spes rei benè gerendæ maior alliceret. Quod, vbi venerunt in Indiam, eius Prouinciæ Moderatoribus periculosum visum est beneficium, verentibus, ne ea venia ad laxamentum obedientiæ in ceteris pertineret. Deinde in tanta regionum distantia, morumque diuersitate, & mortalium rerum, atque hominum incerto, ac mutabili statu succurrebat, quò quemque maximè expediret mitti, certiorem sibi ex re præsenti existimationem fore. Quare, & Generalem ipsi, ne post hæc huiusmodi parùm tuta edere exempla vellet, submissè rogarunt, & Borgia ijs Patribus, qui priuilegium ex Lainio ostendebant, auctor fuit, vt holocaustum sui ad gentium conuersionem vndecumque absolutum Deo immolantes, in Prouincialis Indiæ potestate essent. Ac nescio quomodo postea euenit, vt nouissimorum hominum flagrantissima caritas, vndè summa omnia expectabantur, aliorum alio exitu frustrà fuerit. Iam diu Antonius Quadrius Prouincialis Socios in Molucis, & Iaponia laborantes inuisere, solarique coram optarat. Huius rei gratia Malacam hoc anno discessit, procuratione Indiæ Melchiori Nunnio delegata, relicto domesticis, Goanisque omnibus maximo desiderio sui. Mirum enim quantùm consilio, ac virtute, collectaque indè auctoritate apud omnes, præcipuèque apud Archiepiscopum, & Proregem valebat. Interim Goæ, vicinisque circa locis accessio non pœnitenda Ecclesiæ facta est, capitum supra bis mille ducentorum. In Ciorano Insula Seminarium institutum est Sociorum duodecim, qui curam præcipuam inediscendam conferrent Canarinam linguam, satis comperto nihil magnoperè profici ad gentes, quarum linguam euangelista ignoret. Ad ceteras Sedes Collegio Goano subiectas vna addita ad S. Laurentij leuca fermè ab vrbe Goa. Sacerdos ibi Ioannes Diatius cum Benedicto Fernandio comite, conuertendis Ethnicorum reliquijs, confirmandisque Neophytis collocatus. Accessit & Templum, ac Sedes ad Marganum pagum in Salsettaria continenti. Templum Sancto Spiritui dedicatum, situ delecto multos inter Ethnicorum pagos, & Idolorum fana, vt velut arca Dei propè admota, Dagonem, & alia inferna monstra euerteret. Die Sabbato, cui in Albis est nomen, primùm celebri pompa nouo in templo diuina fieri cœpta. Hanc (secundum Raicolanam) Societas habuit in Salsettis primam Sedem. Bini in vtraque Socij tetrum cœpere illud dumetum excidere, periculosas inter ærumnas. Adeo fera Ethnicorum ingenia erant, præcipuèque Brachmanum. Petrus Alcaceua Sociorum vnus cùm in Ethnicorum pagum fortè Christianorum numerum initurus veniisset, subitò in eum coortis barbaris, ægrè fuga in proximum Christiani hominis tectum elapsus, vitam seruauit: at comitem, quem ducebat è gente catechumenum, adepti crudeliter occidere. Ceterùm carò id facinus sanguinarijs Dæmonibus, eorumque cultoribus stetit. Quæstione habita, compertaque noxa, Prorex cuncta pagi fana incendi iussit, addito edicto, ne restituere fas vllum vnquam in tempus esset. Ergo confestim fana septem igni corrupta, quot numero erant in pago, ipso met Alcaceua regios inter administros subijciente faces. Cum classe, quæ ab Goa mitti quotannis Mecanum in fretum solet, Petrus Ferdinandus Mercatus, Prorege postulante, qui virtutem viri in profectione ab Europa cognouerat, cum socio missus. Præter operam nauatam militibus, præsertim quos morbi oppresserant, cum ad omnes necessitates nauigia per cuncta transcenderet, multùm etiam nauales socios iuuit, compluribus eorum ad Christiana sacra conuersis. Copiosus Bazaini, & in sedibus ei Collegio subiunctis, Damanensi, Tanaënsi, & Sanctæ Trinitatis hoc anno fuit Neophytorum prouentus, mille ac sexcenti numero, quorum Bazaini septingenti solenniter abluti sunt. Peperit hanc vberem messem Brachmanorum quorumdam, qui multitudinem auctoritate sustentabant, baptismus. Longè clarissimus habebatur Brachmanes Porquioci nomine. Is peritia suæ sectæ, astrologiæ cognitione, ceteræque naturæ, ad hæc vmbra sanctimoniæ latè inclytus, tanquam oraculum ab Ethnicis responsa petentibus adibatur, opima con-

131 In Indiam ferendus animus ad munera omnia, & loca paratus.

132 Antonij Quadrij auctoritas.

133 Necessaria linguæ cognitio catechistis.

134 Salsettarum ad Goam operosa conuersio.

135 Bazaini, & circa copiosa Ethnicorum eò. uersio.

136 Nobilissimi Brachmanæ conuersio.

Digitized by Google

conferentibus dona. Demum veneratione eò venerat, vt perbeatos se ducerent, quibus licuisset lauare illi pedes, & eam dein, qua lauissent aquam exorbere. Hoc impiæ superstitionis euertendum rati propugnaculum Socij, tandiu diuinis, humanisque machinis concussere, vt nutare tandem inciperet. Iamq. nihil magis sustinebat, quàm malus pudor dictitantem, auctoritatis summæ magistro dedecori fore, si sponte, non vi defeciſſe videretur ab eo, quod tanto nomine docuisset. Hac oblata spe in custodiam datur, quòd contra iussa regia palàm ritus Ethnicos exerceret. Hic hominem diuina lux benignè respexit. Ita cælestem disciplinam Christi probauit, vt repentè idem & auditor, & doctor effectus sit. Adeuntibus enim ad se Brachmanis, & ceteræ multitudini, quæ multa admirabunda concurrebat, cognitura vera ne fama esset, quidque ea existimatione, ac celebritate virum ab suis opinionibus in ætate vltima abstuliſſet; magna vi orationis, magnoque animi sensu apertè profitebatur, nihil in Brachmanica superstitione solidum, nihil religione dignum ineſſe: vnicamque Christi Dei sapientiam veram sibi, salubremque compertam. Denique ingenti cum agmine, nobilique pompa competentibus ordine cum palmis, sertisque, inter tibias, fistulasque, & varios de gentis more concentus, ad Collegij templum prodeuntibus, vir grandæuus Christo renatus est, atque Henricus Acunia nuncupatus: idemque paulò post valetudinarius ad Collegium, vt potuit, egit se, aquam lustralem postulans, cùm diceret visam sibi per quietem Matronam nobilem cum sancta aqua, eiusque vsum plurimùm commendasse. Decebat hæc Christum Iesum victoria, vt iam consecratæ per nomen eius aquæ subijceretur, qui quam lotura pedum fœdasset, consecrare paulò ante putabatur. Prope Bazainum ad colonorum opportunitatem ædes Beatæ Virgini Adiutrici posita est, quam primam extra Vrbem illa in ora Deipara ædem habuit. Nec procul inde Crux ingens ingenti populi gratulatione constituta. Damanum cùm obsidione cinxisset hostis filius eius, qui Constantino olim Proregi dedidit, vehementerque premeret, Patres ante omnia apud Lusitanos milites institere, vt expiarent animos, & sceleribus abstinerent, quæ solent potentia, & formidanda Christianis arma Barbarorum efficere. Paruere necessitatis etiam impulsu milites. Atque ijs ad pœnitentiam, precesque conuersis, breui sua sponte disperſis hostibus, ille omnis sine damno, & labore Christianorum barbaricus terror euanuit. De inferiore Indæ tractu ad promontorium vsque commorinum nihil magnopere relatu nouum offertur. Tota in hac ora, Malacæque ad auream Chersonesum, & in Molucis res cedebant prosperè cum firmamento religionis, & incremento, cùm Amboinum calamitas miseranda oppressit. Multæ sunt Amboini paruæ insulæ nulli vni subiectæ domino, sed in potestate suorum quæque populorum: ex quibus pars iam, Sociorum laboribus, ad Christum venerant: impium alij Mahometum, vel superstitiones patrias sequebantur. Mahometani dudum Christianos oppugnabant Ternatini Regis instinctu, & occultis auxilijs, qui stipendiarius Lusitanorum cùm esset, omni spe conabatur Lusitanas opes infringere: eoque totus erat in Mahometismo propagando, & Christianæ religionis coërcendis auctibus, ratus quantùm ad Christum accederet, tantùm detrahi sibi virium, Lusitanorum fieri. Hanc ob causam Amboinios populos Mahometi asseclas conciebat aduersùs Christianos, multorumque iam annorum bella furtim alebat. Hoc autem anno duobus Lusitanorum Præfectis morte raptis Mahometani populi, quos ad id loci Præfectorum illorum continuerat metus, in occasionem intenti, ad exitium Christianæ religionis, & Lusitanorum vniuersi coniurant. Præcipuum Christianorum oppidum Attiuam obsident, quo Pater Emmanuel Lopius, & Lusitani fermè triginta sese receperant. Interuenere his mercatorum naues tres ex Molucis, quæ militum haud exiguam manum vehebant: à quibus obsessi, cùm auxilium peterent, expectare classem Ternate mox affuturam iussi. Sed mercatores, dum aliena tueri negligunt, amiserunt sua, malo edocti in salute publica contineri priuatam. Iam à Mauris acciti vnam ex Onerarijs eorum refertam mercibus capiunt. Qua iactura, metuque damni grauioris excitati, coactis aliquot Caracoris, capessiuere bellum: verùm segniter, nec ausi confligere, quod ausit hostibus animos: eoque premi cœpta acriùs

137 Damanum ob. sessorum pietas obsidione liberat.

138 Amboini Ecclesiæ vastatæ à Barbaris.

Digitized by Google

Attiua. Adfuit tandem Lusitania classis è Maluco: cumque ea Pater Marcus Prancudus hominum Societatis tota illa regione Rector, solaturus simul Neophytos, milites, simul incitaturus. Ad classis conspectum Christiani omnes, tanquam ad ortum lucis, respirarunt, sed irrita spe. Illa quoquè ad Iauos vbi profecta est certamine abstinendum putauit, causata Ternatini Regis, quæ Iaui haberent, nauigia esse: nec eo temporum articulo Ternatinum irritandum videri. Quod cùm ad Mauros consilium emanasset, tum demum formidine, curaque omni soluti, inque audaciam intolerandam elati, Christianos vastant pagos: Attiua potiuntur: sacras ædes incendunt: Cruces frangunt: ferro, & flamma grassantur: ferunt, aguntque omnia. Ad vltimum insulis in suam potestatem redactis, tota Amboini ditione Lusitanos eijciunt. Patefecit hæc clades insignem Neophytorum in fide constantiam, non bonorum modò rapina, sed ipsa nece perferenda. Sexcenti vno in pago, barbara planè crudelitate, contrucidati sunt, quintum decimum annum egressi. Hi sacram Crucem ab impiorum ludibrijs vt arcerent, atra veste, ad mœroris argumentum obuolutam in specu abstruserant. Quod vbi Mahometanis suboluit; interpretati hostiles retinere animos, qui Crucem tam diligenter asseruarent, simulque obiectantes Lusitanorum quendam ab eis receptum, & antequam dederent se, auxilium à Patribus petitum; tibiarum suras, & brachiorum toros secuere viuis; & ante miserorum oculos igne tosta deuorarunt. quod habent vltionis præstantissimum genus. Ergo rebus in Amboino ita perditis, demigrandum etiam Patribus fuit, qui summo animi dolore ad septuaginta Christianorum millia in luporum faucibus destitui lacrymantes, cum paucis pueris, quos tanquam ex naufragio furtim, raptimque collegerant, ad Malucensem fugerunt arcem: misso in Indiam Ludouico Goë, qui rerum statum Prouinciali Quadrio explicaret. Malacam iam venerat Quadrius per vltima illa Insularum diuortia, vti nuper exponebamus, segregatos in Euangelium Socios visum perrecturus. At vbi calamitatem Amboini cognouit, angore animi, quo dignum erat, intimè tactus, retro cursum in Indiam retorquendum existimauit, à Prorege liberandis tot Christianorum millibus vt opem exposceret, arcemque in Amboino condendam curaret, quæ aduersùs fraudolentos Ternatini Regis impetus Lusitanorum commercia, ac Neophytorum corpora tutaretur.

139 Prouincialis Quadrius in Indiam reuertit.

140 Sinica legatio.

Inter hæc Sinarum in Regnum aditus omni studio captabatur. Instituta ad eum Regem, Lusitani Regis nomine, legatio in eo erat, vt conciliatis, nouo Lusitanorum beneficio, ob sublatos prædones, Mandarinis, accipienda videretur. Facta est potestas Patri Francisco Petrio Cantoniam adeundi, & sua exponendi postulata. Vndecimo Kalendas Decembris die Præsentationi Virginis sacro conuenerunt præcipui ciuium Cantonienſium in ædes Puciancij (id Magistratus est nomen) de Lusitanorum, deque Patris Petrij postulatis cognituri. Ornatissimus erat, plenusque Maiestate Principum virorum consessus. Vbi Lusitani protulere, quæ negotiationum suarum causa habebant in mandatis, benignèque ab Sinis responsum est, amplius ea super re consultaturos; Pater Franciscus processit in medium: quem Mandarini singularem vultu, gestuque benignitatem significantes, propiùs ad se accitum, expromere quid vellet, iusserunt. Summam ille postulati porrexit comprehensam duobus libellis eodem exemplo. Sententia erat talis: Ego sum magister, literarum sciens, Orbem terrarum peragro legem Dei docens. Et quia noui peramplum, ac florentissimum esse Regnum Sinarum, permultosque in eo esse magistros, & sapientes; precor vt fiat mihi copia colloquendi cum ijs, & communicãdi, quæ doceo: simul vt aliquid mihi tecti, tum ob eam rem ad tempus, quod videatur Regi, præbeatur in continenti, tum quia ætas mea, & valetudo affecta ferre ærumnas nequit maris: & maximè, vt pro Sinarum Rege, Regno, eiusque Moderatoribus, acceptissima faciam Deo Optimo Maximo Sacrificia, quæ in mari facere moris non est. Hos libellos Mandarini vbi legêre, quærunt ex Patre, cuius tandem se disciplinæ profiteatur magistrum, quid porrò doceat. Quibus ille per interpretem respondit, se cælestis eiusdem, diuinæque disciplinæ magistrum esse, ac docere quemadmodum homines æterno tempore salui, beatique esse possint.

141 Postulatio Patris Petrij ex Sinis.

142 Christianæ religionis Maiestas.

Tum

Digitized by Google

Tum illi: Egregia enim verò professio. Sed quid istud est, vndè doces æternùm saluos, beatosque fieri mortales? Doceo, inquit, vnum Deum venerari cæli, terræque molitorem: fidem, ac pietatem inter se colere: ne corpori cuiusquam, ne rei per iniuriam manus afferant, ne thorum alienum violent, atque huius generis alia. Quibus Mandarini auditis, se inuicem admirabundi inspectantes, continuò vestem purpuream damasceno textu iubent afferri: eamque super humeros Patris explicatam inijci, tanquam meritum insigne præstantis magistri, hominisque diuini. Sed non vltra processum est. Non deerant è Consilio, quibus videretur permitti illi posse, vt in Regno maneret. Aitanus, qui semper alienissimum se præbuerat, non esse moris Sinarum respondit potestatem fieri peregrinis intra regni limites habitandi. Ad vltimum etiam negotium legationis totum reiectum est. Epistola Rex Sinensis cum Lusitano valdè officiosa, cur eam legationem minùs admitteret, sese purgauit. Vera causa ferebatur, quòd ab Lusitanis malè sibi timebant, nonnullorum annis superioribus importunitatem experti. Adeo priuata hominum peccata in publicæ rei perniciem vertunt. Pater Franciscus Macaum demum recessit, dolens quidem frustrà tamdiu laboratum, sed tamen magnopere sperans fore, quod & Mandarinorum quidam familiariter affirmarunt, vt si quis ita linguam posset Sinensem consequi, vt interpretis ope non indigeret; is tandem locum vndè irreperet, inueniret.

143 Iaponicæ res.

Pater Ludouicus Froës in Iaponia subsidio Villelæ Meacum missus, & Ludouicus Almeida ei comes additus, vt Meacensium rerum statu cognito, explorata coram omnia Cosmo Turriano referret, Sacaium initio anni venerunt: quos Sancius primarius vir, & christianus excepit singulari humanitate. Hic Almeidam cum Sacaianas cognoscendi res cura, tum morbus aliquandiu tenuit. Froës postero die iter persequutus, pridie Kalendas Februarias Meacum intrauit: cuius aduentus Gasparem Villelam, qui neminem Europæum toto fermè sexennio viderat, voluptate summa compleuit. Erat Villela frigorum vi vehementer afflicto, consumptoque corpusculo. Nondum annum quadragesimum ætatis egressum, properata ærumnis canities septuagenarium indicabat. Iaponicam linguam callebat optimè, non modò vt sua promentes delicta intelligere, riteque expiare, tum concionari commodè; sed etiam, quod accuratè faciebat, libellos scriptitare eleganter posset. Incidit Frois aduentus in Iaponici caput anni: quo tempore veteri more regni Proceres, ac Bonziorum Antistites ad suum quisque salutandum Regem accedunt haud sine donis. Quo circa ratus Villela ad muniendam Euangelio viam, & colligendam ad rudem populum existimationem pertinere, si per id tempus christianis quoquè sacerdotibus aditus ad Regem pateret; operam dedit, vt ipse vnà cum Ludouico introduceretur. Igitur Quonquenindonum Cubosam primùm, deinde eius vxorem, postremò etiam matrem inuisunt, exceptique sunt clementer ab omnibus, sed à matre humanissimè. Quæ non modò potionem iis misceri iussit à famulis; verùm etiam Zacanam (quod salsamenti genus est prælibari poculis solitum, tanquam conditæ in Europa oliuæ) paxillis gentis more comprehensam, sua ipsa manu honoris causa porrexit. His functi Patres officijs, ad promouenda Religionis cæpta coniunctis animis versi. Villelæ excurrendum Imorim fuit ad nobiles Neophytos è Mioxindoni familia confirmandos, & Sacramento pœnitentiæ expiandos. Eodem iam paulisper morbo leuatus Sacaio venit Almeida: sex enim haud amplius leucis Sacaio abest Imoris. Verùm cum rursùs è frigore penitus recepto in viscera torminibus angeretur intolerandis, ferendus ad curandum Meacum fuit: quo subinde, vt per sacros Quadragesimæ dies Meacensi Ecclesiæ nauaret operam, etiam Villela se retulit. Sanctioris hebdomadæ officia in primis curata diligenter: ad quæ vicinis ex oppidis inter assiduam pluuiam frequentes Neophyti conuenerunt. Almeida sepulcrum Domini ornatissimum concinnauit, quod primum Meaci summa cum voluptate, & admiratione spectatum est. In eo Feria quinta Corpus Domini reconditum, armatique custodes de more adhibiti. Tum Iaponij christiani, vt est gens excelsi animi, vexandoque corpori in primis dedita, vltrò se inuicem adhortati atras induunt

144 Meaci prima Sanctioris hebdomadæ solemnia.

duunt vestes, spinea capitibus serta imponunt, flagella dentatis exasperata rotulis arripiunt, & ad sepulcrum ordine progressi, ibi abiecti in genua, inter singultus, ac gemitus, & horrificum plagarum strepitum, vim magnam profundunt lacrymarum, & sanguinis. Ter id supplicij genus instauratum. Eodem die sub vesperam Officio, quod tenebrarum dicitur, persoluto, quod item primum videre Meacenses, puer indigena historiam sacrorum Christi cruciatuum è quatuor collectam Euangelistis pia, claraque voce horarum circiter duarum spatio enarrauit. Vbi ille siluit, Villela hinc, inde locos quosdam retractauit appositè ad sensum Christi dolorum, & pœnitentiam excitandam, motu sanè concionis maximo, nec minore Patrum ipsorum cum immenso quodam diuinæ suauitatis fructu cernentium in vltimis iam terræ finibus, tot inter Dæmonum monstra, Christi Domini glorioſissima probra, & triumphalem necem, si non paribus (quoniam id supra vires humanas est) at non nulla, studioſaque vicissitudine pietatis coli. Paschales deinceps feriæ nihilò minore Sanctæ lætitiæ copia, ac religione exactæ.

145 Christianorũ Iaponiorum feruor.

146 Almeidæ peregrinatio circa Meacum.

Hìc Almeida confirmatis viribus, ad visendos circa Meacum Christianos egressus Naram venit, Oppidum Daniodono subiectum. Nara Tocin perrexit leucarum quinque interuallo. Christiani aliquot Toci erant per suum Popularem religionem edocti, & baptismate consignati. Ergo eò lætiùs Almeidam excepere, quòd haud dum de Societate quenquam, cum omnes fama notos animo venerarentur, conspexerant. Triduo hìc exacto Sauam abijt sex à Toci discretam leucis. Toparcha christianus erat nomine Franciscus, vir inter suos corpore simul, & animo eminentissimus: qui vix anno ante christiana sacra complexus, quot quot nanciscebatur, ad eadem traducere, & vitæ suæ forma, & plenis pietate sermonibus, & Iaponicis sectis, quarum apprimè erat peritus, confutandis assiduè conabatur, successu planè secundo. Is Almeidæ non stratos modò equos, & sagittarios quindecim obuiam misit, sed etiam, quò lautiùs pro sua pietate exciperet hospitem, ipse met venatum exijt, vesperique adfuit ingenti cum apro. Paucis Sauæ diebus Almeida publicis, priuatisque sermonibus egregiè consolatus Neophytos, nouem præterea baptismum Catechumenis impertitus, omnibus valde mœrentibus Sacaium repetijt. Indè reditum ad Cosmum paranti comes accessit Sacaianus medicus, qui eximia eruditione, atque existimatione vir, probato Euangelio, curisque ad cœlum verè directis, nequaquam communis officij laude contentus, ad Societatem animum applicuerat. Hoc auctus comite circa Idus Maias naui conscensa in Bungum tertio decimo die secunda nauigatione peruenit. Interim se-

147 Meacensis Ecclesiæ turbatio.

cundum Meacensis Ecclesiæ cursum facinus atrox turbauit, ipsosque Christi præcones in extremum vitæ discrimen adduxit. Mioxindonus, & Daniodonus dominandi abrepti libidine aduersùs Quonquenindonium Cubosamam, ideſt summum Iaponiæ Imperatorem coniurant. Præerat rei bellicæ Cubosamæ loco Mioxindonus: fueratque nuper ab eo nouis quibusdam auctus honoribus. Igirur homo præposterus, ex beneficio gradum sibi ad maleficium faciens, per speciem gratias agendi, cum delectis duodecim fermè millium armatorum copijs Imori Meacum versùs incedit. Mouit suspicionem, vt debuit, Imperatori insolitus apparatus officij. At Mioxindonus rem tumultu quàm minimo transacturus, elicere ad conuiuium Cubosamam in suburbanum Bonziorum cœnobium studet. Quod vbi parùm procedit, ad vim manifestam accingitur. Libellum ad eundem mittit, in quem intimos familiares, ipsamque coniugem eius retulerat. Horum se impotentiam diutius negat ferre posse: ijs de medio sublatis cum pace abiturum. Ad tam indigna postulata acti in desperationem quidam aulicorum, præcepto iam animis exitu talium exordiorum, necem sibi vltrò consciscunt. Nec diutius dissimulauit proditor. Signum dat satellitibus suis, momentoque temporis Regia multis locis incenditur: & vbi deest flamma, perduelles armati complent. Quonquenindonus eò loci deprehensus, mèdios per ignes ad arma præsenti animo prosilit, acerrimèque dimicans, ventrem hastili, caput sagitta confixus, duobus præterea vulneribus acceptis in facie, concidit. Nec tamen ita confectus est: sed mox ipse sibi, vsitata gentis impia constantia, ventrem secuit. Vir, vt inter Ethnicos, neu-

148 Cubosama mactatur.

tiquam

tiquam malus, qui viginti annos imperium moderatè, bonisque artibus rexerat, & Patribus nostris habitandi ius Meaci concesserat, & Euangelij impunè promulgandi fecerat potestatem. In aulicos indè, fratremque eius Quincacusim Bonzium, & matrem acerbissimè desœuitum: regia gaza direpta: cuncta ferro, flammaque permixta. Hoc in tumultu, Ciuitate ad monstrum adeo fœdum pauore perculsa, Neophytorum copiolæ ad Patres confugiunt. Patres ad Deum, ac Cælites omnes se se, & illos vertunt: pacique diuinæ, & opi exposcendæ intenti expectabant in singula momenta supremum casum. Non enim neque Bonziorum in se ignorabant odia, neque quantùm hi apud Daniodonum, hominem crudelem, & Euangelij acerbissimum hostem gratia, & auctoritate pollerent. Præterea ipsorum met Meacensium perditissimum quemque sciebant in illam tum domus, tum Ecclesiæ modicam quidem, sed ijs locis non contemnendam supellectilem oculos adiecisse. Et sanè in tanta impunitate, atque armorum licentia, & prædatorum quarita insigne fuit prouidentiæ diuinæ documentum, homines externos, tamquam multis inuisos, vitam remque obtinuisse: quamquam Imorenses christiani è Mioxindoni familia magno animo aliquot dies armati Ecclesiam tutati sunt. At Daniodonus vbi cœpit pro libidine dominari, primùm vetuit quempiam cum Tenchicusinis (sic homines nostros appellant) disputare, aut conferre sermonem. Deinde etiam iussit eos occidi. Quo dissito rumore christiana fœmina, quæ decumbebat, vt vnà occideretur, ferri se ad Ecclesiam iussit. Alij communi precatu institere, vt Patres maturo secessu vitæ suæ tantisper, ad multorum salutem, parcerent. Idque consilium eò necessarium visum, quòd benè quidem cum ipsis ageretur, qui fortium virorum gloria dignarentur, si fortè in odium fidei enecari contingeret: sed tamen illa pariter Meacensis Ecclesiæ scintilla extingueretur. Quamobrem Sacro Ecclesiæ instrumento Sacaium misso, prior Villela Imorim, deinetiam Froës in vicinam Imori modicam insulam, Sangam nomine, fugiunt, vndè Sacaium tandem ambo concessere, in ipso illo summo discrimine Bonzio vno, & laicis duobus de Mioxindoni familia ex Dæmonum præda ereptis. Sub medium Augustum Meaco Froës discesit, dieque postero, eius, & Villelæ exilium promulgatum in vrbe est. Neophyti vbi altare dissectum, spoliatam Aedem sacram, orbos se relictos viderunt, nimirum dolore animi grauissimo hausto, vnicum in lacrymis, & lamentis solatium habuerunt. Non tamen generosis pectoribus quicquam aut constantia vacillauit, aut feruor intepuit. Condixere sibi certam domum, in quam statis conuenirent diebus. Ibi pius, prudensque vir olim Bonzius christiana rudimenta, & præcepta, & Ecclesiasticos rite fastos fideli cœtui sedulò explicabat, & desiderium leuabat Patrum. Verùm in Sacaianæ profectum Ecclesiæ procella hæc erat. Nouella enim illa vinea, quæ adhuc rudis iacuerat, non modò exculta diuino verbo, sed etiam duos nacta Sacerdotes sacrosanctis rigata est, & fœcundata mysterijs. In reliquis Iaponiæ Ecclesijs haud pacatiùs multò anni tempus exactum. Regulus Firandensis anno superiori lucri spe reconciliatus, vt erat amicitiæ causa, & nexus anceps, ita fidem semper infidè coluit. Quatuor Christianos, qui literas à Bartholomæo Omurano Regulo ad Antonium Dynastam Firandum tulerant, in frusta concidi iussit, quòd eas ab hoste suo, tanquam proditionis internuntij pertulissent. Ad hæc vehebatur ex portu Fucunda Socijs Firandensibus in Christianorum parone aliquantulum commeatus, atque etiam Assumptæ in Cælum Virginis Imago in sacra Aede locanda. In hunc paronem regij satellites cum aliquot inuecti nauigijs, & vectoribus gladios (quæ summa est ignominia apud Iaponios) per vim eripuere, & quicquid erat rerum, prædati sunt. In sacram Deiparæ effigiem Catondonus pietatis hostis infestissimus, manus iniecit. Cum sua illam in aula fixisset, super alias contumelias oculos Virgini per summam impietatem atramento confudit. Post hæc quò petulantiùs insultaret, homine christiano accersito, ei tabulam impiè turpificatam ostendit. Christianus ad rei conspectum graui dolore confossus, verùm se ipse coërcens, ne ferum vehementius efferaret, id modò præfatus: grande in te piaculum admisisti, ignarus imago ista cuius sit: statim in genua procidit, sacramque effigiem adorans, pacem ab

149 Patrum in tumultu periculum.

150 Dei tutela liberantur.

151 Meaco excedunt.

152 Vexationes Ecclesiæ Firandensis.

Deipa-

Deipara supplex exposcit. Nec multò post rei fama ad Antonium, atque Ioannem perlata, nisi Pater Balthasar Acosta obstitisset, certum erat fortibus, ac pijs fratribus, vel vita effundenda, tantam contumeliam vindicare. Sed Acosta quanquam venire in contemptum christianas res summè dolebat, tamen morum innocentiam, non dum firmis præsertim Christianorum viribus, potiùs quàm ferro tuendam religionis auctoritatem intelligebat, ne maiorum semina motuum iacerentur. Ceterum Christianos quis ita cohiberet omnes, quin aliquis impar iræ aliquò interdum erumperet bellatrice in gente, & quam, quæ maximè, auida præstantiæ, & dignitatis? Itaque idem sub tempus Antonij popularis à Catondoni populari ereptum sibi ensem non ferens, nactus opportunitatem, contumeliam eidem, par pari referens, item ablato ferro, reposuit. Quam rem Catondonus ad ignominiam suam interpretatus, coniuratione cum Proceribus Idololatris facta, silentio ex pagis homines accersit, ex improuiso facturus impetum in Ecclesiam, postque eam euersam contra Antonium porrò iturus. Procedebant insidiæ, nisi per ethnicum indicem res ad Christianum ei propinquum, perque hunc ad Antonium, & Ioannem permanasset. Hi celeriter fidam suorum manum ad Ecclesiam tutandam mittunt. Nocte intempesta inuasuri dicebantur hostes. Patres prostrati ante Dominum suas in holocaustum animas offerentes perseuerabant, vt, quandocumque accederet, paratas mactator victimas inueniret. Non latuit Catondonum, nec Regem apparatus Christianorum, quàmque obstinassent animis ab Domo Dei vel iniuriam arcere, vel mori. Itaque nihil ausi mouere, ne sua quoquè in casum darent, militem, vndè acciuerant, rem ferunt in pagos. Hoc sedato terrore, nuntiatur Crucem, quæ in cœmeterio vrbano collocata fuerat, non apparere: quæ res Patribus cum graui solicitudine acerbum incussit dolorem, reputantibus nequaquam cuiusquam Ethnicorum priuatim facinus esse, Crucem auellere; sed aut Reguli, aut Catondoni. Sed & hic impiorum audaciam Antonij pietas, visque deterruit. Crux extemplò restituta eodem loco conspecta est. Nec dum finis turbarum. Tantæ molis, tanti negotij est, fuitque semper, & erit cælestem Rempublicam inter Dæmonum, ac vitiorum regna fundare. Reguli filius natu maximus in Christianum, è vulgo fortè ad fluuium pannos lauantem, cùm incidisset, siue per insolentiam, ferociamque ætatis, siue religionis odio, stipatores in eum suos immisit: qui innocentem Christi famulum malè alapis, pugnisque vbi multarunt, iniquissimæ iniuriæ infandum sacrilegium accumulant. Effigiem Christi Seruatoris è vili illam quidem stanno, sed religione sacrosanctam, quam pius Neophytus suspensam è collo gestabat, vi abstractam tandiu contudere saxis, quoad figuram penitus abolerent. Indignum enim verò visum id facinus Christianis vniuersis, haud iniuriâ suspicantibus minimè inuito parente (quanquam ille pernegabat) ausum rem tantam filium: sed Christi patientia, quanquam mortalium scelera clementer in pœnitentiam sæpè dissimulat; noluit tamen dirum nefas vindicandum omnino reseruari alteri vitæ. Sub id tempus oneraria

153 Lusitanorum cum Firandensibus prælium.

Lusitanorum, nauarcho Ioanne Pereria, ad Iaponiam appropinquauit, qui ea re cognita, & cunctante Regulo Firandensi satisfacere, Fucundam in ditione Bartholomæi Christiani Principis applicuit, magno & gaudio, & emolumento Christianorum, in primisque Bartholomæi. At Firandensis nec ignominiæ, vt rebatur, nec damni patiens, vbi iam discessuri in altum secesserant Lusitani, coactis raptim plus quinquaginta nauigijs, ac diligenter armatis, opprimere eos nil tale suspicantes statuit. Subodorati rem Patres iterum, iterumque Lusitanos præmonuere: verùm nequaquam habita videbatur fides: adeo agitabant securi. Christianos Firandenses cura, & solicitudo ingens incessit, ne quid tam amicæ, de seque meritæ nationi ex improuiso eueniret. Nec modò inuentus est nemo, qui contra eos duci se pateretur, sed etiam quandiu belli exitum ignorarunt, nunquam intermisere supplicibus votis diuinum fauorem exposcere. Auditæ sunt iustæ preces: pernicieque ab innoxijs in impios vertit. Lusitani acriter in pugnam coorti, Firandensium ad sexaginta interfectis, circiter ducentis vulneratis, totam dissipant classem. Itaque Firandum, qui gloriam, prædamque putabant se relaturos, nil

nisi

nisi lacera nauigia saucios homines, cladem denique, & ignominiam reuexerunt. Cæsorum in numero magni quidam fuere nominis, propugnaculum superstitionis, & capitales Religionis Christianæ hostes. Hos inter tumultus haud modica tamen regno Christi, cui solenne est per iniuriam crescere, facta accessio est, duos in pagos fœminæ Principi subiectos propagata fide. Hæc, filia vnica, quam Ioannes Antonij frater in matrimonio habebat, ex morbo periclitante, nullum sacrificij, nullum peregrinationis, largitionisque genus omisit, quo Deorum suorum, quibus apprimè obnoxia erat, speraret gratiam posse conciliari. Verum, vt Dij gentium aures habent, & non audiunt, ægra è vita decessit. Eo casu afflicta mater quicquid obseruantiæ in Camos, ac Fotoquios ad id loci contulerat, in odium commutauit, assiduè clamitans, si qua vis Iaponicis inesset Dijs, haud dubiè tot suis officijs, meritisque commotos, à filia sua propulsaturos mortem fuisse. Quem aditum bonus gener Ioannes nactus, christianam ei religionem offerre, ac prædicare non destitit. Illa nouum cultum, quando pigebat veteris, ita non aspernari visa est, vt continuò superstitem ex filia neptem termè quadrimulam, cum vniuersa domo sua baptismo obtulerit. Ipso ineunte anno lustricum solenne celebratum. Indè Pater Balthasar Acosta cum Ioanne Fernandio in duos, quos dixi, pagos eidem matronæ subiectos egressi, paucis diebus quingentos quinquaginta sacro fonte donarunt, vnà cum duobus Bonzijs, qui ante, suo quisque in pago præerant Idolorum fanis: & fana ipsa ex Dæmonum stabulis in domicilia Dei conuersa. Bonzius, qui Nexico (id alteri pagorum est nomen) præerat, Thomas vocatus est. In Antonij insulis, alijsque locis iam superioribus annis ad religionem traductis floruit de more pietas. Tacuximam delegere Patres, quòd nullus in ea supererat prophanorum, maioris hebdomadæ solennibus peragendis, quò tutius ibi Corpus Domini conderetur. Conuenere, Antonius, & Ioannes germani, alijque præcipui ex nobilitate christiana, qui & voluntaria sui verberatione, & religionis cetero omni cultu popularium nemini cesserunt. Ibidem Misericordiæ constituta Sodalitas: quo die Sanctissimo Christi Corpori anniuersaria veneratio fuit, magistratus creati. Sodalium munus decretum ægros inuisere inopes: collecta in eum vsum stipe iuuare: præcipuam curam egentissimi cuiusque gerere. Ad hæc adhortari ad purè, integrèque viuendum quoscumque fidelium nossent graui noxa contactos, vel patrem admonere, vt ijs opem ferre ipse conetur. Præterea adesse morientibus, & curare mortuis, quæ necessaria ad christianam sepulturam essent. In Regno Burgensi, itemque Arimanis, Omuranisque terris quietiores fuere res. Ludouicus Almeida è Meaco reuersus, Bartholomæum ab eo accitus inuisit, qui prope b enn o neminem de Societate viderat. Quippe cauebant Patres, ne suo congressu inuidiam illi ad populares religionis tædio alieniores augerent. At pium Principem illa vrebat solicitudo, ne quibusdam suorum familiarium assiduæ belli terrestris occupationes diuinæ militiæ rudimenta obliterarent. Ea re accersendum putauit Almeidam; eiusque aduentu mirè lætatus est. Duxerat comitem Iaponium Almeida, cui Princeps à cæna sententiam ad dicendum, quam statui suorum, ingeniisque aptissimam ratus erat, proposuit: idemque vbi primùm dicendi factum initium est, cùm familiariter ante inter Almeidam, & Iaponium fratrem consedisset, in inferiorem locum descendit: ac demissè in famulorum turbam sese recepit, ostensurus exemplo quantus honor Euangelio, quantus Euangelij præconibus debeatur. Vbi Bartholomæo, eiusque familiæ satis est factum; Almeida ad Cosmum regrediens, ac Ximabara transiens, locum idoneum condendis Christianorum corporibus, nouoque templo extruendo ab Ximabarano Tono impetrauit. Magnum Ximabaræ Ecclesia damnum fecit, amisso Leone ipsius Toni propinquo. Hunc quòd ære suo templum additis hortis extruxerat, & christianam religionem non modò contra ceteros Deorũ assecias, sed etiam contra ipsum Tonum, vbi opus foret, egregiè tuebatur; suspicio fuit Bonziorum scelere veneno sublatum: quem Neophyti & mutuam inter se caritatem Ethnicorum subijciendam oculis, & ad grati animi memoriam aduersùs tam benè de se meritum virum, ad sepulcrum magnificentia, quanta potuere maxima, extulere. Feretrum cum sacris carminibus, ac precibus, magnoque cereorum ardentium numero septin-

154 Ad Christum duo pagi conuersi.

155 Misericordiæ Sodalitas constituta inter Tacuximanos.

156 Bartholomæi Reguli pietas.

157 Leonis Ximabarani pietas.

Digitized by Google

ptingenti fermè Neophyti sequebantur. Arca conditus est circumsuta serico. Postridie lapideum additum monumentum, & lignei circumquaque cancelli, crucibus duabus, altera ad ostium septi, altera ad monumenti caput imposita, eo cultu operis, vt visendi causa locus vulgò celebraretur.

158 Brasiliæ res.

In Brasilia mitescentibus paulatim per Christi mansuetudinem populis, vnà cum Religione Societas quoque capiebat (etsi non sine magnis ærumnis) incrementa non parua. In vrbis S. Saluatoris Collegio de virtutum, vitiorumque momentis tractari cœptæ quæstiones, & addita latinarum literarum noua classis. Hic Ludouicus Grana Prouincialis simultates inter Lusitanorum primores, quæ iam in factiones partiũ erumpebant, magno publico bono sustulit. In vicinis circa pagis vehementer Christianos indigenas excitauit promulgatum è Pontificia indulgentia Iobelœum, & sanctioris hebdomadæ, aliorumque clariorum dierum celebrata solennia apparatu decoro. Quæ res Ethnicorum quoque multos ad fidem allexit, & desertis ante pagis frequentia reddi cœpta. In Oppido S. Spiritus Iacobus Iacobæus pius, impigerque Sacerdos post exantlatas in cultura Ecclesiæ sibi commissæ ærumnas maximas, ad gaudia æterna decessit. Pago viri Brasilos inter primarij (Gatum vocabant) propter oppidum Sancti Spiritus erudiendo præfectus, cùm cœpisset sæuire in populo contagiosarum pustularum fœda lues; Iacobus suam in medium operam, caritatemque exponens, viritim singulos adiens, tum absoluendis initiatorum, quæ confiterentur delictis, tum præparandis ad sacrum lauacrum profanis, tum promiscuè corporum quoquè necessitatibus seruiens, commune omnium perfugium erat. Quippe nationem, & ingenio parùm humanam, & longa Diaboli seruitute supramodum efferatam, nulla erat tanta necessitudo, quæ officiorum inter se vicissitudine sociaret. Sed cùm semper suos quisque seu morbo, seu quauis calamitate conflictatos belluarum ritu destituerent, hoc in morbo (vt erat propter intolerandum odorem, & putidæ carnis fœditatem horrendus) multò magis vel proximi inter se, liberique parentes, hi liberos patiebantur omni spoliatos ope miserrimè animam exhalare. Itaque strati passim casas implerant ægri, nulla tuguris nisi deformis Nosocomij restabat facies. Alij super alios absumi, putrescere. Tum verò Iacobi caritas vsque eò vberem nacta messem omnes aduocare vires, vndique se se totam effundere, idem medici, idem famuli, idem Sacerdotis munere fungi: dies, noctesque præstò omnibus esse. Accedebat ad curas, quas suscipiebat viuorum causa, procurandorum mortuorum haud leue negotium. Terni, quaterniue quotidie humo infodiendi erant. Nec facilè inuenisses, qui ad sepulcrum eruendum conferre manum vellet: nec, si quem pelliceres, cœpto ab opere licebat abesse, ne fortè cadauere semisepulto in fugam se daret. Tanta leuitas bipedum illorum, & immanitas erat. Iam desæuierat pestilentiæ atrocitas, cùm oritur ex labore labor: subit populum vniuersum libido nouas quærendi sedes, tum præ insita mobilitate, tum memoria recentis mali, exosum priores. Qua in re haud facilè concipiat animus, quid Iacobo fuerit exsudandum laboris, quid molestiæ exorbendum. Ipsum necesse erat, ne dilaberentur, vagamque ad vitam rediren̄t, adesse singulis, & instare, vt caperent locum tecto, vt casulam concinnarent, vt vrgerent cœpta, nec interrupta desererent opera: ad hæc vt sacram ædem struendam curaret: omnia denique assiduus, affixusque singillatim præscriberet, tanquam non ætatis robustæ corpora, sed leuissimos pueros, aut stolidas pecudes regeret. Quæ omnia necesse erat subire, ne animarum Christi emptarum sanguine iactum fieret. Nec videri grauia poterant cum illis Domini amantissimi ærumnis tantis, tamque acerbis collata tormentis. Quin potius, cuius cordi scintilla veræ caritatis insedit: qui amori erga se amantis Iesu vicem cupit nonnullam rependere, talibus in negotijs delicias suas, opesque, & honestamenta reposita habet. P. Iacobus his in laboribus, vt fidelem, ac strenuum adiutorem habuit Petrum Consaluium; ita illum ex fatigatione contracto morbo prægressum ad cæli gaudia, subsequutus est: vt, quemadmodum Socij in tristitia sementis fuerant; ita essent in messis hilaritate consortes.

159 P. Iacobi Iacobæi patientissima caritas.

HISTO-

Digitized by Google

HISTORIAE SOCIETATIS IESV

LIBER SECVNDVS.

SED nouus iam annus, nouus Pontifex, cumque eo noua rerum materia ſtylum in Europam vocat. Pius Quartus quinto Idus Decembris, quo fine Vicarium Chriſti decebat, naturæ conceſſit. Narrauit Polanco Marcus Antonius Columna, qui rei præſens interfuit, cùm Ioannes Moronus Cardinalis quædam ei ſtatuenda ſuggereret, eaque Pontifex differret in craſtinum, Cardinalem apertè denunciaſſe, medicorum ſententia ei non vltra quartam vitæ horam ſupereſſe: ad eamque vocem nihil conterritum Pium id modò dixiſſe: fiat voluntas Domini. Supremam dein vnctionem adhibente Borromæo Cardinali, ita præſenti ſuſcepit animo; vt Ritualem ante ſe librum ſtatui iuberet, recturus ipſemet Cardinalem, ne quid fortè ſolennium ad Summos Pontifices id loci ceremoniarum omitteret. Nec multò poſt, cùm ad excipiendam Crucem, quam idem Borromæus porrigebat, ſtudio ſe, conatuque ingenti commouiſſet, ac pignus illud vitale arctè ſtrinxiſſet, in eius complexu ſpiritum ſupremum emiſit. Multis per omnem Societatem (vt æquum erat pro Summo, atque optimè merito Antiſtite) precibus, & ſacrificijs ſupplicatum. Noui creatio Pontificis eò Diuinæ curæ impenſiùs commendata, quòd externa rerum facies minabatur Comitia nec quieta, nec ita breuia fore. Verùm, vti ſemper, ita tum maximè in Comitijs illis Dei præſentia, & Numen apparuit. Non omnium ſolùm opinione celeriùs, ſed is, quem prope nemo ſperaſſet, octauo Idus Ianuarias Anni, quem exordimur, creatus eſt Summus Pontifex Michaël Giſlerius, cui vulgò Cardinalis Alexandrinus, ex vrbe Inſubrum Alexandria Oppido Boſco patriæ eius proxima nomen erat, nobile germen Prædicatoriæ ſtirpis, vir in omnes partes optimus, & eo dignus faſtigio. Is ille eſt ſanctimonia, ac rebus geſtis clarus Pontifex Pius Quintus. Animaduerterunt Socij Romani, quod & comperi (vtcunque euenerit) non ſemel poſtea contigiſſe (nihil enim præcipui nobis adſcribimus) cùm primùm circumactus eſt orbis poenarum, ac precum ad eam rem domi inſtitutarum, quæ per cunctos vicisſim ibant domeſticos, Pontificem ſtatim creatum eſſe, qui ea continuò edidit ſummæ erga Societatem benignitatis documenta, vt dicerent Patres ſecundum Marcellum, quem terris Deus tantùm oſtendit neminem fuiſſe ſtudio erga eam maiore. Pignus illuſtre fuit, non tam re, quàm nouitate memorandum, quòd inter ſolennem pompam, qua noui Pontifices ad Lateranenſem Baſilicam perueniuntur, cùm inter ſpectantes pro foribus domus Profeſſorum Præpoſitum Borgiam vidiſſet; ad lecticam accitum, arctò primùm complexu aliquandiu, tum longo ſermone ad dimidiatum horæ quadrantem tenuit, toto interim conſiſtente, & expectante agmine, nec ſine varia Procerum, circumſuſæque multitudinis admurmuratione. Dum verò idem Præpoſitus Borgia de more ei Societatem tradit, & dicat, memoratque quarto eam ſolenni voto in quaslibet religionis cauſa peregrinationes Sedi Apoſtolicæ obligatam: atque totam, ſeque in primis adeſſe paratum, quocunque eius Sanctitas nutu deſignaret, ſiue ad Hæreticos, ſiue ad Turcas, ſiue ad Ethnicos, aliaſque cuiuſuis modi à fide alienas, ac barbaras gentes capeſſere extemplò viam; vt verè, atque ex animo Franciſcus loquebatur, eratque Sanctiſſimus Pater integer, ac rectus; ad eam pietatem illacrymauit. Itaque per amanter interpellat, idque, quod egregiè præſtitit, profitetur, plurimùm ſe, & conſilio, & auxilio Societatis vſurum. Nec mora: eodem tempore, cum Maximilianus Imperator, imminente Turca Pannoniæ, conuentum Auguſtæ Vindelicorum de ratione belli gerendi edixiſſet, deque Religionis rebus ſimul agitandum

1 Pontificis Pij Quarti obitus.

2 Pontifex creatur Pius Quintus.

3 Benignum ſe Borgiæ, ac Societati præbet.

4 Multùmque Societate vtitur.

Digitized by Google

in eo conuentu rumor ferret, quod tanto curam incutiebat bonis maiorem, quanto Cæsaris animum idem rumor incertiorem terebat; iubet Pontifex edi sibi nomina eorum, qui cum ad alias, tum ad hanc nominatim expeditionem idonei forent. Tum quicquid beneficiorum, atque immunitatum vel ante eum Pontifices, vel ipse met modò Summus Inquisitor Societati concessisset, ratum voluit esse, confirmauitque, iusso Cardinali Amulio, qui præsens aderat, viuæ vocis oraculum rite testificari. Nec multis post diebus ex triginta fermè, qui nominati fuerant affatim instructi, paratique ad pergendum, quòcunque Pontifici videretur, ad Augustanum conuentum Hieronymum Natalem, & Iacobum Ledesmam selegit; atque Petrum Canisium post finem Comitiorum, quibus ipsequoque erat interfuturus, iubet demandatam à Pio Quarto legationem persequi. Ad hæc, quod cum Pio Quarto tractatum fuerat, Andream Ouiedum Aethiopiæ Patriarcham, & Melchiorem Camerium Nicænum Episcopum, missis ad vtrunque diplomatibus (quando Aethiopica expeditio, cuius gratia consecrati erant, vota fefellerat) transferre se ad Iapones, ac Sinas iussit, ne latiùs per Societatem honores spargi oporteret. His anni principio gestis, post hæc Vincentio Laureo, quem in Montis Regalis Episcopatu successorem sibi crearat, cum Apostolicum Nuntium in Scotiam mitteret, Edmundum Haium Scotum Parisiensis Collegij Rectorem, & Thomam Darbishirum Anglum, qui Dilingæ versabatur, adiunxit comites. Cum Thoma Orsino Strongulanorum Episcopo, quem ad visendas Regni Neapolitani Ecclesias mittebat, Christophorum Rodericium ire iussit. Catechismum ad Parochos ex Concilij Tridentini sententia, & commendatione conditum varijs linguis éditurus, Gallicè vertendum, Germanicèque, & Polonicè Societati dedit. Qui ex Oriente ad ipsum Pontificem venirent eorum interpretandas literas, ipsosque tractandos Patribus nostris attribuit; ijsdem commendatos voluit Heluetios Pontificiæ custodiæ. Eiusdem iussu consultationibus de corrigenda Sacerdotiorum assignatione (Datariam vocant) Ioannes Polancus interfuit. Coactis in regionem vnam meretriculis, vetitisque alia, præter duo, adire templa, iussisque ad statas conciones conuenire; concionatores in ijs templis de Societate appositi: quorum vocibus haud paucæ ab infami cœno abstractæ. Denique Catechumenorum quoquè domus suscipi procurationem voluit. Præcipuus auctor huius imponendi muneris neophytus nobilissimus Michaël Gisserius fuit; qui Elias olim Carcossius nomine, cùm inter Hebræos Italiæ re, dignitateque, ac paternarum scientia superstitionum facilè princeps, & Synagogæ quoquè, tum Romæ præpositus esset, nec vir extra perfidiam malus, ipsiusmet hortatu Pontificis, à quo Cardinali familiariter dilectus erat, conuersus, & ab eodem supremo die Pentecostes magna cum ceremonia, vnà cum tribus liberis, ac nepote baptizatus: denique & in Michaëlis nomen, & Gisleriam gentem adscitus, magno statim ardere studio cœpit inuentum ab se thesaurum cum Hebræis fratribus communicandi. Nec studium nequicquam fuit. Coniuncta cum Patre Ioanne Baptista Eliano, à quo ipse quoquè institutus fuerat, industria, breui tam multos Christianæ legis amore incenderunt; vt iam & domicilium amplius Catechumenis capiendis, & diligentior cura edocendis, regendisque requireretur. Quibus rebus de Michaële suo cognitis, Beatissimus Pater lætitia exultans, & ædes laxiores coëmit, & totam contubernij administrationem ad Societatem detulit: quanquam nummariæ procurationis molestias deprecante Borgia, satis habuit catechesim, & disciplinæ domesticæ rectionem assumi, & hanc etiam per extraneos procurari. Ineunte Iulio suscepta procuratio est. Nec diu bono Michaëli dilata merces. Qui cùm in solida virtute plurimùm breui interuallo profeciisset, ac nominatim per Diuinissimum Eucharistiæ Sacramentum ita roboraretur, & inardesceret, vt, nisi matrimonij tenerent vincula, confestim ab seculo in religiosa claustra se abderet, decretum haberet; à Deo in tutiora, & sanctiora cœli claustra quàm optimo fine translatus est. Tot inter summæ documenta beneuolentiæ Sanctus Pontifex, cùm vbique etiam paternè omnem protegeret, ornaretque familiam, & Romanum Collegium quinquagenis in singulos menses aureis subleuaret, & annuis

5 Confirmat eius priuilegia.

6 Missiones ex ea instituit.

7 Catechumenorum procurationem Societati tradit.

funda-

Digitized by Google

fundaturum vectigalibus recepisset; sub autumnum terrorem ingentem, neque eum vanum iniecit, ne quid in ipsa Societatis regula, & constitutione noui moliretur. Interim naui coloni fruges tantò educabant vberiores; quantò summus agricola eorum benigniùs operam exercebat. Et quanquam opus pro sua quisque virili faciebat; omnium tamen felicissimè proueniebant Eliano labores: qui non modò complures Hebræos; sed & fœminas duas Saracenas domi suæ nobiles iam dudum captiuas ad Christum tandem hoc anno conuertit. Iam multa de alijs quoquè priuatim, ac publicè commoditatibus partis memorari possent: sed vnam, quæ ad seruatam prope Vrbem pertinuit, satis fuerit explicuisse. Extremam sub æstatem in ea regione, quæ ab Columna Antonini ad Portam Flaminiam (Populi vocant) pertinet, pestilentiæ instar coorta est lues, vitio, vt creditum est, aquæ in lacunis adiacentium hortorum corruptæ, quæ & aërem, & sensim permanans puteorum aquas infecerit. Paroecia Sancti Andreæ cognomento à Phrachthis, proxima ijs hortis calamitatem prima sensit. Ac principiò Pauli Bubali domus, viri in ea vicinia nobilitate, & pietate præstantis, inopi turbæ, quæ potissimùm sternebatur, perfugium fuit. Is, increscente malo, Cardinalem Amulium Paroeciæ eiusdem patronum admonet. Cardinalis, atque ipsemet Paulus, quòd Parochus suppeditandis occidentium multitudini Sacramentis haud sufficeret, à Borgia auxilium petunt. Hæc fuit prima Sodalibus ei calamitati succurrendi occasio. Continuò igitur Franciscus expertorum par Sacerdotum, qui rem totam cognoscant, designat. Hi, dum ostiatim, vnà cum familiari Cardinalis Amulij, domos inuisunt, reperiunt miserabiliorem opinione rerum faciem: totas alicubi familias, in summa omnium rerum inopia, stratas humi agentes animam: adeo, vt cùm fores interdum pulsantibus nemo aperiret, nemo responsum daret, & videretur solitudo inesse; tamen introgressi hic virum, ibi vxorem, alibi filios miserandum in modum humi tota domo abiectos viderent. Hæc Pater Generalis vbi cognouit, non auxilio animis duntaxat, sed corporibus etiam curandis opus esse intelligens; cœpit è Romano Collegio, simulque Germanico cibos ex ægrorum vsu præparatos, ad eos, qui maximè laborabant, submittere. Verùm maior erat mali moles, quàm vt posset priuata tenuitate sustineri. Admonetur Pontifex, qui pro paterna sua caritate vehementer casu indoluit. Admonentur item, incitanturque ad opem ferendam Vrbis Conseruatores. Pontifex Cardinalem Ioannem Franciscum Gambaram designat, qui toti negotio præsit. Conseruatores duodecim nominant viros, ad quos quicquid opus sit referatur. Præterea pecuniam in ægros distribuendam, medicos, & pharmaca Pontifex attribuit: Populus Romanus panem, vinum, carnes: ad hæc Cardinalium quidam, ac priuatorum Ciuium non pauca contulere. Rei totius administratio Societati ab ipso Pontifice demandatur. Tum Pater Generalis alios assignat, qui corporibus, alios, qui animis ægrorum nauarent operam. Instituitur commune diuersorium, in quod egentissimi quique, quibus omnino domi nihil esset, separatim viri, fœminæque inuehrentur. Cetera multitudo, præterquamquod singulis in domibus constitutæ sunt pretio conductæ probatæ mulieres, quæ assiduæ essent, in quindecim vicos distributa est. Singulis vicis duo de Societate præpositi: his duodeni attributi extranei adiutores: Socij cum medicis bis quotidiè singulas obibant domos: cumque scripto excepissent, quod vel ad medicamenta, vel ad cibos præscribebatur, id omne cum studio, fideque elaborandum curabant: dein deferebant ad ægros in tempore. Dignum erat pietate Christiana spectaculum, vbi Socij cum manipulis illis duodenum adiutorum, & eo amplius (nam multi se adiungebant voluntarij) è suis prodibant hospitijs, inque diuersa digressi circum suos quique vicos, potiones, vel cibos in concinnatis ad id gestabant ferculis: quod cuique aptum erat summo ordine, & hilari caritate tribuentes. Demum ita res processit, vt ordo, & alacritas, & constans laborum tolerantia toti Vrbi mirè probaretur: omniumque opinione, & affirmatione medentium, ingens mortalium vis ab euidenti exitio conseruaretur, eo maiore Dei munere, quòd tali & tempore, & ministerio nullius Sociorum tentata est valetudo. Eximia etiam spectata hisce in officijs est Sodalitij

8 Aegrotis in Vrbe infigni cura succurrsum.

9 Sociorum, alio rumque ardor in subleuandis ægrotis.

10 Pauli Bubali caritas.

dalitij Sancti Hieronymi caritas, & Pauli Bubali: cui tametsi filium principem, stirpis id malum abstulerat, & ceteros liberos, atque vnà vxorem lecto affixerat; tamen præ publici boni studio decessisse omnis cura domesticæ calamitatis, sensusque omnis videbatur. Retulere suam quoquè laudis partem Romani Seminarij, & Collegij Germanici adolescentes. Ex hoc Collegio nobiles Conuictores, super cetera officia, procurandorum mortuis funerum prouinciam sibi adsciuerant.

11 Seminarij Romani & Collegij Germanici pietas.

Quamuis autem nemo ex impenso ægrotis seruitio Sociorum decubuerit; suum tamen alioqui Romana Societas, quinque hoc anno desideratis, cœlo tributum pependit. Decimo quinto Kalendas Septembris, prædicto haud semel sui obitu die, Martinus Cornozius Cantaber decessit: qui cum genere nobilis, ac Diaconus Societatem iniisset; recusato constanter Sacerdotio, famularia opera multos annos tractarat insigni cum integritate animi, & caritate. Hic est, qui voluentis seculi anno quinquagesimo comes Lainij in Africanam expeditionem profectus, in ægrorum curatione militum, partem laboris virilem tulit.

12 Mors & virtus Martini Cornozij.

Hunc extremo eodem mense Hieronymus Lucensis Coadiutor Nouitius sequutus est morte memorabili: non solùm quia sancta, sed etiam quòd Deus in eo vberibus gratiæ suæ thesauris locupletando, transferendoque, in tutum festinare visus est. Nam non nisi tertio ante mense, & insigni vocatione ad Societatem accesserat: cùmque iam grauiter ægrotans indicasset Confirmationis Sacramentum haud dum sibi adhibitum, ipsum Confirmationis, Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & supremæ Vnctionis, Sacramenta quatuor eodem die suscepit, atque obijt.

13 Et Hieronymi Lucensis.

Hi, alijque in Cœlum: amplius octoginta in varias terræ oras Roma profecti: quorum præclaram manum quinque & triginta numero ad se Pontifex simul deductam, & exhortatione, & rosariorum consecratione, & donatis cereis agnis, lætus lætam dimisit.

14 Romanarum Societatis domorum status.

Inter hæc domus Professorum, & cetera Romana domicilia augebantur omnia, præter Collegium, in quo iam triginta duntaxat supra centum degebant: intento scilicet Francisco minuendis impensis, quo sermonum, atque offensionum causas, de quibus annali priore dictum est, amoueret. In Germanico amplius ducenti viginti educabantur adolescentes insigni plerique nobilitate: quorum tres & octoginta, pars Theologi, pars Philosophi. Ibi sub Ferias ante Cineres cùm habitum magna celebritate drama esset, in quo Sanctæ Catharinæ Virginis nobile edebatur certamen, præque confluentium multitudine non nihil turbatum esset; vetuit in posterum Franciscus tanto apparatu ea spectacula exhiberi.

15 Dramata tumultuosa vetat Borgia.

Adeò viro optimo ne lucra quidem cum aliqua iactura placebant. Seminarium non solùm augebatur, & ipsum Conuictorum numero, sed etiam celebritate famæ, vt exortas initio turbas, & obtrectationes abundè iam per se quisque refutaret ex iis, quæ experta re, oculis, & manu teneret. Hisce quatuor Societatis Romæ domicilijs hoc anno quintum accessit. Sacellum erat S. Andreæ in Monte Quirinali animarum cura obligatum in potestate Ioannis Andreæ Crucij Episcopi Tyburtini, adiunctamque habebat domum, & hortorum aliquantum, quæ item erant in potestate Cruciorum, quæ Tyburi est familia nobilis. Hæc anno ante hunc proximo, adhuc Vicario Borgia, suasu maximè Lucij Crucij de Societate Episcopi fratris, quia locus habetur salubris, translata alio animarum procuratione domui Professorum adiuncta fuerant, vt Socijs in Vrbe valetudinarijs perfugium esset. Ceterum hoc anno cùm domus Professorum haud caperet Nouitios, quorum numerus in dies augebatur, Franciscus eam sedem probationis domui dedicauit.

16 Tyrocinij ad Sancti Andreæ origo.

Adfuitque opportunè ad maturandam rem diuina benignitas. Ioanna Aragonia Ascanij Columnæ olim vxor, Marci Antonij mater, habebat propter id Sacellum domum cum hortis. Ergo pia Princeps, cognito Francisci consilio, domum eam, hortorumque partem, & aliquid pecuniæ donat, atque expleturam se dotem recipit. Ex ea pecunia cùm fabri muratij de Societate domum concinnassent, sacellumque propere instaurassent, initio Augusti sub Iulio Mancinello Præfecto, nouum in domicilium pars Nouitiorum migrarunt. Eaque vocata tum est secundaria, ac minor probationis domus: cùm apud Professos maior, ac prima restaret Alfonsi Ruitij institutioni commissa. Verùm quàm tenue id exordium fuerit, qui addita paulatim ædificia, & Nouitiorum gregem

qui

qui cùm hæc in eadem domo scribebamus, præter veteranos, amplius centum numerabantur, spectat, non facilè animo finget. Tuguriolum potius, quàm domum dixisses. Cùm angustissimè, & quod consentaneum est, perincommodè habitarent; tamen principiò haud plures viginti vniuersa numerauit familia. Patres tamen nescio quid magnum adeptos sese rebantur. Nimirum magna illa paruo sub tecto pietas, illa fidelis in modico grati animi memoria amplitudinem hanc nobis ædium, & cetera seuit, & educauit commoda. Quos æquum est quantùm ad exteriorem patientiæ, & humilitatis desideramus materiam, tantùm ad interiorem conatum adjicere: vt, quam maioribus nostris exercendæ virtutis opportunitatem offerebat necessitas, eam nobis conquirat industria: illud reputantibus, vti plus accepimus, ita plus repetendum à nobis. Ipsis dein Sancti Andreæ solennibus, cùm ad sacrum, & concionem Ioanna Aragonia in Sacello instaurato, vnà cum Marco Antonio filio, & aliquot Cardinalibus, virisque Principibus adesset, cereus ei, tanquam fundatrici, de more Societatis est traditus: quæ acceptum Marco Antonio tradidit, veluti successori. Et exinde preces, & consueta fundatorum insignia fœminæ optimæ, & familiæ Columnæ, cui multùm se debere Societas profitetur, conseruata sunt. Hæc Romæ dum fiunt, instaurando cuncta in Societate, amplificandoque perfectæ virtutis studio intentus Borgia, complures in Prouincias Visitatores destinat. Natalem cum summa potestate, quanta præsens ipse Præpositus Generalis polleret, vbi explicitus Augustano Conuentu esset, sitas ad Septentrionem Prouincias superiorem Germaniam, Austriam, Rhenum, Belgium, dein duas Gallicanas Franciam, & Aquitaniam iubet visere. In Sardiniam Ioannem Victoriam Visitatorem mittit: duobus eius Insulæ Collegijs Prouinciæ Aragoniæ iterum contributis, quò forensia eorum negotia in Hispaniensi Curia commodiùs tractarentur, & indè mitterentur, qui hispanicè nossent. Lusitaniam Michaëli Turriano: Bæticam, & Toletum Bartholomæo Bustamantio: Aragoniam Aegidio Consaluio: Castellam Antonio Cordubæ: Ignatio Azebedio Brasiliam inspectandam tradit. In Prouincia Austriæ nouum præfecit Prouincialem Laurentium Magium, qui Viennensi Collegio præerat: Germaniæ superiori Petrum Canisium restituit: & Longobardiæ, post reditum indè Benedicti Palmij, Franciscum Adurnium præposuit, potestate quidem Prouincialis, sed Vicarij nomine. Denique Indicas res peritudiosè complexus, dum omni ope ad sustentandum per vltimas terras cœptum propagandi Euangelij opus, ac promouendum connititur, cum alios insignes viros, tum Organtinum Gneccum Lauretani Collegij Rectorem in eam expeditionem destinat, nominatis etiam, qui in orbis noui Prouincias Catholico Regi subiectas, quæ hoc primùm anno patere Societati cœpere, transmitterentur. Hieronymus Natalis, ac Ledesma ad Augustanum Conuentum septimo Idus Februarias Iacobo Ximenio, & alio, qui valetudinis causa mittebatur, comitibus Roma profecti, quas longum iter, & hyberna tempestas, tum inter Italiæ, ac Germaniæ fines, loca fœditate viarum, cælique iniurijs infesta ferunt, pertulerunt ærumnas, Natalis ante omnes, cuius iam & ætas proclinata erat, & valetudo. Et tamen cum claudicantibus subinde caballis per interualla vicissim vnus è comitatu pedes pergeret, nullo pacto eximi volebat Natalis: verùm per quantumuis niue, lutoue obrutas, vel concretas glacie vias ægrum corpus robore agebat animi suam vicem: nec vnquam tot inter aduersa ipse, ac Ledesma consultare inter se, differere, legere etiam in hospitijs, quos ad hanc rem gerebant libros, ac demum præparare opportuna conuentui destiterunt. Hac sedulitate, consensioneque, & constantia, Christo adiuuante, factum est, vt postridie Nonarum Martiarum Augustam tenerent simul à via sospites, & ad quamuis dimicationem parati. Haud ærumnosa minùs via Canisius ab Rheni tractu accurrit. Hunc Pontifex Pius Quartus, post creatum Generalem Borgiam, ad Germaniæ Ecclesias Tridentinum Concilium, quod iam passim promulgabatur, circumferre iussit, additis rerum mandatis, quas apud quosque Catholicorum Dynastarum propriè ageret. Quod imperium obsequentissimus vir vt exhauriret, vno duntaxat viæ comite, hybernos quatuor menses per Boreales errauit niues: nec

17 Ioanna Aragonia eius domicilij parens.

18 Visitatores per Societatem à Borgia missi.

19 Prouinciales Prælecti

20 Natalis & Ledesma ad comitia Augustana Pontificis missu contendunt.

21 Canisij legatio missu Pontificis.

Digitized by Google

grauiora aliunde pericula defuerunt. Adijt Coloniam, Neomagum, Osnaburgum, Moguntiam, Treuiros, Herbipolim. Principem Iuliacensem Guilielmum coram, alios Dynastarum per literas conuenit: rem catholicam vbique confirmauit: Antistitum animos Pontifici Summo adiunxit: defendendarum Ecclesiarum viam monstrauit: Orthodoxæ doctrinæ semina ad Populos sparsit: multos Hæreticorum reuicit: obuijs quoquè Societatis Collegijs pietate facundi oris, magisque religiosissimorum luce factorum ardoris plurimùm, & alacritatis adiecit: ea quoquè modestia spectandus, quòd cùm potestatis Visitatoris ornatus à Borgia esset; nullam vsquam, nisi fortè suggerendo interdum consilio, partem administrationis attigit. Iuuat cognoscere inter Neomagenses suos, quàm Apostolico dignam viro rationem excogitarit, per quàm numerosæ propinquitatis certatim inuitantis sanctissimè indulgeret votis. Xenodochium legit conuiuio locum. Eò iussit certo die, quod quisque epularum appararet, deferre. Dicto die, locoque cùm omnes ipse, elutis confessione animis, cælesti mensa accepisset; modicè libatas ibidem dapes, pauperibus, quos etiam diuini Verbi pane refecerat, solatia in multos dies reliquit. Ciuitatum maximè aduersùs se benignam, & in religione constantem Coloniam admiratus est; quæ diu quanquàm prope orba Archiepiscopo, & vndique circumsessa, & oppugnata ab Hæreticis, nec valde purgato munita Clero perstaret tamen immobilis, suoque retineret iure nobilem titulum, vt fœlix Colonia Sanctæ Romanæ Ecclesiæ fidelis filia & diceretur, & esset. Quicquid Canisius pro religione auctor fuit, volentibus animis præstiterunt. Vti ille rogauerat, decretum est in Senatu, vt pestilens ludimagister, qui complures opulentos, ac nobiles adolescentes priuatim instituebat, protinus ex eo deijceretur alea pleno munere; vt libri, qui catholicam integritatem vitiarent interdicerentur; vt nullus omninò Concionatoribus locus, nullus daretur Magistris, quorum religio suspicioni esset. Academici oblatum sibi Pontificio signo communitum Concilij Tridentini exemplar, magna cum reuerentia exceperunt: simulque spoponderunt ad normam illius, ac nominatim ad ea præscripta, quæ de Academijs generalibus agunt, cuncta composituros. Ad hæc Theologorum, ac Philosophorum Collegia, ex recenti lege sanxerunt, ne literarios gradus, & honores cum quoquam, nisi priùs Religionem ex Romana regula professo communicari liceret. Ex hac igitur laboriosa peregrinatione ad Augustana Comitia profecto Canisio, ita se multiplices labores obtulere, ita in eos se vir operosus dedit; vt Natalis, quem alij ob efficacem, actuosamque industriam mirabantur, miraretur Canisium: nec solùm ferreas in eo mentis vires, sed & corporis affecti patientiam in tantum durantis suspiceret. Ordinarias habebat in principe templo conciones: semel quaque hebdomada ad Imperatricis dicebat aulam: aderat frequens Pontificio Legato Ioanni Francisco Commēdono, à quo etiam ad animi sui expiationem adhibebatur. Aderat Cardinali Othoni, Præsulibus Moguntino, ac Treuirensi, & ceteris fermè Magistratibus sacris. Nec Natalis, & Ledesma quicquam cessabant: eò impensiùs in procurationem animarum se conferentes; quòd principiò, quoniam Cæsar sapientem se se probans, constantemque Principem, de Religione non sinebat agi, modicus Theologorum vsus in Conuentu erat. Sanctiore hebdomada, cum tempore, tum Iobelæo, quod ad Comitiorum felicem exitum promulgatum erat, multiplicante messem, increbuit vsque eò piarum æstus occupationum; vt duo præterea Patres accersendi ad eam legendam fuerint. Dumque non Germanis modò, sed & Hispanis, & Italis certatim se offerentibus opera nauatur, ita Paschale actum solenne est; vt haberent Hæretici, vndè sanctitatem catholicam, & monumentis viuis, & rerum testimonijs edocerentur. Comitia inter hæc ex bono satis exordio, haud felicitate pari progressa, ingentem pijs formidinem, & curam iniecere. Coniunctis opibus Protestantes, & tanquam communi quodam furore perciti contendebant, vt Ecclesiasticis, quicunque Lutherani fieri vellent, vectigalibus catholicæ Ecclesiæ, quæ ante possidebant, frui ius esset. Id nimirum consentaneum putabant, vt Ecclesiæ, quam prodidissent, spolia legerent, & præmio stimularetur impietas. Erant, qui liberam inter Principes

22 Coloniæ res à Canisio gestæ.

23 Multiplices Canisij labores Augustæ.

24 Hæreticorum conatus in Comitijs Augustanis.

cipes instituì collationem de toto Religionis negotio peroptarent: freti, si res ab ijs, quos minimè fas esset, ageretur; item nihil ex æquo, bonoque actum iri: & vndè plus staret audaciæ, pluſque violentiæ; indè victoriam fore. Ad Conalium ex vna tantùm gente, ac natione Germanica multorum animi propendebant, vt de communibus toti Christiano orbi dogmatibus illa nimirum decerneret natio, quæ controuersiam mouisset; & arbitrium de fide non penes incorruptam illam, laudatamque seculis cunctis, ac gentibus à fide Germaniam, sed penes rebelles esset. Alij denique subdolam, insidiosamque de conciliandis partibus tractationem susci pi volebant: tanquam concordia luci cum tenebris, Christoque cum Luthero possit esse consensio. Hæc, quanquam indignissima, machinis omnibus multi moliebantur. Ex altera parte Legatus Apostolicus summa ope tendebat, vt Concilium Tridentinum saltem Orthodoxi reciperent. Quibus in curis, tum vt aduersarijs obsisterent, tum vt Concilij causam proueherent, erat Patribus immensum negotium, consultando, disputando, scribendo, huc, illucque accurrendo dies, noctesque. Iam tandem memorabili, & Cæsaris, & Commendoni constantia, rectèque sentientium Præsulum consensu, reiecta Religionis, intactaque causa, conuenerant cuncti ordines, vt in Turcicum bellum (quamobrem coactus maximè Conuentus erat) subsidia pecuniæ conferrentur: agebaturque de finiendis Comitijs, confirmata pace, quæ Catholicos inter, ac Protestantes anno salutis humanæ milleſimo quingenteſimo quinquageſimo quinto Caroli Cæsaris voluntate sub Ferdinando Rege itidem Augustæ conuenerat. Cui formulæ quanquam conditiones intolerandas Hæretici adiunctas vellent; tamen obfirmarant animos Orthodoxi, confidebantque expugnaturos, vt ne apex quidem commutaretur. Cùm ecce tibi graues à Pontifice ad Commendonum literæ: siquid, quod cum Concilij Tridentini pugnet decretis, decernendum viderit, ac prohibere nequeat; ritè contestatus id Pontifici nullo modo probari, vetitisque Catholicis subsidia in bellum conferre, ex Comitijs auferat se se. Sua ingens pietas, & catholici altitudo pectoris, ad hæc mali grauitas, superque omnia Christi fiducia Sanctissimum Patrem incitabant, vt nec agendum lentè, nec atribus abstinendum remedijs putaret. Ceterùm tales literæ incommodissimo allatæ tempore impleuerunt omnes solicitudine, ac metu. Non enim defuere, qui confirmationem pacis illius vndecimo ante anno compositæ, posteaque semel, atque iterum constabilitæ, quam pro conditione optabili amplexabantur modò Catholici, aduersùs Tridentinas sanctiones esse contenderent: ac proinde fortiter agendum Legato, obtinendumque ne quid ratum fieret, vndè hostes Apostolicæ Ecclesiæ, perturbatoresque antiquarum Religionum non pacatam modò aduersùs communem fidelium matrem contumaciam lucrarentur, sed & ad proseminandos errores perniciales roborarentur. Quod si tenere non posset; tum ille constanter, exprompta Christi Vicarij, denuntiataque sententia, ex Conuentu faceſſeret. Imminebat haud dubiè grande dissidium, eò si ventum esset. Nam summa erat rei pecuniariæ difficultas Imperatori: summus ferebatur esse in Hungariam, ac porrò in Germaniam ducentium Turcarum apparatus: vt, qui tali tempore subsidia ei detraheret; prodere Barbaris, & ipsum Maximilianum, & Imperium videretur. Hoc rerum in cardine Patres, post multas & habitas per seſe, & postulatas ab Socijs ad Deum preces, collato præsenti tempore cum eo, quo primùm pax, de qua agebatur, conuenta erat: quod sine controuersia constabat longè esse illo deterius: circumspectisque imminentibus periculis, & quæcunque in causa essent accuratè perpensis; negotium suscipiunt demonstrandi, si pax ea, quæ adeò necessaria sit, rata habeatur, & confirmetur, nihil committi, quod cum Tridentini Concilij pugnet decretis. Quod cùm perstudiosè, perque doctè feciſſent, & persuasissent Legato, atque ex eorum sententia rem ille administrasset; cum pace demum Conuentus peractus est. Lucubrationes eas in Vrbem missas sapientes probarunt, nec improbare Pontifex visus est. Quin & auctorem habeo, gratias egisse Commendono, quòd sapienter tempori paruisset. Porrò quanquam minimè id agebatur, sed publica dumtaxat causa; tamen additamentum hoc ad commune bonum fecit propriè Deus Societati,

25 Pontificiæ Literæ ad Commendonum.

26 Natalis, Canisius, Ledesma ex maxima difficultate Comitia Augustana expediunt.

Digitized by Google

27 Maximilianus Cæsar melioremde Societate opinionem suscipit.

tati, vt opinionem de ea Cæsar longè clementiorem indueret. Persuasum enim habebat, dura, ac seuera consilia ab ea proficisci: dictitabatque Iesuitas sanè viros esse bonos, ac doctos; parùm tamen intelligere quid præsentia tempora in terris Germaniæ postularent. Quod cum Apostolico Nuntio aperuisset, is contra edocuit, demonstrauitque auctores ipsos fuisse eius sententiæ, quæ Conuentui exitum pacatum dedisset. Descendit in Cæsaris pectus id meritum, totique Societati, quod permagni ad communem religionis causam intererat, conciliauit: nec modicè ipsi reconciliauit Canisio, quem aduersari rationibus suis iampridem persuasum habebat. Nec equidem ambigam Canisij potissimùm, pro auctoritate, qua apud maximos quosque Antistitum sacrorum pollebat, studio, & labore perfectum, vt de Tridentino quoquè Concilio, quod satis visum est in præsentia, in Catholicorum Confessu probaretur, atque reciperetur. Præterea cùm probrosum Commentarium, valdeque perniciosum Hæretici per Comitem Palatinum proposuissent Catholicis, cuius summa eò redigebatur, nullam pacandæ Germaniæ viam relictam, nisi vt penitus indè Papæ potestas, & Iesuitarum patio tolleretur: quandiu enim hæc manerent, nunquam fore tranquillitatem; graui id, solidaque disputatione, de ceterorum Patrum sententia, idem refutauit Canisius, eò faciliùs, quò promptiùs erat demonstrare, non religionem Catholicam, sed hæreses fontem turbarum esse: nec posse pacem meliùs reuocari, quàm si id, quod expulerat eam, expelleretur. Quod quidem & Cæsar liberè professus est. Cùm enim Palatinum eundem Caluinismi primò damnassent, & resarcire illata templis damna iussissent, deinde negantem sibi Caluinum vnquam lectum, & Confessionis Augustanæ doctrinam profitentem absoluissent Principes Protestantes, perosus inconstantiam eorum Cæsar, Confessionem Augustanam dixit sacco esse persimilem, in quem Sectas quasuis conijcerent: &, vbi sacci os obstruxissent, tum foramina fieri, per quæ & nouæ rursum Sectæ inferrentur, & noua erumperent dissidia, Imperium tandem, nisi obuiam iretur, funditus perditura. Quam ob causam ipse eò magnopere vergebat, vt secernerentur Sectæ ab Augustana diuersæ, & excluderentur. Comitijs exactis, Ledesma in Italiam reuocatus quædam Longobardiæ Prouinciæ Collegia iussus est inspectare. Natalis ad Collegia cognoscenda Germanica, & ordinanda intentus, multùm habuit negotij in Præsulibus, qui noua Collegia postulabant, ita pacandis, vt amicè repulsam, ac benè ferrent. Tametsi enim Germanicarum necessitas rerum legibus omnino regi nequibat; tamen recentis Couentus decretum faciebat, vt ibi quoquè quoad eius liceret, ab propagandis Colonijs temperaretur. Vehementissimè omnium Ecclesiæ vrgebant tres, Spirensis, Herbipolitana, atque Olomuciensis. Spiræ & ante biennium Lambertus Auerus Moguntinus Rector plurimùm rem Catholicam suarum grauitate concionum iuuerat: ibidemque per huius anni totum orbem, quamuis perægrè abesse eum permitteret Moguntinus Antistes, diuinum præconem egit. Eximia viri virtus, & pererudita facundia Canonicos Collegij cupiditate incendit: præsertim quòd concionatorum suorum duos morte raptos desiderabant. Et verò nequaquam id stationis negligi oportebat. Quippe cùm indè Haidelberga, Comitis Palatini, quem paulò ante nominauimus, qui tum erat deterrimus hæreticus, sedes, & Academia horarum tantùm circiter quatuor distaret via; spes erat multos ad catholicas scholas adolescentes auerti posse. Ad hæc cùm Spiræ (ea Nemetum Ciuitas olim fuit) Septemuiri Cæsarum Electores suos quisque lectos viros prudentia insignes habeant, quos Assessores Cameræ Imperialis nominant, Ducum præterea, & Comitum adsint Procuratores, ad quos grauissima quæque totius Imperij negotia transigenda mittuntur, quod cum his operæ poneretur, frugem multiplicem promittebat, ipsaque videbatur messis pro copiosa fore sementi; idcirco Natalis rerum statum cogniturus Spiram vsque processit: vt, si paratas res inueniret, occasioni manum inijceret. Ceterum transactum nihil est. Incesserat metus Antistitem, & quosdam Canonicorum ne quando Senatus Spirensis, accolæque ex corrupta religione Principes, ob aduocatos Iesuitas, causam turbarum accerserent: eamque ob rem in ceteris conditionibus hanc vo

28 Multa per Germaniam Collegia offeruntur.

29 De Spirensi Collegio agitur.

lebant

lebant ſuſcipi, vti Patres, ſimul ac Senatum Spirenſem, vel Dynaſtas finitimos Ieſuitici pœniteret Collegij, Spira migrarent. Qua conditione non ad domicilium, ſed ad exilium, ludibriumque Religioſi vocabantur. Nihil enim propius factu erat, quàm vt, ſi quando Senatorum quis paulò impotentior, ſiue iure, ſiue iniuria offenſus eſſet, is totum concitaret ordinem, & Collegium exturbaretur. Multò magis id molituros apparebat confines Hæreticos: cùm per id ipſum, in quo maximus Collegij reponebatur vſus, Haydelbergenſis Academia minùs deſideraretur. Has igitur ob cauſas Natalis eam conſolatus Canonicorum partem, qui vehementer pro Collegio laborabant, vijſque varijs demonſtratis, quibus vitarent vicinorum inuidiam, vel aduersùs eam ſe præmunirent, rem in præſentia diſtulit. Herbipoli, quæ præcipua eſt Franconiæ, ſiue Orientalis Franciæ vrbs, multò omnia explicatiora erant. Fridericus Vvieſpergius eius vrbis Epiſcopus, idemque Orientalis Franciæ Dux iam pridem ante Treuirenſem, ac Moguntinum Antiſtitites, Societate Romæ cognita, de eadem accerſenda Herbipolim cogitarat: ſed improbitas temporum obſtiterat ſalutari conſilio. Iam verò cùm amplam ſatis, accommodatamque Collegio ſedem idem adornaret, impetrato ad eam rem ab Summo Pontifice Pio Quarto deſerto, vacuoque Virginibus Sanctæ Agnetis Monaſterio; pariterque fore in promptu cetera affirmaret; Collegium Natalis ita recipit, vt ſodales anno inſequenti mitterentur. At Guilielmus Priſienouius Olomucienſis Epiſcopus nullas pati moras potuit: dolo bono, amicaque vi graſſatur, compos vt voti quàm primùm fiat. Olomucium (quam olim Iulimontem dictam ferunt (vrbs eſt Morauiæ princeps, trans Danubium ad Septentrionem millia paſſuum viginti: ſermo mixtus Theutonico, & Boëmico: neque vllus, præter Olomucienſem, in tota prouincia Epiſcopatus eſt. Quocirca latè diœceſis patet. Vrbanus populus fermè innocens, & bonitatis antiquæ, illam in ceteris habere laudem dicitur, vt ab ſuorum nutibus Parochorum obedientia ſingulari pendeat. Indè ſcilicet factum, vt ad ea penè tempora, quamuis complurium Sectarum receptaculum alioqui Morauia videretur; tamen ſacra Olomucienſis multitudo minimè immutaſſet. Ceterum iam variorum generum corruptores ſeſe inſinuabant, & vltimum diſtabat diſcrimen. Porrò Guilielmus priuatis, publiciſque virtutibus ſanè & vir erat, & paſtor bonus in paucis. Olim dum in Italia doctrinarum cauſa agitaret, Ordinis noſtri homines, atque inſtituta nouerat ſimul, & adamauerat. Ergo ſæuis vndique frementibus beſtijs, gregi ſuo cuſtodes vigil appoſiturus, cùm impetrare ab Nicolao Lanoio tum Prouinciali frequentem coloniam nequiuiſſet; ſaltem vt duos ſibi Sodalium commodaret, qui per Paſchalis ieiunij quadraginta dies Canonicis ſubſidio eſſent, expreſſit. Miſſi Vienna ſunt Ioannes Aſchermannus, & Stephanus Ramirius. Cremſirij (frequens ea Epiſcopis ſtatio, nec procul Olomucio eſt oppidum) Guilielmum conuenerunt. Is eorum conſpectu vix lætitiæ potens, non quaſi commodatos, ſed tanquam ad fundamenta Collegij donatos accepit, ac pergere Olomucium iuſſit. Hic laxa domus, cum peramœnis hortis, ſupellectile, omnique apparatu adeò affluenter, alacriterque à Canonicis attribuitur, vt in Hoſpitibus benè accipiendis inter ſe ipſi, & cum Paſtore certarent. Patres & ſua ſponte, ac tanta inſuper incitati caritate, continuò manus ad opus ſtrenuè applicant. Iamque inſtabat præfitutum à Prouinciali tempus, quo ſe recipere Viennam iuſſerat, cùm bonam miſſionem petentibus, Præſul: Nequaquam ſic erit, inquit: Vos ego non modò non amittam, ſed alios vobis aduocabo ſocios. Interim vos actingimini ad ludum aperiendum. Cùm tergiuerſarentur, & iuſſum interponerent Prouincialis; rei totius curam præciſè, deliberatèque iubet ſibi permitti, literariamque palæſtram, quod Deo glorioſum, Populo ſalutare foret, alacriter auſpicari. Itaque dum nulla valet detrectatio, parendum fuit. Interim ſolers Epiſcopus dat Romam ad Pontificem literas, inſiſtitque à Sanctiſſimo Domino, vt, quandoquidem tanta caritate totum amplecteretur orbem terrarum, Morauiam, quoque reſpiceret, iuberetque ad ſe de Societate manipulum deſtinari. Neque hac ſed illac contentus ab ipſo Imperatore Maximiliano ſuper eadem re ad Pontificem eandem literas impetrat: per quas, commemorato fructu, quem præcipuè

30 De Herbipolitano Societatis Collegio.

31 Olomucienſe inchoatur Collegium inſigni ſtudio Epiſcopi.

iam docéndo Socij Olomucij ferebant, rogabat, vt opus illud perficiendum curaret. At Lanoij Prouincialis literas, quibus omnino duos illos auocabat, quòd Aschermannus in Poloniam erat mittendus, intercipit: proque Socijs nuntium cum literis ad Lanoium remittit, significans rem ita feliciter cœptam, vt sibi, salua Religione, nequaquam fas arbitretur populo suo id adiumenti, quod submissum à Deo sit, temporibus adeo duris subtrahere. In summa patienter expectaret, dum ex Patre Generali, quid fieri placeret afferretur. Instabat necessaria omninò Aschermanni profectio in Poloniam. Quare Lanoius sanctum Episcopi studium demirans potiùs, quàm vllo modo reprehendens, Alexandrum Hellerum Olomucium mittit, cum mandatis ad Aschermannum, vt protinus ad se reuertatur, & Alexander eius loco tantisper subsistat, dum quas dicebat Episcopus, literæ ab Vrbe perferantur. Guilielmus Alexandri aduentu lætus, Aschermanno ita potestatem abeundi non facit, vt ijs procurationem Seminarij, quod ordiebatur, adiungat. Nec multò post literæ ad Natalem Roma perferuntur, quibus Præpositus Generalis nomine Pontificis admonebat, vt videret, si quomodo optimo Antistiti fieri satis posset. Adijt Olomucium Natalis. Quid ad Collegiorum dotes, quid ad instrumenta requiratur, præsertim post secundum Generalem Conuentum, fidenter exponit præmeditatus, vt rerum singularum probaret causas, paratusque disceptare, & concertare, vti fit, ad tollendas, quæ negotiorum in eo genere offerri solent, difficultates. Verùm & scuta eo loci, & tela nequicquam fuerunt. Benignus Antistes rem omnem, tanquam de Cælo oblatam capiens, ne vnum quidem contra verbum fecit. Omnia probauit, omnia in beneficio numerauit. Ita victoriam sibi pulcherrimam benignitate patrauit. Collegium susceptum, missi coloni, quibus Rector præfectus Pater Hurtadus Petrius: discentium classes ordinatæ quatuor. Res omnis, Deo aspirante, ingenti cum populi profectu, ad Episcopi spem, ac studia cumulatè respondet. Atque homines quidem vulgò ad eam diem Societatis morum ignari, dum actiones Patrum obseruant, inter cetera carcere clausis, noxijsque dum ad patibulum deducuntur, & paulo post reuersis ex Hungarico bello ægrotis militibus in genere omni, etiam seruilis officij, ad summæ necessitatis leuamen, impensam operam, sic admirati sunt; vt velut prouerbio ferrent: Præclarè Iesuitas & docere, quod faciunt, & facere, quod docent. Id vnum Collegium hoc anno, & in Poloniæ Regno Pultouiense colonis inhabitatum: vtrumque Austriæ contributum Prouinciæ. Kalendis ipsis Ianuarijs huius anni, cùm iam Pultouiam Franciscus Sunerius Visitator venisset (is paulo post Branbergensi, & Pultouiensi Collegio Superintendens, cùm Hostouinus in Austriam redijsset, impositus) confectæ rite sunt institutæ Collegij tabulæ. Mense dein Iulio cùm Sociorum amplificatus esset numerus, in gymnasio publico, quod erat Collegio contiguum, quinque in Auditorijs literas profiteri cœperunt. Tandem, etiam Ioannes Aschermannus Olomucio expeditus venit: qui magna cum Plocensis Episcopi voluptate, frequentiaque nobilium Epistolam ad Romanos aliquoties in hebdomada explicauit. E veteribus Collegijs, cùm benè cursum tenerent omnia, nullum Pragensi felicius hoc anno in Germaniæ Prouincijs tenuit. Et cetera disciplina, & quibusdam dramatibus partum nomen Scholis, non modò Catholicos è longinquis regionibus, sed Hæreticos quoque mouit, vt liberos suos instituendos mitterent Pragam. Hussitas tamen, aliosque Hæreticorum id pungebat, quòd pueri catholicum Catechismum vnà condiscerent. Quare rogabant Socios, vt liberos suos in disciplinam ita susciperent, vt neque Sacrificijs, neque cœlitum inuocationibus cogerent interesse, neque cum eis verba de religione miscerent. Qua de re cùm Romæ Polancus Sanctissimum Pontificem Pium Quintum consuluisset; is, vt erat integer, & animo excelso, breue respondit verbum. Nostra, inquit, lingua talis est, idest catholica. Significans ingenuè profitendum, vti nos Catholici sumus; item disciplinam, & institutionem, & consuetudinem, nostram catholicam, non politicam solùm esse. Hoc responso nuntiato Pragam, editoque palàm, quod mirum sit, nullo pacto deterriti sunt Hæreticorum animi, vt vel reuocarent filios à Gymnasio Societatis, vel minùs de nouo mitterent. Imo, cum

32 Pultouiense Collegium perficitur.

33 Pragensis Collegij fructus.

34 Pij Quinti sapiens responsum.

Digitized by Google

cùm iam de sanctimonia Pontificis secundus increbuisset rumor; eam ingenuitatem, & constantiam adamarunt. Adeo vel ad alienos, inimicosque conciliandos plus constans recti fama pollet, quàm mollis indulgentia. Interim & pueris, & per eorum occasionem non raro parentibus salutare id commercij erat. Homo inter ceteros opulentus, ac nobilis, cùm ingressus Collegium, quò filium Patribus commendaret, ad religionis dogmata producto paulatim sermone, acerrimè pernegaret in Sanctissima Eucharistia Christi Domini verum inesse corpus: neque vllis rationibus dura mens cederet; euenit, vt interim celebrari cum cantu (fortè dies Dominicus erat) sacrum in templo inciperet. Audiendi captus dulcedine templum subit. Hic verò non solùm pio, ac iucundo concentu affici, sed etiam curiosè circumspectans munditiem templi totius, aræ principis ornatum, & sacrarum Missæ ceremoniarum maiestatem, incipit admirari. Multò autem magis capiebatur populi, ac puerorum modestia, silentio, pietate. Denique sensim sancto illabente in animum spiritu emollitus, conuersusque in virum alterum, genua posuit, & Christum Dominum, quem ante pernegarat inesse in Sanctissima Hostia, supplex adorauit. Adeo verum est, passimque vsus affirmat, validiora ad perdocendum exempla esse, quàm verba. Ferdinandi Archiducis, simulque Burgrauij, qui Ferdinando ipsi in Regni Boëmici administratione successit, item Archiepiscopi, aliorumque Dynastarum fauori magna ex parte lætus hic Pragensium rerum euentus debebatur. Et cum alij Dynastæ certabant, vt ad suas Terras aliquot Patrum accirent, tum Guilielmus Rosenbergius ex antiqua, vt ferunt, Vrsinorum gente omnibus adnitebatur opibus, vt Trebonæ, suæ ditionis oppido, in Diœcesi Pragensi sito Collegium impetraret. Eò, dum negotium tractatur, subindè aliquot Sociorum profecti præclaras Trebonensibus peperere commoditates.

35 Vis recti exempli.

Miseranda inter hæc Belgicarum rerum facies. Fœda quædam, ac dira tempestas cùm diu tumuisset, repentè tandem erupit: pagosque, & oppida, & nobilissimas vrbes corripuit, afflixit, obruit, Quod Hugonotti in Gallia, hoc ausi in Belgio abominando nomine Geusij. Cuius nominis, itemque coniurationis originem talem produnt. Manarat in vulgus fama, Quæstiones ad morem Hispaniarum de rebus fidei in Belgium introducendas. Eam famam nouarum rerum cupidi fouent, vbique clamitantes per sacri Tribunalis nomen libertatem, patria instituta, fortunas, capita omnium peti. Concitatis multis, quidam nobilium inter se fœdus ineunt ad custodiam libertatis. Tum libellum Margaretæ Austriacæ, quæ pro Rege Philippo suo fratre publicas res administrabat, offerunt; per quem nequaquam iam solùm ne inducantur quæstiones nouæ, sed vt quædam Philippi Regis, & Caroli Quinti eius Parentis vel aboleantur, vel mitigentur latæ contra Hæreticos leges, postulant: aliter sedari non posse concitatam plebem. Ad hæc postulata Principi haud parùm commotæ vir catholicus, & præcipuus Carolus Barlamontius, qui fortè interfuit, animum facturus: Bono, inquit, securoque, Princeps, animo esto: qui isthæc petunt, scito Geusios esse. Quo vocabulo homines ibi nequam, atque degeneres, & fermè ad mendicitatem, quòd rem obligurierint, aut aliter fœdè dissipauerint, redactos significant. Pupugit velut œstro turbulentos ea vox. Protinus indè sibi cognomento facto proclamant, Viuant Geusij, & habitum nomini parem assumunt. Cum cinerea tunica, conuenientique mantello procedunt in publicum, lagenula lignea, itemque scutella è zona pendentibus. Hactenus vmbras Cynicorum diceres, cetero habitu Saracenis se similes maluerunt. Nimirum vt animos proderent, non ad philosophandum, sed ad latrocinandum factos. Barba abrasa, vultum efferant Turcicum in morem, in superiore libro crinibus vtrinque relictis, quos ad horrorem barbarico intorquebant ritu. Hanc in eius tempestatis literis Geusiorum reperi originem: quorum tamen latius multò nomen, ac factio, quàm figura illa desperatorum, per initia tantùm, vt opinor, vsurpata, fusa est: Idem ferè, atque Hugonotti sunt, nomine diuersi, Secta Genuini, imbuti homines furore Caluini. Hæc ineunte Aprili gesta. Indè clandestini cœtus passim in vrbibus, conciones turbulentæ

36 Grauissimi in Belgio tumultus.

37 Geusiorum origo.

38 Eorundem habitus.

per agros, & prata. Sedenim Antuerpiæ, Tornaci, Valencenis, vbi plurimi Hæreticorum, feruere seditio: quam non magno negotio comprimi potuisse postea creditum est, si obuiam itum esset in tempore. Ceterùm, dum Gubernatrix, tametsi optima, tamen fœmina est, & Procerum quidam, præsertim Guilielmus Nassouius princeps Auriacus per simulationem eludunt; & Catholici plerique omnes, velut stupentes hærent, atque ne ad cædes veniatur formidant; multis, ac præclaris in vrbibus, latèque per pagos, & monasteria peiora cædibus passi sunt. Tornacense Collegium nobis funditus perijt: Antuerpiensis domicilij ægrè semen relictum. Antuerpiæ decimo tertio Kalendas Septembris, vesperascente die, in templum Beatissimæ Dei Genitricis, quod primarium est vrbis, inuadunt amentes mendiculi: indeque initio facto, in cetera porrò templa omnia, ædes sacras, & monasteria tota ea nocte, posteroque, ac tertio die sæuiunt: atque infanda, & incredibilia memoratu committunt. Confractæ Cruces, diss pata altaria, laceratæ religiosæ imagines, libri concerpti, exustique Sanctorum Patrum; aurea, argenteaque vasa comminuta, direptæ sacræ vestes, musica organa disiecta: non lychnis, non candelabris, non sedilibus pepercerunt; fontes diruti baptismales, effusum Oleum Sanctum, perque sacrilegum contemptum ad sordidos vsus adhibitum: ipsum (horrendum cogitatu) Diuinissimum Christi Corpus proculcatum, habitumque ludibrio. Ad hæc in Monasterijs, cùm se mero ingurgitauissent, dapibusque infersissent, Harpyarum poëticarum instar, conspurcarunt Reliquias, vinum, & ceruisiam effuderunt; nullum reliquum fecere furialis amentiæ documentum. Iam planè dominari impietas (iustitium lamentabile) intermittuntur catholica Sacrificia, Diuinarum laudum carmina obmutescunt, silent conciones, latitant Sacerdotes, ad ægros, ac moribundos, vel nulla, vel furtim christiana in vrbe deferuntur Sacramenta. Contra ea sedi tiosissimus inconoclasta Hermannus furiali voce templum Deiparæ polluere, sæpiusque in die asseclarum sponte furentium penitus pereellere impiam manum: nec segnius ceteri impietatis antistites luce palàm nouarum obire superstitionum ritus. Conuolat talium fama rerum ad Geusios Tornacenses, pudetque vel scelere, vel audacia vinci. Ergo cùm vndecimo Kalendas Septembres, sub diei serum, Tornaci cognitum esset, quid Antuerpiæ fieret, vix eam noctem cohibiti sunt. At vbi primùm illuxit, vidisses veluti lymphatos, ac rabie percitos agi huc, atque huc, & discursare per vias, tanquam incertos in quodnam primum templorum sacrilegum furorem effunderent. Tandem in cuncta, prope tempore eodem, parique importunitate, principe duntaxat relicto, impetus factus. Quibus fœdè direptis, cùm profanata, & conspurcata omnia, & cumulis dissipatarum imaginum, & Crucium fragminibus, & librorum sacrorum, totiusque religiosi instrumenti frustis, miserando spectaculo, constrata sola reliquissent; ipsam ædem principem ornatissimam, ac splendidissimam Deiparæ sacram aggrediuntur. Placuit enim hic ordo Antuerpianæ stragi contrarius. Nil ausi contra adhuc mutire attoniti, ac stupore defixi Catholici, velut insonantem horrifico flagello irati Dei manum intuebantur: tamen vbi ad ædem primam, eamque Reginæ Cæli nomine, ac tutela inclytam, tum adeo pulcram, ornatamque tendi viderunt; imperare sibi non potuerunt, quin ad Præfectum adirent militum stationem in foro habentem, ac summissè precarentur, meminisset iurisiurandi, quo in custodiam receperat ciuitatem, & saltem illud Catholicis vnicum solatium conseruaret. At is turbido vultu respondet, dictum sibi sacramentum tecta tuendi ciuitatis, non templa. Ad quam vocem boni illi Ciuium, submissa primùm ceruice, recesserunt: dein oculis, manibusque in cælum erectis, cum graui gemitu, pleni lacrymarum nem Diuinæ iustitiæ permittunt, seque abdunt. Ceterùm impiorum conscelerata manus in templum ornatissimum facto impetu, non cetera modò diripuit, corrupitque; sed totum molita pauimentum, & parietes multis perfossis locis scrutata est: vt, quos latere crediderat, thesauros erueret. Nihil iam memorem dierum, qui proximè consequuti sunt faciem. Quàm afflicti Catholici, quibus non Sacerdotes, non templa, non Sacramenta, non Cruces, aliaque monumenta sanctitatis, vestigia demum nulla

39 Strages sacrorum Antuerpiæ.

40 Tornaci continuatæ stragis.

41 In res sacras impietas.

nulla pietatis publicæ reliqua erant. Imago solùm Tartari mentibus obuersaba-
tur, & oculis. Partim muti, atque vix sui compotes tenebris se abdiderant: par-
tim leuantes cum oculis ad cælum manus, toto vultu, sinuque vberi conspersо fle-
tu, Diuinam implorabant ad vindictam manum: partim sortem, ætatemque dam-
nabant suam, quòd ad hæc spectanda vel geniti, vel reseruati essent. Nostri Pa-
tres, Numine scilicet (ne omnia quasi Sodoma, & Gomorra fierent) relinquen-
te suis semen, minora multò pertulere, quàm vel parati ipsi essent, vel Hæretici
auderent. Tornaci sat florens Collegium erat: quatuor & triginta Sodales, quo-
rum multi Nouitij: tum Conuictores ad octoginta. Multùm Sacramentis, mul-
tùm constanti præconio verbi Diuini in vrbe, proximisque pagis proficiebatur.
Quæ cùm intoleranda putarent Hæretici, ea disturbare modis omnibus cona-
bantur. Qui ab extremo Iunio, cùm haud procul vrbis mœnibus furiales decla-
mationes, concurrente vi maxima populi, inchoassent, quo factio nefaria validior
in dies fiebat, eò famulos Dei acerbiùs diuexabant. Euangelizantibus circum pa-
gos, non probra modò, & conuicia ingerebant; sed & cateruatim singulis circum-
fusi extrema omnia minitabantur. In vrbem cùm se ab insana concione referrent,
proximæ Collegio loca insidebant, & sclopetorum frequenti explosione, infestis-
que vocibus insultabant, vt adolescentes ab scholis auerterent, & Collegas in fu-
gam compellerent. Nocte verò intempesta, globi furentium ita pro foribus tu-
multuosè bacchabantur; vt irruptionem Patres, seque in horas mactandos expe-
ctarent, aliquot designatis, qui peruigiles, cum preces ad Deum facerent, tum,
si vis ingrueret, quiescentes in tempore ad mortem fortiter obeundam excitarent.
Alterum iam annum Pater Iacobus Dogius in principe templo haud monitor ma-
gis impendentium malorum, quàm vates, patrocinium veritatis neruosè agebat, &
fortiter. Hoc vt nudarent præsidio plebem, digno Geusijs astu, submittunt de suo
grege impudẽtem puerum, qui multitudini immistus vesicas inter se duas benè in-
flatas pulsans signum daret: quo sonitu, cùm ex composito ipsi, velut exciti classico,
tumultum, terroremque fecissent, & Catholici, quos adeo turbulento rerum in statu
tympanorum ille similis fragor consternarat, aduersarios rati ramatos irrumpere,
momento diffugissent, & concinatorem tum eluserunt; nec postea quieuerunt, do-
nec Magistratus, & Canonici Patres rogarunt, vt, vitandæ seditionis causa, suggestu
Dogius abstineret. Haud vno id loco obtinuere, vt intendanda seditione per Ma-
gistratus ipsos tranquillitatis cupidine paulò acriores Euangelistas deijcerent: tan-
quã lupi (de quibus est in fabula) pacem ouibus pollicentes, vbi canes remouissent.
Iam verò apparere in publico liberum non erat: ita contumelijs, & scommatibus,
tum ad ludibrium, exprobrandamque formidinem vesicarum pulsatarum strepitu,
ad hæc admotis ad tempora sclopetis, passim ab nequissimis scurris diuexabantur.
Maximilianus Capella Rector talia cùm videret, in diesque vires coniuratorum,
& audaciam roborari; indictis ad Deum precibus, Patrum sententiam exquisiuit,
quid cõsilij capiendum censerent. Quibus cùm visum esset cladem haud dubiè ali-
quam imminere, ac proinde Conuictores maturè cum rebus suis remittendos do-
mum, itemque Socios, qui nihil commodare in præsens possent, aliquò summouen-
dos; tam id opportunè consilium cecidit; vt vno, alteroue die ante direptionem di-
missi vtrique sint. Plerique Sociorum Louanium, & indè Tyrones Coloniam missi:
aliquot propinquum in Oppidum ad tertium ab vrbe lapidem, cui nomen Anto-
niæ, cum præcipua sacræ supellectilis parte: alij aliò fecessere: duo etiam ad ami-
cum in vrbe ipsa, quò concionem in proximam Domini feriam tranquilliùs com-
pararent. Bibliotheca in Arcem deportata: sed cùm arcis Præfectus luce palàm,
apertoque in plaustro, ne malignum vulgus thesaurum esse suspicaretur, deferri
iussisset, ægrè peruecta est: adeò procaciter ingens perditorum caterua plaustro
circundata obturbabat, insuper clamitans, veneficiorum illud Iesuiticorum in-
strumentum esse, per quod mortales plurimos infatuassent. Interim ad Colle-
gium subinde nebolunum alij super alios volitabant cœtus, & partim inconditis,
ineptisque cantiunculis, partim proteruè precantes, vt quoniam sibi manu vi-
ctum quærere ipsi nequirent, & fame perirent, aliquid præberetur; quicquid erat

42 Status Collegij Tornacensis.

43 Vexatur ab Hæreticis.

44 Diuina erga Patres prouidentia.

Digitized by Google

bitum Geusio mendicatu extorquebant. Noctem proximam, cùm iam ex Antuerpiensis fama cladis appareret Tornacensium Geusiorum intolerantiam ita furiatam, vt eruptura iam iam esset; cuncta Ciuitas, dispositis ad domorum fenestras luminibus, peruigilem egit. Sacerdotes in Collegio quatuor reliqui erant. Hi, habito inter se consilio, hæc decernunt. Primum iam ad Sacramentis publicè administrandis, ne manifestis porcorum iniurijs margaritæ obijcerentur, abstinendum videri: nec concionibus iam locum relictum esse: non tamen veritatis causam deserendam, sed precandam cuique à Deo constantiam, atque fiduciam, per quam in vicis, & compitis, ad infirmiorum solamen, ac robur, religionem catholicam profiterentur. His decretis, & ipsi luminibus circum tecta propositis, noctem suspensam prope omnem in precibus ducunt. Sub auroram, Sacrificio peracto, cùm se quisque cum sacrosancta Christi victima Deo victimam dedicasset; integrant preces, & Cœlitum opem per litaniarum carmen, exposcere nixi genibus insistunt, eò impensiùs, quòd iam discurrentium strepitus, & latrocinantium infesti clamores accidebant ad aures, cum agmen bacchantium inuadit fermè quadringentorum. Mallei in manibus, dolabræque, & secures, præter sclopetos, & cetera arma. Dei seruos in medio comprehensos minaciter ac toruè despectare, onerare probris: simulatores, animarum interfectores, idololatriæ fatores, præcipuos Euangelij euersores, per contumeliam sanè gloriosam, ingeminare. Mille haud satis fore neces ad luenda, quæ auctoribus ipsis innocui pertulissent Euangelici: aggerunt eptulanter pro se quisque pro libidine, ac furore contumelias, minasque. Famuli Dei & modestè contumelias ferre, & fidenter negare se fraude, aut falsa religione vti: sed auitam tenere, ac veram: & quam ipsi teneant, hanc docere: proque ea paratos in quamuis carnificinam. Quin etiam impio insultanti, obiectantique: Si vestra Religio vera est, quid ita vos Deus ab nostra vi non defendit? audacter responderunt: Prodit stultitiam tuæ mentis os tuum: Nunquid Euangelium, num id, quòd Christus Dominus, quodque Apostoli docuere, ideò minùs verum est, quòd ille, & hi ab impijs tam dira perpessi sunt? Tandem cùm ita, vt deprehensi erant, beati Confessores nixi perstarent genibus mortem opperientes; iubent eos contempti prædones assurgere: non enim se perinde, vt illos sanguinarios esse. Illi nihil prope de se soliciti (profitebantur enim peiora se ob suas noxas commeritos) indè intimis sensibus excruciabantur, ante suos oculos sanctissimas res immanibus sacrilegijs pollui: Christum Dominum vitæ, ac salutis nostræ auctorem, & eius regiæ beatos Proceres ab nequissimis homuncionibus violari: domum Dei spurciùs, quàm speluncam latronum fœdari. Hæc acerbiora morte spectacula erant. Iconoclastæ vbi satis debacchati sunt inter sacra; ad exhauriendam domum, & voranda, si quæ inuenirent, vertuntur, & Sacerdotes foràs emittunt. Qui ad vrbis portas grauiter verbis vexati (nam manu neminem vnquam Deus violari permisit.) Antonias concesserunt. Nec multò post tribus quoquè laicis, qui velut ad custodiam domus remanserant, ac duobus Sacerdotibus, qui ad amicum secesserant, cùm nec his templum vllum ad conciones, nec illis, quod custodirent, quicquam esset reliquum, ex hostili iam sede digressis, totum Collegium Tornacense dissipatum est. Antuerpiæ in miseranda illa clade sex aderant de Societate Franciscus Costerus Proprouincialis, & Robertus Claissonius exiguo corpore concionator ingens, & Rogerius Bolbetus Anglus Sacerdotes, tum pari numero Fratres. Costerum, vbi iam quæ consequuta sunt, instare Canonici mala senserant, aduocarant in vrbem, vt auctoritate, vique dicendi ad populum continendum auxilio esset. Et ille institutis ad Diuæ Vvalpurgis (quod frequentes circa Hæretici incolebant) concionibus, & in primario templo catechesibus, magno sanè fuerat leuamento: serò tamen adhibebatur remedium, factioque impietatis haud concionatorum duntaxat vocibus grassabatur. Ergo simul stragem funestam vidit; reputans, si talia Antuerpiæ fierent, idem alijs metuendum in vrbibus; Sociorum cogniturus statum, neue tali tempore suæ curæ concreditos solatio, & consilio fraudaret; maturauit Louanium proficisci, Claissonio subsistere cupienti potestate vnà cum comite manendi facta. Forti, atque

45 Tornacensium Patrum constantia.

46 Tornacense Collegium dissipatur.

47 Et Antuerpiense domicilium.

Digitized by Google

atque excelso animo Claissonius, quæ Edmundus Augerius (vt ipsemet scribit) in gemino casu Viennæ pertulerat, memoria repetens, ad omne se offerebat discrimen. Quindecim circiter diebus, dum maximè ferueret tumultus, mutatis vestibus, ementitaque barba, adeo scitè suam immutans figuram, vt & notissimos falleret; nunquam destitit dies, noctesque consolari, & confirmare Catholicos: singulis diebus in priuata æde, admissis tantùm magno delectu certis hominibus, sacrum fecit, & tempori accommodatam adhortationem habuit. Inter quæ, Deo dante cum tentatione prouentum, in maximis laboribus, & ærumnis, valetudine alioqui homo perimbecilla, non constanti solùm pectore, sed validis quoquè viribus, sanoque præter morem corpore vsus est. Nec ita post multò discussis aliquantùm tetris tenebris, ac luce suboriri cœpta, præconium diuini verbi palàm bis in hebdomada, & sacra quaque luce repetijt. Hospitio vsus est apud Doctorem Alalam Medicum, quòd tutus non esset in domicilio ante conducto, natione Hispanica ad impensam benignè suppeditante. At qui Tornaco excesserant, vt qui non segni fuga, sed redintegraturi pugnam abierant, in varia oppida, tanquam in præsidia distributi, præclarè catholicam rem tutati sunt. Ioannes Mortagna, qui iam indè ab anno quinquagesimo septimo Tornaci egerat, & Ioannes Gapanus substitere Antoniano in Oppido, vt indè tùm ad pagos excurrerent, tum ciues consolarentur, qui ad eos haud exiguo numero Sacramentorum causa Tornaco exibant. Indè Mortagna ad Monachos Aquicintenses accersitus est. Maximilianus Rector Duacum aduocatus, vnà cum socio Florentio Bouchorstio, verba facere ad concionem vterque, docere catechismum, & literas exorsi. Henricus Somalius, item cum socio, oppidum Huum in sancta fide conseruauit. Nec illud mediocre pretium operæ fuit: quòd cùm in Cruciferorum Monasterio versaretur, tam se Religiosi illi non benignos modò, sed & dociles præbuere; vt per Sancti Ignatij exercitationes exculti, ipse totius Ordinis Generalis Præpositus, & Monachorum ceterorum plerique, multa ad seueritatem disciplinæ veterem reuocauerint: & Generalis paulatim cum reliquos Monachos, tum Virginum eiusdem disciplinæ Cœnobium, per exercitationes easdem, aggressus sit repolire. Arnoldus Honzius Tongris populum valde deprauatum excoluit. Per vicinos circa Leodium pagos Christianus Dalmensis excurrit, Heruiæque concionatus, insigne rei catholicæ propugnaculum fuit. Porrò Insulis Iacobus Dogius ad concionem frequentissimam verba faciebat. Neque alij interim per segnitiem, ac formidinem cessabant: Costerus, quæ domesticæ res poscebant Louanij curatis, ab Leodiensi Episcopo Hasseletum euocatus, explicando catechismo, & confirmando grauibus disputationibus populo, salutarem nauauit operam, vnà cum Patre Godefrido Luneusi, quem post quartum mensem, Leodium ipse discedens, Hasseleti reliquit: Cameraci quoque eius Collegij sodales in arcenda ab populo amentia strenuè dimicarunt: quorum assiduè terni, quaternique per circumiectos populos pagatim concionabundi vagabantur. Dionatensi maximè omnium floruit Collegium, & Oppidum in tantis tumultibus mira tranquillitate vsum. Louanium ab impiorum furore egregiè Ciues tutati sunt, habitis assiduè excubijs, distributisque in singula capita: in quibus ad quatuor studiosorum millia dedere vltrò nomen. Neque curæ, aut laboris bellici expertes, siue commune periculum, siue mos patriæ, seu denique talis causa Religiosos viros fuit esse. Itaque è Collegio quoque nostro suam vicem, vigiliarum causa, alligati gladio, oneratique hasta prodibant Patres ad mœnia. Nec tacuerim, quam postea Bellarminus, qui per id tempus Louanium venit, Academiæ laudem attribuebat. Constanter asseuerabat salutem Oppidi totam ipsi acceptam Academiæ referendam. Quippe mira consensione, & alacritate Doctores Ducum, Auditores Militum personam, animos, facta assumpsisse, ac gessisse. Ita Hæreticos & intestinos compressos, & circumfremente absterritos. Vndè intelligi prudentes volunt, si idem adhibitum alibi curæ foret, præcipuèque si prohibendis cœtibus, qui per vrbes clanculum, in agris, ac pratis palàm fiebant, vigilarum principio foret; tantum flagitium haud agrè potuisse tota prouincia prohiberi: sed dum scintillæ contemnuntur, pacique

48 Claissonius Antuerpiæ occultus subsistit

49 Res gestæ ab dispersis Socijs.

50 Louanium egregiè ab impijs defensum

Digitized by Google

non rectè consulitur; pacem funditus amissam, religionem proditam, idque inflammatum incendium, cuius hodieque vastæ fumant reliquiæ. Sed nimirum pronum est post euenta vaticinari, & quæ damnauit exitus consilia reprehendere. Per Prouincias Belgicas tam latè debacchantibus impijs, Coloniæ quoquè Agrippinæ vehementer est trepidatum, dicto rumore illuc demum venturam tempestatem. Sed Magistratuum, ac Senatus experrecta cura aditum facinorosis vndique obsepsit. Henricus Dionysius ab Dilinga valetudinis causa reuocatus, Deo patrocinante, vnus prope omnium, Traiecti ad Mosam religionem orthodoxam sustinuit. Cùm enim Leodiensis Episcopus sua Traiecti conuenticula Hæreticos agere cognouisset; ab Colonienſibus Patribus, quòd eorum conatibus opponeret, auxilio implorato, Henricum impetrauit. Is ita impigrè, fortiterque, & appositè tum in priuatis congressibus, tum in publicis conuentibus depugnauit; vt conseruatæ palmam Ciuitatis ad eum omnes consensu detulerint. Declamabant Hæretici palàm in foro: verùm auditorium ad se totum Henricus auerterat. Exedito loco, vndè Sanctæ Reliquiæ ostendi consueuerant, tubam Euangelicæ veritatis inflabat, vt ad circumfusam vndique innumeram multitudinem, quæ Templum, & Cœmeterium fenestras, plateasque compleuerat, salutaris vox aspiraret. Francofordiæ Pater Paulus Saurius, & Antonius Hagensis à Canonicis Sancti Bartholomæi acciti, ludumque aperire iussi, non nullum posuere restituendorum sacrorum fundamentum. Collegerunt aliquantum discentium numerum non ab Catholicis modò, sed etiam ab Hæreticis prognatorum. Facilitas mira integris, & innocentibus puerorum animis inerat ad audienda catholico ritu sacra, & veræ formam pietatis excipiendam. Indè fremere, ac vociferari Satanici administri: & fuit qui publicè in eos, qui liberos Iesuitis in disciplinam traderent, anathema dirum intorserit. Sed vt erant inanes minæ, ita in irritum ceciderunt. Nemo vnus ea gratia filios ab catholica institutione amouit. Cæterùm incauto, credulòque vulgo vanissimi fabulatores ita describebant Iesuitas; vt eos non homines, sed monstra hominum; & portenta iudicarent: neque oculos auderent in occursantium vultus intendere. Fuitque inter cæteros nequaquam infimæ sortis, qui eiusmodi ludibrio illusus vehementer instigit ab Ioanne Latomo Sancti Bartholomæi Decano, apud quem agebant duo illi de Societate, sibi, vt per ocium vellet ostendere vnum Iesuitarum: quò planè cognosceret, quid nam id animalium esset. Decanus ambos, quantùm vellet, contemplandos præbiturum respondet, atque hominem inuitat. Iniere simul omnes conuiuium. Hæreticus primò tacitis lustrare oculis totos, dein motus, ac verba singula obseruare; postremò sensim comitate hospitum, modestiaque comperta, admiratus errorem suum, pronuntiauit id sibi specimen placere. Si modò illi, cum quibus accubuerat, re vera Iesuitæ essent, sententia sua nihil obstare, quò minùs Francofordiæ esse permitterentur. Illud verò mirabatur maximè Decanum, ac Iesuitas eiusdem fidei, ac religionis esse: vt, qui Iesuitas abominandam quandam sequi Sectam (vti acceperat à Ministris) pro minimè dubio haberet. Ita miseræ plebi illuditur.

51 Henricus Dionysius Traiecti religionem sustinet.

52 Francofordiæ ludus apertus.

53 Quales Hæreticorum plebi deluribantur Iesuitæ.

Nihilò inter hæc quietiùs Hugonotti egerunt in Gallia, quàm in Belgio Germaniæ. Sed Catholicorum diligentia Magistratuum, cùm alibi eorum anteuertisset conatus; ad Pyrenæorum radices in Aquitaniæ finibus tempestas, æstate ineunte, exonerata est. Apamijs occupatis, super expromptam in diuinas res sacrilegam rabiem, multosque piorum mortalium trucidatos, etiam in mortuos, atque in non dormnatos detestanda barbaries desæuijt. E sepulchris quiescentium in Domino Catholicorum eruisse, & concremasse corpora traditum est memoriæ. Fœminis, quæ paruulos lacte enutrirent filios, abscidisse mammas, vt lento dolore matres, filios dira fame conficerent. At prægnantibus, vtero exsecto, acerbos extraxisse fœtus, vt misellis animulis, per diabolicam immanitatem, baptismo fraudatis, sempiternam gloriam, tenellisque corpusculis etiam sepulchra maternorum cadauerum inuiderent. Apamijs hæc patrata: quies alibi inuitis fuit. Rebus Societatis non modica Parisijs accessio, maxima verò Tolosæ facta. Hic totam ciuitatem, summos æquè, & infimos, ad se concionibus vertit Augerius Prouincialis,

54 Hugonottorum crudelitas Apamijs.

Quam-

Quamuis minùs opportuno frequentiæ loco diceret; tamen in verno ieiunio ad eum nobilissimi quique confluebant, ac promiscuæ multitudinis plus diebus singulis, quàm sena millia, nec minùs mille iuuenum Academicorum. Multi in his Hæretici, quorum plerique præsertim adolescentes, fidei se orthodoxæ reddiderunt. Et quoniam bonæ sementi felix adeo incrementum dabat è cælo Deus; easdem ad mediam vsque ætatem, Senatu, & bonis optantibus, ter in hebdomada continuauit disputationes, interiecta binis quoquè diebus post meridiem explicatione catechismi, haud minore auditorum conuentu. Hic verò, postquam doctrinæ sinceræ proposuerat ipse, & explanarat, confirmaratque summam; puerorum aliquot in conspectu statuebat, qui dialogorum in morem de capitibus ijsdem interrogarent vicissim, ac responderent. Quæ res tum primùm vsurpata Tolosæ est: excitatique Pastores, idem vt in suis quique parœcijs factitarent. Hæc maximè studia dum feruent, Apamijs occupatis, eaque, quæ modo dicta est, strage edita; fama erat Tolosam quoquè perduelles attentaturos: sed ita excubabat Augerius, ita Magistratus, nobilitas, populus vniuersus, classici diuini cantu succensi ad patriorum tutelam rituum erexerant animos: tumque intendere curam, vt aditum, quà aspiraret, nullum impius furor inueneriat. Hinc aduersùs Edmundum studia ciuium ex omni ordine nullum habere modum. Academici, coacto super ea re concilio, communi illum consensu in suum cooptant numerum: duosque de Regentibus primarijs (ita professores doctrinarum vocant) deligunt, qui solemnia Doctorum insignia ad hominem nil tale cogitantem asferrent. Hi cum Doctorum, grauiumque personarum splendido comitatu profecti; secundùm verba alia singularis humanitatis, & obseruantiæ: Hæc, inquiunt, in potestate nostræ Academiæ fuit iudicij de te sui documenta edere: quæ rogamus, volens, ac bonus accipias. Et quanquam te non latet neque vulgari hæc passim, fatisque nosti, quòd huius Academiæ non in iure modò ciuili, sed in Pontificio etiam, atque in Theologia nomen sit; tamen sic habebo, non tua magis, quàm nostra causa hæc ad te deferri: quòd ingens, te adiuncto, additum Academiæ Tolosanæ decus existimamus. Edmundus ad eam rem nec opinatam non nihil commotus, raptim ad Deum erecta mente, vbi se collegit, paucis officiosè redditis, adiectoque Præpositi Generalis iniussu nulla licere honoris insignia in Societate admitti, ne inter viros humilitatis professores aperiretur ambitioni aditus; vehementer eos, & vniuersos Academicos rogauit, vt tam promptam voluntatem ab se in totam Societatem, in qua postremus ipse esset, transferrent. Quæ ea ingenuitate, sensuque animi tam vero, ac vehementi protulit; vt nec vltra eius modestiam contristare perrexerint: ac beneficij remissionem vniuersa Academia pro beneficio duxerit. Nihilò in eum minora erant Canonicorum studia, enixèque certabant, vt in annum proximum Ecclesiastem principi templo impetrarent. At Senatus, ac Ciuitas omnis rebus ipsis testata est beneuolentiam. Angusto tum, incommodoque domicilio Tolosæ Patres vtebantur. Collata ergo pecunia sanè grandi, Senatus, ac reliqui Ciuium domum illius perutilem, & magnificam, tota, vt aiebant, Gallia celebrem, à Bernoio (cuius nomen retinebat) pecuniosò homine ante annos quadraginta extructam coëmerunt: nec quicquam se optare dixerunt aliud, quàm vt frequens Tolosæ habitaret Edmundus. Fremere inter hæc Hæretici, atque iactare à Patribus Capitolinis (qui Magistratus est eius vrbis) dilapidari communia bona: suaque, se inuitis, ad alienos auerti. Hæc, aliaque strepentes cùm haud quicquam Tolosæ proficerent; apud Regem instant, ne in eam rem consentiat. Hæc fuit causa cur Augerius Parisios vsque se ferret, Hæreticorum vt apud Regem conatibus obstaret. Ad hæc Tolosates Oratoribus, quos mittebant in Regiam, impensè Collegij negotium commendarunt. Iam Societatis Parisiense Collegium eò celebritatis venerat; vt Academia, quam intenderat litem, vltrò consenescere pateretur: eò magis, quòd iam Theologorum ordo, cùm recusasset quibusdam contra Societatem literis subscribere; apertè significarat, tandem se in eam venisse sententiam, vt expedire censeret Reipublicæ Iesuitas & esse, & docere Parisijs. Non tamen desistebant aduersarij, dum ab aperta oppugnatione cessant, quasi furtim cunicu-

55 Augerij res Tolosæ gestæ.

56 Tolosatum caritas in Augerium.

57 Eorundem benignitas in Collegium.

Digitized by Google

58 Comestabilis, & Anuillanus Societatem defendunt.

los agere, falsis criminibus apud Principes viros ferendis. Anna Momorantius Comestabilis, seu magnus Equitum Magister, & eius filius secundo loco genitus Princeps Anuillanus sub Ferias Paschales Lutetiam cùm venissent, continuò ad Comestabilem Gallandius Academiæ Rector accessit, opem rogans ad Iesuitas exterminandos, quos longa oratione conabatur Academiæ pestem ostendere. Deinde cùm Prætor quæstionum inter Sicarios (causas criminales vocant) cognito è quibusdam gymnasijs prodire noctu, & turbulenter per vrbem vagari iuuenes; Rectorem ea de re admoneret; Rector, ac Petrus Ramus haud cunctanter respondêrunt, fontem mali Iesuitas esse. Quippe cùm ad eos, licentiæ causa, plurimi accurrerent, neminem Regentium posse continere in officio suos. Quicquid enim seueritatis adhiberetur, statim se migraturos ad Iesuitas interminari. Verùm hæ quoquè criminationes, patrocinante Prouidentia, ad illustrandam magis innocentium industriam, quàm ad obscurandam famam valuerunt. Namque Anuillanus, qui fortè præsens intererat, post egregiè Societatem apud parentem defensam, & Quæsitor ipse obtrectatores graui oratione increpitos silere iusserunt, nec criminari, sed imitari Iesuitarum institutionem. Et Comestabilis, cùm

59 Verba Comestabilis ad Socios Parisienses.

ad eum Patres, Anuillani monitu, purgaturi calumnias adiuissent, in hunc eos modum affatus est: Nequaquam me fugit quàm multa Societas vestra in Gallia perpessa sit, postquam præsertim dissidium in religione publicè factum est. Ceterùm vos æquiore hæc animo ferre debetis, quòd sunt vobis cum optimis quibusquè communia. Ac recordamini quicumque in Ecclesia Dei magnum aliquid moliti sunt, magnas etiam, vti vos, difficultates expertos esse. Quòd si qua simplicitate, quaque pietate cœpistis Ecclesiæ Dei prodesse, reique publicæ pergatis; nihil est, quod vobis magnopere timendum sit: istis enim præsidijs tuti eritis. Quod attinet ad me, operam meam nullo vnquam loco desiderabitis. Accessit idem sub tempus ad Societatis res Lutetiæ decorandas christiana Perpiniani mens ore potens Tulliano. Huc denique, tanquam in campo digno se, maiore manum momento collaturus Lugduno missus, & orationes, quæ editæ extant, de retinenda veteri religione exorsus, magnum Catholicis nomen peperit. Auditus est cùm primùm dixit, haud sine Hugonottorum insigni dolore; qui cùm ex composito obturbaturi in auditorio stetissent; vbi suam sectam impietatis discipl nam appellari audiuerunt, in furias acti, primùm sibilis, deinde etiam grauiore iniuria perturbare dicentem conati sunt. Sed superante eorum petulantiam tum modestia, & eloquentia christiani oratoris, tum Catholicorum iusta ira, qui districtos interposuerunt gladios, nil deinde attentare ausi. Sed enim dum maximè floret Perpiniani nomen, perque eius claritatem quantùm Maldonato doctore theologia, tantùm latinæ literæ Claromontani Collegij celebrantur; magna sanè iactura, læuoque tempore (quantùm humana vident consilia) canora illa tuba infracta est. Quinto Kalendas Nouembris obijt vir religiosissimus, nec sui modò temporis eloquentissimus, verùm etiam quo ad Tullianam facultatem haud facilè quisquam vlla propiùs ætate accesserit. Quòd si diutiùs vita suppeditasset, tum præsertim, cum iam vnà cum ætate viri matureſcebat oratio, nec vmbratiles, sed veras, adeoque illustres, & graues tractabat causas; enimuerò expressam posteris christiani oratoris formam reliquisset, haud multùm ab perfecta distantem. In ceteris summi oratoris dotibus actio Perpiniano fuit excellens. Species erat decora, & tanquam flori iuuentæ senilem inspergere maiestatem natura festinasset, barba, & capillus præcanus. Annum sextum, & trigesimum agebat ætatis cùm raptus est, modica semper vsus valetudine. In Societatem anno voluentis seculi primo & quinquagesimo Septembri mense dederat nomen. Multos annos in Lusitania Latinas, & Græcas literas docuit: aliquot dein Romæ. Idque aiebat sibi Dei concessum munere, vt perinde libenter, atque accuratè paucos doceret, ac multos: nec tam auditorum spectaret numerum, quàm quid ipsa res ab se, & muneris sui perfectio postularet. Quod quidem præclarum est: sed diuina iuuante gratia religiosis vsitatum Magistris. Nam, quemadmodum lucri mortalis, aut gloriæ causa docentes, est cur de auditorum infre-

60 Perpiniani claritas Parisijs.

61 Eruſdem acerba mors, ætas, virtus.

quen-

Digitized by Google

quentia doleant: quòd ea re fit, vt minùs id aſsequantur, quod deſtinarunt; ita doctoribus ſacris, quibus deſtinatum illud eſt vnum, vt ſe totos ad Dei voluntatem, ex Moderatorum interpretatione, conforment; cùm id in exigua, ac numeroſa claſſe iuxtà conſequantur; cauſa vtrobique par eſt, cur induſtriæ vires intendant: atque adeo, ſicut nobilis auditorij, numeroſique laboribus non vincuntur; ita nec exigua, & ignobilis ſchola faſtidio eſt. Perpiniano tamen iucundum fuit in propugnatione fidei, tanquam in acie occumbere, qui profitebatur, ſi vel vnum à lapſu ſuſtinuiſſet, luculentum ſe profectionis in Galliam ſuæ pretium habiturum. Sub ipſum exceſsum, cùm lectulo circumfuſi omnes domeſtici adeſſent, precatus primò à Moderatoribus, dein à cetera corona veniam, ſi quem prudens, imprudens ſue offendiſſet, eoſdem modò adhortans ad perfectè Deo ſeruiendum, modò ſuauiſſimè Deum, & Chriſtum Dominum alloquens; vberem omnibus fletum exciuit, miſerantibus inter cetera tantam virtutem, atque indolem pulcherrimo in flore decerpi. Sed manus Dei non errat. Nec minùs commiſerati ſunt Catholici Pariſienſes pariter demortui, & ſuperſtitum Sociorum quaſi orbatorum vicem. Ad hæc & multis per vrbem ſparſis græcè, latinèque carminibus, Oratoris memoria decorata eſt. At Hæretici nec diſſimulauerunt ex publico mœrore lætitiam: cùmque ferrè non poſsent, tam celebrem defenſori catholico ſupereſſe famam, quam non niſi ex ipſorum refutatione collegiſſet; contrarios laudationibus bonorum euulgarum libellos. Perculſis acerbo caſu Pariſienſibus, in tempore adfuit ab Toloſa Augerius. Is, dum Collegio Toloſano emptarum à ciuitate ædium negotium apud Regem tranſacturus aliquot dies Pariſijs egit, volente Epiſcopo, dicere ad concionem inſtituit. Inclytum iam pridem erat maxima illa in vrbe Augerij nomen. Quare ad eum audiendum, quanta vnquam ad pauciſſimos, confluebat ingentibus ſtudijs multitudo; cùmque eum certatim variorum ad ſe templorum Rectores accerſerent, multa peruagatus, populi totius Pariſienſis ſtudia commouit. In Cuſtodijs quoquè, in Noſocomijs, ipſa demum in Regia dicere iuſſus eſt. In Toloſana cauſa multùm habuit dimicationum: ſed proſperè confecta eſt, inſigni Regis, Reginæque Matris fauore. Cardinalis autem Borbonius ita fauit; vt Hæreticorum quendam in Senatu ipſo, coram Rege, ac parente, grauiſſimis caſtigarit verbis: adijciens indè conſtare Ieſuitarum cauſæ æquitatem, quòd eam Hæretici impugnarent. Geſta igitur è ſententia re Pariſijs, auctoque totius Societatis nomine, Edmundus, exeunte anno, Toloſam abſceſſit in ſummo templo, ex Canonicorum voto, per ſacrum ver oraturus.

62 Magiſtrorum Religiolorum quæ propria virtus.

63 Augerij celebritas Pariſijs.

64 Principum ſtudia in Toloſanum Collegium.

In Hiſpania Toleti, pro Collegio, quod inchoatum erat, domus Profeſſorum inſtituta hoc anno. Placuerat Generali Conuentui in vnaquaque Prouincia vnam inſtitui. Toletumque iam diu Franciſcus deſtinarat ſedem Profeſſis. Ineunte Iunio factum initium Ioanne Valderauano præpoſito. Adfuit rebus ordinandis Conſaluus Prouincialis: eòdemque complures euocauit Sacerdotes, qui de more Societatis tertium, poſt conſummata doctrinarum ſtudia, conficerent probationis annum. Profeſſorum initiò adfuere Simon Rodericius vnus è decem, Franciſcus Strada, qui Prouinciam Aragoniam, Emmanuel Lopius, qui Complutenſe Collegium, Paulus Hernandius, qui Murcianum rexerant, Antonius Corduba, alijque rebus geſtis, ac virtute viri præſtantes. Principium factum eſt ita, tanquam non Veteranorum, ſed Tyronum formaretur domus. Diſtributis in horas ſingulas cuiuſque diei religioſis exercitationibus, gaudebant viri grauiſſimi ſe, poſt longa Magiſteria, rurſus quaſi rudes informari, manuque duci: alternis diebus exhortationes de perfectæ virtutis ſtudijs, atque collationes habebant. Die Lunæ Prouincialis de conſtitutionibus Societatis loquebatur: die Mercurij Antonius Corduba de Confeſſariorum officio: die Veneris Emmanuel Lopius de ratione ſpiritum exercendi ex Sancti Ignatij libello. Ita ſe ad ſuam, & alienam vtilitatem excitabant viciſſim, & excolebant. Intermedijs diebus item conueniebatur in vnum: quodque quiſque ſuper pridiano ſermone cuperet audire, liberum erat percunctari, diſtributis, vt vnicuique commodiùs fieret ſatis, in quatuor partes Patribus, Fratribuſque: quarum partium tribus tres præerant ij, quibus diſſeren-

65 Toletanæ domus præclarum exordium.

66 Ratio diſciplinæ in ea domo degentium Sociorum.

di

di datum negotium diximus: quartæ ipsemet Præpositus Valderauanus. Infignis erat ad orandum seu mente, seu voce: ad conscientiæ labes cum vniuersas inquirendas, tum præcipuam quampiam nominatim obseruandam, delendamque: ad omnes explendas domesticæ disciplinæ partes conatus, & cura. Et, quia priores auctoritate, ac loco, ijdem & virtute præibant; blandum ceteris erat sequi per semitam decoris tritam, mollitamque vestigijs. Tantùm in vnoquoque ad abijciendum se, & cupiditates edomandas emicabat ardoris; vt, cùm incitatissimè omnes currerent; singulos tamen sui puderet, tanquam nouissimi irent, præcurrentesque longo nimis interuallo Socios intuerentur. Collocutiones de Deo, rebusque diuinis, deque rationibus, per quas profici, tractarique religiosa munia quàm absolutissimè queant, vt inter, tyrones fit cùm primitiæ spiritus calent, assiduæ potius, quàm frequentes. Illud maximè in sacris commentationibus agitabant, eò peculiarem conscientiæ obseruationem intendebant, id denique & in consuetis inter se à mensa congressibus pertractabant; quemadmodum magis, ac magis cum Deo, cumque moderatoribus, itemque cum fratribus caritate, obsequio, beneuolentia iungerentur: quemadmodum suas quisque appetitiones infringerent, propriamque exuti sententiam, & induti Antistitis, imperata quæcumque fortiter, & libenter exhaurirent. Inter hæc deriuabat ad proximos cura. Amplius duodecim per Parœcias alij alias, per Nosocomia, perque Custodias verba faciebant, Quo Euangelij sonitu, & cetera Euangelistarum sedulitate, magnopere aucta Sacramentorum frequentia. Toletani commoti, nunc demum incipere sibi oboriri lucem aiebant, & palàm fieri quid Societas esset, fortunatam appellantes vrbem suam, cui contigisset Professorum habere domum. Itaque de maiore, & aptiore situ, deque templo ædificando permulti agebant: vtque feruebat in Patribus pietas; ita in populo (quod vbique fit) ad conferendam stipem exuberabat benignitas. His orta natalibus Professorum Toletana domus. Quæ instituta, quanquam perpetuari neque nauanda proximis opera, neque dominorum aliarum communis disciplina permisit; intelligimus tamen, Deo benignè hanc suam familiam respiciente, ita ferè sanctum feruorem viguisse, vt frœnanda potiùs, quàm stimulanda fuerint studia Sociorum. At sempiternus bonorum hostis Diabolus, quò videbat inter infesta Hæreticorum tela magis roborari, & crescere eandem Domini aciem, atque in pacatis terris Nouitiorum, ac Professorum domicilijs ad perfectionem acriùs eniti, contraque ipsum copiosiùs instrui; furebat scilicet dolore, & vias scrutabatur omnes, si quà irrumpere ad euertendam, vel irrepere ad insigni aliqua deformandam nota posset: vt vel deleretur, vel frustrà esset. Indè cuncta dum pessimus circuit, rectè factis ad maleficia suo ritu abutens; eò arietem admouet, vbi iam labis aliquid videbatur fecisse. Antonius Araozius, quamuis à Vicario Borgia Romam ad creandum Generalem compluribus literis, & incredibili studio vocatus esset, rogatusque, vt, si fortè Prouinciali Conuentu non designaretur; tamen extra ordinem adesset, cuncta Societate non modò probatura, sed & in beneficio posituta tanti viri præsentiam; tamen & apud Patres Prouinciæ ne se designarent, & apud Vicarium, ne Romam extra ordinem veniret, valetudinem, & negotia excusauit. Ceterùm supra memoratum est, quanto Patres consensu Assistentem eum, quamuis absentem, crearint. Hic locus maximè opportunus ruinæ Diabolo visus est. Porrò cur tanto consensu Assistentis munus ad Araozium deferrent Patres; duasprecipuè (quantùm coniecturæ satis firmæ ostendunt) habuerunt causas. Primùm norant virum illum permagni esse consilij, eiusque sententiæ, vt ad firmanda potiùs suscepta Collegia, quàm ad propaganda contendi vellet. Quæ cùm videretur sententia accommodatissima tempori, in eamque Patres decretum edidissent; temperando Patris Francisci studio, & penè prodigæ caritati, perappositum existimabant. Certi de reliquo eam Francisci modestiam esse, eamque Societatis quàm optimè administrandæ voluntatem, denique eam vtriusque virtutem; vt inter se haud difficilè consentirent. Deinde verissima eadem erat occasio graues multorum sistendi querelas. Nam, tametsi multa ad Dei obsequium in aula, Principumque virorum familiaritate moliebatur,

& effi-

67 Eorundem ardor perfectæ virtutis.

68 Toletanorum erga Patres benignitas.

69 Turbarum aliquid in Hispania.

70 Vnde consensus tantus in creando Assistente Araozio.

Digitized by Google

& efficiebat Araozius; tamen negotiorum tractatio publicorum, atque adeo profanorum, cum per se inuidiæ multum habet ad vulgus, tum maximè si à viris religiosis, quorum longè alia professio est, attingantur, eaque in Ordinem vniuersum fermè redundat inuidia. Ergo cùm plurimùm apud potentes posse Araozium fama ferret, nec pauca eius consilio geri; frequentes aliæ ex alijs existebant querelæ, & latiùs quàm querelæ, damnum patebat. Namque indignati Procerum plerique, ac Præsulum suam bonam, malamue conditionem ab homine Iesuita suspensam, quod in ipsum met stomachus suggerebat, & offensæ timor premebat; in cetera effundebant membra innocentis Sodalitatis. Comparatum autem sic est isto rerum in genere, vt, cum nequat vni commodari, quin doleant multi competitores; grauiùs tamen vnius noceat dolor, quàm multorum prosit voluptas: quin & his ipsis quàm voluptati res est, tam est oneri gratia. Hæc ita cùm essent, Patres Hispanos angustiæ vrgebant vndique: nec probare Araozij facta, nec damnare sine offensione poterant. Indè abalienari animos, & distrahi, cooriri suspiciones, & quasi factiones necesse erat. Prostabatque ceteris Prouincijs, ac futuris ætatibus haud rectum exemplum. Quæ mala omnia vno quasi recidebantur ictu, si Araozius ex Hispania auocaretur. Talia nimirum considerantes in conuentu Patres, perlibenter occasionem amplexi, per quam tantam viri auctoritatem, ac rerum agendarum prudentiam ad negotia diuinæ gloriæ, cum lucro ab iactura vacuo, traducerent; consensu maximo Assistentem fecerunt. Ceterum ad hoc consue faciendus cum diuina gratia animus est, vt, posteaquam piè, prudenterque consulueris, euentum præstoleris è cælo, vtcumque cadat, rectè paratus ferre. Etenim hæc ab religiosissimis viris tam maturè, & consentienter, tanque integrè, nec nisi: ad gloriam Dei maiorem gesta, simulatque cognita in Hispania sunt, longè aliter sunt à multis accepta. Id Araozio muneris non ad honorem, sed ad pœnam impositum; non vt Societatis curet commoda, sed vt regia ne curet: non ab recto consilio eam suffragationem, sed ex occæcato perturbatione animo, atque insectatione natam; ad vlciscendum dolorem, quòd vir integer Regno prospiciens, numquam censuerit pecuniam, aut Socios auehi ex Hispania oportere. Itaque homini optimè de sua familia, de Ecclesia Dei, & regnis Hispaniæ merito, id vnum fraudi esse; quòd regia diplomata liberè propugnarit, fideliterque obseruanda semper censuerit. Hæc Rodericus Gomius à Sylua non modò sentiebat, & disseminabat, sed etiam ad Borgiam scripsit. Indè gliscere vsque eò infesta per aulam suspicio, tantùm ardere inuidiæ, vt fuerint è Dynastis, qui tanquam inuocata re dicerent, hinc profectò cognitum iri familiam hanc Deo cordi esse, si tanto incendio non conflagraret. Euasit, benigno Numine, ex hoc, alijsque incendijs haud paulò grauioribus: & spes est etiam in posterum euasuram. Nam vt non incidant, neque expectandum, neque (dummodo absit Dei iniuria) exoptandum est. Araozius inter hæc, quanquam & valetudinem excusabat interdum, dicebatque sat sibi Romæ nionum esse, quòd septies, & quidem quater adijsset pedes, & quædam à Pontifice iuncta sibi concordiæ inter ipsum, ac Regem cuandæ causa memorabat; tamen ad iter accingebatur, Patresque rogarat, ne ante suum aduentum finire Conuentum vellent. Cùm post alias, atque alias procrastinationes, tandem Roderici Gomij haud dubiè consilio, Rex à Borgia petit, primò, vt ad aliquod tempus, deinde vt prorsus ab omni professionis Romanæ cura liberum Araozium in Hispania iubeat permanere. Quod Pater Franciscus, cùm quidem, quantùm ad se spectaret, quoniam totius Societatis arbitrium esset Assistenti abrogare munus, vel absentiam diuturnam permittere (quia post consultationes, & fusas ad Deum preces, nulla succurrebat ad detractandum via) concessisset insuper Roderico Gomio, & Ordinis de cetero nostri, & virtutis studioso principi, modestè, grauiterque respondit. Abigeret procul ab animo falsas illas suspiciones: neque, si quis obtruderet, ad aures admitteret. Quod enim in Generali Conuentu tot, talesque viri tanto consilio, prudentiaque gessissent, malè condemnari. Exploraret, cognosceretque Congregationis acta: intellecturum se, & ceteros Patres eiusdem, atque Araozium, sententiæ esse: obseruanda diplomata regia, idque decreto sanciturn,

71 Publica negotia Religiosis non attingenda.

72 Vitari offensiones non possunt.

73 Malignæ interpretationes muneris Araozio impositi.

74 Quanta indè exorta procella.

75 Satis sit Hispaniæ Proceribus de Araozij in Assistentem electione.

ne

ne dum fraudi ea res illi fuerit. In summo illum post Generalem locatum gradu; quodque maximè fiduciæ documentum sit, appositum Generali ipsi custodem. Præterea Franciscus, domesticis cunctis silentio ijs de rebus indicto, Bustamantium, quem Visitatorem (vti supra dixi) mittebat, ante omnia iussit incumbere ad sedandas tum domesticorum aduersùs Araozium, tum Procerum aduersùs Societatem suspiciones. Ita demum, Deo propitio, si non persanata, saltem obligata est, & coërcita plaga: vt, quantumuis fremeret pacis, ac pietatis osor æternus; nec ad integra malum serperet, nec fœditas appareret foris. Sed Araozium, quanquam ille forsitan mansionem magis è diuina opinatus est gloria; tamen quòd non sua sententia post iudicium totius Conuentus habita, quà quà liceret, iter Romam extricasset; pij, prudentesque viri haud satis probarunt.

76 Iacobi Suarij sancta migratio.

Murciæ Iacobus Suarius, qui Paulo Hernandio Rectori paulò ante successerat, Kalendis Iulijs ad immortalem migrauit vitam, relicto domi, foràsque celebri sanctitatis nomine: adeo vt eius caput honorificè asseruetur, & colatur, tanquam viri sancti monumentum. Hoc inter cetera mirum narrant diuinæ pignus erga eum benignitatis. Sanctimoniales Sanctæ Claræ, quarum Murciæ sat procul ab Collegio Societatis Cœnobium est, cùm intempesta nocte ad consuetam surrexissent psalmodiam, quandam supra Collegij tectum videre lucentem flammam. Incendium arbitratæ, extemplò qui admoneret Patres, ad Collegium mittunt. Porrò ad eam denuntiationem, dum singula Antonius Aluarius Collegij Minister, & Ludouicus Ruitius ianitor trepidè scrutantur, neque vllum publicis locis incendij vestigium reperiunt; aggressi singillatim aperire cubicula, ad Patris Suarij conclaue perueniunt. Eo patefacto, rem conspicantur miram, ipsum Suarium extra lectulum ad parietem facie versa orantem, tribus fermè palmis à pauimento sublatum: cumque perstaret immotus, & diuinæ immersus dulcedini nihil sentiret; quò res testatior esset, properè excitant, accersuntque Paulum Hernandium Rectorem, qui acourrens idem miraculum oculis suis perspexit, nihil vnquam sentiente Suario. Hinc gratiæ ijs, qui de igne admonuerant actæ, iussique securi esse, quòd Patres, re deprehensa, vidissent nihil ex eo metuendum igne. Non tamen Rector passim vulgari prodigium passus est. Et sanè nihil à vita Suarij hæc documenta abhorrent. Magna constantia parentis, à quo omni ope reuocabatur, refutatis conatibus, diuinum ea perfectione auspicatus est famulatum; vt adhuc Nouitius Nouitijs præfuerit. Duodecim dein annis, quibus in Societate vixit, intentiore semper cura, ad religionis culmen contendit. Magnam huius temporis partem egit Murciæ: quo tempore nunquam defatigatus laboribus, imò nunquam exaturatus, peragrandis magna cum paupertate pagis, edocendisque agrestibus, Apostoli acquisierat nomen, haud ex vano, cùm & facta haberet. Inlignis erat viri modestia virtutum decus, & facies ceterarum: vultus semper idem, verecunda quadam, summèque amabili hilaritate conspicuus. Diceres non tam habere in potestate, quàm non habere perturbationes. Hisce virtutibus, & coniunctione cum Deo arctissima, id quod summè optandum est, consequebatur, vt ædificationi intentus, nihilque vlla ex parte destruens, incrementis opus diuinum maximis, cum omnium approbatione, & gratia promoueret. Reliqua de Apostolico viro anni sexagesimi volumine prodita sunt. Eiusdem Collegij patronus insignis Conchæ decessit Alfonsus Ramirius Vergara, vitæ integerrimæ fortitus exitum parem. Iussit corpus suum in Collegij Complutensis templo condi: sed ab ijs, apud quos depositum est, veluti sacrum pignus asseruantibus, nunquam potuit impetrari. Vir fuit, & doctrina clarus, & sanctimonia venerandus, & auctoritate potens. Quinquies delatas Episcopatuum recusauit insulas: atque in suæ argumentis salutis hæc duo numerabat, vt alibi etiam indicatum à nobis est. Primum, quòd cultorem animæ suæ habuisset Patrem Franciscum Villanouam, à quo præscriptam vitæ rationem, ad extremum vsque spiritum, accuratè seruauit. Deinde, quòd non passus Deus esset ipsum muneribus Præsulum, & peccatis alienis onerari. Societas illi & pro subsidijs, quæ Complutensi, & Conchensi Collegijs dedit, & pro summo studio, quo semper tutatus eam est, vtutique suam rem amplifi-

77 Doctoris Vergaræ sanctus exitus.

plificare, & ornare ſtuduit, primis præſertim temporibus, cùm & amicorum, & rerum penuria erat maior, ſanè plurimùm debet. Hoc eodem anno Naualcarnerenſis cœpta eſt ſedes, & Collegio Complutenſi tanquam membrum ſubnexa. Eſt Naualcarnerum in Archiepiſcopatu Toletano pagus frequens: pagi eius diues pro loco Sacerdotium habebat Doctor Baptiſta Madridius. Is cùm ageret Romæ, ab hinc biennio, impetrato à Pontifice Pio Quarto, vt domicilium Societatis Naualcarneri fieret, in eamque rem illud Sacerdotium conferretur, ſe ipſum inſuper Societati dedit. Sed, ſubortis difficultatibus, in hunc annum extracta domicilij res. Quibus demum à Pio Quinto expeditis, Martinus Hernandius præpoſitus ei ſedi eſt: eique ſex deinceps annos præfuit, ingenti paganorum bono: non vna tantùm, vti erat in conditionibus, ſed tribus diſcentium inductis claſſibus, vt accurrenti multitudini fieret ſatis. Deceſſit Trigueri ſexto Idus Februarias Ioannes Leonius, quem ab lenitate vocitabant Agnum. Quinquennium tantùm in Societate vixit, ſed ſecundùm Societatis mores vitam omnem. Quippe Xerij natus, & inſtitutus, pueritiam, itemque adoleſcentiam extra omnes ætatum illarum non modò errores, ac vitia, ſed & leuitates egit. Cùmque ad inſignem doctrinam humanarum, ac diuinarum rerum, atque ad omnem virtutis laudem profeciſſet; id laborauit vnum; vt ſua hæc bona cum quamplurimis communicaret. Philoſophicæ orbem ſcientiæ bis docendo permenſus, inter cetera emolumenta, tres Societati viros egregios peperit, Ioannem Leonium cognominē ſibi, eundemque fratris filium, Franciſcum Dionyſium, & Ludouicum Franciſcum Quirium. Quorum poſtremus in Florida fidei odio extinctus occubuit: primus in Prouincia Rhenana complures annos, alter in India Goæ Theologiam profeſſi. Inter quos labores & ad populum pro ſuggeſtu agebat, & confitentium regendis animis præerat, & alia omni ope ſerere honeſtatem, & educare conabatur: ſua habens interualla, per quæ multùm cum Deo ſolus eſſet. Itaque & propter doctrinæ, & eloquentiæ ornamenta, ac multo magis propter ſingularem innocentiam, modeſtiam, caritatem, pietatem, ſummo apud Xerenſes in pretio erat. Ille tamen eaſdem animaduertens curari vtilitates publicas poſſe maiore compendio, ſi ad ceteras virtutes obedientiæ lucra adiunxiſſet; conſummandi Holocauſti amore, Societati dedit ſe, annum iam tertium ac trigeſimum agens. Maximè valuit præconio verbi diuini: Hiſpalique, vbi primùm ſuſceptus, ac plurimùm diuerſatus eſt; conuerſiones morum eximias, eaſque apprimè conſtantes fecit. Mirè idem lenis, ac vehemens, dulcis, & acer: diuinaque oracula tam aptè proferens; vt nata ijs locis, nec alio conſilio ab Sancto Spiritu edita viderentur. Quam rem meditatione aſſequebatur: non enim ad cogitata ſua accommodare ſacra verba (quod quidam putidè faciunt) enitebatur, ſed ex meditatione eorum, quicquid dicturus eſſet eliciebat. Medico, vt inſtantem ſibi mortem nuntiauit, gratias magno gaudio egit, & oſculari dexteram voluit. Xerenſes vbi mortuum acceperunt; apparatis exequijs honeſtarunt extructo cœnotaphio, cui pileum ſuperpoſuere theologorum inſigne Doctorum, & palmam: hanc in documentum perpetuæ virginitatis, quam conſeruaſſe illum non dubitabant: illud in teſtimonium cæleſtis ſapientiæ, ſimulque, vt opinor, modeſtiæ: redditur mortuo, quod viuus reſpuerat. Nam quamuis à propinquis, amiciſque compelleretur; nunquam tamen perpelli potuerat, vt è literarijs honoribus, præter philoſophicam lauream quicquam acciperet. Hìc iam inter Hiſpanas res ſubiungam Lucæ Zampelli exceſſum, quoniam Aragoniæ reſtitutam Sardiniam hoc anno dixi. Is Saſſaritanus origine Calari morte iuſtorum ſexto Kalendas Auguſtas occubuit: ætate non multò tricenario maior: in Societate fermè non niſi erudiens pueros, & audiens eorum confeſſiones haud vltra viceſimum menſem verſatus: ſed eo breui ſpatio virtutis ſtadium emenſus, oppidò quàm longiſſimum. Itaque ſimul è conſpectu ſublatus eſt (vt fit in iuſtorum deſiderio, quorum memoria in benedictione eſt) domi, foriſque miſti lætitia, ac mœrore ſermones diu tenuerunt varias viri celebrantium laudes. Ille aiebat: ſæpè mecum egit hic Pater, & nunquam vox ex ore eius inſonuit, niſi de Deo: neque id vnquam niſi cum animi mei ſumma iucunditate: & mirabar nunquam deeſſe, quod

78 Naualcarnerenſis ſedes.

79 Vita inſignis Ioannis Leonij.

80 Lucæ Zampelli vita laudatiſſima.

Digitized by Google

quod sanctè gratèque diceret: adeo vena cordis abundabat. Dicebat alius: Ex quo die hunc Dei hominem vidi, nihil magnum, aut paruum animaduerti in eo, quod leuissimæ culpæ affine, vel à perfectione alienum videri posset. Ego verò, alius subijciebat, mirabar indefatigabile corpus pariter, & animum laboribus caritatis. Alius excipiebat: Quid illa tranquillitatis amabilitas, vt rapiebat! Alij alia prædicabant. Sed libet testimonium afferre Petri Spigæ optimi viri de optimo. Eum, inquit, nos omnes pro speculo habebamus obedientiæ, grauitatis, humilitatis. Vrebatur corpus supremo tempore morbi atrocitate, & os illud sanctissimum ab laudibus Dei nunquam cessabat. Ambo nos in eodem pariter cubiculo decumbebamus: atque ille nunc solus dulcissimis colloquijs cum Christo Domino agebat, nunc cum infirmorum curatoribus vltrò sermones de patientia conferebat. Ex quo die in hoc Collegium pedem intulit, nunquam eum vidi tristem, nunquam quicquam desiderantem, aut anxium, aut perturbatum: sed ore semper vultuque Angelico, cùm summa, quæ latebat in animo pax, & tranquillitas clarissimè in oris specie emicaret. Eodem vultu ad faciendam rem sacram, eodem ad excipiendas confessiones adibat: eodem docebat prima elementa literarum pueros: eodem claues sumebat ostij, & ianitoris explebat partes: palàm vt appareret in rebus eum omnibus quærere Deum, & inuenire. Minimè durus, aut austerus: nunquam ab se amariorem quempiam dimittebat. Quicumque in consuetudinem eius inciderent, pietate rapiebantur: semper enim in ea cælesti lingua verba, ac sententiæ insidebant prudentes, & copiosæ, quæ suauiter iuxtà, atque efficaciter influebant in animos audientium, vinciebantque magno cum eorum bono, qui nunc illi quam possunt vberibus lacrymis, precibus, ac præconijs grati vicissitudinem officij rependunt. Quoties inter nos agebamus, sentiebam ego in me nouum ardorem, & accessionem diuini amoris, & aliquem gustum diuinitatis. Itaque cum placuit Deo illum euocare, optimam mei partem amisi. Hæc, atque alia Petrus ad Ioannem Victoriam Visitatorem Sardiniæ scripsit. Cuius in epistolæ, quam conseruauit, fronte Visitator adscripsit, suo iudicio multò plura de sanctimonia eius viri affirmari posse. Quæ quidem ego, quia explicatiora non reperi, nequeo referre. Sed Deus haud dubiè fideliter in monumentis vitæ custodit, in magna olim Iosaphatæ Vallis panegyri promulganda. Illud addiderim fuisse eam virtutem haud exitu magis, quàm principio memorabilem. Sub primam iuuentam initiatus Sacerdos, & in sacrorum ordinem senum adscriptus, nihil moribus, nec mente, nec lingua de iuuentum profana leuitate mutarat. Pangendis delectabatur patrio sermone versiculis, tam facultate non malis, quàm argumento non bonis. Amabant sodales opuscula, & interdiu, noctuque cantitabant. Viros graues cum poëseos genus, tum poëtæ persona magnopere contristabat.

81 Zampellus per P. Spigæ verba in alium mutatus.

Hæc Zampelli Presbyteri cum essent studia; fortè Nosocomium intrauit, dum Pater Spiga ægrotis omnii officio ministraret, coniectisque oculis in sacrum administrum, dum attentus contemplatur nunc grabatos sternentem, nunc pauimentum verrentem, nunc consolantem ægros, tacitusque secùm miratur præclari seruitij sedulitatem; Spiga ita compellat: Quin Domine, & ipse his minimis Christi aliquid nauas laboris, & adiuuas me? Age, expedi manus: Christus sibi, quod his impenderis, imputabit, & mercede benè grandi rependet. Mirum Deus famuli voci pondus adiecit. Totum repentè hominem immutauit. Itaque non statim modò adiutorem se Spigæ Zampellus adiunxit, sed delectatus opere, sæpiusque repetito captus, cum eo & poëticam, & omnem suam mutauit curam. Procurationem Nosocomij suscepit: eamque non imperio magis, quàm famulatu, æquè mente solers, ac manu impiger administrans, & ex locupletum benignitate domicilij inopiam leuans, omnia breui ita composuit, vt munditiem, ordinemque ministerij, & caritatem obsequij spectatum accurreretur: nec interim minor spectaculi pars ipse procurator esset. Iamque, velut ad omnium virtutum patronum, qui Christianam vitam ex animo vellent capessere, quique ab seculo fugam meditarentur, apud Lucam perfugium, latebras, auxilium, institutionem inueniebant: cum ille, quamuis posset familiam ducere, & suarum gloria virtutum

82 Nosocomij procurationē suscipit.

frui,

frui, non ſine ægrorum immenſo dolore, ſub obedientiæ iugum, & ſanctæ obſcuritatis vmbram contulit ſeſe. Receptus in Saſſaritanum Collegium, & indè ad Calaritanum fundandum miſſus, dignus fuit, qui nouæ illius coloniæ egregium ſpecimen non modò ciuitati præberet, ſed etiam cælo primus inferret. Vtrique Sardiniæ Collegio Saſſaritano æquè, & Calaritano locupletem caritatis promendæ materiam præbuere milites, ſocijque nauales ex Hiſpana claſſe in Melitæ propugnationem parata, qui vel ad reficiendas vires, vel ad hyberna in Inſulam appulſi ſunt. Multum operæ pacandis ipſis inter ſe, conſeruandaque cum ciuibus pace, magno publico bono, multum erudiendis, expiandiſque impenſum eſt: longè verò plurimum ſubleuandis ægrotis, quorum & numerus ingens, & calamitas ſumma fuit. Itaque quam vrbano populo adhibitam Romæ curam ſupra eſt proditum; eam fermè omnem Sardi Socij contulerunt in milites peregrinos. Quin adeo & hortatibus eorum, & exemplis omni Ciuitate permota, id certamen exarſit in medicamentis ſuggerendis, & veſtimentis, & cibarijs etiam exquiſita conditis; vt milites confuſi nunquam mirari deſinerent, conſenſuque clamarent, ſatis apparere Deum in ea Ciuitate eſſe, vbi tantum caritatis vigeret. Ita deliniti nullo negotio animarum quoquè medicinam ſuſcipiebant. Nec defuerunt qui ad militiam noſtram ab terrena illa tranſirent. Ceterùm pius labor haud paruo Dei famulis ſtetit. Quippe Calari indè non pauci, & Saſſari tredecim eodem tempore per duos fermè menſes decubuere. Tum verò benigna Ciuitas, quæ claſſiarios alienos, & corporum defenſores ita ſtudiosè curarat, quales erga præſidiarios ſuos, nec modò corporum, ſed præcipuè animorum propugnatores, gereret animos patefecit. Non ſecus ac de filijs parentes, deque parentibus filij promiſcuè omnes, primi, medij, nouiſſimi ſoliciti, nunquam defeſſi, nunquam ſibi facientes ſatis, omni officio, & ope iuuerunt. Cerneres clementiſſimum è Cælo Dominum ſuis vicem ſeruis rependere eius benignitatis, quam in alios ipſi prompſiſſent. Per ea ciuium auxilia recreatis ceteris, vnum ſibi de præclaro manipulo, quaſi decimam, decerpſere Superi Ioannem Olmedam. Tametſi Patres cum reliqua, tum receptacula ægris quàm potuerant optima, curarant; tamen copia languentium exuberans fecerat, vt in Noſocomio lectis humi ſtratis quaterni, quiniue iacerent. Olmeda miſerorum vt confeſſiones exciperet, nec proximi exaudirent; prouoluebat humi ſe, vel ſternebat medium inter iacentes, & ad eorum os applicabat aures. Ita multas quotidie dum perſeuerat horas, vitamque ſuam oblitus, animas tantùm miſerabilis turbæ cogitat; ex loci pedore, ſituque, ac vitiato morboſorum anhelitu, virus in venas recepit: vndè ſublatus terris, & genitus cælo eſt. Inter ceteras laudes (nullam enim religioſi viri deſiderabat) eam modeſtiam, eamque obedientiam conſtat fuiſſe, vt Balthaſar Pinna, qui complures annos ei præfuerat, ita profiteretur: Quicquid Olmedæ vnquam iniunxiſſet, cùm ſanè multa, & ardua in ſumma Sociorum penuria, & laborum copia plurium annorum vſus poſtulaſſet iniungi; eum nunquam vultum mutaſſe: ad iuſſa quælibet & promptam exhibuiſſe, & ſimplicem, & hilarem obſequelam. Caſtellanus erat natione, ſex & triginta ætatis, ſex circiter Societatis annos numerabat. Ante eam initam iuuandis proximis dedicarat operam, præſertim confeſſionibus audiendis. Saſſari, præter Sacerdotales labores, etiam Humanitatis, & Rhetoricæ iam indè ab ſcholarum initio diligenter, ſatiſque doctè tradebat. Inter hæc Viſitator Victoria præclarè multa conſtituit, & ad communem Societatis normam redegit. Diſputationibus multis, & grauibus inſtituta Ordinis, legeſque, & Congregationum decreta expoſuit. Tyrocinium ex mente Borgiæ (vt cunctis in Prouincijs paſſim fiebat) ordinauit, Tyronibus Calari collocatis. Explicationem catechiſmi ſexta quaque Feria in templis Collegiorum, itemque ſacris diebus diuinæ Scripturæ popularem explanationem, quam ipſemet auſpicatus eſt, in morem induxit. Tyronibus Franciſcum Antonium præfecit: quo Romam accito, vt in Germaniam mitteretur, Balthaſarem Pinnam ſubſtituit. Magna auctoritate apud primos quoſque erat, magno domeſticis exemplo, magno vſui populo vniuerſo, tum priuatis congreſſibus, tum laborioſa tractatione verbi diuini. A Prætoribus, ac Prorege quicquid è re Collegiorum fuit libera-

83 In Sardinia ægris militibus ſuccurſum.

84 Obitus, & virtus Ioannis Olmedæ.

85 Res à Patre Victoria Viſitatore in Sardinia geſtæ.

Digitized by Google

liter impetrauit. Antiochus Bellitus, qui Sassaritanam præfecturam gerebat (in hanc enim, & Calaritanam Insula omnis diuisa erat) ingressus Collegium sub prandij tempus, cùm ministrantem mensæ reperiret Victoriam; & ipse succinctus de more linteolo, insuperque aperto capite euicit, vt Dei famulis recumbentibus ministraret: ægrè coërcitus, ne postea lances quoquè purgaret. Ceterùm dum ad exactam cuncta normam redigere statim vir efficax Victoria studet; euitare non potuit, quin plus nimio multa nouare videretur. Apud Sassaritanos quoquè non nihil offendit, ob missum Calarim Pinnam. Ex quo Societas in Sardiniam venerat, in vtraque principe Ciuitate principes suggestus totum per annum sola habuerat. Victoria, delecta sibi apud Turritanos sede, vbi maior Collegij tum erat moles, & philosophia quoquè tradi incipiebat; ad Calaritanos Pinnam miserat, simul Tyrones vt præceptorem, simul Ciues vt concionatorem præstantem haberent, & vtrique Collegio sua robora, & quasi columnæ essent. Adde quòd & Sassari Pinna in tantum iam nominis, & caritatis, atque adeo auctoritatis creuerat; vt concoquere quidam non possent; nec deessent, qui malignis oculis, & auribus assiduè attenti occasionem specularentur hominis deformandi. Quod fecerat, vt libentiùs eum Victoria Calarim summoueret. Ceterùm arduum dictu, quàm ægrè sui (vt vocabant) parentis, magistrique, ac propè Apostoli absentiam vulgò Sassaritani tulerint, quàm publica quasi comploratione sint prosequuti: nec interpretationibus siniſtris, pro suo quisque ingenio studioque, parcebant. Hi dicere maxime carum, ac venerabilem Sacerdotem amandatum per ambitionem malam, vt sine consorte regnum Victoria obtineret. Alij suscepisse eum fouendos Calaritanos: idcirco, spoliatis ipsis, optima quæque eò conferre. Quidam, præsertim ex obtrectatoribus Pinnæ, suspiciones serere, inuenisse aliquid Visitatorem, quare relegandum censuerit. Seculi mores vbique tales sunt in deteriorem partem alienа trahentis facta, etiam quorum claræ rationes sunt: quo tum venia dignior adeo amica Ciuitas erat, quòd Societatis morem, absolutamque obedientiam, & liberas, prout vsus popoſcerit, in alia, atque alia loca suorum traductiones, nunquam ante spectarat. Interim magno studio cum alij perseuerabant populi Collegia postulantes, tum cupi dissimè Oristanenses. Ceterùm idem ardor in Prouincijs prope omnibus, pulcro quodam certamine, gliscebat. Et quidem in Lusitania simul Dominus Antonius Ludouici Regij fratris nothus, vt in Cratensem Prioratum suum, simul Cardinalis Henricus, vt Scalabim (Sanctarenum hodie vocant) simul Dux Brigantinus, vt Villauicosam, & Archiepiscopus Bracarensis, vt in quædam Dioeceseos suæ oppida: Episcopi tres Algarbiensis, & Insularum in Oceano Tertiarum, atque Materiæ, vt in suos Episcopatus denique & Ciuitas Eluana, vt ad sese colonias Sociorum ducerent, contendebant: quibus tamen haud aliter in præsens, quàm commodatis in breue tempus aliquot operis, gerj mos potuit. Insularum Oceani causam Henricus quoquè Cardinalis agebat, negans quicquam eas India minus magistris animorum egere. Nec satis profectò videbatur conueniens, vt Societas, quæ totam Lusitani Imperij continentem, tam sedulò cursabat, excolebatque, & in extremas vsque Orientis incognitas ante famæ terras penetrarat, illas haud longiùs quàm octidui fermè nauigatione positas insulas nec dum adijsset. Itaque duo Sacerdotes Franciscus Varea, & Franciscus Consaluius, vnà cum laico Simone Trauacio lecti, qui opus ab Tertijs incœptarent. Sed cùm, repetita bis nauigatione, cursum tenere non potuissent; apparuit has laborum primitias alij Insulæ reseruatas. Pyratæ interim Galli Materiam occupant: &, vt plerique omnes Hæretici erant Iconomachi, è dira Caluini secta; præter alia crudeliter, auarèque, & impiè gesta, per infanda sacrilegia, stragem sacrorum fecerunt. Ad hos igitur ita vexatos, afflictosque populos recreandos, erigendosque tres illi, quos nominaui, peruecti, plurimum subierunt operæ, complures menses in extirpandis vitijs, & quæ indigenæ habebant sua, & quæ alienigenæ importarant. Porrò Lusitana Collegia florebant omnia: iamque Conimbricense in vnam redactum sedem, tum ad alia, tum ad disciplinam opportunitates multas adeptum erat. Eboræ templum inchoatum die, quem Sancti Franci-

86 Quàm operosum omnibus facere satis.

87 Ardor Lusitanorum in petendis Collegijs Societatis.

88 Nunc primùm aditæ Oceani Insulæ.

89 Eboræ templū Societatis inchoatum.

sci

Digitized by Google

ſci memoria ſanctum fecit. Primarium lapidem magna cerimonia conſecrauit, & in fundamentis locauit Archiepiſcopus. Ex numero euocatorum in cæli beatas domos, haud immemoratum tranſierim ſeniculum planè bonum Petrum Annium: Pedreannem Luſitani vocabant. In Viſenſi Diœceſi natus manuum mercede vitam diu tolerauit innocenter, ac piè. Semper Dei memor, & animæ ſuæ. Nec minùs in auditione rerum diuinarum, ſpectandoque Sacrificio, & ſalutanda Deipara, precibuſque alijs faciendis, quàm in quærendo victu ſedulus erat. Demum ab ſeculo receſſit, & ſeptem circiter annos, in vnius pietatis cura, eremiticam vitam coluit. Deinde proficiendi ſtudio Patri Simoni adiunxit ſe ſe: domumque receptus in Dei famulatu ea ſimplicitate verſabatur; nihil vt de votis rite concipiendis cogitans, nec à quoquam admonitus, annos ita quinque traduxerit, ita reliquos traducturus, niſi admoneretur. Nam, vt primùm admonitus eſt, nihil moræ interpoſuit, & quindecim ferè ſuperuixit annos. Multa, prout iniuncta ſunt, miniſteria pari ſemper animi æquitate obiuit: poſtremos annos in æde Sancti Rocchi ædituus egit, ob ſingularem modeſtiam, ſubmiſſionem, ac pietatem eximiè & Ciuitati carus, & Patribus. Ibi deceſſit ſeptimo Kalendas Aprilis: & loco eſt conditus, quem animo ſibi iam pridem deſignarat, vt appoſitum ad excitandam precantibus memoriam ſui.

90 Petri Annij vita ſimplicitate ſpectabilis.

Hoc anno ſtatus Indiæ talis fuit. Sub anni initium Antonius Quadrius Malaca Goam reuectus non Chriſtianorum modò Amboinienſium calamitates, ſed & Luſitanorum nomen iam paſſim apud hoſtem contemptu laborans expoſuit Proregi, & Archiepiſcopo. Hinc ſtatuit Prorex idoneam claſſem in Amboinum mittere: cui Conſaluum Pereriam quingentis Luſitanis bellatoribus attributis præfecit. Conſaluus ipſum met Quadrium ſecum ire cupiebat: quo, & precibus ope concilianda diuina, & ſalutari conſilio rebus gerendis præſto eſſet. Verùm graues in India cùm eum cauſæ retinerent; duos illi Sacerdotes Vincentium Tondam, Armuzia propter valetudinem reuocatum, & Ludouicum Goëm, qui ex Maluco venerat calamitatis internuntius, dedit. Claſſis Kalendis Maij diſceſſit. Eodem tempore Petrus Ramirius, qui nuper Goanum Collegium rexerat cõſcendit, in Iaponiam tranſiturus, vt Societati per ea regna præeſſet, Coſmi Turriani loco: cuius ætas annis, & ærumnis attrita iam bonam miſsionem ab regendi ſolicitudine poſtulabat: quanquàm etiamnum Superintendens erat futurus. Paucis ante diebus Ferdinandus Alcarazius vela fecerat aditum exploraturus ad Sinas. Nam poſtquam Prouincialis Quadrius cognouerat regiam legationem planè non recipi, nec tamen procul ab ſpe eſſe alicui è Societate domicilium in Vrbe Cantonia impetrari poſſe; loco Franciſci Petrij Alcarazium & ab ætate, & ab eruditione, & virium firmitudine magis idoneum immenſis Sinicæ ediſcendæ linguæ laboribus mittendum putauit: præſertim cùm id ipſe met expeteret, miſſuſque, vti ſupra diximus, eo conſilio ex Europa eſſet, vt vel ad Sinas, vel ad Iaponios nauigaret. Vir erat Alcarazius magna virtute, nec inferiore doctrina, ſtudio verò dura perpetiendi pro Chriſto, & alienas ad eum adducendi gentes planè mirabili. Itaque ad Præpoſitum Lainium profectionem ab eo dum Indicam poſtulat, inter cetera infinita Salmantica hæc ſcripſit: Ad negocia mea quod pertinet, quæ vertuntur in vno omnia, nolo, Pater venerande, moleſtus videri. Audaciæ tamen idcirco mihi tantùm aſſumo, quòd confidam flagitationes huiuſmodi non moleſtas tibi, ſed potiùs iucundas accidere. Præter quàm quòd certus nunquam ſum ſatis, ne tibi explicatus ſit ardor, quo me (ipſi gratia) Dominus vrit, eius cauſa ærumnarum quamplurimum tolerandi. Cuius rei copiam, quia perſuaſum habeo affuturam mihi pro votis in India; inde eſt, vt præ cupiditate eius peregrinationis, illic ferè dies, ac noctes mea mens habitet. Mi pater (ſimpliciter ago, planèque, quippe animæ meæ rectorem alloquor) tantus interdum eſt ignis, quo exæſtuo, tam vehemens quo incitor impetus; vt ſæpenumerò inter orandum, inter ſacrificandum, & inter alias quoquè occupationes adigar ad ſuſpiria, ad gemitus, ad lacrymas inſtando à Domino, ac flagitando, vt audiat me, perinde vt puer improbè pertinax ſuper gremium matris abiectus. Angit, voratque me cùm audio gen-

91 Indicæ res.

92 Ferdinandi Alcarazij virtus.

93 Eiuſdem ardor in poſtulanda profectione Indica.

Digitized by Google

fium necessitatem in Sinis, alijsque Prouincijs, ac Regnis: exoptoque seruus adiungi ad earum auxilium profecturis. Aueo pro Christi causa, & in Societatis obsequio (quod beato Consaluo Sylueriæ obtigit) vitam, & sanguinem fundere. Ista Rachel est, cuius ita me cœpit amor, vt quãquam theologiam docere laboriosissimum mihi & maximè alienum ab natura mea sit; tamen id nõ alacer modò, sed etiam gestiens exequar per has ærumnas, reputans Dominum mihi Rachelem meam concessurum labores que, dies que videantur pauci, præ multitudine amoris. Atque adeo obfirmaui animum, si minùs vno detur anno, expectare, ac flagitare duos, tres, decem, vigiuti; quantùm denique cumque mihi dierum erit. Hæc mea consolatio est: actiones huc referuntur meæ minimæ, maximæque: huc vota, & preces: omnia denique ad hanc metam dirigo. Atque hæc me cogitatio excitat, stimulatque ad omnia ardentiùs obeunda, & ad virtutes perfectas studiosiùs consectandas: cùm sperem fore, si conatum adhibeam, vt benignitas me diuina respiciat. Quin ita interdum afficior animo, atque commoueor, vt existimem fieri non posse, vt Deus optimus, qui leniter omnia administrat, id nolit mihi concedi, ad quod ita me rapit. Quid enim illi præpotenti bonitati negotij esset sanctas alias animo meo immittere voluntates? Et tamen cùm ego, in æquata velut lance constitutus, sæpè nil nisi perfectionem præcsiè meam exposcam; non solùm vocatio Indica non sedatur, sed augetur indies. Eo fit, non modò vt operam ego meam ad id voti referam; sed quicquid ex meis Fratribus, alijsque Dei famulis elicere, & corrogare vnquam possum, eòdem conferam: affirmare vt liceat vltra quingentas diuinas Hostias (nec fortasse mendacio mille, aut bismille dixerim) hanc ob rem immolatas: oblatæ autem precationes, & alia ad exorandum officia prorsus numero carent. O qui meum cor, Pater, in tuis manibus collocaret? Scio certè, misereris. Ergo tanta flamma frustrabitur? tot sacrificia? quodque per vile hoc adminiculum posset Dominus frugis afferre, id benè commutabitur in explicationem theologicæ scholæ perpaucis auditoribus, quorum id multi meliùs, quàm ego, præstarent? Audio quosdam aduersari mihi, propterea quòd tantùm literarum in India frustrà futurum sit. Iesu bone, quid est hoc? Ego, qui me noui, scio mihi deesse memoriam, latinitatem, tum vires necessarias ad scribendum. Quid deinde? Si quid essem, nonne India benè doctos requirit, ad quos alij confugiant? Valetudinem alij in me desiderant firmiorem. Atqui, Pater (testes plurimi sunt) eam summa bonitas dedit mihi habitudinem corporis, quæ laboribus confirmetur: tumque optimè valeam, cùm pedes peregrinor, cùm malè vescor, alijsque id genus incommodis fruor. Meæ sunt illæ deliciæ, pallio in humerum reuocato, Breuiario è zona pendulo, peragrare terras Apostolico ritu, tradere rudimenta christiana, audire confitentes, & similia his. Ad hæc ætas opportunissima est, annorum triginta: vt planè nihil desit, nisi quòd tanto sum bono indignus. Verùm quis dignus, nisi Deus efficiat? Ad extremum si quid est, quod obsistere mihi possit; per Christi Iesu vulnera, Pater, perque eos Cœlites, quibus tua Paternitas super alios obstricta est, quæso, & obtestor id saltem mihi indulge, vt pedes veniam ad te. Via valetudinem explorabit: & documentum scientiæ coram capietur. Scito tamen ita me paratum ad omnia, quicquid de me statueris, ac si mollem inter digitos ceram haberes. Genitus ego ex parentibus iam longè ætate prouectis (& credidere orationibus impetratum) septimestri partu editus, multas inter calamitates, & corporis morbos enutritus, ante decimum annum vtroque parente orbatus, nunquam puræ stillam voluptatis deguſtaui, quoad pio Dei oculo respectus ad Societatem accessi. Illa mihi pater fuit, illa mater: in ea suauiter habitus, & curatus sum: in ea largitus est mihi Dominus perfectam salutem: illa totum meum genus est, meum omne bonum secundùm Deum: si mancipij seruitutem, sicut debeo, ei seruirem; non assequerer meritorum eius in me partem vllam. Et quoniam intelligo quàm parùm re illi seruiam; voluntate tamen optima sum, auensque per aspera omnia illi vitam impendere. Quod eò dixerim, Pater, vt intelligas quicquid mihi præceperis, nullis me, ne humani quidem legibus officij satisfacturum, si exequar: quandoquidem pro filio habeor, vbi beneficium summum esset pro

94 Cupiditate Indiarum incitatur ad virtutes

85 Indicia vocationis diuinæ.

96 Roboratur laboribus.

97 Eius ortus.

98 Quantùm Societatem amet, eique debeat.

famu-

famulo, & mancipio esse. Proinde quicquid è re duxeris, liberrimè edicito: certus hoc meo Indiarum incendio, quamuis non nisi morte finiendum putem, nullo pacto voluntatem ad amplectenda quæcumque alia imperaueris, imminutum iri. His, alijsque precibus, atque obtestationibus, nullum faciens literarum longissimarum finem, ærumnis hic bonus Dei famulus Indicis inhiabat. Quæ ab Sancto Spiritu haud dubiè profecta ratus Lainius, in occasu anni milleſimi quingenteſimi ſexageſimi tertij, die, qui Sancto Thomæ Apostolo sacer erat, voti demum compotem fecit. Quod illi eò gratiùs accidit, quòd Sanctum Thomam iam multos annos præcipua religione colebat, vt per eum id, tanquàm per Indiarum Apostolum, impetraret. Ergo post flagitatum eiusmodi auditus, post superatas immenſæ nauigationis moleſtias, Guineæ malaciam, Promontorij bonæ spei procellas, denique post cursum ex India in vlteriora repetitum, prope votorum suorum finem venerat. Sed docuit euentus omnia studia moderata esse debere: vel certè Deum ex eò non fructum prædicationis, & catechiſmi, sed bonæ duntaxat studium voluntatis, & patientiæ expetiſſe. Cùm enim Goæ conscendiſſet, dum Cocinum vehitur, grauiſſima post Indorum memoriam exorta tempestas nauim, vectoresque in vltimum discrimen adduxit: ex qua tamen incolumis Malacam peruenit. Hinc cursum, vnà cum Petro Ramirio, qui iam & ipse aduenerat, in Iaponiam, vt dixi, perrecturus, repetijt. Ecce autem in Sinico mari Thypho (ille per eas oras naufragijs ventus infamis) coortus, Iuncum, in quo vehebantur, in conspectu alterius Iunci prope euntis, ita gurgitibus circumacti æquoris inuoluit; vt nec rerum, nec hominum quicquam postea apparuerit. Hunc exitum habuiſſe eos Patres diu creditum est: postea fama succreuit, non haustum à Typhone nauigium, sed malè vexatum, longèque abreptum in Pyratas Sinenses incidiſſe, & ab eis Patres, vnà cum reliquis Epibatis dirè necatos. Vtcumque res habuerit, tam eximio Sacerdotum pari amiſſo, damnum ingens acceptum est. In Goana Insula, & proximo tractu iam rareſcebat, in Salsettanis terris adhuc dominabatur impietas. Huc ergo Socij præcipuè iam incumbendum existimabant. Atque vt paulatim superstitionum collabentibus officinis, ipsæ pariter superstitiones euaneſcerent; Proregem Pater Franciscus Rodericius impulit, vt vetaret fana vlla vel de nouo extrui, vel extructa reparari. Quod vbi Raciolanam ad arcem promulgatum edictum est; pupugit nimirum Ethnicos, maximèque Antistites eorum Brachmanes. Aduolant continuò magnus grex Goam: postque ambitiosè salutatos iudices, & consiliarios, vehementerque rogatos, ad Proregem adeunt. Duos Prorex admisit. Ex his senior statim prouolutus humi cuncta gemitibus complet, quiritans, clamitansque: Ergo ne suis Dijs sub dio manendum, soleſque, & imbres perferendi essent? Hæc species, & consternatio, quanquàm postulatum iniquiſſimum erat; tamen misericordiam spectantium conciebat. Nec longè aberat, vt aliquid exprimerent. Ea est hominum in capiendis Dominorum voluntatibus assentatio, atque profusio. Sed non cessauit Rodericius. Eius acri postulatu Prorex causam ad consilium retulit. Conuenere Gaspar Archiepiscopus, Georgius Episcopus Cocinensis, qui fortè tum Goæ intererat, multique theologi religiosarum familiarum, præter regios administros. Horum sententijs obtentum est, vt promulgatum in fana edictum valeret. Indè desperatio de sua re Brachmanes inceſſit. Quibus christiana sanctitas persuaderi nequibat; hi sensim in mediterranea se cum Idolis abdebant. At Patres hac etiam vsi occasione, vacuum fanum, annuente Prorege, in Dei templum verterunt. Ad ducentos etiam piscatores eiusdem Rodericij industria piscata est. Nouerat hos ita se ambitiosè versare, & callidè; vt quoties regia quæpiam instrueretur classis, immunes ipsi ab opere faciendo, suis in tectis, & negocijs permanerent. Ergo Proregem admonet hanc pulcherrimam esse piscatores capiendi viam, certamque nassam: cum classe, quæ mittebatur ad Moluccas, iubeat proficisci: fore vt, si spes eluceret in patria remanendi, mallent fieri Christiani. Haud vana fuit opinio. Statim vt iussi sunt Remiges ire cum classe; applicuerunt animum ad legem Dei, institutisque diligenter, & ablutis sacro fonte, potestas manendi facta est. Ad persequendas in Goanis suburbijs profanorum

99 Impetrat laudicam expeditionem.

110 Ipse, & Petrus Ramirius in Sinico mari pereunt.

101 In Goanis Salsettis progressio Religionis.

102 Piscatorum ducentorum baptismus.

Digitized by Google

reliquias idem Pater Franciscus quaternos Sacerdotes, cum suo quemque comite, diuersos mittit. Initio anni cœpta lustratio est, ac Dominico quoquè die continuata; adeoque processit, vt interdum vno die plus centum nomina ad catechesim profiterentur, qui paulatim instructi suo tempore baptismo consignabantur. Hac demum via quibusdam in parœcijs sentina impietatis, nullo Ethnicorum reliquo facto, penitus exhausta est: totoque anno per Socios ad Ecclesiam adiuncti supra mille quingentos. Haud leuiùs in Indiæ boreali plaga religioni excolendæ pariter, ac propagandæ interim insudatum. Quinque prope Bazainum leucis, in via, quæ Damanum fert, pagus est Main nomine. Incolæ destituti pastore, Bazainum confugere ad Patres. Missus est appetente Deiparæ Assumptæ luce, quo ibi nomine dedicatum est templum, Sacerdos cum laico. Excepti Campanarum festo tinnitu, Primoribus obuiam effusis, nec minore habiti humanitate. Non multis diebus substitere: verùm maximo fructu, confirmatis in fide Neophytis, interque se, & cum Deo reconciliatis, bono etiam numero Christiano gregi recens adiuncto. Postquam abierunt, desiderium populus haud quamquàm tulit. Misere legatos Goam, qui domum, & sumptus ad alendos perpetuò Sodales duos polliciti, eos sibi concedi per Proregem, atque Archiepiscopum postularent. His petitionem æquissimam ducentibus, enixèque instantibus, tergiuersandi locus Quadrio visus non est. Quare ad tempus dum aliunde prouideretur concessit. Bazaini circiter quadringenti ad Christianos adscripti. In Pago Sanctissimæ Trinitatis ducenti; apud Tanaam ducenti quatuordecim: in his Latomi, quot quot erant huius artificij in ea vicinia professores. Nouellus hic grex, quòd paululùm secretas à frequentia ceterorum Christianorum haberet casulas, erigi apud se Crucem exoptabat. Hinc incidit inter Lusitanos, indigenasque certamen, vtri humeros augustissimo trophæo, destinatum ad locum ferendo, supponerent: sed indigenis, quanquàm perinuitis, cedendum Dominorum voluntati fuit. Magna gratulatione, & pompa inter festas voces, sonosque multiplices vitalis arbor, primis Lusitanorum succollantibus, deportatur Sancti Hieronymi die natali. Vbi præparatam ad aream ventum est; egressæ cum filijs paruulis fœminæ sanctissimum signum pijs excepere carminibus: dumque statueretur, perseuerarunt magnis vocibus christianæ legis initia concinentes. Quibus extà colebant Ethnici, tremendi signi metu, longiùs domicilia transtulere. At Christiani tum sæpè salutandi, orandique, tum octauo quoque die ad Christiana recolenda dogmata conuenire lœti cœperunt. Nunquam ante audita tempestas Bazainiam oram hoc anno vastauit. Fœda aquarum proluuies: mare præterea sic intumuit; vt non solùm per vrbem stagnaret, sed etiam in terras, ad mille, & quingentos passus, effunderetur, strage maxima rerum omnium. Successit indè siccitas haud minùs insolita, vt populus vniuersus, æquè de Christi militia, atque Pagani, Deum planè iratum clamitantes, ad exposcendam pacem supplicationibus, alijsque piè factis verterentur. Audijt piorum voces auris diuina: & errantium tanquam eblandiri vellet pietatem; opportuno imbre tempestatis damna, & siccitatis, magna ex parte restaurauit. Hæc in boreali Indiæ tractu. In australi clementior annus, pietati quoquè propitius fuit. Cocini segnis ad id loci propagatio erat regni Christi. Duo antè alia obstabant; primum metus ab Rege auitæ Idololatriæ assecla, ac tutore: deinde domicilij inopia, quo imbuendi catechismo reciperentur. Vtrique incommodo Pater Melchior Nunnius magna ex parte subuenit. Episcopo, & Magistratibus persuasit, vt ab Ethnico Rege diploma elicerent, quo potestatem populoribus faceret impunè Christum sequendi: quod impetratum est. Deinde etiam corrogata stipe, quantum maximum potuit Catechumenorum numerum in Collegio ipso aluit. In vna penè cultura Lusitanorum ad eam diem occupatos Patres excitauit principiò ad hæc molienda ipsorum erga Sanctam Fidem prompta Indorum voluntas. Cùm enim Socij duo, tentandæ rei causa, proximos in vicos, & palmeta egressi incidissent in Ethnicorum manum, quæsissentq. quare Christiani non fierent? Quia nemo, inquiunt, est, qui nos doceat: responso haud absimili Euangelico illi in foro cessantium: Quia nemo nos conduxit. Par penè facilitas in vicinæ

103 Resgestæ in Boreali Indiæ tractu.

104 Tempestas Immanis Bazaini primùm visa.

105 Cocini cœpta fidei propagatio.

ginæ Insulæ cultoribus inuenta: ad quos bini Socij Dominicis missi diebus præ ceteris tuba, vnum è primis Insulanorum ab cultu Dæmonum auocarunt. Adeo moliendum semper, agendumque, ac tentandum est Christi ministris: ne promptè alioqui secutura turba, expers cælestis conuiuij inuitantium segnitie fiat. Plerũquè enim fit, vt paratiora, quàm speraras, hominum pectora ad res diuinas comperias. Sic ergo circa Cocinum propagari Euangelium cœptum. At Pater Melchior Nunnius Cocinensi Episcopo Diœcesim inuisenti, quæ prima omnium lustratio Episcopalis fuit, concessus à Prouinciali est comes, vt simul Antistiti præsto esset, simul etiam Socios per eam diœcesim sedibus sparsos viseret. Februario mense profecti Coulanum primùm venerunt. Hìc binos Patres, ac Fratres Melchior inuenit, non cum Lusitanis modò, sed cum indigenis quoquè Christianis Regni Trauancoridis, quod viginti quinque leucis secundùm mare porrigitur, salubriter occupatos. Indè ad Ecclesias progressi Commorinenses, ad præcipuam, quæ Punicali erat, descenderunt. Patet ea ora ampliùs quadraginta leucis. Quatuor è Societate Sacerdotes, totidemque laici discursantes eam colebant, ea industria, laborumque tolerantia; vt omnes egregiè imbutos cum christiana doctrina, tum moribus doctrinæ consentaneis, magno cum sui animi gaudio Antistes inuenerit. Ad Manarinam indè insulam processit. Neque hìc minùs Sociorum labores probauit, nisi quòd pauciores erant, quàm vellet. Sacerdotes duo haud plures, alter Lusitanos præsidiarios, alter Christianos indigenas nauiter excolebat. Verùm Antistes vehementer optabat, vt Collegium hìc iusto numero expleretur, immissis, qui Malabaricam linguam, quæ circa latissimè pertinet, præcipua discerent cura: quemadmodum in Ciorano insula, magno cum emolumento rei Christianæ, qui discerent Canarinam fuerant constituti. Georgio Mello Manariæ arcis Præfecto, itemque Proregi consilium arrisit. Atque Episcopus pecuniæ aliquantum, priusquam indè abiret, ædificio inchoando assignauit. Maio extremo ad insulam, quæ Vaccarum dicitur, breui freto, sed maxima iactati tempestate, traiecerunt. Hìc Episcopus Sacramentum Confirmationis, vt vbique faciebat, nec dum consignatis, Melchior pœnitentiæ omnibus impertiuit. Quippe eo anno Sacerdotis inopia diuinorum expertes fecerat. Post hæc Negapatanum venere: vndè celeriter metu insidiarum ab Dynasta, qui ethnicus erat, doliscque, ac malis artibus assuetus, Ciromandelium, siue (vt Lusitanis vocatur) ad Sancti Thomæ coloniam quinquaginta leucis Negapatano profecti. Hìc Beati Thomæ reliquijs religiosissimè salutatis, ad ædem Deiparæ, cui nomen à Monte, contendunt. Sita est ædes rotundo in monte odoratis referto graminibus. Prospectus vndique pulcherrimos, & amœnissimos habet in agros optimè cultos, arboribus venustè consitos, inter labentia flumina liquidissima. Multum per eos pecus maius, minusque; ouium passim, & caprarum greges, itemque bouum armenta pascuntur. Hinc flumine, indè cingitur mari. Quibus rebus, & maximè quòd gens in eo monte sedem habuisse Apostolum Thomam, atque inclyta Martyrij palma donatum tradit; mirè excitatur ad pietatem animus, & erigitur ad diuina. Iampridem ante aduentum in eas oras Lusitanorum, per syluas proceris arboribus densas, egregiè laboratæ Cruces visebantur: vndè coniectura fiebat, Apostoli comites, per montis amœna sparsos, in precibus, & contemplandis Crucis thesauris ætatem egisse. Sacris hisce locis religiosè aditis, Antistes, præter solennia vbique munia Chrismatis adhibendi, Tridentinam Synodum promulgandi; ad inspiciendos populi mores eò impensiùs curam applicuit, quòd non leuiter lapsi erant, vt frequenti in populo, interque copiam rerum, & impunitatem, superque hæc in terra non ditioni Lusitanæ, sed Regno Bisnagæ subiecta. Quo circa publica ex multis sumenda fuerunt exempla. Alij aliter, quidam pecunia multati: quam omnem planè intactam, ad extruendum publicum ægris receptaculum Misericordiæ sodalibus Antistes attribuit. Eaque abstinentia, & liberalitas pœnarum ferè comitem leuauit inuidiam: fide populo facta non nisi noxas vindicari, dum nocentum damna nihil commodant vindicanti: verèque rem publicam curæ esse, dum eius in lucra etiam delicta vertuntur. Ciromandelij duo de Societate Pater Fran-

106 Melchioris Nunnij peregrinatio cum Episcopo Cocinensi

107 Destinatur in Manaria Collegium.

107 Mons Sancti Thomæ Apostoli memoria inclytus.

109 Res gestæ in Sancti Thomæ Colonia.

Digitized by Google

110 Franciscus Pinna & Hieronymus Vazius Ciromandelium excolunt.

Franciscus Pinna, & Hieronymus Vazius sedulò in colonorum excubabant vtilitates. Qui cùm adhuc proprio destituti tecto, nuper tandem aliquid ædificassent, ei domicilio proximam Sancti Ioannis ædem ab Episcopo impetrarunt. Kalendas Octobribus Ciromandelio Antistes, & Melchior discessere, intento in Ceilanum insulam cursu. Ibi nulli de Societate, sed Franciscanorum cœnobium erat, apud quos, ad ortum vsque noui anni, omni semper humanitate habiti, diuersati sunt. Melchior, præter operam populo nauiter impensam, religiosorum hospitum postulatu, aliquid de Theologia exposuit: iusque omne de alieni restitutione, doctrinam cum primis in ea insula cognitu necessariam, pertractauit. Indè tandem per summa pericula, ineunte anno, frugiferorum diuites laborum rediere Cocinum.

111 Melchioris Nunnij Ceilani gesta.

112 Villela ex Meaco in Ximum reuocatus.

In præcipuo Iaponiæ Regno Meacensi interim omnia turbabantur. Indè Ludouico Froë Sacaij relicto, Gaspar Villela accitu Cosmi in Ximum regressus est. Optabat Cosmus communicare cum eo domesticam disciplinam, institutionemque Ecclesiarum, quo domi, foriſque omnia conuenirent. Ad hæc donec bellorum Meacensium detumesceret feruor, plus videbatur habitura pretij Villelæ industria in Bungo, præsertim audiendis Christianorum confessionibus, cùm ipsum Cosmum ætas iam grauior multùm peregrinari non sineret. Interim Froës & Sacaianis Neophytis, & ex vrbe Meaco, & ex arcibus circumiectis affluentibus: itemque Ethnicis, quorum ex longinquo nonnulli catechesis studio peruenere, multiplici cura suffecit, haud sine profectu. Ceterùm amplius profectum in Ximo. Propagata est fides ad insulam Xiqui, & eas, quæ Goti dicuntur. Hæ Cocinoco ad Septuaginta leucas absunt, Occidentem versùs. Quinque sunt numero discretæ inter se millenis fermè passibus. Nomen Goto ab numero habent: nam prior syllaba quinque, posterior Insulam Iaponicè sonat. Gens satis humana est, superstitioni dedita, quàm quæ maximè. Regio omnis venatu non eget, piscatu abundat: cetera non admodùm felix. Ferarum vna est memorabilis ante alias, magnitudine fermè canis vulgaris, nisi quòd breuiores aliquantò sunt pedes: mollissimus pilus, pretiosa pellis est. Vbi consenuit, ad mare descendit: altumque ingressa; paulatim demutatur in piscem Thunno parem. Nec dubia res est. Capiuntur nondum ex toto conuersæ, permista terrenæ, & marinæ belluæ figura. Vnam is, qui hæc in Europam scripsit, oculis inspectauit suis Almeida, quæ nondum planè degenerauerat in piscem: pedesque cernebantur iam abire in pinnas, nondum exutis vnguibus: quos recisos, miraculi specimen, Cocinocum misit. Huc ergo Reguli postulatu, missu Cosmi, Ludouicus Almeida, & Laurentius Iaponius, inter densas cadentes è cælo niues, naui delati, sub Iaponici anni initium (quod ex noua luna, quæ in septimum Februarij diem incidat, vel proxima ei sit, auspicantur) Ociquam vrbem ditionis caput peruenere. Id tempus districto excipiendis nobiliorum salutationibus Regulo, inchoandæ catechesi aptum non erat: nec aliquot deinceps proximi dies septem aut nouem, quòd eos, mœstæ cuiusquam rei commemoratione, nefas ducebant pollui: atque adeo nec licebat de salute animæ loqui, quòd sermones eiusmodi, vt quibus mortis memoria excitetur, funestos habent. Haud sanè prorsus immeritò, vt quibus mors non sicuti pijs in meliorem vitam natalis, sed in deteriorem mortem sit transitus. Sed interim Ludouico dum parum adest, quod agat; quod pateretur, superfuit. Præparatus est doloribus ad labores, grauissimè cruciatus è stomacho, tandiu prorsus, quoad concionum tempestiuitas appulit. Ergo quinta decima luna recentis anni, cùm iam sermones de salute animæ permittebantur (quasi verò aliud vnquam negotium debeat esse mortalibus) Regulo supplicat Ludouicus, vt, quoniam primores Insularum per occasionem salutandi eius in vnum congregati adessent; vellet eos inuitare ad conciones audiendas diebus continuis septem (est enim dierum hic numerus valde vsitatus in Iaponia, ac prope sanctus) cognituros quid ita in eas terras tam è longinquo venissent Patres: vtique nouas res audituros: vndè & commoditatis plurimum, & iucunditatis nihilo minus haurirent. Audientiam verò ipsum vehementiùs facturum Principem, si præsentiam commodare suam, benignasque

113 Insularum Goti nomen, & natura.

114 Terrestris belluæ in marinã vertitur.

115 Initium Iaponici anni.

116 Prima Euangelij prædicatio in Insulis Goti

Digitized by Google

gnasque aures non grauaretur. Placuit Gotondono consilium: suarum ædium optimas concioni destinat: postridie sub noctem initium fit. Quadringenti circiter audiebant è prima nobilitate viri, magna in aula, fœminæque complures in proxima, mollissimarum interpositu storearum discreta, vt auribus nihil officerent. Almeida pauca præfatus, quare meritò attendere ad ea quæ dicerentur, deberent; nequaquam se, sed ipsorum è gente hominem, quo iucundiùs, expeditiùsque res tractaretur, locuturum subiecit: iussitque, Christo auspice, Laurentium exordiri. Ille tanta animi fiducia, venustate verborum, sententiarum optimarum affluentia orationem instituit, vnum Deum rerum omnium molitorem ostendens esse, Iaponitosque confutans Deos; vt cùm horas perpetuas tres dixisset, attoniti omnes hærerent, vehementerque commoti. Vbi Laurentius perorauit; inuitat coronam Almeida, si cui quid dubitationis resideat, si quid habeant contra ea dicere, in medio proponant. Nemo cùm hisceret, instituit adhortari, vt pergerent deinceps audire: consequentia enim initijs responsura: ac demum intellecturos nil nisi ipsorum de salute agi. Ita dimissa concio est, Regulo palàm profitente, planè haud aliter habere posse rem, quàm vt (quemadmodum fuerat demonstratum) vnus vniuersitatis rerum procreator, & parens esset. Omnes auidè diem posterum audituri reliqua expectabant: cùm repentè Regulum robusto vigore hominem, nec vnquam ante morbo tentatum importuna febris, accerrimique capitis, & corporis totius dolores arripiunt. Non potuit quicquam gratius Bonziorum votis euenire. Vociferari passim, Gotondonum habere quod nolit, quoniam egerit, quod non debuerit: sentire numen Deorum, quorum attentare honores ausus sit. Multitudo rei nouitate perculsa, facilè Bonziorum vocibus consentire. Almeida grauis esse, infestisque omnium obtutibus configi. Et mirum fuit abstinuisse ab viro manus, eo magis, quòd Regulum, qui humanè imperium, paternèque habebat, pro se quisque plus quàm oculos suos amabant. Non truces obtutus, minacesque vultus, nec sua quicquam pericula commouebant Dei præconem. Illud quàm vehementissimè angebat, cùm animo reputabat, quantum Christianis Iaponiæ cunctis futurum esset probrum: quantum Bonzijs ad proteruiam: quantum ceteris Idolorum mancipijs ad pertinaciam in patrijs superstitionibus accessurum, si fortè is Regulum casus eripuisset. Itaque ad salutis fontem Iesum versus, coram eo cor suum effundens, ex intimo sensu precatur, ne per Satanæ liuorem, & hominum scelera, disturbari tantarum orsa rerum patiatur, neu malorum tantam segetem nasci. Inter has preces aliquid consolationis animum subijt: denique spe plenus bona surrexit. Regulus tamen doloribus torquebatur asperrimis. Quare visum Primarijs confugiendum ad Bonzios, agendumque, vt placandos suscìperent Deos, Deique Xacæ legerent libros. Nec mora, intempesta nocte totam per Vrbem monitores discurrunt, magnis passim vocibus denuntiantes: Vetitis omnes abstinerent: postridie sanctos libros de vita, & prodigijs Dei Xacæ ob Domini salutem legendos. Vix dies illuxerat (qui Christianis Dominicus erat) cùm amictu ad eam ceremoniam, ornatuque solemni Bonzij ad Fanum Camì Fachimæ, quem Deum bellorum nominant, conuenere. Ibi Sancti codices Dei Xacæ (insanæ molis volumina sunt) cœpti lectitari. Paginas strenuè voluebant, carptim è singulis paucula delibantes: nam infinitum esset cuncta perlegere. Multum spei Iapones in ea superstitione repositum habent: nec nisi viris Principibus id placamenti genus (tanta est dignitas) adhibetur. Interim qui de nobilitate cœperant Dei verbum audire, Reguli iussu ad sua oppida remigrarunt. Eius salus die proximo (Lunæ erat) grauiter inclinabat: quem Almeida cùm salutatum misisset, admissa salutatio non est. Veràm hoc Dei famulum haud perinde solicitum habebat, quàm quòd certò iam sperans Gotondonum prosperè morbo defunctum, verebatur, ne valetudo eius non accepta bonorum Auctori vero, sed Dæmoni Xacæ, superstitiosisque voluminibus, ac Bonzijs referretur. Eam ob rem aggrauatum malum post Bonziana incantamenta non inuitus ferebat: tumque cùm supremum vrgebat discrimen, interiore quodam instinctu impulsus, nuntiari Regulo iubet, sibi multa esse medicamentorum genera, per quæ

117 Laurentij Iaponici de Christiana fide discursus.

118 Almeidæ adhortatio & cõfirmatio.

119 Per Reguli Gotondoni morbum Diabolus fidei progressus obturbat.

120 Superstitio Iaponum in morbis Primorum.

Digitized by Google

quæ speraret, si vellet curationem admittere, secundante rerum genitore Deo, salutem ei refectum iri. Aeger, qui nequicquam cetera expertus erat, perpetuamque insomniam, & dolorum asperitatem ferre vltra non poterat, auram spei libenter accepit. Sæpè antea memoratum est, & à peritia medendi facultatem nonnullam Almeidæ, & haud obscuram ab cælesti munere vim adfuisse abigendorum morborum. Ergo admissus ad decumbentem, si Conditori cæli, terræque confidat, à quo productus ad vitam, atque adhuc seruatus sit; spem facit propediem sanum fore. Continuòque curationem aggressus, intermiscens in loco medicamentis corporis efficaces animo sanando sermones; paucis diebus in pristinam virium firmitatem restituit. Ingens inde fit gratulatio: & ad restitutorem salutis grati animi documenta quædam Regulus, itemque vxor, ac filius (spurius erat) mittunt. Quibus ille muneribus apparato conuiuio, intimos Reguli inuitat: iurè gaudendum omnibus dicens, quando mundi opifex, rectorque Deus salutem Principi reddidisset. Et pergrata ipsi etiam Principi hæc erga se voluntatis significatio accidit. Itaque rogatus, vt repeti conciones de diuina lege iuberet; minimè grauatè iussit. Dominica Quinquagesimæ repetitæ quanta cum audientium approbatione, tanto cum Diaboli (quod non obscurè cernere erat) dolore. Nam subinde incendium excitatum in vrbe multas domos absumpsit, Reguloque digitus enormiter intumuit, magno cum dolore. Quæ omnibus ita visa sunt dira prodigia; vt primo indè die pauci, altero pauciores, perendie nemo auditum salutis nuntios venerit. Ad hæc tametsi dolorem suis Regulo auxilijs leuauit Almeida; sic tamen in religionis causa & ille refrixerit, vt post hæc non vltra communia quædam humanitatis officia se se daret. Itaque haud dum maturam segetem rati cæleſtes coloni discessum meditabantur, cùm interuenere Mercatores duo Facatenses: quos, vt Iaponicarum sectarum apprimè gnaros, collationis studio, cupido incessit christianas res cognoscendi. Audiuere quindecim ex ordine dies, probauere, complexi sunt: eosque primos Gotianis in insulis sacer latex aspersit. Parta hinc talium auctoritate virorum auctoritas religioni ad id tempus in ijs terris ignotæ: sed multo maximam addidere complures Almeidæ prosperrimæ curationes. Quippe & amitæ Reguli, paulòque post ipsi Regulo tertium, dein filio eiusdem, ac Fratri, & alijs ex aula valetudinem reuocauit: latentibus cunctis salubritatem naturali efficaciorem medicaminibus illis inesse. Ob ea christianus catechista magnus iam esse vulgò, obseruari, coli: adeo vt cùm reditum ad Cosmum pararet, quod à Bungensi Rege, cuius ipsammet in suis libris epistolam Cosmus incluserat, nominatim accerseretur; commeatum Gotondonus negarit, pollicens ad extruendum templum, itemque domicilium & aream, & pecuniam præbiturum, facta popularibus potestate pro arbitrio transeundi ad Christum. Hac spe repetitæ conciones: quibus interesse Regulus non recusauit. Et his quidem veritatem tametsi amplexus non est, tamen cognitam sibi confitebatur. At quinque & viginti de primis, etiam suscepto baptismo vita, & moribus profiteri cœperunt: inter quos, qui totam sub Principe administrationem Goti gerebat (cui nomen Ioannes est inditum) & præterea vir ex consilio Reguli, quinquagenario maior præstabant. Enimuerò cernentem hæc Satanam haud pro dubio est, furijs actum, in omnia se se vertisse, quò nascentis Ecclesiæ tenera fundamenta ne coalescerent. Nouæ continuò turbæ. Pacatissimè habebantur ad eam diem insulæ Gotiæ, cùm repentè prædones ab Firando, in vnam earum irruptione facta, mortalium multos occidunt, multos inter reliquam prædam captiuos abducunt. Ad quem casum Gotij, armis raptim sumptis, conscensisque nauigijs, quòd prædones non inuenere, Firandensi pago subijciunt ignem. Firandenses non repositam iniuriam, sed impositam interpretati; contra ius gentium Gotondoni legatos duos Firandi necant. Quibus malis perinde ingemiscere populus, vt exultare Bonzij, & insultare, cantilenamque suam veterem passim cantare. En demum constare se diuinos, ac vates. Quòcumque Tengicusini inuadant, stragem, atque exitium inuehere. Ea tamen cantilena nihil obfuit Tyronibus Christi. Præmuniuerat iam ante eos amuleto salutis Almeida, cautèque præparauerat ad quæuis perferenda, præmonitos

121 Miræ Almeidæ curationes.

122 Diabolus noua impedimenta Euangelio obijcit.

123 Primi Christiani in Insulis Goti.

124 Nouæ in Goto turbæ excitatæ.

Digitized by Google

nitos haud quaquam (Dæmonibus nimirum præ dolore furentibus) defuturas ab ipso Regulo, ac Bonzijs, atque alijs infectationes. Illud propriè fœminarum plerisque de cælestibus probatum est institutis, quòd nemo expiatus baptismo est, quin statuisset ex Euangelij legibus vna duntaxat vxore contentus esse. Quippe cùm gentis more ternas viri singuli, aut quaternas haberent coniuges; vbi in mentem venisset, modò hanc, modò aliam amandabant omni subsidio destitutas. Itaque gaudebant & expertia iurgiorum à concubinis, & tuta à virorum inconstantia matrimonia introduci. Hæc Ociquæ dum fiunt, propinquum ad Oppidum, Ocuram nomine, fama permanat perlatæ in vrbem principem legis cælestis. Optant sibi quoque afferri. Accersitur Almeida. Non secus atque imber ab terra sitiente, diuinum verbum auidis auribus, animisque bibitur: continuòque diuina pullulat seges. Natali Sancti Ioannis Baptistæ centum viginti tres honestos homines mystica vnda Sanctæ Ecclesiæ genuit. Extructa est sacra ædes in leni cliuo, vbi terra cunei modo in mare procurrit. Quod dum fieret opus, complures Ociqua aduenere in equis Christiani, cum amplius centum operis, vt quemadmodum aiebant, pretij apud Deum ipsi quoque participes fierent. Præfixa ad templi maximam portam venusta Crux, quæ ineuntibus portum in conspectu foret. Visum Regulus locum adeo adamauit; vt ad extruendas suum in vsum ædes spatio lecto, vetuerit præterea quemquam illic ædificare, ne per ædificiorum frequentiam loci amœnitas infuscaretur. Nec ita multò post item Ociquæ Gotondonus in medio fere Oppido, vbi olim eius auus habitauerat, situm Ecclesiæ, & Patrum diuersorio assignauit. Quid inter hæc Diabolus? scilicet sibi non deesse. Pacatissimus (vti modò prædictum est) totius Laponiæ Goti dominatus cùm haberetur; ecce tibi hoc rerum articulo Dynasta ab Gotondono deficiens, ad Regulum Firandensem transijt. Quam vlturus perfidiam Gotondonus, furtim instructa classe, in desertoris ditionem irrupit, omnemque vastauit. Firandum se ille fuga proripuit. Regni administrator tyro Christi Ioannes, dum hæc classis instruitur, christiani pectoris libertatem spectandam dedit. Exigente enim Regulo sacramentum more gentis, potionem Idolis sacram libando; negauit Ioannes eo ritu Christianos iuraturos, verum non nisi per cæli, terræque procreatorem. Quæ animi excelsitas & Regulo placuit, & ab Christianorum non nullis periculum superstitionis auertit. In prælio enituere Christiani, qui erant fermè quinquaginta: nec quisquam eorum læsus est: vnde Crucis, Sanctissimorumque nominum IESVS, MARIA, quæ inuocare edocti erant; tum apud ipsos religio, tum apud Ethnicos religionis veræ existimatio increuit. Regulus autem Firandensis, qui auctor defectionis rebelli fuerat, postquam vidit eum ingenti clade affectum; ad ducenum nauigiorum classem instituit. Cuius fama apparatus magnum inter Gotios terrorem exciuit, præsertim inter Ocurani portus incolas, qui iam omnes erant Christiani: sed Deo placuit, vt vniuersa classis, non magno Gotijs allato incommodo, reuocaretur ab Regulo ad tutandas Firandi terras, quas alij hostes per occasionem ingressi vastabant. Nec fuæ defuit occasioni Gotondonus: sed è classe, quam ad tutandas suas nauigiorum centum ornarat, ad vnam è Firandi Insulis acta incendio, rapinisque cuncta inuoluit. Itaque cum opima homines reuersi præda; minùs iam Bonziorum cantilenas, ad conflandam christianæ fidei inuidiam ingestas, curabant. Hoc rerum cardine Cosmi reuocatu Almeida magnum sui desiderium cunctis, & Neophytorum solatio Laurentium relinquens, discessit anno quidem iam inclinato, sed vt spatium superfuerit religionis in aliam insulam inuehendæ. Octo ab Cocinoco leucis est insula Xiqui incolis frequens. Tonus audito christianæ sanctitatis nomine, rem cognoscere propiùs cupiebat. Ad eum Felix vineæ Domini propagator missus Almeida est, quem Tonus, vnà cum suis omnibus, perinde vt lapsum cælo nuntium excepit, audiuitque. Et quanquàm susceptæ Christianitatis principatum inter suos optabat sibi; tamen ne fortè nouarum rerum causam peruersa ingenia indè caperent; passus est ceterorum validam manum præire, ad casuum incerta subsidium. Ergo breui supra quingentos in sacram Christi conscripti militiam: quæ ideo paucis exponuntur, quòd

125 Christianæ legis Sanctitas.

126 Ocuræ primi Christiani.

127 Constantia Christianorũ grata est Ethnicis.

128 Christianitas Xiqui insulæ infertur.

Digitized by Google

quòd sine dimicatione, ac tempestatibus gesta. Tonus paulò post subsequutus, & Ioannes, nomine inter Christianos Iaponiæ Dynastas celebri, nuncupatus est: simulque ad sacræ ædis ædificationem admotæ manus. In hac Insula valde formidabatur Diabolus ante illatum veri Numinis cultum: quippe, tyrannicè sui cultores exercens, ærumnis, ac molestijs plurimis afflictabat. Verùm vbi diuina nominis Iesu, Sanctæque Crucis virtus est cognita; ipsimet Ethnici armis ijs cœpere Infernas eludere potestates. Almeida extremo iam anno, post duas Ecclesias paucis mensibus institutas, Fucundam excurrit. Cuius loco in Xiquin insulam Arias Sancius, in Gotias Pater Ioannes Baptista Montanus submissus est. Is paucis ante natalitia Domini diebus Ocuram. applicuit. Quare, præparatis ante Neophytis Laurentij oratione, ipsa natali Domini nocte, primum de more Sacrum, dein vbi illuxit duo reliqua fecit, magna & admiratione, & pietate recentis eius Ecclesiæ. De veteribus Ecclesijs multa forent commemoranda alia, ac nominatim de insigni Christianorum in cultu pietatis ardore. Sed mihi animus ad noua festinat: præsertim quòd nouus iam nouo ad Occidentem in orbe terrarum labor aperitur.

129 Diaboli fracta vis.

Ignatius Azebedius vbi iussus est (sicut initiò est demonstratum) Brasiliam prouinciam spectatum ire, nihil potuit ærumnarum iuxtà, atque amarum sitientissimo viro optatius euenire: cùm iam diu laboriosam id genus aliquam ad infidelium terras expeditionem, & omnibus votis expeteret, & postulans sine fine perseueraret; in decernenda illi expeditione mirificè consenserunt Lusitanorum Patrum, ac Romanorum consilia. Cùm primùm Lusitani de ea re agitarunt; vno omnes ore negarunt Prouinciam subsidio illo nudari debere. In consilium mox reuersi ita decreuere: in breue tempus mitti posse, vt rerum statum cognosceret, renuntiaretque in Europam. Quod cùm stetisset consilium; literæ perferuntur ab Vrbe in eamdem omnino sententiam: vt Azebedius in Brasiliam nauigaret, res inspiceret, pro præsenti copia ordinaret, tum comperta Romam referret. Ille hoc accepto imperio, quanquàm multS libentiùs omnino priuatus, cumque parendi modo, non etiam imperandi cura arrepturus cursum fuisset; tamen reputans quanti siue laboris, siue momenti onus subiret; alacritate summa nauim conscendit. Ex itinere cùm ad insulam ex his, quas Hesperidum, aut Promontorij viridis appellant, dies aliquot constitisset; nequaquam vacuos dies transegit: sed statim priuatim, ac publicè adiuuare populum exorsus; pueros in primis catechismum docere instituit, summè gaudente Episcopo, qui eius catechismi exemplum voluit sibi relinqui. Augusto demũ mense in Brasiliam ad vrbem Sancti Saluatoris Brasilici Imperij caput appulit. Vbi Deo gratulatus est, Socioſque amanter complexus Europæarum nuntijs rerum, & maximè Societatis progressionibus explicatis, recreauit. Nihil habuit antiquius, quàm vt publicos labores à puerili institutione auspicaretur, purasque innocentium mentes pretiosa Christi fruge consereret. Non Socij modò, qui iam diu Visitatorem flagitauerant Ignatium multis nominibus, sed etiam Europæi, atque indigenæ alacritate multò maxima acceperunt. Erat tum status Societatis in Brasilia, vt regionibus ijs, atque temporibus haud sanè pœnitendus: ceterùm pro reliquæ Societatis perfectione oppidò rudis, ac propè informis. Quippe, qui præerant, cùm ante ex Europa discessissent, quàm inducta in mores instituta, atque expressa viuis in tabulis propria Societatis forma esset; non poterant commissos sibi discipulos ad eum conformare modum, quem ipsi nunquam accepissent. Ad hæc Sociorum paucitas, eorumque inter se longissimis dissitorum interuallis, non religiosæ modò disciplinæ, sed alicubi etiam famæ oberat. Existebant enim ex Europæis non rarò criminatores: qui, cùm dolerent flagitia sua, in primisque iniurias redargui, per quas iniquissima seruitute imbecillos populos premebant; ex gentis intemperantia, & Sociorum solitudine materia fabularum sumpta, effundebant venenum cordium maledicis linguis, eorum obtrectantes simplicitati, quorum pigebat caritatis. Hoc inuento rerum statu Ignatius in Collegio Sancti Saluatoris Prouinciæ totius principe, vicinisque circa in pagis ad res quàm aptissimè cum ad virtutis domesticæ profectum, tum ad auxilia proximorum, componendas, tres menses incubuit. Triginta fermè iam in

130 Azebedij in Brasiliam nauigatio.

131 Eiusdem in Brasiliam aduentus.

132 Status Societatis in Brasilia.

133 Azebedius res componit.

Col-

Digitized by Google

Collegio Socij versabantur, Gregorio Serrano præside, penes quem non modò potestas, sed & administratio tota erat. Ibi Rector tum erat omnia. Vndè fiebat, vt quamquàm vir, præsesque perbonus, nequaquam tamen vnus omnibus faceret satis. Distinxit munera Ignatius, suis Rectori adiutoribus attributis: ceteramque quotidianæ vitæ disciplinam pro reliquæ Societatis more descripsit. Quoniam verò in quinque circa pagis, quinque separatim Sacerdotes ad eos populos, quos ipsi ad communionem vitæ, & christianam religionem magnis laboribus conuocarant, retinendos, diuinisque sermonibus, ac mysterijs adiuuandos cum singulis comitibus agitabant, propter solitudinem & periculo, & calumnijs maximè expositi; Antonium Petrium spectatæ Sacerdotem virtutis, loco Prouincialis, relinquit: qui assiduè eos circumiret pagos, iuuaret Socios consilijs, audiret confitentes: denique & singulis interim mensibus Collegium vrbis interuiseret, vt vitæ forma recèns inuecta confirmaretur. His gestis, stabiliendæque in posterùm Prouinciæ, cùm Collegij ædes amplificari, atque Tyronibus quoque habendis secretum domicilium strui iussisset; Nouembri mense cetera Societatis domicilia inspecturus, atque Emmanuelem Nobregam, cuius in consilio reponebat plurimum, conuenturus; Ludouicum Granam Prouincialem ducens, ad Sancti Vincentij Præfecturam iter intendit, opportunitate vsus classis, quam Mendus Sa Regius Præfectus, Petro Leitone Episcopo simul eunte ad pacandam Fluminis Ianuarij præfecturam, ab indigenis partim liberis, partim rebellibus, atque etiam ab Hæreticis Gallis infestam, & ad condendam meliore situ vrbem ducebat. 134 Ad Sancti Vincentij præfecturam abit.

Hoc Brasiliæ statu, quæ vnica ex Americæ, seu Orbis noui Prouincijs, cùm in Lusitanorum dictione esset, ad hanc diem Societati patuerat, etiam Catholico Regi terræ subiectæ, quas abutens Indiarum vocabulo, Indias Occidentales vulgus appellat, apertæ sunt. Recentissima etiam num Societate, notitiam eius, & præclaram opinionem intulerant eò Callistus Sa, & Artiaga: qui aliquandiu Sanctum Ignatium ante conditam familiam sectati, postea parùm constantes in eas oras nauigarant. Deinde cùm in dies latiùs, quàm & in Brasilia, & in Eois regionibus, optabili successu, proferendis Euangelij finibus nouus ordo operam nauaret, secundo rumore fama loqueretur; multi non in Europa modò, sed in ipso nouo Orbe Principes, Præsulesque tam glorioſi, sanctique operis partem ei cupidissimè, deferebant. Anno voluentis seculi quinto & quinquagesimo, Marchione Cognetæ, qui Prorex in Peruuiam mittebatur, petente, Gaspar Azebedius, & alter Sacerdos designati iam erant. Sed quia Archiepiscopus Limensis parùm assentiebatur; omissa res est. Postea Augustinus de Corumna vir egregius, Augustinianorum multos annos in Hispania noua Prouincialis, vbi primùm creatus est Poppaianæ Episcopus; nihil priùs habuit, quàm, vt aliquot ex hoc numero Sacerdotes flagitaret. Eodem tempore Petrus Menendes Floridæ sub ditionem redigendæ ab Rege Catholico præfectus, hac tantùm non conditione præfecturam accepit, vt aliquot ei de Societate Rex Euangelij promulgatores attribueret: quorum industriam in oriente sibi olim militanti perspectam aiebat. Araozius ad id loci nunquam satis probare eam expeditionem visus erat, veritus, ne præfestinatis incrementis tener cœtus eneruaretur. Vulgò tamen Socios ijs quoquè gentibus augustissimæ Crucis signa inferendi habebat ardor: eamque laborum materiam enixè precabantur à Deo, Borgia in primis: cuius demum magistratui, corroborata iam Societate, decus hoc proprium reseruabatur. Digna sanè memoria est Petri Menendis religio. Cùm eiusmodi præfecturas plerique mortalium pecuniæ causa ambire soleant; profitebatur ille, reque ipsa probabat, vnam sibi propositam esse pereuntium animarum curam. Sed nimis asperam, & prope tantùm ad contumeliam nominis Floridam Prouinciam sortitus; præclaris conatibus haud quaquam habuit euentum parem. Superiore anno Socijs à Borgia tum Vicario postulatis, quamquàm statim Pater tres designauit; tamen quia ante Menendi fuit ex Hispania soluendum, quàm illi potuissent adesse; quàm ægrè ferret vacuum eo præsidio abire; non verbis modò, sed etiam lacrymis multis ostendit. Petro Castillo Societatis amantissimo viro, qui præcipuus fuerat auctor eam Ga-

135 Indiæ Occidentales Societati, aperiuntur.

136 Socij à multis Magnatibus petuntur.

137 Petri Menendis religio.

des aduocandæ; negotium discedens vrgendum commendauit. Quod amanter Castillus, & liberaliter præstitit. Est Florida Prouincia perampla, finitima nouæ Hispaniæ. Qua parte hæc nostrum orbem respicit, partibus triginta ab Aequatore in Septentrionem elata, ex eademque boreali regione sinui Mexicano prætenta, Ioannes Pontius Leonius cùm è vicinis soluisset Insulis, in eam primùm salutis anno millesimo quingentesimo duodecimo incidit, quo die victoris Christi ad vitam reditus colebatur. Quod quia Pascha florum Hispani appellant; indè nomen inuentæ regioni Floridæ indiderunt: tanquam felices creandorum ab se coronas Martyrum simul diei, quo inuenta est, & nominis auspicio præmonstraret. Ingenia genti ferocia, vires magnæ sunt: natandi, currendique celeritate nulla natione posterior est: sagittis peritissimè vtitur. Lunam, Solemque inter præcipua colunt numina: quibus aliquoties in anno continuum triduum, omni prorsus cibo, ac potione, item somno abstinentes, reddunt solennes cultus. Quas vigilias, atque ieiunia, qui fortissimè, ac diutissimè perferunt; ij maximo sunt in pretio: nullo verò loco, quorum natura infirmior minimè ad ea durat. Intestinis odijs, belliſque atterunt sese. Nequaquam tamen id verum est, quod aliqui tradidere, corporibus humanis vesci. Plurimùm herbis sponte nascentibus, venatu, piscatuque vescuntur: & Maizio, qui communis Orbi non est cibus, quo fermè loco triticum est apud nostrates. Id genus illud est frugum, quod ad nostras aduectum oras, alij aliter, & quidem in Italia granum, aut millium Indicum, aut etiam perperam granum Turcicum appellant. Vdo, validoque solo lætissimè prouenit. Ad proceritatem tritici euadit: crassus est culmus, ac millio propior, foliis prope arundinaceis: ex culmo panicula funditur fruge cassa: ex geniculis iuxtà folia spicæ existunt foliaceo inuolucro contectæ, quæ grandibus constructæ granis haud malogranatorum dissimilibus, rotunditate paulatim decrescente in speciem metæ tenuantur, colore fermè pallidulo: quamquàm & fusci, & aliorum generum est videre. Hæc visitatissima Americanis populis esca est, nequaquam tritici nostratis vsui conferenda. Floridani, quia plerumquè sterile solum est, pro anni tempestatibus, vt se quippiam frugum alicubi extulerit, vel piscandi maturitas inuitarit, mapalia gregatim mutant. Qui inter eos dignitate ceteris præstant, Cacique (vt fermè alibi nouo in Orbe) nominantur. Nulla adhuc facta in vastitate illa Diuini verbi sementis fuerat: nequicquam seculi huius anno quadragesimo nono aliquot religiosis Dominicanis magno labore conatis. Hispani pauca ad oram maritimam habebant præsidia: quæ oppugnantibus acerrimè indigenis, perque occasionem carptim alios, atque alios mactantibus, extrema omnia, præsertim ab fame, pertulere. Hisque in angustijs, aiebat Menendes, æquissimo se animo esse, quòd sciret arma sua non nisi Diuinæ gloriæ militare: persuasumque haberet precibus, quæ fiebant ab Societate, impetrari à Deo, vt tandem vbique victor euaderet: & quicquid aggrederetur ex voluntate conficeret: eôque auidiùs Socios expectabat. Exacto igitur inter summas angustias anno, in portum Sancti Augustini, ad auxilium ab Rege Hispano missæ, tertio Kalendas Iulias, naues septendecim inuehuntur. Incredibilis ad earum conspectum, cùm & militum, & armorum, & commeatus ingens copia afferretur, lætitia extitit: magisque gaudebat Præfectus, quòd expetitos in ijs vehi Sacerdotes opinabatur. Ceterùm dum regiæ quædam literæ seriùs conficiuntur; classis ex Hispania, non expectatis, quos Societas destinarat, soluit. Quos cùm abesse Præfectus vidit, vehementer ingemuit, non eò solùm, quòd retardari Euangelij fatum dolebat; sed etiam suam apud Barbaros quòd periclitari sentiebat fidem, tanquam adhuc eos inani religiosorum hominum spe, & expectatione lactasset. Verùm eo ipso tempore è Bœtico Sancti Lucæ portu Petrus Martinius, & Ioannes Rogerius Sacerdotes, & Franciscus Villaregius vitæ domesticæ administer, spectatæ omnes, eximiæque virtutis, in Floridam cum classe in Hispaniam nouam tendente egrediebantur. Et quidem quo animo irent ceteri, præcipuèque Martinius, argumento sunt literæ, quas sub profectionem ad Borgiam dedit. Præter alias, inquit, literas, egi iam gratias Paternitati tuæ de beneficio, quod in me

138 Florida quæ pars terrarum.

139 Frumentum Indicum.

140 Floridæ præsens status.

141 Primi de Societate in Floridam missi.

142 P. Petri Martinij sanctus fervor.

per

per te Dei bonitas contulit: ſperoque de eius clementia id magnopere ad obſequium ipſius caſurum, & gloriam: cui proprium eſt inſignia facta piſcatorum, ac vilium hominum miniſterio facere, quo laudetur magis eius nomen, & cognoſcatur poteſtas. Ego, quæ Dei indulgentia eſt, magno animo iter capeſſo, valde eius gratia fretus, vitâque meâ, & ſanguine ad eius obſequium ſæpè in hanc expeditionem oblatis. Deoque aſpirante certus eſto, Pater, quicquid in nobis fuerit virium, eò collaturos, vt Prouinciæ illæ in conditoris ſui, ac redemptoris notitiam veniant: nec pereant animæ ſanguine tam pretioſo redemptæ: eademque cura adniſuros, vt Societas Ieſu, quæ tantùm mihi bonum detulit, nihil de egregio illo nomine amittat, quod noſtri Patres tot, tantiſque laboribus pepererunt: quin potiùs dilatetur, & creſcat, vt æquum eſt, ad maiorem gloriam Dei. Illud quidem vellem, alius veniret caput, & dux, cui ego ſubeſſem: quanquàm hic quoquè diuinæ prouidentiæ ordo me conſolatur. Quamobrem ſanctæ obedientiæ virtuti plurimùm confiſus, ad munus accingor, præſertim tam egregios, tantaque bonitate comites nactus Ioannem Rogerium trium votorum Profeſſum, multæ caritatis, humilitatiſque Sacerdotem, firmæ, cognitæque in omni genere virtutis: & Franci ſcum Villaregium vitæ domeſticæ adiutorem, & ſecundùm meum cor, &, vt arbitror, Dei. Adeo rari exempli eſt, ac planè eiuſmodi, qualem tanta res poſtulabat. Illi, egoque magnopere læti agimus iamque villemus in Prouincia noſtra eſſe, vt aliquid ſubiremus laborum eius cauſa, qui cauſa noſtra ad ſudorem vſque cruentum, necemque acerbiſſimam laborauit. Sanè, quoniam tanti momenti eſt prima chriſtianæ fidei ſemina in regionem adeo patentem inferre, libenter coram exoſculati ſanctiſſimos pedes, benedictionem Beatiſſimi Patris Pij Quinti excepiſſemus. At id quia fieri non poterat, ſatis nos conſolatæ ſunt literæ, quibus cognouimus perbenignè illum nobis abſentibus, & benè precatum, & ſingularia beneficia impertiſſe: ac tua Paternitas poterit noſtro nomine ei confirmare, præter votum proprium, quo ego tanquam profeſſus illi aſtringor, ad nouum illi quærendum gregem proficiſci fideliſſimos Sanctæ Romanæ Eccleſiæ filios: paratos, cum diuina gratia, ſanguinem pro ipſa fundere, & vitam in ea longiùs proferenda ponere: idque pro ſummo Dei beneficio numeramus. Tua ſimul Paternitas nobis iam iam cõſcenſuris benè precetur, vt vbique meminerimus tuos, ac Societatis, cui immensùm debemus, eſſe nos filios. Illud mihi cor vehementer excruciat (vt verum fatear, Pater) quòd parùm tredecim, aut quatuordecim annis profecerim, quibus me Societas tantâ curâ, tamque eximio lacte iam educat: doctrinâ, atque exemplis tam inſignium, piorumque Heroum: regulis, & conſtitutionibus tam abſolutis, ac ſapientibus: tanto mortificationis vſu, & orationis: tot collationibus, & cohortationibus pijs: denique adeò prudentium, ſtudioſorumque gubernatione Præſidum: vt ſpatio tot annorum iam vel ſaxum emolliri debuerit: ideoque cor meum tangitur, quòd eò tranſeo, vbi præſidijs hiſce cunctis prope nudabor. Quare oporteret nunc adhibere diligentiam ad comparandam annonam in eum locum, vbi erit vtique vſui, & campus ampliſſimus patiendi. O ſi in hac ex Hiſpania profectione cunctos è Societate Patres, Fratreſque alloqui daretur! Vt eo ſenſu, quo ego commoueor, excitarem currentes, admoneremque, vt præſenti vtantur tempore: ex vberrimis pretioſarum rerum fodinis, atque theſauris, in quibus verſantur, ſedulò capiant fructus, ſeponant, recondantque in tempora huic meo ſimilia. Verùm, quia id negatum eſt; eò valeat ſenſus hic animi mei, vt ſupplicem Paternitati tuæ, totique Societati, vt me, meoſque Socios Deo commendent, quò iniuncto nobis munere, cum Dei Domini noſtri gloria, & proximorum adiumento fungamur. Hæc, aliaque, tanquam è redundanti pectore Pater Martinius promens, & beatum ſibi finem affirmatè vaticinans cum Socijs, quarto Kalendas Iunias vela fecit, tantâ animi voluptate, vt Prouincialem Auellanedam, alioſque vicinos Socios vehementer ad eiuſmodi labores accenderet. Vbi prope Floridam ventum eſt; ab claſſe in nouam rectà pertendente Hiſpaniam ſeparati, flexerunt in Septentrionem curſum. Iamque octauo Kalendas Octobris vix decem ab continente leucis diſtabant. Verùm naucarcho minimè locorum agnoſcente faciem,

143 P. Martinij comites P. Io. Rogerius & Frater Franciſcus Villaregius.

144 P. Martinius prædicit ſibi necem.

145 Societatis occaſiones ad profectum.

Digitized by Google

diu hæsere consilij ancipites. Promptum erat consilium mittere in scapha viros, qui ad littora appulsi regionem explorarent. Sed quia latè indomiti, immanesque colebant Barbari; consilium erat plenum discriminis, quod nemo (vt quisque vel sua communibus præfert, vel alienis amat casibus tutus fieri) subire priuatim inducebat animum. Belgas quosdam nauarchus iubebat ire: qui asseueranter negarunt ituros, nisi vna iret Pater Martinius, siue aduersus Barbarorum ferociam ab eius sanctitate sibi sperarent tutelam: siue vt nauarchi, si quid interim incideret, obligatam haberent fidem eo pignore, ne ipsos in Barbaria ignota desereret. Belgarum postulata statim vt Martinius audijt, nullum pro communi causa periculum reformidans, cupiensque quam primùm possessas à Dæmone terras euangelico pede calcare; transilit primus in scapham: nouem Belgæ, perpauci Hispani sequuntur. Vix terras attigerant, cùm coorta repentè tempestas nauim, vndè descenderant, procul ab cospectu abstulit. Quæ cùm diu errasset, ad insulam tandem Cubam euasit. Interim Pater Martinius, ac Socij in continentis littus egressi, vestigium nullum Hispanorum, deserta cuncta inueniunt. Cùmque hinc horridum, ac minacem Oceanum, hinc ignotas, ac vastas spectarent solitudines; eodem loco dies decem, si fortè alicunde se nauis ostenderet, præstolantur prope ieiuni. Prodibant interdiu, paucasque legebant herbas, præeunte cum Christi in Cruce fixi effigie Patre Martinio: cuius de caritate dein comites retulerunt planè miranda: addiditque Hispanus iuuenis Florius nomine, auditum ab se non Hispanos modò Hispanicè; sed etiam Belgas Belgicè ita cohortantem; ac si eum sermonem à puero hausisset. Post longam moram, cùm spes nusquam à mari, nullus mortalium in ora maritima appareret; interiora petere præ Barbarorum metu, locorum ignari, non auderent, superque omnia fame enecarentur; propulsa ad vicinum fluuium scapha, aduersùs eum quindecim fermè passuum millia subierunt. Quo in itinere cùm item nil nisi solæ, desertæque terræ oblatæ essent; relapsi in mare, statuerunt legentes oram, tentare si quem portum vspiam inuenirent. Ad leucas viginti progressis alius amnis occurrit, quem aduerso cursu dum subeunt, nauicula vado inhæsit: ad quam reuellendam primus omnium Martinius delapsus in aquas, cunctis connixus viribus, duobus Hispanis adiuuantibus, in altiora aluei expulit. Nocte ibi exacta, vt dies terras aperuit, exploraturi regionem in ripam exscendunt; pauciscque ad scapham relictis, ceteri, Patre Martinio Christi Iesu effigiem ad lanceæ cuspidem alligata præferente, terram ingrediuntur, Cælitum patrocinia litaniarum cantu poscentes. Occurrére inter pinus multas tuguria quædam: vnus duntaxat mortalis conspectus est, qui statim se fuga in proximas syluas abdidit. Necessitas peregrinos adegit intrare tuguria, scrutarique si quid fortè inesset enectis prope fame corporibus sustinendis. Grandem in vno inuenere piscem: cuius cùm dimidium abstulissent, monête Patre Martinio, vt, si quid haberent, pro pretio relinquerent; Florius sagum, & viriolam ex vitro reliquit. Indè paululùm exhilarati, eodem Beatos ordinatim carmine salutantes, ad scapham regrediuntur, communicaturi cum Socijs inuenta solatia. Ita illic dies exactus. Postero die ad fluminis ripam quinque numero apparent indigenæ, manuque edito signo aduocabant ad ripam. Vbi enim sagum, ac torquem domi inuenerunt; vt vero simile est, bonos viros, qui aliena noluissent inempta sumere, eosdem necessitate pressos rati, venerant visendi studio, & iuuandi. Quare Patre Martinio cibos gestu, manu ad os admota, poscente (ad naturalem enim linguam ignoratio artificiosæ redegerat) raptim ad tuguria reuertuntur. Suspicabantur alij ad sagittas redijsse capiendas: tamen, vt Pater Martinius prædicebat, egregia aqua, cocto pisce, alijsque rebus onusti rediere: perofficiosè significantes nequaquam hostilem esse gentem. Et Pater, cui aliud non suppetebat, ex libro, quem secum habebat, pecorinæ chartæ folia detrahens, & bellulas (forsice vt reor) concinnans figuras, amicitiæ monumento eis donauit. Quas illi omnis elegantiæ rudes, sed iuxtà pueros curiosi, magni se facere ostendebant. Florius verò sibi thoracem, alter Hispanus femoralia detracta dedit: paulòque securiùs regressi ad mare, existimantes non procul abesse Hispanos, quòd amicos

146 P. Martinij caritas.

inue-

Digitized by Google

inuenissent populos, vltra pergunt stringentes littora terras explorare. Ex eo loco ad singula flumina, quæ crebra intercurrebant, accolentes populos inuenerunt: à quibus accepti benignè, recreatique sunt. Postremò etiam ex homine grandæuo, cuius multò centenario maior existimabatur ætas, capillo ad vsque genu promisso, per nutus argumentantes intelligunt, vbi populos tres totidem discretos amnibus præteruecti fuerint, Hispanum inuenturos Præfectum. Ergo alacres instaurato cursu vnum, itemque alterum populum prætergressi, ad insulam modici ambitus, Tacatucurum nomine, in adolescentes quatuor piscatui intentos incidunt. Placuit quibusdam è scapha propiùs ad eos accedere, minùs probante Patre Martinio. Adolescentes sine cunctatione vim piscium magnam obtulere. Sed vnus celeri cursu proripuit se. Indè aliqua suspicio suborta fraudis. Descenderant aliquot Belgarum in ripam: per exiguam in aqua constiterat scapha, in eaque Pater. Nec mora plus quadraginta Tacatucurani confluunt. Duodecim in scapham intrant: ceteri consistunt in littore. Hic Florius: Nequaquam hæc mihi ora placent: non hi vultus amicorum sunt, Pater: faceſſamus à terra. Pater iussit vocari Belgas. Dum hi aduocati scapham ineunt, quidam Barbarorum post terga medios Patrem Martinium, duosque Belgas repente furtim complexi, cum ijs dant sese in flumen: viribusque præualidi eximanitos ærumnis, ac dolosè implicitos in littus asportant. Alius Florij guttur inuasit iniectâ vtrâque manu: sed is eluctans eo se nodo, mordicus abrepta barbaro manus parte, euoluit. Pater Martinius, in oculis omnium miseram è scapha spectantibus carnificinam, postquam pertractus ad terram est, cùm genibus, vt potuit, insistens extulisset ad cælum manus, capite claua infracto, expirauit. Similiter duo Belgæ occisi, & spoliati. Qui reliqui erant in scapha, vix è sagittis elapsi hostium, raptim progressi, altero die procul conspecto nauigio, actum de se quoquè putabant. Sed paulò post, cognito milites esse Petri Menendis, vertit in gaudium timor: quanquàm breue, ac miserum gaudium. Quippe tum demum sui cura solutos desiderium, & commiseratio Patris Martinij subijt, quem procul indè non amplius quinque leucis mortuum reliquerant: nec poterant eius commendandæ caritatis, eximiæque virtutis finem vllum inuenire: vt cum ipsis ad legendas prodibat herbas, vt easdem coquebat noctu in littore, vt consolabatur, ac sustentabat vnus omnes. Sed, si quisquam, Petrus Menendes ingemuit, indignum se tanto auxilio lamentans, suisque peccatis factum, vt Deus talem virum sibi eripuisset, in quo plus spei, fiduciæque, quàm in magni exercitus robore collocasset. Et erat sanè Pater Petrus Martinius firmarũ virium, memoriæ amplæ, multa, variaque doctrina, prudentia quoquè ad religiosam gubernationem egregia: sed longè magis virtutum, quibus ipse in se sacer asceta perficitur, veris, solidisque ornamentis abundans. Nihil obedientius illo, nihil modestius, nihil laboriosius, nihil amantius animarum. Idibus Octobris Anno salutis humanæ millesimo quingentesimo trigesimo tertio Celdis in Diœcesis Cæsarauguſtanæ oppido honestis ortus parentibus puer castitatem perpetuam vouit. Post nauatam latinitati, humanitatique cum laude operam, & Magisterij lauream in philosophia relatam, nullum habebat cum hominibus nostris vsum, potiùs ab consuetudine eorum animus abhorrebat. Verùm ita euenit, vt cùm in comitatu sodalium quatuor, qui omnes Societatis candidati erant, Valentiæ ad Collegium, ne eos parùm humanè, vrbanèque videretur deserere, contendisset; auditâ cohortatione publicâ, perspectaque mutuâ inter Socios caritate, eiusdem amore vitæ succenderetur. Atque (vt abdita sunt diuina consilia) sodalium quatuor, siue quòd ab incœpto sponte destiterint, siue quòd probati non sint, nemine admisso, receptus ipse est ab Hieronymo Natali tum Visitatore: atque per autumnum anni supra sesquimillesimum quinquagesimi tertij admissus est domum. Vt autem viribus animi iuxtà, & corporis abundabat; etiam num diaconus, theologiæ simul dabat operam, simul concionabatur Valentiæ, simul Ministrum domi agebat: ijsdemque muneribus, & insuper Rectoris, cuius gerebat vices, Vallisoleti diu suffecit: cùm diceret non ad munera solùm duo se, si Moderatores imponerent, sed ad ducenta paratum esse. Pari contentione animi cùm concionator itabat in oppida prolixi ieiunij tempore, super

147 Patris Martinij beata mors.

148 Eiusdem virtutes eximiæ.

Digitized by Google

alios labores, pueros catechesi sedulus imbuebat: totumque semestre in agro Valentino euangelizans Apostolico ritu, victumque emendicans exegit. Oranum in Africam (vt suo loco scriptum est) cum Hispano exercitu profectus, omnia religiosi viri, famulique diligentis officia aduersùs saucios, ægrosque milites magna caritate, & commendatione omnium exhausit. Idque fecit eò solertiùs, quòd erat ipse operum sciens ferè omnium, quæcumque ad vitæ necessitates inter religiosos manu tractantur. Ita enim accurato ingenio erat, vt quodcumque munus attingeret, eius totum assequi artificium conaretur: Itaque cùm ex obedientia nunc culinæ, nunc alijs, atque alijs humilibus ministerijs exercitus esset, non vsui modò præsenti facere satis studuerat, sed obseruarat singulorum rationes, & expertus erat. Denique magistrorum peritiam adæquarat. Aspera ita non auersabatur, vt simpliciter affirmaret, meliùs sibi, & iucundiùs in arduis, odiosisque sensui esse, quàm in quieta facilique vita: nec quicquam adeo esse operosum, ac formidandum, quod Dei gratia, atque obedientia tretus, non audacter assumeret: experimento edoctus quò plus periculi, ac difficultatis haberent gerendæ res, eò affluentiùs diuinam opem adesse. Haud facilè dictu est quàm in obedientia acquiescèret. Illud in summis ducebat delicijs, si animum suum ingenuè totum Præsidibus apertum, totumque in eorum manibus situm haberet. Indè nil perhorrescens, asperrima quæque imperia adamabat, & ad Hæreticorum, vel Ethnicorum destinari terras optabat: maximèque ad Gentes, quibus primùm inferenda esset christiana religio. Cuius diuturni, atque ardentissimi voti tandem compos effectus, Deo quasi gloriosæ mortis compendio multorum compensante annorum præclara facta, ad nobilem palmam peruenit. Quis enim dubitet clarissima illum palma donatum, cùm ex Europa contestandæ fidei causa, propagandæque discesserit, inque eius operis conatu sanguinem fuderit? Atqui cùm è naui in scapham non prædicandi modò quamprimùm Euangelij cupiditate, sed etiam pro vectorum salute vltrò se ipsum obiectans periculo transilierit; deinde ante receptos in scapham periclitantes comites noluerit in tutum subducere se se; si maiorem caritatem nemo habet eo, qui dat animam suam pro amicis suis; profectò non vnam videatur accepisse palmam;

149 Ingenium Patri Marrinio quàm Solers.

150 Eiusdem excelsitas animi.

151 Eiusdem obedientia.

HISTORIAE SOCIETATIS IESV
LIBER TERTIVS.

GLORIOSORVM Flores laborum, æternùmque victuras laureas dum felicibus his auſpicijs prouincia Florida pollicetur, & ex primitijs ſpecimen ſecuturæ frugis, præſertim poſtquàm ita generoſo imbuta ſuccu eſſet, oſtendit; Romæ Pontifex, qui adhuc Societatis opera peramanter vſus, eximia voluntatis in eam ſuæ documenta præbuerat; ingentem terrorem fecit, ne quid in eius Inſtitutis nouaret. Chorum in ea deſiderabat: & quibus vtimur, ſimplicia vota, ſubiniqua aiebat videri: quòd nequaquàm partem vtramque par nexus adſtringeret: ſed Societas ſua libertate nihil imminuta, obligatos ſibi alumnos teneret. Duobus his capitibus haud dubiè nerui incidebantur huius Ordinis, totuſque commutabatur. Indè Patres, ipſius iuſſu Pontificis, ſeduló collectas vtraque pro re ſcripto rationes, Cardinalibus Concilio Tridentino ad vſum reuocando præpoſitis, tradidere in hanc ſententiam. Quandoquidem Sanctiſſimus Dominus, de cuius conſilio, ac mente rectiſsima nefas eſt ambigi, de duobus Inſtituti noſtri capitibus, quæ ſe offerrent, palàm nos, liberèque iuſsit expromere; hæc, Illuſtriſsimi, & Reuerendiſsimi Domini, prudentiæ veſtræ ſubijcienda cenſuimus: alioqui ad parendum magis, quàm ad diſceptandum parati. Id autem videtur conſiderandum in primis, cùm de legum mutatione agitur, cauſa nec ne idonea ſubſit, quare mutentur. Certum enim quiddam, conſtans, & (quantùm fieri in hac rerum mortalium varietate poteſt) æternum legem eſſe neceſſe eſt. Nam ſi ex facili mutatio ſit; paulatim ea quoquè labaſcunt, quæ nullo pacto mota oportuit: vndè neceſſe eſt rerum publicarum ſenſim ſtatum omnem conuerti. Quamobrem cenſent ſapientes, ſi quid incommodi exiſtat; id, ſi remoueri aliter nequeat, potiùs tolerandum, quàm legum alicuius mutatione cunctas in diſcrimen dandas. Quod quidem multò prouidendum eſt magis in Religioſis legibus Apoſtolica auctoritate ſancitis: ne & detrimentum creetur Ordinibus, & Summorum auctoritati Pontificum, quæ Sacroſancta debet eſſe, aliquid venerationis, ſaltem apud imperitos, decedat. Societas noſtra auctoritate Apoſtolicæ Sedis à Paulo Tertio, & Iulio Tertio confirmata, & nuper à Concilio Tridentino comprobata eſt: cùm quidem Pontifices, & Concilij Sanctiſsimi Patres accuratè inſpexiſsent, ac diligenter expendiſsent totam eius Inſtitutorum rationem. Atquè adeo nihil per incuriam, aut per indiligentiam ſuſpicari licet commiſsum: ſed omnino ſi quid in ijs immutetur, ipſa Pontificum legitima decreta, & Concilij auctoritatem conuelli, mutarique neceſſe eſt. Quod niſi vel rerum ſtatus planè mutatus ſit, vel vſus, qui vnus corrector legum habetur, longo tempore experiendo euidenter arguerit; fieri profectò non expedit. Atqui Societas hæc eo modo, quo Pontificum, & Concilij auctoritate comprobata eſt, diuino obſequio ſeruiens, Eccleſiæque vtilitati, ſummam experta eſt Dei Optimi Maximi benignitatem, ac fructum ſatis vberem animarum, ſiue in confirmandis Catholicis, ſiue in reuocandis ab errore Hæreticis, ſiue in Ethnicis ad chriſtianam fidem vocandis. Ipſa per omnes penè veteris, nouique Orbis prouincias ingenti lectiſsimorum hominum, ac frequentium domiciliorum numero propagata eſt: per tempeſtates turbulentiſsimas proue&ta ſemper victrix: Sanctiſsimis quibuſque gratiſsima: & (quod haud minus cæleſtis argumentum eſt gratiæ) ſummo Hæreticis odio. Adeo vt his tot pignoribus, hoc patrocinio, ac fauore perpetuo, quaſi quodam ſuffragio id, quod de ea Pontifices, & Concilium cenſuere in terris; confirmatum, ſancitumque haud dubiè intelligatur in Cælo. Quæ autem fuerunt à principio huius Religionis ab Chori, vt de hoc

A.D. 1567.

1 Chorq Societas quare non vrgetur.

2 Leges non mutandæ.

3 Multò minùs probata Religionum Inſtituta.

4 Societas rite comprobata

5 Signa compro bationis diuinæ.

Digitized by Google

hoc priùs loquamur, munere eximendæ causæ; eæ perseuerant adhuc omnes.

6 Ad quid condita Societas.

Cùm enim diuinæ sapientiæ placuerit, pro temporum varietate, vsuque Ecclesiæ Sanctæ varias in lucem proferre Religiosorum hominum familias; his calamitosissimis, extremisque temporibus nulla videbatur noua sacri Chori necessitas extitisse. Sed cùm obsistendum impijs Hæreticorum conatibus, tartareæque eorum, quæ luci veritatis catholicæ exitium minabantur, restinguendæ essent faces; tum barbaris Christi hostibus obsistendum, quibus magna ex parte gens sancta circumuallatur, & sensim contaminatur; & nouis, quas Deus aperit, terris inferenda lex salutis, & monstrandum ad cælum iter; denique vehementer super hæc incumbendum ad corrigendos nimium lapsos Catholicorum mores, atque ad diuinorum mysteriorum vsum, cultumque reuocandum; hanc minimam placuit illi excitare Cohortem, quæ his, alijsque Christianæ Reipublicæ necessitatibus sese impenderet, ita conatu, & cura omni; vt Pater Sanctæ memoriæ Ignatius, quamuis quodam priuato sensu Chorum diligeret; tamen illud sequens lumen, quo incondenda huius operis fabrica regebatur, quia videbat, vt dictum est, non deesse in Ecclesia Dei qui decorè, ac sanctè diuina carmina exequerentur; sine vlla dubitatione, maximâque constantia censuerit ea occupatione abstinendum. Quò nimirum, animi viribus ad hoc vnum Sanctissimum, atque Apostolicum opus coniunctis, expedita, atque in procintu cuncta staret acies ad huc, illucque, quò priuatæ, quò publicæ religionis vsus vocaret, accurrendum. Quid ergo? Num illæ causæ non manent? Ardet incendio Gallia: Germania magna ex parte consumpta est: Anglia abijt in cineres tota: Belgium miserè deuastatur: Polonia vbique fumat: ipsius Italiæ fines flamma amburit: atque (vt innumerabiles ad Orientem, Occidentemque Indorum, nouique orbis populi panem qui sibi frangat, postulantes; & Mahometicæ impietatis quotidianæ progressiones omittantur) obruti inscitia sunt etiam in Hispania, Italia, Sicilia, Sardinia, alijsque errore intaminatis Christiani orbis regionibus non solùm, qui in agro, pagisque versantur, nec laici tantùm, sed & sacri homines, quique Vrbes frequentissimas colunt: & nos, dum tot vndique miserorum opem exposcentium vocibus dies, & noctes ciemur, operam alibi ponamus? cùm propter eos labores, tectis nostris, rebusque relictis, dederimus in hanc militiam nomina: tamque multi sint, qui sanctis his per communionem vocum Numinis laudandi occupationibus vacent, tam pauci pro tantarum indigentia, qui ad illas necessitates accurrant? Militiam corporum Religiosis professis num quæsorum, cum expedienda forent arma, atque à Fidelium bonis, atque corporibus Barbarorum impetus propulsandi; psalmodiam, aut aliud tale munus æquum esset imponi? Profectò ea nunc tempora, Reuerendissimi Domini, sunt, quibus hic Ordo non ad corpora, quanquàm & ad corpora, sed ad animas præcipuè tuendas sacrum quoddam bellum non aduersùs carnem, & sanguinem, sed aduersùs Principes, & Potestates tartareas, earumque satellites suscepit: vt si Chori habendi adstrictus esset legibus; solui oporteret, operam vt eo omnem conferret: ne dum quicquam causæ enatum sit, cur debeamus, qui veteribus oneribus planè succumbimus, nouis, & grauissimis cumulari. Quòd si ab Religiosis ijs, qui sancto se otio, & laudatissimo dedidere, non requiritur, vt suam pacem, atque cælestem conuersationem interturbent laboriosis Marthæ negocijs; quid est cur nobis, qui bonum commune sequuti in hanc arenam, studiumque descendimus, moræ injiciantur? Qui tot obruimur sæpè proximorm calamitatibus, vt vix otij liceat tantum decerpere, quantum sit satis, vt sacri officij pensum priuatim, nec statis temporibus exoluamus? Quæ cùm ita sint; quid tum fiet, si Choro alligemur: qui & certam sedem, & certa tempora, tamque longa postulat; atque ita defatigat, vt, cùm tempus penè omne gerendarum rerum abstulerit, eam quoquè partem, quæ reliqua est, trahat: dum fessus canendo animus requiete magis instaurãdus, quàm opere nouo, ac difficili atterendus est? Quibus in Ordinibus Chorus est, qui concionantur, qui discunt in gymnasijs, docentue: quique graui aliâ distinentur causâ, ferè immunes ab cantu sunt. Ergo in hac Societate immunitas cunctis debetur, in qua nemo vel ab discendo, vel docendo, vel agendo grauissi-

7 f Publicæ necessitates, quibus succurrendum.

8 Suus cuique Religioni finis.

9 Sua munera tuenda.

10 Chorus magnum negotium.

11 Magnum quoque opus iuuandi proximos.

uissimas res in commune bonum vacat: eòque magis, quòd hæc mortalium iuuandorum studia eiusmodi sunt, quæ non solùm curam postulant, vt viæ, rationesque, quibus commodissimè transigi res queat, excogitentur, atque necessaria comparentur doctrinæ, eloquentiæ, prudentiæque subsidia ad alienam salutem curandam; sed etiam solidarum requirunt, ac perfectarum munimenta virtutum: ne propter discrimina multa, & maxima, dum alios conamur erigere, & mundare; labamur ipsi, & inquinemur. Eòque nobis non solùm concionandum, docendumque est, artesque excogitandæ, quibus alienas benè, sanctèque tractemus animas; sed etiam, præter cetera religiosæ disciplinæ officia, perattentâ opus est, longâque meditatione, & conscientiæ recognitione, quam præscriptam vtramque habemus legibus, vt præmuniatur animus noster, simulque roboretur: non modò vt sine detrimento nostro sit alijs opera nostra salutaris; verumetiam tantò prosit vberiùs, quantò nos fuerimus virtute magis exculti, arctiùsque, & aptiùs cum summa bonitate, saluandarumque animarum Principe, & Autore coniuncti. Num igitur hæc priuatæ virtutis, an illa publicæ vtilitatis omittenda sunt studia, vt nouæ occupationi pateat locus? Age verò accersentibus nos ad moribundos, ad plectendos supplicio, ad ægrotos, ad inclusos in carcere, ad quamcumque animi difficultatem, quacumque siue diei, siue noctis horâ, cum iam hæc consueta, tanquam debita à nobis exigantur officia, quid responsi demus? An satis excusabimus sacrosanctas occupationes chori; dum negotium æternitatis agitur, & immortales animæ de beato, vel miserrimo in perpetuum statu decernunt? Quid deinde Imperatoribus, Regibusque, ac Principibus ceteris, quid Præsulibus, & ciuitatibus respondeamus, cùm dicent, vt tanquam in statione esset, ad suorum populorum adiumentum, se domicilia condidisse, & instruxisse Societati? Quòd si negotia hæc animarum, pro quibus Dominus noster Iesus Christus sanguinem fudit, Sanctique Apostoli dies, noctesque peragrandis Prouincijs, hauriendisque omnibus ærumnarum generibus, vitam consumpserunt, Beatissimus Pater, pro officio curæ pastoralis, & caritate sua, intendi potiùs debere existimat, quàm remitti; rogamus, obsecramusque eius Sanctitatem, vt, quod alij Pontifices fecere, qui nobis, & singulari patrocinio, & humanitate addiderunt ad strenuè subeundos, perferendosque labores animum; item ipse faciat potiùs, quàm vt mœroris, abijciendique animi causam præbeat. Parati profectò (vt de diuinâ gratiâ confidimus) sumus omnes illius nutum pro Dei nutu excipere: sed tamen cogitandum est, quid aliæ sentirent Religiosorum familiæ, si de nouandis earum legibus ageretur. Homines nos quoque sumus. Nec dubium est nostro quoquè in numero esse, qui nunquam futuri fuerint, si scissent adigendos se ad cantum esse: ad eumque etiam parùm animo affecti sint; quòd dicant professionis suæ non esse: & id ab se Deus si vellet, ostensurum Ignatio conditori fuisse: quin & eorum probent Doctorum sententiam, qui legibus docent neminem, nisi quas est professus, teneri. Itaque benignissimæ erit Sanctissimi Patris indulgentiæ pusillorum infirmitati prospicere, nec solùm cauere, vt, qui in Societate sunt, læti, volentesque in ea versentur; sed vt etiam alacriter in Dei vinea opus faciant. Periculum enim est, ne qui infirmior, præ animi ægritudine, negligat rem animarum. Dumque ille satis conscientiæ suæ, satis famæ apud homines fecisse canendo putat; dominicæ segetes iam albæ ad messem, per cessationem messorum, pereant. Periculum est, ne operarum indè etiam minuatur numerus, quòd noua hæc occupatio ab ineundæ Societatis consilio multos possit auertere: siue quòd exercitationis id genus non ament, siue quòd minùs iam benè de legibus nostris opinabuntur, magno cum familiæ huius, ac totius Ecclesiæ damno. Ac profectò ita necesse est, hanc insignem mutationem sine insigni Ordinis huius notâ fieri non posse. Namque homines, quorum multi non optimè nobis volunt, vbi tam Pium, Sanctumque Pontificem, qui tanto studio in corrigendos Ecclesiæ mores incumbit, audient Societatis mutare instituta; quid rogo censebunt? Nimirum ea planè correctionis indigere: & (quod satis infamiæ est) Pontifici Optimo non probari. Imminutâ autem nostrâ ad vulgus auctoritate, qua vna vel maximè ad proficiendum indi-

12 Nec omittendũ chori causa.

13 Id Collegiorũ fundatoribus debetur.

14 Pericula Schismatum in mutatione Instituti.

15 Periculum ne refrigescat studium animarũ

16 Ne Societas minuatur & obscuretur.

Digitized by Google

indigemus; existimare promptum est, quanta futura sit publici boni iactura.

17 Institutæ Religiosorum non facile à Pontificibus mutata.

Considerandum postremò illud videtur, non facilè, si ad totam antiquitatem cogitatio referatur, inueniri exempla Pontificum, qui instituta Religionum commutarint. Videtur enim Deus Religiosorum Fundatoribus eam vitæ inspirasse formam, secundùm quam vellet sibi ab vnaquaque familiâ inseruiri, & per quam vellet viam suæ illis gratiæ adiumenta largiri. Idcirco tanto vnaquæque famila viget, floretque magis; quantò sinceriùs pristinam suæ originis formam tenet. Quia scilicet & Deus ex vna parte libenter sua fouet cœpta, ac fata rigat: ex altera homines, dum id, quod in ipsis est, & ex ipsis exigitur, cum modestia, ac fide præstant; nequaquam pedem extra præfinitum sibi limitem efferentes, aptè sese subijciunt, & accommodant actioni diuinæ, & conuenienter Prouidentiæ ordini conferunt. Quamobrem Pontificibus id solum ad hanc diem curæ fuit, vt, si quo rite confirmato in Ordine degeneratum esset; lapsos mores ad formam pristinam reuocarent. Cùm igitur id, Deo gratia, laboret Societas, vt suum diligentissimè primum teneat Institutum, neque id vlla re laxet, sed astringat potiùs, perficiatque: idque Institutum tenens, æternæ clementiæ siue ad incrementum sui, siue ad alienum emolumentum, præsentiam persentiscat; quid est quòd quicquam mutetur, cùm quidem certum sit rem benè sic procedere: quid futurum sit nouis moribus nesciatur?

18 Lapsi mores ad formam pristinam reuocati.

19 Hæreticis non præbenda sermonum materia.

Quid porrò transmontes tum Romanæ Sedis, tum ob illud præcipuè nomen, quia eam defendunt, Iesuitarum (quomodo ipsi vocant) infestissimi hostes Hæretici, auditâ hac inconstantiâ dicent? Approbatam multis à Pontificibus Religionem, nuperque à Concilio Tridentino laudatam, repentè à Pontifice, qui Concilij Tridentini decreta acerrimè seruanda curet, immutatam. Profectò Romanos Pontifices suâ quemque opinione duci: & Pontificia decreta ab ipsis immutari Pontificibus: & Conciliorum auctoritatem minùs firmam haberi. Vndè conabuntur ostendere vel hunc, vel alios Pontifices, & Concilium leuiter, ac temerè iudicasse, atque adeo errasse. Quam rem editis vulgabunt libris, vociferabuntur è suggestis: arreptâque indè ansâ, cetera sensim tentabunt carpere: contendentque alias quoquè Religiones inconsideratè à Pontificibus confirmatas: alia multa ab Sacrosanctâ Synodo temerè probata. Illud quidem pleno iactabunt ore, lætabundique, & insultantes decantabunt: Inter Papam, ac Iesuitas, qui omnium acerrimi Papistæ ab ipsis habentur, glisscere dissidium. Quod, etsi quicquid Sanctissimus Pater iniunxerit, etiamsi millies profundendus sit sanguis, nunquam verum fore confidimus; quàm tamen dem sissimè, ac studiosissimè possumus, communem Ecclesiæ, nostrumque præcipuè patronum, atque parentem rogamus, atque obsecramus hunc inimicis Dei, & nostris, insultandi nobis, deque Sancta Ecclesia obtrectandi, aperire locum ne velit. Hæc de Choro cum dicerent Patres; Simplicia vota Societatis iniqua nullo modo esse probabant clariùs: cùm ea non leuiter, sed à prædoctis totam disciplinæ rationem vltrò suscipiantur: prudentibus autem, ac volentibus iniuria non fiat. Nam vulgò receptum vsu videmus, vt quidam se Religiosis Ordinibus, alij autem operam suam Nosocomijs, aut alijs pietatis operibus deuoueant, & vota iustissima habeantur: cùm tamen & Religionum, & Nosocomiorum, & operum aliorum Præpositis integrum sit tum non recipere illos, tum hos etiam, vbi commodum visum fuerit, dimittere. Præterea cùm certum sit votorum illam formulam Societati magnopere commodam esse ad disciplinam, ad tranquillitatem, ad auctoritatem, ad profectum & suum, & alienum; velle hoc ei bonum conseruatum, & duriorem etiam vltrò conditionem suscipere, vt conseruetur; haud dubiè honestum, & laudabile opus est: ac proinde si quis velit, ac possit tale opus aggredi; non iniustè facias, si permittas, sed si prohibeas. Denique durior illa, quæ videtur conditio, ipsis quoquè vouentibus bono est: primùm, quòd ita Holocaustum Deo cumulatius faciunt: deinde quòd pro corruptela, & imbecillitate naturæ ab humanis prolapsionibus salutari suspensione, tanquam fræno, sustinentur: postremò, quòd si demum amandari oporteat (quod quibus maximè causis in Societate fit, in alijs quoquè ferè ordinibus licet) interest abeuntium solutos potiùs, quàm vinctos dimitti. Hæc, & id genus alia

20 Vota Societatis Simplicia iustissima esse docent rationes.

ex

ex rei naturâ petita argumenta, cùm planè ostenderent vota Societatis simplicia nihil admistum habere fraudis, sed æquissima, & honestissima esse; Pontificum tamen auctoritas, qui causa rite cognita, planèque perspecta eadem comprobassent, rem conficiebat euidentissimè. Quippe in Choro adijciendo aliquid causæ comminisci licebat, vndè Pontificia acta non tam euerti, quàm perfici, certè sine fraude mutari doceretur: at in condemnatione votorum necessariò consequebatur Institutum, quod iniquitatem haberet implicitam, fuisse à Pontificibus comprobatum; in qua tamen comprobandi Religiones formula, haud temerè cuiquam permitti debet, vt asserat Apostolicam Sedem errare posse. Simul etiam Concilij Tridentini, quòd hoc Institutum pium appellasset, valde eleuabatur auctoritas. Quî namque pium esset, quod ex Iniquitate conflatum esset? Quare si id, quod tam celebre, ac Sanctum, & à proximo Pontifice ritè confirmatum Concilium pro pio laudasset, Successor Pontifex iniustitiæ condemnaret; alterutra procul dubio sententia aberraret. Hæc adeo manifesta, & valida rationum momenta cùm considerarent Pontifex, respondit: Quod pertineret ad vota; ea sibi probata. De Choro autem, cùm ad eum Borgia, & Polancus alia causa adijssent; ita est locutus: Vidisse se quas Patres per Cardinalem Paticcum proposuerant causas: nulla earum omnino sibi persuasum. Itaque etiam num existimare, ad excitandam inuicem pietatem, psalmodiam in communi habendam; ita tamen, vt Scholastici nequaquam ea re distinerentur: & quibus horis non interesset populus, satis fore diceret, si pauci, atque adeo duo interdum chorum facerent: ac laudare se, ne tempus canendo terererent, sed vt pronuntiarent intelligenter, breuique perfungerentur. Aequum tamen esse ex occupationibus interualla sumi, quibus vacaret sibi: ne, caminos purgantium instar, sordibus detergendis sordesceret. Vbi, cùm Polancus quantum ad id curæ quotidiana meditatione, & gemina diei cuiusque recognitione, ac retractatione adhiberetur, dixisset; Nihil, inquit, meditationem chorus impediet. Indè rogauit Borgia liceret differre, quoad Sacerdotalium precum Breuiarium, quod eius Sanctitatis iussu è Concilij Tridentini decreto restituebatur, in lucem prodiret. Quòd cùm facilè impetrasset, nihil tum innouatum est. Ex ea peramanti collocutione apparuit pietas Sancti Pontificis. Certabant in animo religiosissimi Patris hinc propositæ ab Societate difficultates, indè penitus insitus amor chori. Itaque cùm vniuersè prius vellet induci; iam Collegijs vltrò exemptis, ne nusquam induceretur, quicquid temperamenti occurreret beneuolè suggerebat. Ceterùm inueniri temperamentum non poterat, quod non cum rei summa pugnaret. Namque, cùm vel ad cuiusque priuatim canentium, vel ad audientis populi excitandam pietatem chorus desideretur; neutrum reneri potest, nisi & iustus numerus canentium, & pronuntiatio apta vocum, & rituum sacrorum scita, ac decora administratio fit. Quicquid enim, vel leuiter, ibi peccetur; vehementer obturbat. Atque ex eo genere rerum hæc sunt, quas præstet non attingi, quàm non benè administrari. Vt benè autem administrentur, & otium postulant, cùm discuntur; & moram conuenientem, sedatasque curas, cùm geruntur. Atqui in domibus Societatis, & angustiæ semper magnæ sunt temporis, & iusta cantorum frequentia cum esse nunquam potest, tum minimè temporibus ijs, quibus non modò suæ, sed, & populi pietati seruiendum esset. Nam quibus templa temporibus maximè celebrantur; ijs ferè Sacerdotes vel confessionibus audiendis, vel negotijs alijs animarum sunt maximè occupati. Hæc tametsi ita esse Patres intelligerent; tamen verecundia tenuit Summi Pastoris, ne vltra vehementius tenderent. Itaque dilationis beneficio in præsens contenti fuerunt. Agebant iam prope securi, seque defunctos procella sperabant; cùm circa Natalitia Domini solemnia, in quibus Socij aliquot erant ad Sacerdotium euehendi, cognoscunt Pontificem suo in Vrbe Vicario imperasse, ne quem Religiosorum, ne de Societate quidem, nisi solemnia vota professum, ad Ordines sacros recipiat: eâ gratiâ, ne postea, si fortè dimissi essent, aut mendicandum Sacerdotibus, aut sordibus exercendus quæstus esset, cum dedecore Ordinis, quod Concilium Tridentinum vetat. Detulit Pater Franciscus priuilegia Societatis ad Cardinales rebus Concilij co-

21 Conuincit auctoritas Apostolica, & Concilij.

22 Probat etiam Pius V.

23 Chorum aliquo modo iubemur habere.

24 Pontificis clementia.

25 Choro nusquam locus in Societate.

26 Pontifex vetat fieri Sacerdotes de Societate non professos.

gno-

27 At nihil indè incommodi metuendum erat.

gnoscondis, explicandisque præpositos, & quàm nihil indè timendum foret incommodi luculenter ostendit: cùm & ad eam diem nihil vnquam eiusmodi contigisset: & in futurum nihilo magis siue per paternas cuiusque initiandi, siue per Ecclesiasticas facultates, quàm religiosorum nexu votorum consuleretur. Liberos quippe Sacerdotes quàm multis, varijsque præpositos esse casibus? Quanto facilius deprauari eos, quàm cœnobitas? Quis teneat fugam, & vagas peregrinationes? Quis inter hæc morbos, & pericula alia mendicitatis amoliatur? Iam bella, latrocinia, furta, iniurias temporum, ac tempestates, per quæ res perit, quis præstet? Ipsorum met socordiam, profusionem, intemperantiam, vitia alia, quibus ad summam inopiam redigantur, quâ satis cautione prohibeas? Quàm multos ipsi Antistites, aliæque interdum potestates, noxarum causa, vel patrimonijs multant, vel spoliant Sacerdotijs? Quas quidem potestates vero simile est non minùs posse in rebus iudicandis, quàm Præpositum Societatis in votis laxandis errare. Ergo cùm (vt sunt humanæ res) nihil vsquam in omnes partes cautum esse possit; id abundè esse, si pro opibus, moribus humanis arceantur incommoda: & quoniam arceri cuncta nefas sit; si de necessarijs leuissima subeantur. Quod cùm Societas, Deo duce, præstiterit, nec ad eam quicquam Concilij Tridentini decretum, quod de secularibus Sacerdotibus agit, pertineat; non esse cur concesso ab Sede Apostolica iure, quo non nisi rectè, fructuosèque ad id loci vsa sit, tanta cum suâ, publicâque pernicie nudaretur. Eo etiam minùs, quòd præter alias decoras vitæ sustinendæ vias, ipsi illi, quos Societas interdum dimitteret, ita literis, vsuque rerum instructi dimitterentur; vt conditio ijs honesta deesse nunquam posset. Hæc

28 Cardinales Concilio præpositi probant causam Societatis.

ita probata sunt Cardinalibus; vt responderent posse Societatem suum tenere Institutum. Conditionem tamen quidam adijciebant grauem, & pernicioſam, vt, si vsu aliquando veniret, vt dimisso cuipiam abundè non suppeteret; ad vitandam sacri gradus ignominiam, ipsa, quod satis foret, Societas subministraret. Quod & onus intolerandum Societati in summa sua inopia erat, & contra omne ius videbatur, vt quis ex noxâ, pœnâque lucrum faceret: & defectionum erat illecebra, cùm & extra disciplinæ iugum, extraque omne negotium, peruersis hominibus alimenta proponerentur, quibus intra cœnobia sine religiosæ obedientiæ labore frui non possent. Visus est initiò Pius Pontifex, quod placuerat Cardinalibus, comprobare. Illud deinde vitandæ mendicitatis consilium per subsidia, quæ Societas subministraret, parùm æquum, nimiumque periculosum ratus; iterum Cardinales eosdem rem iussit cognoscere. Qui cùm conuenienter priori sententiæ pronuntiassent, vt quos Societas arbitratu suo amandaret, si quando mendicitas vrgeret, eis subsidio ipsa iret; Pontifici demum ea stetit sententia, vt existimaret consultiùs

29 Pontifex in sententia sua perstat.

Religiosos quoquè Societatis professione priùs, quàm sacris ordinibus obligari. Idque septimo Kalendas Iunias anni millesimi quingentesimi sexagesimi septimi Alciatus Cardinalis, Pontificis nomine, præcepit Borgiæ. Et anno proximo Concilij Tridentini decretum, ne seculares Sacerdotes sine certis vitæ subsidijs fierent, ad Religiosos quoquè non professos, edito diplomate, voluit pertinere. Ceterùm qui interiùs hanc disciplinam norant, eamque suis legibus ita videbant, quasi neruis contextam, implicatamque, vix vt aliter componi, & contineri id corpus posset; minimè leuem hac re illi plagam imponi, sed vitalem peti locum sentiebant. Nam, præterquam quòd ea re membrum vnum præcidebatur, & spiritualium

30 Quàm id incommodum Societati.

gradus Coadiutorum funditus tollebatur, tamque præcipuo succiso membro, vtilitates multæ, magnæque recidebantur; duorum alterum necessariò erat consequens, vel vt Sacerdotes perpaucos Religio haberet, vel permultos Professos haud satis exploratæ virtutis: quod vtrumque incommodorum seriem grauissimorum secum longam trahebat. Principiò enim, nisi vti ad id locorum factum fuerat, Sacerdotes deinceps liceret suffici; non modò propagandæ Familiæ incidebatur spes, sed ne inchoata quidem poterant in susceptis iam domibus, & Collegijs perpetuari munera: ad quæ sustinenda ne præsens quidem copia satis erat. Deinde cùm tam frequentes per pagos, atque oppida, in quibus non dum sedem habebat Societas, adeoque salubres susciperentur peregrinationes, vt totis populis

31 Vel quòd Sacerdotum numerus minuebatur.

con-

Digitized by Google

confessione expiatis, rudibus edoctis, conciliatis dissidentibus, alijsque vitijs sublatis, noua quædam relinqueretur rerum facies, Sacerdotum numero imminuto, intermitti has peregrinationes, & tantum intercipi fructum necesse erat. Postremò in Brasilia, India, Molucis, Iaponia, alijsque extra Europam Prouincijs, vbi quàm pauciſſimi, vel omnino nulli, nisi de Societate Sacerdotes agebant, ijque non ad excipiendas modò confessiones, sed ad sacrificia diebus sacris, ad Sanctiſſimam Eucharistiam, suprematamque Vnctionem ministrandam, ad consociandà rite coniugia necessarij erant, quid fieret? Tot ne, tamque numerosarum gentium adiutricem implorantium manum despiceretur salus? Atque hæc è paucitate Sacerdotum exteriora detrimenta. Quid porrò domi molestiarum, turbarumque impendebat? Quid ijs faceres, quos, post absoluta studia literarum, tametsi ad agendum cum populo, atque ad alia Sacerdotum officia facultatis raræ, quòd tamen professio differenda videretur, consecrare non posses? Quantùm indè Diabolo ad omnia perturbanda ostium? Cùm semper habuerit dilata professio non leues in Societate difficultates, quas dilatio tum haberet tantò insignior? At fiant, inquies, sicuti fiebant antea, Sacerdotes, modò solemnia priùs emittant vota. Hinc verò pestis haud paulò grauior imminebat. Quippe ita factus hic Ordo est, idque habet destinatum; vt, cùm vnâ ex parte maximè opus habeat verâ, solidâque virtute, eâque probatâ vulgò, & cognitâ; ex alterâ tamen tum virtutem habeat, tum famam, & multis, & grauibus propositam casibus. Quippe si verâ virtute careat; nec sibi, nec alijs prosit: si auctoritate, bonoque nomine, frustrà in publicum adiumentum desudet. Vita, & fama integra persuadendi fundamenta sunt. Verùm enim verò cùm tam lubrica, tractet negotia, & quemadmodum corporum medicinam professi nullum excludunt genus hominum; ita ipsa (quando se curandis animis totam addixit) industriam suam ad quamuis ætatem, sexum, ordinem, & conditionem porrigat, ac proinde, vt cum omnibus agat, necesse sit: tanta verò sit deprauatæ naturæ infirmitas, tam vehementes, assiduæque, & callidæ antiqui hostis impugnationes, ad hæc tanta in hominum vulgo peruersitas, & ad suscipiendam medicinam asperitas, ad perperam suspicandum, loquendumque procliuitas; quid, rogo, tam in prono est, quàm, nisi præsidia, & subsidia acria præsto sint; vel falsam, vel etiam veram suscipi notam? Comparata enim sic est humana vita, vt præclarissima quæque studia difficultatibus, & periculis maximis obuallentur, tanquam celsissima fastigia præcipites deiectus ambiunt. Ergo hoc vitæ genus qui descripsit; ita debuit omnia inter sese comparare, atque conferre; ea conquirere, & circumdare munimenta; ea prouidere auxilia; per quæ cum validè proh beantur mala, ne incidant, tum verò, si quo casu incidant; maturè, rectèque curentur. Et prouidit sanè multa, atque efficacia mens illa magna Sancti Ignatij molitoris, & architecti tanti operis: inter quæ patet latissimè, polletque cum primis sera professio. Nam primùm per longas moras vniuscuiusque exploratur virtus: dein ipsa suspensio feruidioribus ingenijs pro freno est, proque stimulo tardioribus. Indè enim optandum veteres aiebant, vt Ciuium vita talis perpetuò esset, qualis esset Candidatorum. Quàm securitas, quam impunitas periculosa sit, quem fallit? Postremò, vbi vsus postulat, segregatur, atque amandatur nocens. Vndè duplex consequitur bonum reliquus Ordo: vnum, quòd non serpit ad integros malum, nec quasi factione quadam, nec exempli contagione; sed potiùs reddit vindicta cautiores: alterum, quòd conseruatur integra apud populos fama: vt quoniam norunt nequaquam tolerari nocentes; rectè de ijs, quos perseuerare viderint, opinentur. Atque hinc discrimen apparet inter hanc, & ceteras pleraſque, ac ferè omnes Religiosorum disciplinas. Eædem illis, quæ in Tyrocinio, totâ propemodum vitâ actiones, eadem negotia sunt, vnius generis, intra septa plurimùm domestica, & quodammodo extra teli hostilis iactum. Quare Tyroni probando non longa admodùm necessaria fuerit dies. At hominibus Societatis, postquam Tyrocinium, quasi in vmbra, posuerint; prodeundum in aciem est, comminusque gerenda res: totaque ætas inter hostium tela agitanda. Quamobrem qui tanto sint robore, vt cæleſti huic militiæ

32 Vel quòd non satis probati fierent professi.

33 Professionis dilatio necessaria Societati.

34 Differt quæ in eo multùm ab alijs Ordinibus

Digitized by Google

insolubili debeant Sacramento adiungi; non satis vmbratilis pugna docet, sed ipsa in acie cognoscendum est. Quis enim non est fortis in pace, & in castris? Interdum etiam procul hoste plus animi, ac virtutis, qui minus habet, ostentat. Ad hæc si aliorum quis Ordinum degener est; haud difficulter, nec magno cum incommodo latet. Societas operariorum Ordo est. Idoneus ei non est, qui sibi soli est bonus: multò minùs, qui credi publico nequit. Qui non est talis, vt operarium se fidelem, &, quod ait Apostolus, inconfusibilem præstet: quippe abscondi eiusmodi hominum peccata nequeunt: sed si quid committitur; necesse est in oculis multorum, cumque pernicie magna populi, Ordinisque cuncti committi. Atque adeo necesse est vel hanc Rempublicam soluere, & commutare vniuersam; vel sinere suis vti legibus, ijsque, quibus compacta, & coagmentata est, compagibus contineri. Quæ cùm superiores Pontifices vidissent; Institutum quamuis nouum, & ad eam diem inusitatum, animaduersâ tamen eius planè mirabili ratione, ac structurâ, libenter amplexi sunt. Ac Tridentinæ Synodi Patres, cùm experimento ipso talem hominum Cœtum ad totius Ecclesiæ Sanctæ insigne adiumentum, singulari Dei prouidentiâ editum intelligerent, dum hac ipsa de re, hoc est de professione Religiosorum agerent, nominatim exceptam Societatem voluerunt: posteaque Gregorius Tertiusdecimus suam illi libertatem restituit, & alij deinceps Pontifices confirmarunt: quâ speramus perpetuò fruituram. Ceterùm inæstimabile pondus inest in primâ, quæ animum imbuerit disciplinâ. Ex notionibus enim, quæ primæ insederint, vsu paulatim confirmatis, quasi altera existit natura: vltròque sequuntur iudicia, & consilia consentanea formæ iam animo comprehensæ: & conêre licèt in diuersum; sæpè non sentientem trahunt. Quo minùs mirum est si ex pristina institutione, cuius nunquam vsum remisissent, Pij quoquè Pontificis verè sancti, verèque sapientis sententiæ colorarentur. Ergo cùm illud ei visum esset in Votis nostris adhibendum temperamentum; quamuis plurima, & maxima importaret incommoda; tamen Pater Franciscus diuinâ plenus fiduciâ, maximèque se optimâ iubentis mente, atque obsequij virtute consolans; respondit: Societatem, quæ cunctas nationes Ecclesiæ Romanæ, Vicarioque Christi vel reddere, vel conseruare obedientes conetur; multò ipsam magis in potestate eius futuram. Continuòque agitari est cœptum quemadmodum, minimo cum boni publici detrimento, Sanctissimi Patris fieri imperata possent. In omnia mentem versantibus vnum occurrebat leuamentum, vt quibus suppeteret facultas, non tamquam religiosi, paupertatis voluntariæ nomine, sed Ecclesiastici reditus, vel patrimonij titulo initiarentur. Verùm, consultis per literas Prouinciarum præpositis, summa cum Patris Franciſci approbatione, visum est omnibus obediendum simpliciter. Id disciplinæ, id paupertati religiosæ, idem voluntati Pontificis congruentius fore. Itaque leuissimùm incommodorum habuere, vti paulò accuratiore delectu fierent Sacerdotes, ijque trium saltem Votorum professione ea causa obstringerentur. Ex quibus deinde legerentur idonei suo tempore vota quatuor, è Societatis legibus, edituri. Hæc autem dum fiunt, & sua sponte hominibus ad fingendos, amplificandosque sermones propensis, & Diabolo instigante, vt imminutâ Societatis existimatione, laborum eius quasi aciem hebetaret; mirum est rumores quàm circum multi, varijque, & quanto cum strepitu volitarent. Hi Pontificem reformandos suscepisse Iesuitas aiebant. Illi proprium genus vestium, & cucullam velle eis injcere. Quidam Collegia reditibus spoliare. Alij totum velle Ordinem extinguere, in eumque conscriptos in veterum quempiam, ac nominatim Augustinianorum transcribere. Alij alia pro moribus, vtque cuique vel exulceratus aliunde animus, vel fingendi libido, ac leuitas suadebat. Quæ cùm Franciscus Patiecus Cardinalis, rogatu Borgiæ, retulisset Pontifici; is, vt pio ducebatur consilio, quæque agitabat non ad perniciem, sed ad perfectionem Societatis pertinere certum habebat; exclamasse in hæc verba fertur: Absit à nobis hoc peccatum grande: Videmus Deo complacitum in his famulis suis, perque eos vtilitates Ecclesiæ suæ præclaras afferre. Dum ita viuent; non est quòd negotium eis quisquam faceſſat: sed vt fauorem potiùs, atque patrocinium accommodet, quo secundùm

35 Quid Concilium Tridentinum & Pontifices de Societatis professione senserint.

36 Vnde Pio V. quædam nouandi in Societate voluntas.

38 Societas obedit Pontifici.

38 Sermones de animo Pontificis erga Societatem.

39 Verus erga Societatem Pij V. animus.

vitæ

Digitized by Google

vitæ ſuæ formam ſeruitio ſe diuino impendant. Nec ſanè de cætero aliter ſe ipſe geſſit. Permulta Patribus, qui ad Occidentales, vt vocant, Indias hoc anno mittebantur, beneficia Eccleſiaſtici iuris dedit: ac ferè omnia, quæ fuerant agentibus in India Orientis conceſſa. Romæ ſub initium anni totam Catechumenorum voluit adminiſtrationem ſuſcipi, ægrè conceſſo, vt liceret per alienos adminiſtros gerere. Duos ad ſuam Heluetiorum cohortem, vnum ad ceteram familiam in ædibus Vaticanis, cum quartus in Sancto Petro verba faceret, voluit concionari. Cùmque Pœnitentiariorum iuſſiſſet explorari facultatem; ad id munus Patres Franciſcus Toletus, & Ferdinandus Solerius vocati ſunt. Ineunte Auguſto Ioannem Polancum Florentiam miſit, quædam haud leuis momenti cum Coſmo Duce, eiuſque liberis Ferdinando Cardinali, ac Principe Franciſco tractaturum. Atque interalia, vt querelas inter Cardinalem Mediceum, & Vrbinatem Ducem, ob damna in finibus ad Caſtellum Durantium illata, componeret, ne in perniciem euaderent publicam. Quod Polancus è ſententia Sanctiſsimi Patris effecit. Sub autumnum Chriſtophorum Rodericium, quem ante cum Strongylano Epiſcopo miſerat, quanquàm adhuc ea expeditio propter obiectas Neapoli moras Epiſcopo, exitum non habuerat; ad multos circummiſit Epiſcopatus, cum vt explicaret rudioribus chriſtianam doctrinam, tum vt rerum ſtatum cognoſceret. Et ſanè, vt omnia ex Pontificis ingenio ferebant, ferebanturque ad correctionem; ingens non modò in Vrbe, ſed latè in circumiectis, atque etiam longinquis regionibus fuit Sodalibus ſeges operum, & gloriæ meſſis diuinæ. Tyburtinam, Tuſculanam, Albanam, Ananienſem, rogatu Antiſtitum alij, atque alij ſocij peragrarunt diœceſes. Diuerſi alij Præneſte, Velitras, Beneuentum, Hoſtiam, Faliſcos, Viterbium, in Camertes, Auximanos, Aſculanos profecti. Apud Viterbienſes in vrbe, pagiſque ab Sacerdotibus egregijs Gaſpare Sancio primùm, mox Hieronymo Ottello, cum ſingulis comitibus Euangelicum factum opus. Nec ſedulitate magis, quàm ſuæ vitæ exemplo, parſimoniâ, continentiâque profecere: cùm ex alimentis, quæ mittebantur, quod ſat naturali neceſſitati, idque viliſſimum eſſet, reſeruato ſibi, cetera ad iacentes in Valetudinario, publico mitterent, quibus & ipſi frequenter manu, & voce miniſtrabant. Beneuentum Cardinalis Sabellus ad ſuam diœceſim concedens Vſmarum, ſecum Goiſſonium cum Petro Blanca duxit: nec quicquam niſi de eorum ſententiâ adminiſtrauit. Illi Paræcialia templa, quæ tum duo & ſexaginta numerabantur, cùm ſingillatim luſtraſſent, quò maiori cum dignitate haberi poſſent, redigenda ad tredecim ſuaſerunt. Tria Sacrarum Virginum cænobia ad leges Sancti Benedicti reuocarunt: idoneis inſtitutis, & moribus temperauere Seminarium. Ad hæc Valetudinaria diligenter inſpecta, eorumque diſciplina in priſtinum repoſita. Sodalitatum animaduerſa exordia, diplomata perlecta, leges inſtauratæ, & ſicubi viſum, correctæ. Archiepiſcopalis Bibliotheca recenſita, damnatique libri combuſti. Cuncta, quæ ad Clericorum ſpectant officium, quæque ad ritus Sacros, & Sacramentorum vſum, compoſita. Sacrarum etiam Reliquiarum, quæ omnium vna res maximam ab Clero ſimul, populoque gratiam iniuit, venerationi, honoriquè conſultum. In Diœceſanâ Synodo, in qua multùm exhauſtum laborum, permulta opportuniſsimè conſtituta. Super hæc iuſſus omnium Sacerdotum ſcrutari doctrinam Vſmarus; inuidioſum munus ita geſſit, vt ſibi, ſociorumque nomini gratiam, non populi modò, ſed ſacri etiam Ordinis conciliarit. Quippe paternum gerens, præque ſeferens erga omnes animum, haud grauatè, qui non magno negotio erudiri poterant, erudiendos ipſemet ſuſcipiebat: nec pauca ab Cardinali ijs, vbi res ferret, beneficia impetrabat: multò libentiùs patroni, quàm cenſoris perſonam vſurpans. Eidem cùm reſeruatorum Antiſtiti cognitionem criminum, pœnæque imponendæ arbitrium delegaſſet Cardinalis; id etiam muneris, cum bonâ omnium gratiâ, atque approbatione, exegit: vt iam ſimul humanitatis, ſimul probitatis, atque doctrinæ famâ auctoritatem excellentem nactus, velut vnicum perfugium adiretur: nec quiſquam è Clero, vel populo eſſet, qui non dignitatem, rem, conſcientiam ſuam iudicio eius, & conſilio volens, atque ſecurus crederet. Indè fiebat, vt leui opere conſcientias ipſe tricis maximis implicatas

40 Plurimùm Societatis opera Pius V. vtitur.

41 Miſſiones plurimæ ex Romano Collegio.

42 Beneuenti res geſtæ à Patre Vſmaro & Socijs.

43 Patris Vſmari prudentia in inuidioſo munere.

catas expediret, grauia diffidia tolleret, lites, paceſque componeret. Harum peregrinationum pleræque è Collegio Romano ſuſceptæ: ex quo ingens numerus ad alienas quoquè dimiſſus Prouincias. Ipſum verò ſua capiebat incrementa. Ampliùs iam mille Gymnaſium frequentabant auditores. Templum hoc anno, quo die cæleſtis Virginem Nuntius ſalutauit (eius enim myſterij gaudet titulo) publicatum eſt. Superiore anno Societati ſe dedicarat Ludouicus Corbinellus patria Florentinus, è ſtirpe nobili, ætate iam maturus, virque prudens, & locuples. Ex eius liberalitate ingens Collegio firmamentum in præſens, maius poſtea acceſſit. Quamobrem certa ei Præpoſitus Borgia ſtatim decreuit ſacra. Sed multò amplius cunctæ Societati & firmamentum acceſſit, ac decus ex hominum genere, & copia, quos ad eam Deus hoc anno vocauit. Nullus vnquam feracior præſtantium germinum annus fuit. Chorum meritò ducit, qui primus ipſa Epiphaniorum luce receptus eſt domum, Franciſcus Turrianus, vt in ſanti Ieſu excellentem ſuam ſapientiam, perinde vt olim ab Oriente profecti ſapientes Magi conſecraret. Annum ſextum ſupra quinquageſimum agebat, in Vrbe, inque Tridentino Concilio, quò Theologorum in numero à Pio Quarto miſſus fuerat, multas præterea apud nationes editis monumentis, claritatem adeptus. Omni doctrinarum genere cùm abundaret; eminebat tamen Eccleſiaſticæ antiquitatis cognitione. Quam magno labore, ſcrutandiſque celeberrimis quibuſque bibliothecis, maximèque monumentis Græcorum peruolutandis aſſequutus, egregiam indè aduersùs recentium Hæreticorum furorem telorum vim protulit. Qui cùm ita vixiſſet in populari religionis cultu, vt adæquaret inſigni pietate doctrinam; vehementer primò omnes feceſſu in Societatem, deinde etiam domeſticos ſubmiſſione, atque alacritate, qua inter Nouitios canus iam homo prope repueraſcebat, commouit. Nec verò ſuſceptum iam ante cum Hæreticorum impietate bellum auſpicijs nouæ militiæ intermiſit: ſed conſtantiùs etiam, atque feliciùs, ſub obedientiæ victricibus ſignis, vſque ad vltimam ſenectutem geſſit. Simile exemplum Hieronymus Iſuntia, & Staniſlaus Varſeuitius præbuere. Ille Martini Olauij germanus frater, atque in vrbe Victoria patria ſua optimè ab re conſtitutus, & honoratus Sacerdos, indè vſque ex Hiſpaniæ finibus venit, vt huius diſciplinæ ſincerum quaſi ſuccum, & ſanguinem comminus è Romano duceret corde. At Staniſlaus, cùm in Polonia opibus, & nobilitate, ſimulque ſacrorum, & ciuilium floreret honorum titulis; præterea Eccleſiaſtes haberetur illuſtris, & probatiſſimæ vitæ; multùmque in regiâ, ac regno auctoritate, & gratiâ poſſet, Regique ipſi à ſecretis fuiſſet, atque Collegarum in eo munere rector; recuſato etiam Epiſcopatu, eam vnam ob rem in Vrbem acceſſit, vt ſe ipſum, & aliquot è ſua familia, quos ad idem conſilium ipſe & vocis, & morum ſuorum inuitamentis adduxerat, Societati donaret. Hic, antequam domum admitteretur, viſum eſt vt rem ſignificaret Pontifici: reſponditque Sanctiſſimus Pater: quanquàm cuperet viros tales ad regendam Eccleſiam prouehi; tamen laudare ſe eum, quòd ad genus vitæ longè tutius, & perfectæ adipiſcendæ virtuti aptius vocantem ſequeretur Deum: eò maximè, quòd Societas nullam in rem, niſi in Eccleſiæ Sanctæ ſubſidium, & ſalutem animarum ex Inſtituto incumberet. Indè cum ſuis inter Tyrones admiſſus, chriſtiana humilitate, parendi alacritate, ſui deſpicientiâ, omniumque ſtudio virtutum, vti decebat virum, qui tam claris exorſus eſſet initijs, non incitamento ſolùm cunctis, ſed etiam admirationi erat. At vbi remiſſus eſt in Poloniam; ingens eius prouinciæ columen fuit. Quin & miſſus in Sueciam, cum alia præclarè geſſit, tum ſapienter, atque feliciter in catholicâ, piâque Reguli educatione operam collocauit, eius, qui poſtea Poloniæ Rex Sigiſmundi nomine tertius, etiam num ſingulari prudentiâ, & humanitate imperium habet. Aetate quoquè iam grandis, Cæſareique prudentia, & Pontificis iuris inclytus acceſſit Franciſcus Leonius, eorum Doctorum è numero, quibus Gratiani opus, quod Decretum appellant, recognoſcendum Pontifex delegarat. Iuniores, ſed magnæ expectationis, Ioannes Franciſcus Vipera, Hippolytus Volia, Plinius Peruſcus, qui dein Ioannis Baptiſtæ maluit nomen, parentem ſuum Tarquinium Peruſcum, cui erat vnicus, amiſſa coniuge, ad So-

44 Collegij Romani incrementa.

45 Ludouicus Corbinellus Societatem ingreditur.

46 Præſtantiſſimi viri in Societatem admiſſi.

47 Franciſcus Turrianus.

48 Hieronymus Iuntia.

49 Staniſlaus Varſeuitius.

50 Franciſcus Leonius.

51 Alij multi Iuniores.

cieta-

cietatem se recipientem, sequutus: Benedictus Iustinianus, Ioannes Maiorius, Antonius Vicecomes, alijque sanè egregij, omnes doctrinæ præstantiâ, & eloquentiâ, & rebus agendis, & publicorum administratione munerum de Societate, deque Dei Ecclesia præclarè meriti. Sed ex omni numero meritò eximij tres Fabius de Fabijs, Claudius Aquauiua, & Stanislaus Kostka. Ceterùm de Stanislao abstinebo in præsens dicere: vt, quoniam anno insequenti longissimum sanctitatis curriculum breui æuo confecit, interruptâ narratione, diuina Beati adolescentis decora vnum sub aspectum ponantur. Paucis de Fabio, paulò pluribus de Claudio agam: similiter atque ij, qui cùm ingens ædificium moliuntur, in ponendis fundamentis cum curâ immorantur. Gens Fabia ex peruetusta Fabiorum illâ prosapiâ, cui restitutam rem Romana olim Respublica debuit (vt opinio minimè læuis est) orignem ducit. Illud constat nobilitatem inter Romanos solidam, ac sinceram obtinere. Ex hac paterno, & ex Maffeiâ item familiâ Romæ perillustri materno genere ortus Fabius, indolem planè Romanam, & Christianam iam indè ab incunabulis præ se tulit. Nihil puerile vnquam, nihil non moderatum, & sanctum in eo cerni licuit. Modestiæ cultor, silentij tenax, morigerus parentibus, in pietatis exercitatione multus erat: duritiæ ita amans; vt molliciem lecti perosus extra cubaret, stragulâque mox de industriâ, ad domesticos fallendos, confunderet. Seruos, ancillasque & castigabat si quid leuius dicto, factoue committerent, & tempestiuis hortatibus ad grauitatem, Deique timorem incitabat. Familiaritates æqualium nullas amauit. In sacris tectis, & cum sacris viris iucundissimè agebat. Inter quæ tanta prudentiæ indoles apparuit; vt duodeuigesimum annum agenti rei domesticæ administrationem totam Lælius pater permiserit. Quam Fabius vbi suscepit; continuò tabulas conficere diligenter aggressus, in earum fronte votum hoc, instar tituli, præscripsit: In Dei nomine, & gloriosæ matris Mariæ Virginis, & Sanctorum omnium, quos precor, vt opem exorent, ne quid in hunc codicem, quod non ex honore, laude, & gloriâ ipsorum sit, referatur. Inter hanc procurationem cùm literarum studia non omisisset; postque perceptam domi puerilem doctrinam, grauiores philosophiæ disciplinas in Romano Collegio diligentissimè esset persequutus; iamque ab suis ad sacros honores admoueretur; nihil vulgare de tantâ Consilij maturitate, adeoque compositâ vitâ sperantibus, atque auunculi ante alios incitarent, proueherentque apud Pontificem gratiosi viri; Fabius denuntiat se nequaquam sæculò aptum, destinasse animo ad Religiosorum minùs impeditam, magisque tutam viam transire. Nihil illi tum non mouere, non obmoliri, atque obijcere. Ipsam summi auctoritatem Pontificis interponunt. Sed & maior ætas Fabij erat, quàm vt suspicionem facti fuci reciperet: meliùsque fundata constantia, quàm vt humanarum genere vllo Machinarum labasceret. Pontifex quoquè is erat, qui necessitudinibus naturæ ita indulgeret, vt patrocinium virtuti commodaret. Itaque certamen id solum effecit, vt Fabius cælestem militiam ex victoriâ auspicaretur. Hic à principio adamussim religiosarum legum totum sese composuit, eandemque vitæ formulam æquabili tenore ad vltimum vsque, constantiâ planè mirabili, tyronis subtilitate, veterani perfectione inter assiduas præfecturas (omnibus quot quot in Societate sunt, præter summum Magistratum gestis) Institutor Nouitiorum, Rector Seminarij, Collegijque Romani, Professæ domus Vicarius, Prouinciarum Romanæ, & Neapolitanæ Præpositus, Sardiniæ, Siciliæ, Mediolanensis Visitator, Secretarius Præpositi Generalis, demum & Assistens, & Monitor tenuit: tantâ cum opinione sanctitatis; vt non verbo vnquam peccasse, non re, ac ne commotione quidem animi vllâ, visus sit: idque grauissimi viri affirment, ij maximè, qui diutissimè, ac intimè obseruarunt. Vir demum eiusmodi, quem cùm habuerit nihil non imitandum; fateantur tamen omnes imitabilem nunquam futurum. Natu postremus in præclarâ germanitatis coronâ, sed tanquam alter Beniamin cælesti carus Parenti, & primos veræ gloriæ adepturus honores Claudius Ioannem Antonium Aquauiuam Ducem Atriæ, & Isabellam Spinellam parentes habuit: vtrumque inter Italicam nobilitatem splendore præcipuo. Anno millesimo quingentesimo quadragesimo

52 Beatus Stanislaus Kostka.

53 Fabius de Fabijs.

54 Eiusdem virtutes ante Societatis ingressum.

55 Religiosa Fabij vita.

56 Claudius Aquaqiua.

57 Eius ortus.

Digitized by Google

tertio, decimo octauo Kalendas Octobris, quo anno Societati Iesu propagandi se se in quemuis numerum Sedes Apostolica potestatem fecit, Atriæ ortus: aliquanto tempore Neapoli, ceterùm maximam partem in paternæ ditionis oppidis Atriæ, & Conuersani sub præstantium Magistrorum cura ad annum vsque vndeuigesimum educatus est. Indè rursus breui tempore Neapoli, postea aliquantò Perusiæ ciuilis doctrinæ gratiâ, postremò Romæ inter Pontificum Piorum Quarti, & Quinti Cubicularios fuit. Naturæ ornamentis, quanta prope maxima, ac plurima cadere in hominem possunt, abundauit. Memoria amplissima eadem, ac tenacissima erat, volucre ingenium, acutum, & copiosum: iudicium peracre, mirèque certum. Ad hæc dicendi vena naturali quodam splendore pernitens, perennique riuo dulcissimè fluens. Sed honestas morum, & amabilitas dominabatur. Nihil moderatius, nihil excelsius illo animo, nihil innocens magis, & candidum. Accedebat toti bonis honestamento decorus totius corporis habitus, os planè probum, ac species liberalis: in qua, velut in bono lumine, virtutes animi emicarent. His demum perficiendis optimæ institutionis summa manus accessit, & in virtute simul, ac bonis artibus expolitio. Tres principes linguas latinam, græcam, hebræam ab idoneis magistris benè didicit: mathematicas disciplinas domi ex ætatis eius perito in paucis doctore Vernalione: prudentiæ iuris initia Perusiæ ab celebrato per omnem Italiam interprete Rainaldo Rodulphio percepit. Nec artium aliarum, quibus siue ad militarem, siue ad vrbanum pueri nobiles informantur vsum, vllam præterijt. Quò plus enim proficiebat in singulis; eò impensiore cura instituebatur in vniuersis: eò etiam studiosiùs, quòd, vt præclara inuitabant exordia, destinabatur columen domus. Ceterùm vt ferè in hominibus ad eximia natis, quò quemque claritudinis ingenium, ac Deus ferat, prima statim argumento est ætas; iam tum infans non imitandis modò Sacrorum ritibus, & paruulis extruendis aris, quod haud paucis infantium pro lusu est, sed prolixis etiam fundendis ad Deum precibus ostendit, vbi olim viri habitatura mens, & consumendæ curæ essent. Bimulum fermè, cùm desiisset domi apparere, solicitâ matre, atque domesticis ne quid ei euenisset; tandem in conclaui quodam inter vela interiora lecti, atque parietem, quò se vltro abdiderat, flexis geniculis, ac iunctis ante pectus manibus, habitu orantis inuenere: nec indè sanè volentem abductum ferunt: perinde ac si duodennis Domini exemplo tacitè diceret: Quid est, quòd me quærebatis? Nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei non terreni, sed cælestis sunt, oportet me esse? Fouebant eos pietatis igniculos accuratè parentes, ac præcipuè Mater cordatissima sanè matrona, ac religiosa in paucis. Quæ inter cetera non seruorum, aut familiarium quemquam domestico Sacerdoti diuinis operanti, sed Claudium, vbi primùm ætas tulit, volebat ministrare. Et fortè habebant domi Sacerdotem Ioannem nomine, antiquæ bonitatis: qui, vt ea tempestate moris erat, postquam Missam cum sacrificio absoluisset; senas, septenasue votiuas sine sacrificio, siccas quas vocant, quotidie sine vllo fine addebat, Claudio omnibus ministrante, seuero iussu parentis, & frustrà defesso. Ad hæc vt in laudibus diuinis consuefacerent, tum psallendi quandam, præcandique formam ab auo compositam Andrea Matthæo excellentis sapientiæ viro, religiosè perlegere singulis diebus iubebant: tum illam, quam Franciscus Quignonius Cardinalis Sanctæ Crucis composuerat (officium Sanctæ Crucis ab inuentore vocabant) quod satis eo tempore vsitatum, Pontifex Pius Quintus deinde sustulit. Sanctioribus autem diebus prolixam insuper Sacerdotum psalmodiam exigebant. Ex qua institutione factum est primùm, vt quod Monachis olim laudi vel grandæuis tribuebatur; Claudius etiam num vndennis adeptus, Psalterium totum memoria teneret. Deinde tanquam generosa stirps propter feracem riuum consita largè bibens diuinas aquas, cælesti plenus vigore adolescebat: interimque foliorum amœno vestitu, & ornatu florum nitens, præcoqua etiam frugum gratia exuberaturas olim in autumni maturitate præmonstrabat opes: quarum hîc gustum præberi ingratum non fuerit. Admodum puer graui morbo implicitus pauere mortem cœpit, haud ille quidem propter conscientiam, innocens enim fermè erat, nec dulcedine vitæ,

58 Indoles præclara.

59 Institutio optima.

60 Pietas ab infantia.

61 Sanctissima educatio.

62 Vndennis psalterium memoria tenebat.

quâ

quâ vti, non frui destinabat, sed quòd nihil dum in Dei laudem, & obsequium peregisset. Durùm videbatur vacuum ex hoc quasi mercatu abire, & fruſtrà penè fuisse in hac luce rerum, & antequam suum testari animum Procreatori posset; de medio auferri. Habuit enim à primis annis spiritum rectum, & ingenium apprimè nobile, ac liberale cum aduersùs homines, tum præcipuè aduersùs Deum. Itaque quoniam audierat Ezechiam Regem, denuntiata sibi morte, conuersum ad parietem cum fletu magno salutem ab eo popoſciſſe, & impetrasse; fiduciâ plenus imitari eum decreuit: eodemque modo ad parietem & ipse conuersus, multis cum lachrymis, cor suum immaculatum, ac simplex coram Deo effudit. Valetudo breui redijt; & quanquàm ab summa benignitate nihil abhorret existimare illis conceſſam innocentis lacrymis; tamen satis nos habemus religiosam indolem pueri, & sanctæ institutionis vires ex hac narratione intelligi. Vernalio, quem adultior audiebat in Mathematicis, Chaldæorum figmenta ex affectione cæli, posituque astrorum, quo quis in lucem editur, quid ei euenturum sit præcinentium, oppidò quàm peritè callebat. Iuuenum Aquauiuarum genituram scrutatus, scriptoque comprehensam, suam cuique maiorum fratrum dedit: dumque illi curiosè, vt fit, & lectitant suam, & alienam appetunt; Vernalio ad Claudium lætus accedit, sortemque illi quoquè suam porrigit, voce, ac vultus hilaritate significans esse, quod volens inspiceret. Ea puero celsitudo pectoris, ea constantia fuit; vt arreptam syngraphan continuò illectam, inuisamque corruperit, atque proiecerit. Alio tempore pictis pagellis, remittendi animi studio (hac enim tantùm gratia aliquoties attigit) cum homine nobili, eodemque Mathematico Vernalionis successore lusitabat. Ecce autem Mathematico, dum parùm prosperè alea pertinaciter cadit, commotâ bili, victaque patientiâ, demum impia vox excidit. Quam ad vocem Claudius extemplo obducto vultu, pagellis cum stomacho immensam abiectis: Tu verò, inquit, posthæc mecum nunquam luseris: atque è conspectu se auferens, ignominiâ, & pudore coopertum blasphemum reliquit. Tanta Christiani pectoris libertas erat: tantùm aberat ipse ab omni importunitate dictorum. Quam si nobilissimi quiquè libertatem imitarentur; breui Christianus populus ab fœdissimo more liberaretur. Fuit cùm ab æquali intolerantissimè exagitatus, parùm abfuit, quin manum consereret. Exarserat ira: quòque excelsior erat animus; eò acriùs contemptionis, & contumeliæ aculeis instigabatur: tamen cùm succurreret, si ad vim, & arma ventum esset, discrimen vtrinque imminere; hinc ne Numen offenderet, indè ne vitam proijceret; leuissimam putabat vitæ iacturam: at metus offendendi Numinis ita perculit; vt glisscentis illam iræ flammam compresserit. Hæc nimirum christianæ nobilitatis vera gloria est: hæc dignitatis tuendæ splendore natalium digna via, diuinas leges ante suas iniurias habere: plusque diuino tribuere, quàm humano iudicio: contra atque mortalium haud pauci faciunt, qui, per studium conseruandæ dignitatis, contra omnia veræ nobilitatis iura peccant. Nulla cum quopiam, extra hanc, Claudio altercatio vnquam fuit: quin certatim ab omnibus amabatur, & colebatur: & ipse nihil; homine dignius humanitate censebat. Mirari fratres solebant eius in adsciſendis famulis, quomodo ipsi vocabant, felicitatem: quòd homines sortiretur non modò fidos, sedulosque, & obseruantes; sed etiam quibus verè in pretio, & amore esset. Claudius liberè eis profitebatur, non tam suæ felicitatis esse, vt sortiretur tales; quàm fastidij ipsorum, atque sæuitiæ ne sortirentur. Quippe se ita accipere famulos, vt homines ab homine æquum esset, è sensu æstimantem suo, si conditio mutaretur, quem se præbere illis deberet. At vos, inquit, dum indignè eos & verbis, & alijs modis accipitis; contra vos ipsos bis peccatis: primùm quòd animos famulorum abalienatis: nemo enim omnium est, quæcumque conditio sit, qui despici sese velit: deinde quòd auctoritatem vestram eneruatis, & contemptionem vobis accersitis, dum adeo vos leues, & impotentes animi declaratis. Consentiebant his moribus virtutum decora ceterarum. Continentia, pudor, sanctimonia pulcherrimè in Angelico ore, & animo elucebant. Ante spectatam Diuinam rem, quamuis imbecilliore in ætate puerilis auiditas stimularet; imperauit tamen sibi ne quicquam

63 In morbo, Ezechiæ ritu, precatur valetudinem.

64 Curiositatis victoria insignis.

65 Libertas Christianæ professionis.

66 Magnitudo vera animi, & liberalitas.

67 Quomodo tractaret famulos.

68 Continentia.

Digitized by Google

quam vnquam gustaret. Iam grandior, cùm minutis in mensa calicibus fratres vterentur, quo iucundiùs crebro repetitis biberent; vno, alteroque ille poculo satis necessitati faciebat: & quamuis in scyphum illum capaciorem dicta dicerentur; nunquam tamen mutauit. Neque vt personam indueret perpelli vnquam potuit. Librorum nullâ magis lectione, quàm Ecclesiasticæ Historiæ tenebatur. Et Martyrum certamina, aliaque sanctitatis christianæ exempla ita rapiebant; vt ægrè, vel sæpiùs ad mensam vocatus, auelleretur. Sub annum ætatis vndeuigesimum valde solicitatus Neapoli est, vt se matrimonio illigaret. Percupiebant id sui: & conditionibus honestissimis ab multis inuitabatur. Institit ante alias Matrona prænobilis, vt generum haberet, maximè capta grauitate, ac modestiâ incedentis per vrbem: in viciniâ enim habitabant eadem. Atque obseruatum est, cùm illud agi Claudius sciret, seque & spectari, & amari non ignoraret; nunquam tamen ad fenestras earum ædium, nunquam ad ianuam, quamuis præter eas sæpiùs die transiret, oculos conuertisse. Romæ cùm Pontifex Pius Quintus in Sancti Marci ædibus habitaret, & aulici circumpositis in tectis domicilia haberent; animaduertit Claudius parùm pudicam fœminam, sed in primis gratiosam, ac potentem haud procul suâ domo diuersari: multumque negotij subijt, nec quieuit, Alexandrini Cardinalis auctoritate interpositâ, quoad indè præcipitem exturbauit: quò non solùm à flagitio procul, sed & ab occasione, atque adeo suspicione abesset. Inter hoc genus vitæ haud semel perfectæ virtutis cogitatio animum peruellit. In ipsa pueritiâ ad Augustinianorum Ordinem tum ex lectione Sancti Augustini opusculorum, tum ex vsu cum Religiosis illis in mentem venit; secedere. Deinde adolescentem humani cadaueris supramodum deformis conspectus vehementer incitauit ad Capuccinos. Sed enim pro benignitate sua, & sapientia Deus illud nobis præsidium reseruabat. Duo Claudius in diuinis numerabat beneficijs, per quæ prouidentia æterna aditum sibi ad Societatem præmunijsset: alterum, quòd maturè parentes decessissent: quippe suum cursum acriore, quàm fratres, imperio fortasse aliò flexissent: alterum, quòd interruptis iurisprudentiæ studijs; tempestiuè Romam vocatus esset. Studia abrumpendi occasio talis fuit. Cùm Perusiâ Atriam reficiendæ valetudinis causa redijsset; iamque refectâ reditum eò adornaret; missus ab Duce fratre Ioanne Hieronymo Romam est, vt ipsum Pontifici Pio Quarto de Asculanis quibusdam exulibus, quos apud se habebat, purgaret. Claudius eâ sapientiâ legationem obiuit; vt tempus iam fratres putarent in lucem Romanæ Curiæ collocandi. Ita paucis mensibus apud Pium Quartum Cubicularius fuit: & in eundem postea locum, ab successore Pio Quinto adscitus est. Verùm enimuerò cùm flos summus, ac vigor ætatis ad læta, & ampla ferret: cùm hinc, atque hinc aulicorum consuetudo circumstaret, quasi torrens: cùm Sanctissimus Dominus magna præberet summæ benignitatis pignora, spesque altissimorum graduum inuitarent è proximo; tum demum dixisse de religiosæ vitæ consilijs omnino actum. Verùm idem ille præpotens, atque admirabilis Deus, qui Hebræis olim iuuenibus vincula igni soluit, & flammæ furentis vaporem in amœnam ventilauit auram; Claudio tot vndique circundatos laqueos in libertatis occasionem vertit. Hominum Societatis, quorum ad id loci nullum habuerat vsum, præsertim Borgiæ, Polanci, Christophori Rodericij ad Pontificem, vt vsus ferebat rerum, non rarò adeuntium obseruabat mores: motus eorum, habitus, incessus, dicta, vultus ipse spirare videbatur sanctitatem. Sæpè etiam, cùm lectissimam haberet familiam Pontifex, quæ nec mala spargere, nec bona premere malignè consuesset; quàm multa per Societatem præclarè Deus efficeret, commemorari sermonibus audiebat: præcipuèque impensa ægris, quod anno superiore narratum est, per Vrbem studia efferebantur laudibus. Postremò Abbas Lucius Montanus, quo perfamiliariter Claudius vtebatur, & puer magistro morum vsus erat, frequenter de Societate cum eo, summâque commendatione agebat. Ex his omnibus iniecta illi voluntas apud tales viros peccata confitendi. Et quoniam nullum præcipuè norat, optimèque opinabatur de singulis; quem primum reperit, Professorum in templo, ad audiendum in subsellio suo paratum, apud eum confessus

69 Modestia.

70 Pudicitia.

71 Cogitat religionem.

72 Inter Cubicularios Pontificios cœptatur

73 Vnde ad Societatem vocatus.

Digitized by Google

fessus est. Is fuit Fridericus Manricius, vir optimus, & indefessus operarius, cui felix ea sors obuenisse videtur, quòd ab sacro tribunali nunquam discederet. Ex primo congressu iuncta consuetudo est: & paulatim cùm sui custodiam intendisset, & cum Deo pluribus ageret, in Cubicularij animo pristini religiosæ perfectionis igniculi reuixerunt. Curam inijciebat Ecclesiasticarum possessio facultatum. Id enim laborarant propinqui, postquam nuptias Claudius repudiarat, vt quicquid sacrorum vectigalium possent, congererent in eum, ad sustinendam magni Præsulis personam, crescendique materiam. At ille, vbi lux diuina cœpit vberiùs mentem intrare; ita secum ratiocinabatur: Certum cùm sit, genus hoc pecuniæ sacrum esse, quonam ipse modo impendam? Si pro arbitratu velim vti; nefas est: nec consilium est cum breui fructu terrenæ rei cælestia, & æterna commutare. Sin autem, quemadmodum opus est, pios in vsus, & inopum necessitates erogem; id verò operosum negotium est, superuacaneæ cuiusdam, ac nimiæ caritatis. Quantò igitur expeditius, ac tutius fuerit sarcinam semel excutere? Hæc, atque talia agitanti, sententia tamen haud dum certò constabat, cùm Principum Apostolorum sacrâ luce, inter induendas vestes, occurrant menti ea Christi Domini verba: Oues meæ vocem meam audiunt: eaque reuoluenti inijcit Sanctus Spiritus congruam cogitationem: ne si diutiùs ipse vocem Domini cunctaretur audire, ex ouibus eius non esset. Hæc cogitatio tanto hominem terrore concussit; vt eodem puncto statuerit ad paupertatis Euangelicæ aulam, atque ad obsequia Crucis, rupta omni morâ, & obice, primo quoquè tempore transuolare. Haud multum in deligendo Ordine hæsit. Quippe, vti modo significatum est, cælestis gratia ita eius spirituales oculos, & aures, & palatum, ac denique animum omnem temperauerat; vt quicquid videret de Societate, quicquid audiret, aut cogitaret; omnia ei miri exempli, & ad suum planè gustum, ac sensum facta viderentur. Iam verò illapso magis, ac magis in animum Deo, sordebant prorsus humana decora, & rerum dulcitudo mortalium tristem gignebat amaritiem: ac, ne Pontifice quidem salutato, anhelabat ad Sanctæ Crucis amplexum. Verùm Pater Franciscus Borgia nullo modo discedendum ex aulâ, non accepto commeatu, ratus; ipsemet Sanctæ Mariæ Magdalenæ dedicato die, narrat Sanctissimo Domino instare Claudium, vt cooptetur in Societatem: se tamen nihil Sanctitatis Suæ iniussu facturum. Ad eam vocem non nihil primò commotus Pontifex, placidum subiungit responsum: atque exire omnibus iussis, & Claudio aduocato: verè ne, inquit, vt audio, Claudi, Religionem cogitas? Etiam, atque etiam, fili, quid suscipias videndum est: Sanctum profectò, atque Euangelicum est Religionis consilium, sed maturæ deliberationis. Ad ea Claudius: Nequaquam recens hæc mihi cura est, Beatissime Pater: deliberaui satis, superque: idque iam solum graue est, quòd videar Sancti Spiritus nimium diu voci restitisse. Tum Pius, haud sine aliquo sensu, cùm iuuenem paternè diligeret: Si te Sanctus Spiritus vocat, fili; haud sanè mora ex nobis fuerit. Ito in Dei nomine, qui propitius tibi sit, & benedicat. Hoc responso Claudius, & benedictione acceptâ, cum ingenti gaudio prosilit, certus ne vnam quidem ampliùs noctem in aula subsidere: sed protinus se, vt Patrem Franciscum ad Tyrocinium sequatur, comparat. Res inter aulicos spargitur: magnus indè motus animorum, varii sensus, atque sermones. Nicolaus Ormanettus, disciplinæ morum in Pontificia familia rector, dixit aulam spoliari, atque eripi optimum. Plerique tantas ab iuuene proijci spes querebantur. Pauci gratulabantur, & suis incæptum momentis pendebant. At Claudius eligens in domo Dei sui abiectus esse, & pretiosissima sæculi, vt Christum, & hunc Crucifixum lucrifaceret, arbitratus est stercora: permagnique, vel vnum diem religiosi famulatus æstimans; continuò domum Professorum, vbi tyrocinium posuit, quanquàm & tempestas, & domus æstuosissima esset, in medijs Caniculæ ardoribus (tantò scilicet magis à Christo illatus è Cælo vehementiùs torrebat ignis) sese gestiens abdidit. Frater eius Dux Ioannes Hieronymus, pro Christianâ sapientiâ, consilium hoc comprobauit. At duæ sororum Iulia, quæ Bertoldo Farnesio nupta erat, Marij Farnesij parens: & Dorothea, quæ perpetuam virginitatem coluit cum Claudio, ipsi gratulatæ sunt, mo-

74 Ecclesiastici reditus solicitum habent.

75 Decernit mundo se abdicare.

76 Societatem eligit.

77 Feruor in repentina fuga seculi.

78 Pontifex potestatem facit religionem adeundi.

79 Aulicorum de eo æstimatio.

80 Sorores duæ consilium quatopere probant.

Digitized by Google

monentes, vt gratus esset: nec ab se magnum quid gestum, aut aliquo insigni beneficio Deum affectum, quasi nostris egeret bonis, arbitraretur: & præpostera dolentium iudicia grauissimè redarguerunt. Deplorat Iulia ad Abbatem Montanum, quem dolor conficiebat, scribens, errorem hominum: qui, si mortalium in aulas sui receptum habeant, lætantur: si in Dei, tristantur. Amicos desiderant, & eorum tranquillitati inuident. Omnes vellent, cùm suprema instat hora, Deo inseruisse: cùm adest facultas; rectè facere nec ipsi volunt, neque alios sinunt. Laudant vulgò seculi fugam, accessumque ad Deum: at vbi ab quopiam è necessarijs id fiat; ferre non possunt: vtique vel mendaces, vel maligni. Dorothea ad literas, per quas à Francisco Petrarchâ Sacerdote nostro rem cognouerat, ita respondit. Si quem vnquam iucundiorem mihi nuntium allatum esse, aut posse afferri putarem, quàm quo diuina manu porrectum accepisse munus Claudium meum cognoui; mei profectò me puderet, quòd officio tantùm deessem tum Christianæ fœminæ, quam præstare me debeo: tum Sororis, quam Deus nasci voluit: tum Demum Dorotheæ Aquauiuæ, cui non modò pro fratre, & inter omnes (verè dicam) carissimo, sed etiam loco filij, cùm educatus à me sit, imò vt potior mei pars, semper fuit. Non enim poteram nisi summam ei felicitatem cupere: ideſt eam, quam diuino beneficio consequutum spero: quam vnam inter humana felicitatem semper duxi: quia & præsentis summa est, & futuræ arrha beatitatis. Eò quin etiam magis gaudendum est mihi, & ob rem ipsam, & quòd ita gesta est; vt non secundum modò exitum sperare liceat; sed nec cuipiam dubitationis, nec nobis suspicionis relictus sit locus: quin eo tantùm consilio, Deo gratia, gesta sit, quod christiana pectora mouere debet. In quo video velle Deum intelligi quantopere eum amet, quando ad se eâ ratione, quæ præstantissima habetur, vocauit. Ita confido de virtute in virtutem processurum vsque in finem. Quòd si ignauiam meam, quæ præcessisse iam diu debui, non erubescerem; multò vberiùs gauderem. Sed de summâ clementiâ, ac vestrarum auxilio precum non est cur diffidam. suus & vndecima hora vocatis denarius fuit. Ipsum benè tractari nihil dubito inter eos, quorum meta est veræ caritatis adeptio per prudentiæ christianæ temperamentum. Ceterùm & si quid pateretur; id quoquè gauderem, quòd pro eo, pro quo patiendum est, pateretur. Quippe nobis, secundùm Apostolum, donatum est, non solùm vt in Deum credamus, sed vt patiamur pro eo. De reliquo gratum mihi fuerit de eius valetudine, deque profectu virtutis cognoscere, idque tuo monitu: namque ipsi neque molestiam legendi literas ex me, neque laborem scribendi ad me consilium est afferre. Hactenus Dorothea, cuius & sapientiæ, & sanctitatis magnitudo, & impensa Claudij educationi cura, hoc qualicumque ad posteros momumento digna visa est. Nunquam vinum gustauit: semel in die vescebatur: quotidie diuinas dapes sumebat: ægrum corpusculum flagellis, & alijs afflictationibus assiduè atterebat: tota simul in amplificandum Dei cultum, animasque iuuandas intenta erat. Mortua demum est inter Monachas Conuersani: & quærentibus, quid ita non ante se in Cœnobium abdidisset; aiebat ne Cœnobium exemplo suo euerteret. Adeo de se abiectè opinabatur. Iam Claudij ad religiosa claustra secessum vulgò homines probabant in dies magis, & celebrabant. Ipse Pontifex cum Cardinali loquens Columnâ, præclari sibi visum exempli confirmauit, & vehementer eo commotum esse. In summa inania esse humana omnia, præterquam Deo in humilitatis sinu famulari. Pontificiam sellam experiri se acutis totam clauis confixam, cuspidibus introrsum ad lacerandum sedentem conuersis. Alio tempore cùm in Tyronum globum in Sanctæ Mariæ Maioris incidisset; aduocatum Claudium, paternâque iudulgentiâ alloquutus, inter cetera quæsiuit, quàm lætus ageret: cùmque ille respondisset, non posse magis: consilijque sui fructum in dies maiorem capere: Hoc, inquit, religiosæ vitæ proprium est. Porrò Claudius iam totum se in Deum abdiderat: & à quo, ad quem Dominum transisset cogitans; curam tantò intendebat acriùs, quantò potiori seruiebat. Plurima inter vtrumque famulatum notabat gratus discrimina: sed præcipuè tribus commouebatur. Primum, quòd in aula diuina, vbi corda ipsa in oculis Domini sunt,

81 Iuliæ Sororis præclara monita.

82 Dorotheæ Sororis præstantes de ea re literæ.

83 Dorotheæ eximia virtus,

84 Pontifex quid de religione & de Pontificatu sentiret.

85 Famulatus Dei ab aulico quàm differat,

nec

nec simulationes locum, nec obtrectatores, & euersores habeant: sed gradum quisque, quem mereatur, gratiæ, securus obtineat. Alterum, quòd suis fermè impensis aulam homines mortalem colunt: at Deo & æquissimum, & facillimum esse seruire, quòd impensam ipse omnem, & quicquid opus sit largè subministret. Postremò, quòd nunquam fraudari obsequium mercede possit diuinum: cùm spes humanas tot alij casus, nec mors rarò frustretur. Hæc vniuersè de diuino cogitans famulatu, priuatim Societatem, quam tantùm antea diligebat, tamque aptam sibi rebatur, suspiciebat in dies ampliùs, amabat, venerabatur. Quod tametsi latére Patres non poterat; tamen cùm eò vsque sermones, de quibus supra dictum est, gliscerent agitare Pium de formâ eius mutandâ; Rodericium Prouincialem cupido incessit planiùs explorandi quid in animo Claudij, pro eo quantum Sancto Pontifici, cui & se tam carum nouerat, tribuebat, sermones tales efficerent. Respondit Claudius eam sibi constantiam, & caritatem à Deo erga Societatem præberi; vt, si quo casu quotquot in eâ degerent, concidendi in frusta essent; primus ipse quamlibet subiturus carnificinam esset: sique fortè, quod nunquam fieri posse certum haberet, ab omnibus desereretur; vnum se (quod dictum modestè esset) cum Dei ope mansurum. Hunc animum summa bonitas alumno tribuebat, quem huius familiæ suæ in tot annos, tamque duris temporibus rectorem parabat. Prima enim Pastoris est virtus amor in gregem. Interim Claudius non serió tantùm ab se relictum seculum, sed etiam acre susceptum cum vanitate eius bellum ostendit. Vnà cum Antonio Vicecomite in obsoletâ tun culâ, pendentibus vtrinque ex humero manticis, apparet in publico: adeoque notus iuuenis per vias Vrbis celeberrimas in Vaticanum contendit: vsque ad proximum Pontificio conclaui cubiculum penetrat: Alexandrinum, atque alios quosdam Cardinalium, plurimosque ex aulâ: deinde etiam quasdam Matronas principes, nobilis pro Christo mendicus adit, magnâ cum admiratione omnium. Nec minore admiratione cœptus est conspici verba faciens ad agrestes. Rostra illi humile scabellum erat in foro, quod Sciarræ vocant. Ardore ibi eximio erudiebat, excitabatque ad cultum pietatis inopem turbam. In æstu illo concionis multi notorum videbant, ac fermè tali exemplo proficiebant. Vnus inuentus est, qui sapientiæ Christianæ funditus rudis; Nouitij feruorem interpretaretur insaniam: nec potuit se tenere, quin Ioannam Aragoniam, quæ norat, & vnicè diligebat Claudium, conueniret, nuntiaretque miserabilem casum, Claudium insaniisse: publicè in plateis ea facere, dicereque, quæ nullus auderet sanorum. Quæ cùm serió affirmarentur; perculsa tali nuntio Matrona, trepidè ad Patrem Borgiam mittit, qui certiùs de eâ calamitate cognoscat. At Borgia errore intellecto: Ito, inquit, Dominæ Ioannæ renuntia, securo animo sit: Nunc demum optimè Claudius sapit. Hæc præclara fuere Claudij initia. Tot, tamque nobilibus animis florente Tyronum schola, dum alter alterum suspicit, ac veneratur; mirè feruebant opera, & studia pietatis. Sed inter omnes spectabilis erat cana Turriani sapientia ab ore Magistri pendens, & prima quodammodo elementa discens absconditæ mundo sapientiæ. In hunc aliquando cùm fortè incurrisset Claudius; dum Tyronum more præfestinus in capsulâ ad vacantem exercitationi spiritus cibos defert; continuò bonus senex orare veniam voce, ac gestu supplici. Nec segniùs è contrario Claudius sibi esse precandam, non dandam veniam. Denique abijciuntur in genua, longaque fuit lis dum ita abiecti inuicem postulant sibi ignosci, & vterque ad se incogitantiæ culpam trahit. Tam verò numerosâ, lectâque sobole aucta hoc anno Romæ Societas minùs sensit Doctorum Emmanuelis Mionæ, & Ferdinandi Iaëni desiderium. Vetustissimus Societatis videri Miona poterat: quippe qui eius parenti modo quodam parens fuisset: & ille quidem se ab Ignatio primùm libenter vocabat. Nec immeritò ex ea parte, quòd si non re, studio certè reliquos omnes præiuisset. Namque Sancto Ignatio literarum Compluti studia persequenti à confessionibus fuerat: ob insignem, celebratamque virtutem à Sancto Patre adscitus. Ex quo tempore tales in viri Dei pectore cælestium thesauros donorum, Sacerdos intelligens, per intimum illum, sacrumque vsum dispexit; vt admirari postea,

86 Amor Claudij erga Societatem.

87 Publicè emendicat.

88 Concionatur ad plebem in foris.

89 Turriani feruor inter Tyrones.

90 Emmanuelis Mionæ obitus, ac virtus.

Digitized by Google

ftea, & prædicare laudes eius, & fouere cœpta nunquam deſtiterit. Quin etiam cùm iam eſſent ambo Pariſijs; colligenti Socios ipſemet conquirebat ſtudioſè idoneos, atque conciliabat. Ignatius ipſummet venabatur venatorem ſuum, valde appoſitum ratus, cum ætatis, tum auctoritatis robore, cœpti operis fundamentis: nec dubitans plus valiturum exemplo, quàm verbo: præſertim quòd non nemo mirabatur, & Hieronymus Natalis in os illi fidenter obiecit, cur, qui vellet Ignatianos effici alios, ipſe non fieret? Eam ob rem ad ſpiritus exercitationes Sanctus Pater adducere hominem conabatur: nec deſtitit etiam, poſtquam Pariſijs abierat, per grauiſſimam epiſtolam Venetijs datam, quæ edita extat in anni milleſimi quingenteſimi trigeſimi ſexti rebus, ad experiendas eas exercitationes adhortari. Sed ille maluit ad conſtitutam iam, certamque Societatem accedere, quàm in incertam dare nomen. Sub annum Seculi quartum & quadrageſimum acceſſit. Quo anno cùm Pariſijs Romam veniſſet, & in culinæ, colendique horti laboribus, ceteriſque Tyronum experimentis rudimenta nouæ vitæ vir adeo venerandus, adeoque & ætate, & ſapientiâ conſummatâ poneret; incredibili pietate & præſentes eius rei ſpectaculum, & abſentes fama ſuccendit. Anno poſtea vndequinquageſimo inter ordinarios (ideſt Votorum quatuor) profeſſos adſcriptus eſt. Cùmque adhuc perpetuò apud Ignatium manſiſſet; anno quinto & quinquageſimo in Siciliam miſſus, Panormi aliquandiu fuit. Denique ad Romanam, cùm vehementer id cuperet, reuocatus domum, in eâ vitam finiuit. Propter grauem ætatem excolendarum operi animarum haud ſatis iam ſufficiebat: tamen quicquid ſupererat virium intendebat, & aliquid in ea quoquè re moliebatur. Ceterùm cuncta iam prope ſtudia ad agendum cum Deo, & Cælitibus conferebat, diſpoſitione tali. Vbi tres, aut ſummum quatuor horas nocturnæ cepiſſet quietis; exurgens Sacerdotalis officij pſalmos, ac preces, itemque ſolennes in Deiparæ cultum exequebatur. Indè cùm iam ceteri ab quiete ſurgerent, deſcendebat in templum, & cunctas ſigillatim obiens aras, benè longam apud quamque faciebat precem, Poſtea in Odæum ſecedens diu perſeuerabat pertractans mente diuinas res, & ſilentio orans. Secundùm ea de peccatis confitebatur: quod quotidie ſtudioſè faciebat, & ex confeſſario ſupplex inſtabat, vt permitteret. A confeſſione ſacrificatum abibat. Sacrificium duas principiò (priuatim enim faciebat) tenebat horas: ſed immodicæ prolixitatis admonitus; tempus contraxit, & vnâ contentus horâ fuit. Sacro peracto ſuo, reuertebatur in Odæum, & ſacris omnibus quot quot fiebant in templo, vſque ad poſterioris menſæ tempus aderat: ſubinde Virginis Deiparæ coronam, & precationes alias interſerens. Poſtquàm Sacrificijs in templo finis impoſitus erat, accedebat ad menſam, & animo lautè ſaginato, terrenæ parti quod neceſſitas exigeret, parcè reddebat. A menſâ in cubiculum breui abditus reliquam Sacerdotalis pſalmodiæ partem, & Officium Beatæ Virginis lentè inambulans abſoluebat. Tum reliquum tempus per varias pias occupationes, ac fermè Deiparam ſalutans, nunquam ab ſancto quopiam ceſſans opere, traducebat. Exi-

91 Eiuſdem in Beatam Virginem pietatis fructus.

miæ erga clementiſſimam cæli Reginam pietatis fructum cum alias, tum egregium extremo percipit tempore. Aliquot ante migrationem diebus, cùm in eius cubiculo cauſa nulla odoris neque ab morbo, neque ab ſenectute hominis, neque à Miniſtrorum curâ eſſet; adeo tamen ex ipſomet decumbente ſuauis afflatus odor dicitur; vt vehementer, qui aderant, mirarentur. Relictam ab Virgine ferebant eam ſuauitatem, quæ clientem ſuum benignè inuiſiſſet. Idem cùm agens animam oculos in cælum præter ſolitum intendiſſet; quærenti quid hoc ſibi vellet; reſpondit ſe Deiparam intueri. Deceſſit quarto nonas Martias. Luſitanus erat natione, in Algarbijs natus. Ferdinandus Iaënus menſe proximo, quintodecimo Kalendas Maias è medijs laboribus ad emeritos emigrauit. Commendatiſſimus erat vir & doctrina, & ſanctitate: animam Patres benedictam vocabant. Patria Corduben-

92 Ferdinandi Iaëni mors, & dotes.

ſis, paulò quadragenario maior erat: paucis annis, circiter nouem, in Societate vixit: ſed in locis, ac laboribus multis: Theologiam in Hiſpaniâ, & Romæ, & Viennæ in Auſtriâ aliquandiu docuit: deinde Patauino Collegio ſuperintendens, Maceratenſi Rector præfuit: poſtremò in Sancti Petri baſilica, quo iuſſerat Pontifex

aliquot

Digitized by Google

aliquot è Societate submitti confessarios in supplementum Pœnitentiariorum, quos, vt parùm idoneos, Censores loco mouerant; multum laborum confessionibus audiendis exhausit. Ad id loci Romana domicilia per se Generalis Præpositus, extra Prouincialis curam, administrarat. Quæ, cùm occupatio non leuis esset, crescentis adeo vbique Societatis communia negotia retardabant. Ad hæc cùm præcipui Patrum Romæ essent, neque vlla in Prouincia censerentur; incommodè sanè fiebat, vt ad Conuentus Generales eorum nulli aditus pateret, nonnulla talium personarum iniuria, maiore Conuentuum ipsorum damno. Ergo vt difficultas hæc tolleretur, ac minutioribus expeditus curis, vniuersæ magis familiæ Præpositus Generalis vacaret; quæ Romæ, circaque domicilia erant (exceptâ domo Professorum) vnà cum ijs, quæ Prouinciam priùs Tusciam faciebant, Præsidis vnius procurationi commissa, & Prouincia indè Romana, abolito Tusciæ nomine, constituta: perrexitque Christophorus Rodericius, qui antea præerat Tusciæ, Prouinciam ita amplificatam regere. Domicilijs tamen Romanis, dum longiùs sita Rodericius viseret Superintendentis nomine Ribadeneria præfectus: qui pariter hoc anno Sancti Ignatij vitam latinè scribebat. Hæc initio Martij constituta. Eodem tempore Franciscus Costerus inferiori Germaniæ, & Franciscus Adurnius Longobardiæ ordinarij Prouinciales præpositi, quas adhuc Prouincias Vicarij duntaxat nomine habuerant. Causarum Societatis in Romana Curia Generalis Procurator communibus Prouinciarum ali cœptus impendijs; ab domo Professorum in Romanum Collegium translatus est. Gesserat id munus initiò Polancus: dein negotijs increscentibus Baptista Ribera: eo in Indiam profecto, Ioannes Victoria reuocatus ab Austria: illi postremò Ferdinandus Solerius successerat, qui cum Cardinali Cribellio venerat ex Hispania Romam. Simul est constitutum, vt apud Curiam Philippi Regis Hispanicarum Prouinciarum impensis Procurator collocaretur, qui negotia earum ageret. Postridie Kalendas Iulias in Romano Collegio, quo die & votorum solennis instauratio facta est, conuocatis quamplurimis ex Vrbe Socijs, proprias multarum procurationum regulas, & communes, diuturnâ consultatione renouatas, redactasque ad arctiorem numerum, vti Conuentus nuper decreuerat, Pater Franciscus promulgauit, præclarâ adhortatione habitâ, qua ad earum custodiam Socios, & ad perfectionis studium incitanit. Inter cetera vtilitatem regularum explicauit hoc simili. Proponamus nobis hominem vndique ab latronibus pressum, iam iamque crudeliter enecandum: si qui fortè interuenirent, aggressique maleficam turbam oculos vni eruerent, alij linguam exsecarent, illi aurem abscinderent, hunc truncarent manu, non neminem pede debilitarent, alios alijs modis mutilarent; non ne is, qui ita liberatus esset, liberatoribus suis præbere se gratum deberet, ad seque recipere eos, & quandiu periculum esset, libenter custodes habere? Talis causa nostra est. Circumueniunt nos intestini, externique latrones: Regulæ nobis auxilio veniunt: quæ dum oculis, dum linguæ, dum auribus, dum manui, dum pedi, dum totis nobis modum imponunt; his membris aduersarios nostros, quibus conrra nos vtebantur, detruncant. Amare ergo eas, & propensis excipere animis, & sub earum custodiâ manere æquum fuerit. Imò & veneratione quadam dignæ sunt. Namcui sacros è cera Agnos Pontifex ipse donaret; is nimirum gratos eos haberet, tum propter ipsam rem, & vtilitatem aduersùs incendia, & alios casus, tum propter Pontificis, qui largitus est, dignitatem. Et regulæ nos modo quodam ab cupiditatis facibus, & ab immanibus procellis, periculisque eripiunt, & ab ipso traduntur Pontificum maximo Deo. Quantâ ergo curâ, ac veneratione haberi decet? Ad extremum, quoniam multæ, variæque regulæ sunt; earum, inquit, summam vobis toties à Beato Patre Ignatio repetitam breui proponam verbo: ideft, vt omnia ad maiorem Dei gloriam faciatis: tum cuncta rectè, & ordine procedent: tum disciplina non grauis erit, sed per se, velut sponte naturæ sequetur: tum caritas quoquè mutua pulchrè regnabit, & gaudebit quisque se loco, vel ingenio, vel doctrinâ præstari ab alio, quòd ad maius id obsequium Dei, & maiorem gloriam intelligat pertinere: tum inuicem in cordis latitudine exhortantes, & gratulan-

93 Prouinciæ Romanæ institutio, Tusca abolita.

94 Prouinciales decreti.

95 Procuratores Generales ad id temporis.

96 Borgiæ de regularum vtilitate sententia.

97 Compendiosus regulas seruandi modus.

Digitized by Google

tes, dicent: Benedicite Serui Domini Domino. Et Societati: Benedicat tibi Dominus ex Sion. Et tu benedic, Societas Iesu, Dominum, quæ fundata es, vt alios fundares: instituta, vt alios institueres; in sublime elata, vt alios extolleres à terra ad cælum. Benedicat tibi Deus in æternum, vt & tu illi, sicut adhuc, & imposterum benedicas. Eodem tempore, quo leges eas Romæ Borgia promulgauit; vt simul in Prouincias cunctas inducerentur operam dedit, sublatis varijs, ac multiplicibus monitis, quæ vel Natalis, vel alij reliquissent. Ita iam paulatim, quasi consolidato ædificio, suisque nitente membris, fulturæ remouebantur. Cùm Lauretanum domicilium videretur opportuna sedes Seminario Confessariorum; Nouitijs amotis, duos ibi collocauit Magistros, qui quæstiones conscientiæ explicarent, circiter triginta auditoribus attributis. Senis Grammaticæ sublatæ scholæ, cùm haud extaret pretium, & philosophiæ institutæ Emmanuele Gomio à Monte Maiore docente. Id tentatum si fortè presium inopiâ Collegium eâ vâ exsurgeret: vel desiderio scholarum inferiorum benignitas Ciuitatis excitaretur; tametsi homines naturâ benignissimos facultas potiùs eâ tempestate, quàm voluntas deficiebat. Sancti Vigilij domus, in qua socij ad hanc diem inquilini agitabant, vnà cum templo, consentiente Grosseti Episcopo, ab Pontifice adiuncta Collegio est. Hoc, & Perusinum Collegium, itemque Florentinum ex itinere Polancus visit. Amerinum sublatum est. Multas ibi indignitates Socij pertulerant, scholarum primò causâ, dein etiam templi. Tres in partes diuisa erat Amerina Ciuitas, quarum vnaquæque in orbem Magistratum gerebat, rarò sine factionibus. Itaque cùm publicæ scholæ Collegio ab vna earum partium, quæ tum præerat, demandatæ essent; materiam indè dissidiorum nonnulli partium reliquarum sumpserunt. In his propinquorum Episcopi nonulli erant. Episcopus erat Bartholomæus Ferratinus, cuius consilio, vt ingraueſcentes tollerentur turbæ, ab hinc biennio Collegium desijt docere. Clauso gymnasio, templi restabat causa. Id cùm Superior Amistes Societati attribuisset; nec quòquam Parochi, quod habebat insitum transtulisset munus; plurimùm, diuque rogatus successor, vt transferret; alia, atque alia causans, id vt faceret nunquam adduci potuit. Ex hoc, alijsque compluribus argumentis haud obscurè comperto non esse admodùm ei curæ, vt Societatis Collegium Ameria haberet: adhæc mendicato esset victitandum, atque è concionibus, alijsque ministerijs, si qui extabat fructus, factionum corrumperetur studijs: quodque quibusdam erat medicinæ, veneno aduersarijs esset: denique nec Ciuitas eo statu idonea videretur ad excipiendam Societatis culturam: paucique, qui ibi versabantur Socij, vt inter assiduas dimicationes pietatem haud multò plus augerent alienam, quàm detererent suam; visum est Borgiæ, Prouincialibus, alijsque Patribus, quos per literas rite consuluit, eos aliò transferre, vbi extra suam, atque alienam noxam publicè vtiles forent. Sic vti, cùm ex Monte Politiano discessum; ita hîc omnia procurata. Quæ moueri poterant, in pauperes distributa: templum ornatu, & sacrâ supellectile auctum Episcopo redditum: eidemque tradita domus cum horto, quem ex piorum liberalitate Socij compararant, vt quos vellet pios in vsus conferret. Ad hæc rectè, ordineque gerenda Iulius Mancinellus Perusini tum Collegij Rector missus: eoque gesit exemplo, vt non amicos modò, sed inimicos quoque vehementer commorit. Itaque plurimi Ciuium accurrere rogatum, vt subsisteret: pollicentes nouum se priuato ære templum excitaturos. At in populo, tanquam in publica calamitate, luctus, & comploratio extitit. In Cœnobijs habita super eâ re quadraginta horarum supplicatio. Ceterum cùm Patet Generalis, re plurimùm Domino commendatâ, statuisset non esse è diuina gloria diuturniorem ibi moram; exeunte Maio Societas Ameriâ excessit, vndecimo circiter postquam adierat anno. Calatabellotta quoque in Sicilia hoc anno pauci, qui degebant Socij, cum bonâ Biboncnsis Ducis veniâ, reuocati. Ad Siculam verò Prouinciam Rheginum, transflatum est ab Neapolitana Collegium. Et qui cunctam viseret Prouinciam vere extremo missus est Ioannes Montoia Nolani iam indè à principio Collegij Rector. Eodem tempore ad Neapolitanam visendam missus ab Vrbe est Benedictus

98 Senensis Collegij status.

99 Amerinum Collegium sublatum.

100 Iulius Mancinellus ad Amerinum Collegium remouendum mittitur.

101 Calatabellotæ Collegium remouetur.

102 Visitatores Siciliæ & Neapolis.

Pal-

Palmius Assistens, cùm Romæ magni ieiunij tempore ad Sancti Laurentij in Damaso, auditorio perinde insigni, ac fructu, sæpè vel quindecim Purpuratorum Patrum coronâ, concionatus esset. Et quoniam eò incumbebat Borgia, vt omnibus absolutum disciplinis suum quæque Prouincia haberet gymnasium; Ioannem Mariam in Siciliam ire iussit, vt ordinaret studia: atque, vbi videretur maximè opportunum, doctrinam diuinam auspicaretur: quam, collato cum Visitatore, & Prouinciali consilio, Messanæ insequenti anno auspicatus est. Per huius autem anni autumnum eandem exorsi in Neapolitano Collegio Hieronymus Surianus, & Antonius Ramirus: & Patauij Carolus Pharaonus, & Ioannes Ricasolus, vbi & Dialecticam Antonius Lisius inchoauit, scholis humaniorum literarum, quæ frigebant, remotis. Interim, præter collatam vbique in omne mortalium genus promiscuè operam; Messanæ militum Hispanorum egregiè succursum calamitati. Quinque vexilla sub anni finem cùm ibi exposita essent, quamplurimos ex diuturnæ nauigationis laboribus, corruptisque cibarijs, grauis lues inuasit. Qui, cùm eodem morbo Nosocomij magni Præfectus decumberet, & metu contagionis, ne mangnâ quidem mercede, ministeria inuenirentur; & Sacerdote etiam Hispano carerent; ab omnibus derelicti iacebant, passimque moriebantur. Re cognitâ Domeneccus, destinatis aliquot fratrum, qui corporibus, quandiu opus esset, ægrorum prospicerent; ipsemet, Rectorque Collegij Iacobus Suarius, & alij Sacerdotum ad consulendum miserorum animis illico accurrére. Nullum non subeundum fuit ærumnosi operis, odiosique laboris genus, inter squalorem, ac Sordes miserorum, & assidua ex contactu vitæ discrimina. Sed caritas amabiles ærumnas faciebat, honoratas sordes, secura pericula. Adeoque in tempore id subsidium adfuit; vt præter multos ab leti faucibus haud dubiè ereptos, testetur Domeneccus euenisse, vt quidam, tanquam diuinitùs ad id momentum seruati essent, vix confessione secum patratâ, expirarint: alij continuò vsum mentis, loquendique facultatem amiserint. Nec sua magnanimis operarijs de caritatis semente, ad geminam scilicet faciendam in Cælo messem, defuit tolerantiæ seges. Rector Suarius grauiter decubuit: Fratrum tres feliciter occubuere: Laurentius Sterellus, & Thomas Seuerinus, & alius adhuc tyro. Omnium digna tam nobili exitu virtus erat: sed Laurentij maximè eminebat. Bergomas patria erat ex oppido Alzano, in flore ætatis triennio ante in Societatem Romæ Iunio mense cooptatus, vertente anno in Siciliam venerat cum Patribus iuuaturis Melitenses propugnatores. Tum Messanæ cùm mansisset, & æditui munus ita tractaret; vt sedulitate, modestiâ, obedientiâ, caritate, assiduitate precum, omniumque virtutum exhibenda specie non modò carus domesticis, sed venerationi ciuibus, apprimeque ad pietatem inserendam vtilis esset; vnum illud dolebat, quòd materiam, non quantam auebat, exercendæ pro Christo patientiæ nostro in Orbe inueniret. Itaque ad ampla illa Indorum, & fecunda Crucium arua votis omnibus, & precibus ferebatur: quò auidiùs oblatam Mamertino in portu occasionem arripuit, tamque lætus cum suo manipulo ad cæli patriam emigrauit; vt, quanquàm perbreuis fuerit morbus; tamen longus ei præ abeundi cupidine videretur. Hîc libet editam Panormi haud abhorrentem ab hoc sermone pompam subiungere. Homines facilè quingenti ex ijs, qui templum Collegij frequentabant, proximis ante cineralia diebus, dum vulgò maximè obliteratâ mortalitatis memoriâ, ingluuies inter procaces iocos, ludosque bacchantium dominatur; suæ studia hilaritatis in apparandum spectaculum contulere: quod & sibi fructuosum esset, ac reliquos Ciuium humanæ conditionis admonitos ad seria retorqueret. Triumphum mortis nominauerunt. Ergo rite omnibus comparatis, ipsis cineralibus, alterâ noctis horâ procedere incipit pompa. Ad sexaginta lento gradu congeminati præibant: cæruleus his indumento saccus erat: cereus in manu lucebat candidus, symphoniacorum sequente choro decenti vestitu. Ponè alto in feretro Christi è Cruce pendentis præcelsa, atque admodum pia gestabatur effigies: vndique sacrorum cruciatuum dispositis argumentis, facibus compluribus, & quatuor adolescentibus Angelorum habitu circumstantibus. Proximè succedebat longum se flagellan-

103 Sacræ doctrinæ professores varij.

104 Messanæ ægris militibus succursum.

105 Laurentij Sterelli vita, & mors præclara.

106 Triumphus mortis Panormi exhibitus.

Digitized by Google

tium agmen; ducenti erant in atrâ veste: quibus intermistæ ad pellendas tenebras sublimes ferebantur laternæ subfusco lumine. Illis acriter terga pulsantibus in noctis silentio, attonito populo, horribilis verberum audiebatur crepitus, & solum sanguine rigabatur. Medius incedebat alter Cantorum chorus squalidus, barbisque promissis, Anachoretarum specie, qui accommodato cantu, rerum fallaciam humanarum, seculique ludibria persequebantur. Ad postremum agmen apparebant homines duodecim facie, quali mors pingitur, caballis vecti deformibus, ac strigosis. Incedebant ordine singuli, primusque horribili personans tubâ latè cuncta terrore complebat: alter vexillum explicabat funestum: alij alia præferebant insignia, & trophæa mortis. Circa funalia gestabant picea homines cinereo tecti colore. Carrus his proximè succedebat prælatus, scitèque elaboratus. Quatuor trahebant furui boues, regebatque auriga figuram temporis cultu, atque insignibus referens. Currum egregia vndique pictura distinxerat. Signa duntaxat visebantur, armaque, & victoriæ mortis. Quatuor in eo ardebant laternæ sanguineâ luce; circaque magnus, ac tristis è pice tetrâ funalium numerus. In summo curru ipsa stabat victrix, triumphansque mors. Texturâ erat horrificâ ossium, fœnariam ingentem vtrâque manu tenens falcem. Ad latera grandis arcus, & plena venenatis sagittis pharetra. Ad pedes ligones, ac palæ, ferramenta fodiendis sepulchris. Infra quindecim cuiusque sortis captiuos vinctos catenis agebat. Quorum priores lugubre non sine concentu immurmurabant carmen ductâ, ac miserabili voce. Ipsa sublimis adeo vehebatur; vt tectorum feneſtras æquaret: adeoque latè per vias, ac domos spectantium turbâ oppletas, salubrem spargebat terrorem. Hac specie per vrbis præcipuas vias ducta pompa cum admiratione, pioque omnium motu; vt vel ab ijs, qui quicquid ab Iesuitis prodijsset, damnare moris erat; approbationem, ac laudem tulerit.

107 Bononiensis Collegij incrementa.

Longobardiæ Prouincia non leue accepit hoc anno incrementum. Bononiæ ab Sanctæ Luciæ Collegij templo Gabrielis Paleotti Cardinalis, Bononiensis Antistitis fauore partim in sacellum illi annexum, partim in templum Misericordiæ extra vrbem, animarum procuratio translata. Et sanè optimus Cardinalis aduersùs Societatem, pariter ac quiuis Sociorum, gerebat sese. Mediolanense Collegium, quod iam triennium in conductis ædibus, locoque parùm decoro habitum erat, steteratque, impensis in diem ab sancto Cardinali suggestis; hoc demum anno firmamenta ab eodem certi vectigalis, & stabilem sedem accepit, nullâ conditione impositâ, nisi vt Collegiorum solennia præstaremus. Vectigal ex Aronensi Abbatiâ, quod Pontifex ratum postea in perpetuum habuit, attributum est. Sedes ad Sancti Fidelis: loco adeo opportuno; vt benè empta commoditas priori incommoditate putaretur: atque idcirco nihil vsquam receptaculi, cùm plurima tentatarentur, antea patuisse; quòd hanc Deus sedem reseruaret. Nec verò nihil Diabolus obmolitus est: qui quantopere eam rem exosam haberet, totius ordo negotij documento est. Parocho S. Stephanini (ita vulgus appellat) demortuo, Benedictus Alemannus, qui vnà cum ceteris amicis in hoc excubabat, admonet Patres, impetrari eam Collegio ædem posse. Sed perspectis locis, cùm proxima Sancti Fidelis Paræcia opportunior ad incrementa domicilij, templique videretur; Sanctus Cardinalis rogatur, parochis Sancto Stephano contributis, in hac collocare Collegium placeat. Sanctus Cardinalis (vt non rarò, siue ingenio, siue studio optimum vbique assequendi, solebat) non nihil primò cunctari: demum cùm vidisset coram quàm illa ædes instauratione egeret; probauit rem: sed antequàm planè conficeret; explorari viciniæ animos æquum duxit. Cùmque viritim interrogati nobiles, placere sibi ad vnum cuncti respondissent; confirmato indè consilio, etiam è populo quosdam accersit. Horum vnus (incertum vndè offensus) vehementer reclamat: ceteri ducem eum, vt multitudinis mos est, sequuntur. Sanctus Carolus, ne qua cui causa doloris offeratur, ita commouetur; vt nisi fortè Cardinalis Cribellus interueniisset; apertèque, & acriter sive eum, siue alium quempiam tandem locum attribuendum, Deique famulos vltro accitos tandiu sic haberi nec honestum Cardinali, nec è gloria Dei esse demonstrasset; destiturus incœpto fuerit.

108 Mediolanensi Collegio traditur Aedes S. Fidelis.

109 Turbæ ob eam rem suscitatæ.

Digitized by Google

fuerit. Aduersariorum dux quidam Panzana erat: qui sæpiùs in vnum coactos vicinos compulit primò, vt nomina quisque sua scripto profiterentur: deinde eorum manu succinctus ad Cardinalem ipse contendit. Adeoque parùm considerate egerunt; vt mitissimo hominum Borromæo stomachum haud leuem commorint. Ergo reiecti ex meritis. Illi verò (vt appareret ab Satana misceri negotium) quos verecundia Sancti Pastoris sedare debuisset; ad Senatum rectà procedunt. Præses respondet, scire se Cardinalem esse virum bonum, nec nisi ea gerere, quæ cognorit ex gloriâ Dei esse: irent: quiescerent. Hoc accepto responso, velut furore percit i, ad ipsam ædem pergunt: claues in potestatem redigunt; & apponunt custodiam, ne Patres in possessionem eâ nocte inducantur. Cùmque postridie Cardinalis è suis apparitorem, repetitum claues, misisset; isque etiam eum, penes quem erant, duceret; coniurati ad campanam euolant, citatoque tinnitu multitudinem ad arma cient. Illico turba omnis confluxit: sed, vbi seriò viderunt agi; futurum trepidi rerum in sua quisque tecta sensim dilapsi. Has Diabolus moras non tam nostris, quàm ipsorummet, qui aduersabantur, vt postea fassi sunt, commoditatibus innectebat. Breui enim animos prorsus mutarunt: & Patres operam dedere, vt & ijs, qui turbas concierant, gratia erroris fieret, & æquè omnibus vicinitatem suam magis in dies optabilem religiosis obsequijs facerent.

Secundùm Pascha Collegium eò migrauit, nemine magis læto, quàm Benedicto Alemanno, cum suis: cuius vxor totum annum post alias preces, quas singulis vesperis exigebat à filijs, proprias addiderat ad impetrandum à Deo Societatis aduentum in S. Fidelis, quòd illa ædes minimè distaret ab suis. Inter has verò turbas ipsi Benedicto memorabile cælestis tutelæ pignus contigit experiri. Nam è primis aduersantium quidam, cùm sicarium quinquaginta aureis nummis conduxisset, vt ei, tanquam negotij totius auctori, actorique præcipuo necem inferret; ita euenit, vt qui dies destinatus erat facinori, eo die Benedictum febris in lecto detineret perinde leuis ac pertinax, æquè medico admirante, cùm causam mali nullam dispiceret: ac sese discruciante sicario, quòd patrandi sceleris facultatem non inueniret. Cuius tamen nocentis saluti (quæ mira est Dei clementia) innocentis incommoditas seruiebat. Interim enim cùm fortè sodali quid moliretur aperuisset; is exclamans: Ergo ne pauperum parentem mactabis? Ergo piorum operum, quot quot Mediolani sunt, curatorem extingues? alijsque grauibus verbis ita commouit hominem; non modò, vt ad mutandam mentem, sed & ad veniam ab ipsomet coram Benedicto petendam adduxerit. Supplicem Benedictus primò excepit placidissimè, tum aureis donatum quinque & viginti, insuperque rogatum, vt perhomologesim reconciliare sibi diuinam studeret gratiam, & ministerium crudele nulli, quàm sibi, nocentius desereret; rectè animatum dimisit. Simul autem ille pedem domo extulit, pariter febris euanuit post octidui pertinaciam. Et Benedictus, vt Christi opus consummaret, maleficij mox principem, & emptorem, qui vulgatâ re, malè sibi metuens, fugâ secesserat; omnem caritatem pollicitus, reuocare instituit, maiore studio, quàm quo, vt semoueant inimicos, vulgò contendunt: nec destitit, quoad tandem ad reditum pellectum bonæ pacis fœdere, complexuque constrinxit. Dignus profectò vir, cui in tancta rectè factorum sobole, progenies etiam, vt contigit, religiosa donaretur. Quippe è liberis, quos nouem suscepit, fœminæ omnes tres numero, repudiatis conditionibus & perhonestis, & locupletibus, in Parthenone nobili Sanctæ Magdalenæ: Virilis verò stirpis quinque in Societate (vt alibi etiam diximus) diuino se obsequio manciparunt. Ille verò benignitatem erga Collegium eò quoquè cumulauit; quòd perneceſſariam habitationi domum è proximis suo coëmptam non paruo ære donauit. Accesserunt postea & aliorum singulari pietate ciuium alia tecta: nouo etiam, ac sanè magnifico cohonestata templo vicinitas, ipsiusque in id Sancti Fidelis corpus inuectum. Demum vbi Sanctus Cardinalis Academiam Braidensem instituit, Collegio ad eam translato, Professorum domus ad Sancti Fidelis, vt suis exponetur locis, statuta. Hoc anno, cùm latinitatis scholæ in Seminario haberentur; in Collegio duntaxat Dialectica, & quæstiones conscientiæ ex-

110 Documentum insigne diuinæ tutelæ, & Benedicti Alemanni virtus.

Digitized by Google

plicatæ, Brixiæ, & Augustæ Taurinorum nouæ coptæ coloniæ: quanquàm po-
tius natum Brixiæ, quàm introductum eò Collegium potest videri. Angelus ibi
Paradisius agebat Sacerdos pius, ac boni publici studiosus. Is, cùm iam pridem
Societatem adamasset, in eâque permanere valetudo non sineret, insistens coep-
tis iuuandorum hominum studijs; circiter triginta partim Sacerdotes, partim in-
feriorum Ordinum in vnam aggregarat familiam: cùm quibus communctâ operâ,
audiendis confessionibus, porrigendâ sacrâ Eucharistiâ, erudiendis rudibus, in-
uisendis custodijs, & valetudinarijs, prorsus vt in Societate sit, illibatâ, atque æqua-
bili famâ, Deo Domino, & suis Ciuibus seruiebat. Duo habebant templa: sed ad
Sancti Antonij plerisque sedes erat. Ergo cùm Franciscus Adurnius Longobardiæ
Prouincialis Brixiâ fortè transiret, ad hosque diuertisset: dum cum Angelo familia-
riter agit; eò paulatim delapsus sermo est, vt ambo affirmarent è diuina gloria fo-
re, si tota illa familia in Societatem transcriberetur. Explorat suorum animos An-
gelus, eiusque reperit omnes sententiæ, vt idem cuperent vehementer. Mittitur
Romam communis Epistola singulorum manu subscripta. Illud ad effectum rei
maximè valuit, quòd nullam ab communi Societatis sensu alienam institutionem,
morem nullum imbiberant. Exercitationibus cuncti Beati Ignatij exculti; ijsdem,
quibus Angelus Paradisius olim, assuefacti legibus; in humilitate, rerum piarum
studio, & obedientia eminebant. Quare cùm recipiendos omnes, nisi quem for-
tè impedimenta insolubilia excluderent, Pater Generalis statuisset; legauit eò
cum literis Paulum Candium, qui sanctam illam familiam suo coram nomine
salutaret, nullâ in præsens mentione factâ, reciperentur, necne. Optatissimus
adfuit Candius & Episcopo, & Ciuitati, & maximè Angelo, ac Sodalibus. Post
mutuam salutationem, in conspectu omnium recitantur Patris Generalis lite-
ræ: quibus collaudans eorum pietatem, singularique voluptati, atque exem-
plo sibi, ac ceteris Patribus fuisse demonstrans, quòd tanto studio, quantum sub-
scriptionibus quisque suis declarauerant, ad diuinæ Maiestatis obsequium in hac
minima Societate Iesu dedicarent sese: atque adeò eandem Dei Domini Maiesta-
tem obsecrans, vt consentaneum eiusmodi initijs impertiretur exitum, vndè opta-
tum, spequeconceptum ad Dei laudem momentum existeret. Addebat, rei totius
transactione in aduentum Patris Adurnij Prouincialis dilatâ; mitti ab se in præ-
sens Rectorem Patauini Collegij Paulum Candium; qui coram explicaret ex hac
re à ceteris, & à se perceptum gaudium, & incitamentum, suoque eos nomine
inuiseret, & salutaret. Id modò continebant literæ: vix tamen ijs perlectis, An-
gelus ad pedes sè Candij abijcit, eiusque se totum potestati permittit. Ducem se-
quuti reliqui, extemplò singuli humi pio certamine prouoluuntur. Nec potuit
euincere Candius, vt exurgerent, stantesque amplexum reciperent: sed cùm
perseuerarent; peracta de genibus res est, eo sensu, vt nemo esset, cui non præ
affluentiâ sanctæ dulcedinis lacrymæ vbertim fluerent. Atque, vt agnoscas ine-
narrabiles diuinæ prouidentiæ vias; Alfonsus in his Agazarius Senensis erat, iuue-
nis pius, ac nobilis: qui cùm aliquanto ante tempore tacitis ad religiosam vitam
cieretur stimulis; atque ab Religioso Dominicano, vt Societati se daret, esset ad-
monitus; ab eâ tamen nescio quomodo abhorrens, præclarâ Sodalitij Sancti An-
tonij Brixiensis famâ excitus, ad illud se contulerat: isque nunc ita est immutatus;
vt plurimùm letaretur in id, quod fugiebat, se fugâ ipsâ delatum. Eòque gratior
deinceps diuino muneri vixit, cum egregiæ virtutis opinione, commodus anima-
rum, & præfecturæ domesticæ administer. Collegium Taurinense parentem ha-
buit Aleramum Becutum virum & suâ, & maiorum pietate clarum. Quippe con-
stans opinio est è Becutiorum familiâ, quæ inter quatuor Taurinorum primas cen-
sebatur, extitisse olim Sanctum Turibium Asturicensem Episcopum, ad quem
Leonis Magni Pontificis exstat epistola. Alerami virtutem æstimare vel indè
promptum est. Feria sexta maioris Hæbdomadæ, dum concioni interest de Christi
acerbis cruciatibus, cùm trepidè ab vno duorum famulorum, quos domi reliquerat, cognouisset, alterum famulum, effracto ipsius Heri cubiculo, ereptâque ar-
culâ cum pecuniâ aufugisse; id modò respondit: non id tempus esse talia curandi;

nec

111 Brixiensis Collegij origo.

112 Dei prouidentia inuocatione Patris Alfonsi Agazarij.

113 Taurinensis Collegij exordia.

114 Alerami Becuti eius fundatoris virtus.

Digitized by Google

nec loco eſt motus. Adeo pecuniæ antetulit pietatem. Cuius conſtantiæ nequaquam dilatus eſt fructus. Fidus enim ille famulus, vbi nihil denuntiatione ſua commotum Dominum vidit; hoc indignius ratus furi rapacitatem feliciter cedere, ſua ſponte poſtulatis, impetratiſque lictoribus, raptim inſequutus eſt hominem, & comprehendit: & arculam domum intactam retulit adeo celeriter, vt redeunti ex concione Aleramo ſaluam offerret: inſignem tempore eodem fidem, atque perfidiam experto, pariterque edocto quàm tutò pecuniæ pietas præferatur. Ex Indicarum lectione literarum cogitationem primùm ſuſcepit Societatem in Taurinos accerſendi: egitque cum Ciuitate, vt conſilio publico Collegium peteretur: collaturum ſe pollicitus ad impenſas aureos centenos quotannis. Decretum conditum eſt, & alterumtantum pecuniæ aliunde adiectum. Sed cùm ob tenuitatem vectigalium, & conditionum, quæ adiungebantur, reiectum negotium eſſet, ac ciuium ſtudia propter varietates temporum refrixiſſent; Antonius Albofcus indidem ciuis exciuit. Is per ſtudiorum occaſionem cognito Collegij Montis Regalis in publicam rem profectu, dum abſtorij ſtrepitu curarum pertæſus mortalium, ad Carthuſianos receptum parat, inter quos diem cum laude ſupremum egit; domum ſuam Societati ita legauit, vt, niſi ante biennium conſtitutum eſſet Taurini Collegium, cum reditu in octo minimùm Sociorum alimenta, quod ſe ſperare futurum in teſtamento profitebatur; ad heredes deuoluereturr. Addidit poſtea ex Papienſi Carthuſiâ ad Aleramum, quem æquè pium ac locupletem norat ponderoſas literas, adhortans, ve rem ipſe ſuſciperet, perficeretque. Non magni fecit eas literas Aleramus, ſiue quòd nullo eſſet cum Albofco interiore vſu coniunctus, ſiue tædio, vt fit (prolixiores enim erant) legendi. Itaque vix oculis delibatas in ſcrinium proiecit. Ceterùm cùm exinde ſic eueniret, vt vbi quid quæritaret, literæ ſe illæ in manus ingererent; rem inſtar prodigij admiratus, induxit animum tandem perlegere, vehementerque earum lectione commotus eſt. Sed antequam ſententiam figeret, tacitè per amicos explorare Collegij Montis Regalis labores, moreſque voluit; & ipſemet, ſi qui interdum de Societate Taurinum adirent; humanum eis præbens ſe, totos oculo non curioſo magis, quàm benigno luſtrabat. Demum, quia nihil nec per amicos, nec per ſeſe cognorat, quod non vehementer probaret; ſententia illa ſtetit: quoniam vltimus ipſe Becutiæ gentis eſſet, bona ſua eò, vndè primùm fluxiſſent, referre: Chriſtum Dominum, & Ciuium ſuorum animas inſtituere heredes. Non poſſe familias quæ ſic vitæ inſererentur, intermori. Hæc apud animum ſuum ita cùm ſtatuiſſet; in præſens tamen aureos trecenos duntaxat, quantum ad ineundam ædium Albofchiarum poſſeſſionem ſatis duxit, annui vectigalis donauit: tum vt ex ſucceſſu conſilium maturiùs de reliqua hereditate caperet: tum vt, relicto aliorum quoquè benignitati loco, Collegium tantò luculentius conderetur, quantò plures conferrent. Haud obſcurâ propitij Numinis gubernatione, Taurinenſis Collegij initijs quicquid incœptaretur obſecundauit. Ioannes Andreas Tertius Collegij Montis Regalis Rector cùm ad ſummam rei imponendam manum veniſſet; dum Sinfredi Comitem Ioannem Thomam Iſnardum eximiæ probitatis virum, cuſtodiæque Ducis præfectum religioſo officio ſalutat; is cum coronâ, qua magnâ, & honeſtiſſimâ cingebatur, ſuſtulit ad cælum manus, & exclamauit; nihil fieri magis attemperatè potuiſſe, eodem momento ad ipſummet literas obſignari. Patrem Quintianum (religioſus erat Prædicatorum ex ordine doctus, ac pius, perque eas oras religionis catholicæ cuſtos) quem adhuc ſodalitatis ſuæ magiſtrum habuerint, proximis diebus abiiſſe: ſe ad deliberandum de ſucceſſore coactos, cùm Societatis petentes opem, ad ipſummet Rectorem Montis Regalis ſcripſiſſent, Dei profectò manu eundem in conſpectu repræſentatum. Reſpondit Ioannes Andreas, nihil ſe obſtaturum pijs eiuſmodi virorum votis. Dum Taurini propter Collegij cauſam ſederet, ipſummet ijs quicquid in tenui homine eſſet induſtriæ, nauaturum: ſi exitum haberet Collegium, indè adiutores nunquam poſtea defuturos. Honeſtiſſima erat Sodalitas capitum fermè quinquaginta, quam paucis ante annis, dum religio ſub externo dominatu maximè periclitaretur, ad eam conſeruandam

115 Quàm placidè Collegio Taurinenſi Deus fauerit.

seruandam, inter se ciuium, & mercatorum primi coiuerant, sub clientela, ac nomine Sancti Pauli. Multis modis id negotij Collegio commodauit. Primùm specimen editum est Societatis industriæ: totque, ac talium virorum magis amor, magisque conciliatus. Deinde ædes Sancti Benedicti, vbi Patrem collocarant, & cœtus habebant suos, cum domum Alboschi conductor vacuam facere ad diem non potuisset; inchoando collegio intra dictum tempus præsto fuere: postremò ipsæ ædes Sancti Benedicti addictæ Collegio sunt. Sub extremum Martium hoc anno, Rectore Iacobo Acosta, Collegium ad Sancti Benedicti constitutum. Mirè & Dux eius aduentu; & Ciuitas, & Archiepiscopus Hieronymus Roboreus, & Apostolicus Nuntius Franciscus Bacodius, & Clerus omnis, Parochique lætati, eâ maximè spe, quòd ex vrbe, circumiectisque pagis pestifera errorum germina extirpanda confiderent. Magnum ad id afferebat animum Acosta. Continuò bis in hebdomada Sancti Pauli sodalibus psalmos explicare, ac sacratioribus diebus in templo Sancti Benedicti conciones populares aggressus, præclarum specimen dedit. Itaque ad amplius Sancti Delmetij templum transferenda concio fuit. Nec multò post præclara è duobus Vgonottis victoria exhilarauit Ciuitatem. Congressus primò cum discipulo. Cùm hunc ita reuicisset, vt palàm adegisset fateri id, quod suscepisset tuendum, falsum esse; Magister ipsum se congressurum denuntiauit, ostensurumque Iesuitæ; ac Taurinensibus, quid inter tyronem gregarium, veteranumque ducem distaret. Et sanè homo erat stultæ Deo sapientiæ apprimè consultus. Satis habebat latinæ, satis græcæ literaturæ: philosophiæ, theologiæque (vt inter Hæreticos) haud parum: ad hoc audaciæ plurimum. In proximis vrbi casis concionatorem agebat, concursu, doctrinæque nomine magno plus satis. Acostæ haud integrum visum est publicè prouocato detrectare certamen. Postero ergo die venitur ad manus in publico plurimorum consessu. Ampliùs tres horas dimicatio tenuit. Ter ita ictus Hæreticus; vt tanquam intercluso spiritu non posset hiscere: adeo vt omnes perturbatum, deiectumque apertè viderent. Cùmque repetito vtcumque impetu aleam rursus, iterumque tentasset; ad extremum, quanquàm attritæ frontis, pudore suffusus ita discessit; vt diceret, conuenturum se Acostam priuatim: cumque eo, ampliùs rei cognoscendæ causa, doctrinæ suæ capita omnia per otium collaturum. Et quanquàm fidem fefellit, nec redijt; tamen lucrum factum est ingens: quòd ita fere infracta sunt cornua; vt nec lucem postea aspicere præ infamiâ, nec declamare ausus sit. Talia Collegij exordia cùm vehementer Taurinensibus probarentur; scholæ eò magis optabantur, quòd ex Monte Regali exitu anni superioris reuocata eò Academia; Latinitatis, & Humanitatis doctrina Societati destinabatur. Itaque & Duce, & Ciuitate diligenter postulantibus, & ad Collegij incrementa quod necesse esset conferentibus; proximo anno tres magistri concessi. Sed præcipuum postea firmamentum Collegio tum Aleramı hereditas, tum Vincentij Parpaliæ liberale, ac religiosum donum adiecit, condito templo, tribusque de Thebæa Sanctorum Martyrum legione corporibus illatis.

116 Iacobus Acoste primus Rector Collegij Taurinensis.

117 Nobilem Victoriam de Hæretico refert.

118 Vincentius Parpalia templum condit.

Inter hæc Viennæ in Austria res gesta præclarè. Scholæ & pietate discentium, & doctrina quàm cum maximè floruerunt. Nomen earum, editis Dramatibus, valde propagatum est: ipsorum incitatus discipulorum ardor gloriolæ gustu. Inducta enim consuetudo, quæ quis digna lectu solutâ, vinctâque oratione composuisset pulchrè descripta, cumque aliquo ornatu ad gymnasij parietes affigendi. Multò etiam absolutior ad bonos mores inducta ratio disciplinæ. Inter cetera, vt cùm ab gymnasio ad rem diuinam in templo contenderent; bini ordinatim procederent: dein in templo suo quæque classis loco in ordines longos, ac rectos tribueretur. Quod cùm modestiâ insigni fieret; permouebat ea species non Catholicos modò, sed Hæreticos etiam siue euntes, siue quasi bellè instructam aciem, flexis nixos genibus toto dispositos templo spectarent. Indè fiebat, vt Hæreticorum multi, quamuis præuiderent, si filios in disciplinam Iesuitis tradidissent, eos ad fidem catholicam transituros; potiorem tamen ex ea institutione fructum ducerent, quàm si corruptis moribus sectam obtinerent paternam. Nec pauci ad rectam

119 Scholarum fructus Viennæ.

Digitized by Google

ctam religionem traducti ſcholaſticorum operâ: quorum in peſtiferis ſubmouendis ab manu habentium libris præcipuus excellebat ardor: adeo vt, cùm interdum eiuſmodi libros domini, ne pretium perderent, recuſarent incendere; ſuâ ipſi emptitarent pecuniâ, quò dein meritis darent flammis, & ruuinæ cauſam proximis amouerent. Supplicatione, qua nunquam antea celebriore, diuiniſſimum Chriſti Domini corpus die ſolenni geſtatum eſt. Terni procedebant vniuerſi diſcipuli, ad quorum latera ſinguli hinc, & hinc cum facibus viri nobiles; dein vario ornatu Angelorum agmen: tum è tota vrbe ſymphoniaci, atque tibicines: mox alius Angelorum cum campanulis ordo, & Sodales Collegij. Laurentius Magius ſub vmbella, quam Nuntius Apoſtolicus, alijque viri principes ſuſtinebant, diuinam geſtabat Hoſtiam: iuxtà quam non ſolùm, qui thure veneraretur ibat; ſed etiam Viennenſis nobilis, quaſi Dauidem imitatus, qui ſaltans arcam olim præiuit, ſerto redimitus floreo, flores ante Dominum aſſiduè ſpargebat. Magna dein turba cum facibus ſequebatur. Auxit celebritatem triumphalis extructus fornix, & Angelorum ſpecie pueri duodecim varijs diſpoſiti locis: qui duodecim nationes referentes; ſuam quiſque nationem propriâ dedicans linguâ, prætereuntem Dominum adorabat. Hac pompâ, itemque apparatu, quo Domini ſepulchrum ſanctâ hebdomadâ exornatum eſt, nihil memoriâ hominum ad eam diem magnificentius, ac religioſius ſpectatum Viennæ ferebant. Gemina omnia Pragæ acta: vbi plures centum ſexaginta ad Eccleſiam orthodoxam reuocati. Sed Viennæ illud dolorem Hæreticis multò acerbiſſimum inuſſit, quòd ingens librorum impia docentium vis publicè incenſa eſt. Id iam multorum annorum more fiebat. Sed ſiue quòd conſpectiùs hoc anno factum ſit, & nimium iam deſpici ſe Hæretici arbitrarentur: ſeù potius, quòd aptiora credebant calumnijs tempora; graues ad Cæſarem querimonias ex ea re detulerunt. Ieſuitas moliri ſeditionem, & cuncta turbare. Nunquam pacem Viennæ fore, quoad Collegium illud diſſidiorum ſemen in vrbis viſceribus hæreat. Agebat tum Pragæ Imperator, qui ad eum nuntium non abſtinuiſſe irâ dicitur. Sed cuncta ſuauiſſimè temperanti Deo placuit, vt apud Maximilianum Magius Prouincialis inueniret gratiam: cuius oratione non placatus modò eſt; ſed ita conciliatus, vt ad Pontificem, in commendationem Societatis, præclaras dederit literas: inſuper rogans, vt attributum à Ferdinando ſuo parente Collegio Viennenſi Monaſterium Pontifex ratum haberet. Sub autumnum diſceſſum Tirnauiâ eſt: cùm aſſignatum ad alimenta propè Caſſouiam Sacerdotium, quà Turcarum, quà Hæreticorum, & interdum Cæſarianorum militum direptionibus, nihil præter pericula afferret. E ſcholis quoquè plus longè moleſtiarum, quàm fructus exiſteret, per æmulationem non bonam Magiſtrorum, quos conductos habebat Ciuitas. Ceteris quoquè miniſterijs, in paucitate, rerumque vitæ neceſſariarum inopiâ, vix æquaret adiumentum alienum damna domeſtica. Iam pridem de ſoluendo eo Collegio agitabatur: remque Conuentus generalis Patri Franciſco permiſerat: ſed vt maturaretur, communis calamitas fecit: ſuborto fortè incendio, ad centum quinquaginta vrbis tecta deflagrarunt, vnàque Collegij ædes. Itaque cùm neque extruendo templo, quo carebant; neque reſtaurandis ædibus quicquam ſuppeteret; placuit Patri Generali Collegium ſolui. Maximiliano Cæſari rebus Hungaricis adeo turbulentis viſum neceſſarium conſilium eſt. Nicolaus Olahus Strigonienſis Archiepiſcopus, qui Collegium aduocarat, quamuis, vt ex vero & publicum, & Societatis amabat commodum, anceps diſtraheretur animo; tamen quia nec ad victum, nec ad ædes reſtituendas tantis in rerum anguſtijs ſat poterat conferre ſubſidij; neceſſariam dedit miſſionem. Bona, quæ ſolo continebantur, ijs, qui dederant, reddita. Supellex, & quicquid ex incendio reliquum erat, duorum Canonicorum manu diuiſa in pauperes, ac pios vſus. In Germania ſuperiore exhilarauit Carholicos Vldarici comitis ab Helffenſtein conuerſio. Is ab anno facilè decimoquinto nobilis Lutheranus, cuius ditionem ſex eorunmdem mangones errorum in hæreſi continebant; diuinæ gratiæ, quæ & terrorem grauiter ex morbo laboranti incuſſit, & per Caniſium ſæpè de fallacijs Hæreticorum admonuerat, auxilio veritatem reſpe-

120 Supplicatio ibidem magnifica in Solennibus Chriſti Corporis.

121 Procella Viennæ exoritur.

122 Sedatur Patris Magij opera.

123 Tirnauienſe Collegium ſolutum.

124 Conuerſio Comitis ab Helffenſtein.

Digitized by Google

respexit: publicèque execratus vanitates profanas, absolutus est à Patre Ioanne Raibenstein: vitâque cum eodem totâ ad tribunal pœnitentiæ retractatâ; protinus ad abigendos lupos, inducendosque custodes fidos conuersus, curare (vt æquum erat) suorum popularium salutem impensiùs cœpit, quàm exitium ante quæsierat. Hanc communem lætitiam domestica deformauit calamitas noua, & desleta insolabiliter. Theodoricus Canisius Dilingani Collegij Rector, cùm in quibusdam Sodalium plus libertatis, minusque quàm vellet modestiæ inter concertationes scholasticas animaduertisset; dum quæstiones ad religionem spectantes tractarentur, nominatimque Antonius Klesselius, & Simon Demesius Leodiensis vltra modum impij Arabis doctrinæ addicti minimè placerent; tempestiuè ostium occlusurus Diabolo, atque interiùs cuiusque animum singillatim exploraturus, ad professionem fidei ex Pij Quarti decreto cunctos aduocandos putauit: occasione vsus, quòd noui aliquot Magistri in decedentium locum docendi muneri succedebant. Ergo die, quo euectæ in cælum Matri Virgini gratulamur, in Sacellum domesticum vniuersi conueniunt: recitatoque diplomate Pontificis cum fidei formulâ; in eam doctores primi, ac præceptores, alijque deinceps ordine iurant, donec ad Eduardum Thorn Anglum ventum est. Erat is adolescens annorum quatuor & viginti, non illiberali specie. Exegerat in Societate prope biennium haud mediocri cum approbatione: atque adhuc nouitius Rhetoricæ operam Dilingæ dabat. Is quoniam cunctabatur, admonitus, vt accederet, iusqueiurandum conciperet; palàm miser testatur eam rem sibi non licere saluâ conscientiâ: causam alio loco prodituram. Consternauit omnes nec opinata vox, & grauissimo perculit vulnere: tamen vt hominem adhuc non improbum norant; interlucebat dolori aliquid spei (si simplicitas inconsulto adolescenti illusisset) in moderatorum, eorumque, quos non ignorabat se sapientiores, fore potestate. Ita è Sacello discessum. At Eduardus Theodoricum seorsim adiens lætiferam animi sui plagam nudat: se in venerationem Imaginum, obedientiam Romani Pontificis, atque alia his consentanea iurare nequaquàm posse. Iubet Theodoricus tantisper ab ceterorum remotum consuetudine diuinæ luci impetraudæ insistere: suppeditantur libri, & scripta catholica: accedunt theologi, docent, reuincunt: totâ interim domo multò maior solicitudo, ac mœror, quàm si è graui aliquo infortunio ante suos oculos infelicem adolescentem agentem viderent animam. Ille contra iam hæretico palàm ore ad obtestationes, ad consilia, ad euidentia argumenta nil respondere, nisi aliter suum spiritum testari sibi, nec se aliter sensisse vnquam: & quantumuis quicquid Pontificum, quicquid Conciliorum, & quicquid huiusmodi aliud fingi potest, contraria omnia decernerent; de sua sententiâ certum esse. Demum inquirendo eò ventum est, vt comperiretur, cùm procul patria, egestas vagum premeret; sacrilego è simulatione quæstu inito, haud quaquàm pietatis, sed ventris causâ religiosæ militiæ dedisse nomen. Nihilò tamen segniùs remedia omnium generum tentabantur: sed incassum. Peruaserat in venas impij simulatoris tartareum virus: agebantque in præceps per mysteria diuinissima toties violata sacrilegia tot infanda. Paucis demum post diebus, dum Ingolstadium ad Prouincialem parùm cautè mittitur; in proximam Dilingæ Hæreticorum vrbem, nomine Lauringam, fugit. Visa est Hæreticis digna triumpho materia. Quarto Nonas Septembres cuncta Ciuitas in ædem ibi principem cogitur. Aderat suâ cum aulâ Vvolfangus Dux Palatinus, & aliquot Hæreticorum Ministri: quorum cùm vnus germanicè verba feciſlet, gratulans populo, atque insultans catholicæ Ecclesiæ; Eduardus latinè exorsus primùm Iesuitis, deinde catholicæ fidei renuntiat: ac præcipua Hæreticorum deliramenta profitetur. Vbi ille tacuit, altera successit germanico sermone concio: in qua tum explicatum est miserum in modum deceptæ multitudini quid Eduardus professus esset: tum contumelijs, ac probris pro libidine Iesuitarum nomen proscissum. Neque hîc nostet luctus, atque hæretica stetit lætitia. Breuì post Balthassar Zugerus natione Germanus, missus Dilinga Monachium grammaticam docturus, in prostibulum idem inde transfugit. Incertum an hic quoquè simulatione semper fuisset vsus, an

125 Calamitas Dilingani Collegij.

126 Eduardi Thorn fuga ad Hæreticos.

127 Hæreticorum gratulatio.

128 Balthassaris Zugeri defectio.

ab

Digitized by Google

ab Eduardo, siue aliunde corruptus; qui tamen duro, atque intractabili ingenio nihil de se vnquam bonæ spei præbuerat. Offendit haud dubiè inusitata res populi mentes. Tametsi enim non pauci ad eam diem Societatem deseruerant; nihil tamen tam execrandi exempli contigerat. Arreptâque occasione Tilmannus Heshusius, vt Societati longè, latèque conflaret infamiam; pestilentem contra eam euulgauit libellum; alijque Eduardi facinus deprædicarunt. E duobus illis, qui maximè erant suspecti, Klesselius dum ad Prouincialem mittitur, diuino quodam miraculo se planè confirmatum asseruit. Simon ad Hieronymum Natalem missus in Belgium est. Neuter, vt anno millesimo quingentesimo sexagesimo nono dicetur, in veritate perstitit. Deus tamen famulorum suorum propugnator, vt electâ eâ peste sincerum reliquum Societatis seruauit corpus; ita effecit, ne vnius, aut alterius cæca impietas tam præclaris diuinæ eius gloriæ procurandis cœptis officeret. Nec de Catholicis defuere, qui Tilmanni criminationes, illustratâ veritate, repellerent; inter quos & poëta Ingolstadiensis defensionem haud malo carmine vulgauit. Eodem tempore alius Parisijs, alius Basileæ contra Iesuitas prodijt liber. Quibus Pater Borgia nullum præclarius respondendi genus dicebat esse; quàm viuis quibusdam monumentis per euangelicæ Sanctitatis vbique propositam formam, & constantiam rectè factorum. Quanquàm garrulos theologastros malè admodum Patris Hieronymi Torrensis tum theologiæ in Dilingano gymnasio professoris liber accepit, aut potius immenso affecit beneficio, si vti placeret ad curandam capti animi cœcitatem. Ponderosum opus, atque neruosum est ex Sanctissimi Patris, maximique Ecclesiæ orthodoxæ Doctoris Augustini sententijs fermè contextum: cui vt aduersùs Augustanam confessionem opposito, quam pro sentiendi normâ Lutherani vulgò sequuntur; Augustiniana confessio nomen fecit: valuitque multùm tum per sese ad confessionis illius vanitatem redarguendam; vndè factum, vt non pauci Hæreticorum, qui sincerâ mente legerunt, resipuerint: tum exemplo, vt alij deinde Catholicorum confessiones eiusmodi ex alijs Sanctorum Patrum collectas scripsis, publicarent. Cetèrum, è mœstissimo transfugarum euentu cautiores effecti Patres, tum exigendâ ab ijs, quos reciperent, fidei explicatâ professione, tum adhibendo disputationibus modo, prouiderunt, vt de Diabolo incruentam, quàm fieri posset, victoriam reportarent. Nec verò maius Laubingæ damnum, quàm Elbingæ lucrum est factum: vbi in fidei catholicæ propugnatione experimentum altissimi pectoris ed dit Ioannes Iacobus Astensis Bransbergensis Collegij Rector. Vrbs est Elbinga Prussiæ nobilis, & frequens, germanicis milliaribus quinque Bransbergâ distans, in ditione Poloni Regis, ac diœcesi Varmiensi. Ab Rege siue Hæretici alicuius gratiâ extortum, siue dolo subiectum diploma dudum habebant, quo fiebat potestas confessionem Augustanam sequendi. Indè iam nullum prope catholici cultus reliquum erat vestigium. Verùm & propter ciuium frequentiam, & ad famam apud circumiectos populos, ac postremò quia non paucos, in tanta propinquitate, Bransbergæ rectè institutos Elbinga corrumpebat; intererat plurimùm eam vrbem ad fidei catholicæ reuocari partes. Id Cardinalis Hosius Varmiensis Episcopus, cùm pro sua ingenti caritate vehementer cuperet; vnà cum Parocho catholico, quem Rex (ad quem id eò loci spectat) mittebat, eò Patrem Franciscum Superium, & Ioannem Astensem concionatores misit. Elbingensis Senatus missum à Rege Pastorem suscepit; concionatores item ab Episcopo missos recepturum spopondit, si consentanea Augustanæ regulæ loquerentur: claues tamen Sacrarij, ne fieret catholico ritu Sacrum, recusauit tradere. Nihilominus Patres, qui necessarium apparatum secum detulerant, Sacrum publicè, quod longo interuallo omissum erat, ambo fecerunt. Et quoniam erat dies Apostoli Bartholomæi memoriâ feriatus; concionati quoquè sunt. Paulò post eodem reuertitur cum Patre Petro Phäe idem Astensis. Atque is quidem matutinis horis copiam habuit concionis: Petrus autem, vbi post meridiem ad suggestum venit, occupatum ab Hæretico reperit. Id proximo die Dominico metuens Astensis, quoniam in celeritate erat victoria; vnam ipsam horam suggestum, ante definitum concioni tempus, inse-

129 Libri contra Societatem ab Hæreticis editi.

130 Obtrectatoribus satiùs moribus quàm scriptis respondetur.

131 Patris Torrensis edita responsio.

132 Augustiniana confessio Augustanæ opposita.

133 Elbingæ magna constantia cum Hæreticis pugnatum.

134 Patris Ioannis Astensis pro religione pericula.

Digitized by Google

insedit: si nihil aliud, saltem impietatis prædicationem impediturus. Non fruſtrà fuit. Stato tempore nugis pestilentibus grauidus adest Minister hæreticus, nomine Sebastianus: qui vbi exclusum se vidit; dolorem nequaquam dissimulauit. Ergo tum suâ sponte populus, vt qui ex longo tempore errori insueuerat, tum Satanici instinctu Ministri, tumultuari: pedibus, manibus, crepitaculis strepitum ciere: terrere infestis clamoribus Astensem: pomis, atque adeo saxis appetere. Constantissimè inter hæc Dei præco obtinebat locum. Vnum illud deprecabatur, parcerent tantisper saxis, ne fortè, dum in se mittunt, alios è turba ferirent: expectarent quoad facto dicendi fine, ine quum discendisset: tum comprehenderent, tum flagris conciderent, tum saxis obruerent, tum demum, quà maximè libido ferret, carnificinâ conficerent: paratum se pro Dei verbo vel sæpiùs mori. Quibus dictis, & oris imperturbatâ constantiâ, plerique in admirationem acti audientiam præstitere. Vbi pro voluntate perorauit; suadebant amici, vt quàm occultissimè proriperet sese. At ille, ad mortem iuxta ac vitam paratus, ne sua fuga in Religionis ignominiam cederet; toto expectante atque inspectante populo, per medios illos securus, atque hilaris lento incessit gradu: & fuere segniores hostes ad inferendam, quàm ipse ad subeundam necem. Nec postea destitit Cardinalem orare, Martyrij desiderio ardens, vt se iterum eò mitteret. Sed Cardinalis non fecit potestatem, antequam de re totâ admonitus Rex auctoritatem regiam interponeret. His autem rebus ex Hosio cognitis Rex, simul Regis, simul Episcopi violatam maiestatem, prohibitis suo fungi munere Parocho, & concionatoribus, quos ipsi misissent; iurè commotus, dignum catholico Principe decretum ad Elbingenses misit: centum millium Hungaricorum dictâ mulctâ, ni delegatos ab suis Principibus diuini verbi, & sacrorum mysteriorum dispensatores excepissent. Indè quietiùs Astensis, ac Petrus auditi. Et quoniam Petrus probabatur populo magis; is assiduè iussus est, ad colligendas domus Dei reliquias, Elbingæ subsistere: ac demum sacrâ Christo nascenti nocte, cantoribus Bransbergâ deductis, Solennia magno cum splendore celebrata: proque ingenti numero habitum est, quòd è Ciuibus triginta cælesti accubuerunt mensæ catholico more. Bransbergæ interim, & Pultouiæ Collegia corroborabantur. Pultouiæ duodecimo Kalendas Iulias noui templi inchoata ædificatio, Andrea Noscouio Fundatore, Plocensi Episcopo ceremonias obeunte. Qui bonus Antistites, cùm è præcipuis curarum Collegij firmamentum haberet, eique domum nuper, hortumque benè magnum adiecisset; nono Kalendas Nouembres decessit. Et Patres tum supremo ei affuerunt tempore, & diuina impertierunt præsidia: tum vitâ functo non consuetis modò precum suffragijs; sed dato Dialogo, atque eleganti Epicedio grati fuere.

135 Polonia dedit hoc anno Societati Stanislaos duos summæ virtutis.

Porrò tum alias ob causas debet hoc anno Societas multùm Poloniæ: tum quòd illi duos, quorum initio meminimus, Stanislaos Kostkam, & Varseuitium dedit.

136 Spirensis Collegij exordia.

Herbipoli, ac Spiræ noua Collegia constituta sunt. Spirenses Canonici in maximo Cleri conuentu anni principio adeo rem vrserunt; vt suffragijs plerisque statueretur Concionatores de Societate, itemque Magistros, quàm fieri pacatissimè, maximoque silentio posset, sed omnino accersendos: & Patres aliquid concedendum putarunt tempori. Illud inter cetera temperamenta ab Natali propositum placuit, vt Spiræ non nisi quos agendæ res postularent, degerent: qui verò in supplementum, necessarij forent; alibi subsiderent: quo minùs conflaretur inuidiæ, dum pauci Spiræ, non magnum aliquod corpus Iesuitarum cerneretur. Ergo ad habitandum domo, quæ primarij concionatoris fuerat, assignatâ: duobusque Sacellis, altero Sancti Laurentij titulo, altero Sancti Nicolai, cui schola erat annexa; Rector, & concionator futurus Hermes Halbauranus (Halpauorum se ille interdum vocat) missus est Oeniponto: vbi aliquandiu Reginarum confessionibus operam dederat: quæ subindè non pauca Spiram, ad ornatum sacrum, misére dona. Tres item Moguntia adfuere Magistri, qui tertio nonas Maias docendi labores exorsi, pleniora, quàm pro spe, habuerunt auditoria: & mox præceptores adiecti duo, qui cultiorem tractarent humanitatem, & oratoriæ artis præcepta traderent. Omnium studiosissimè pro Collegio & aduocando certarunt, &

pro

pro retinendo, ornandoque laborarunt Andreas Oberſteinius tùm ſcholaſticus, poſtea Decanus Spirenſis Eccleſiæ, decuncta re catholica optimè meritus: & Mauritius Vvinchelmannus prudentiâ iuris, ac legum inclytus inter primos: & Philippus Simon integerrimus vir, idemque ciuis honeſtus, qui Collegio Canonicorum à ſecretis erat. Hi tres inter Collegij recentis patronos merito ſuo principatum adepti. 137 Eiuſdem fautores. Haud lentiùs Herbipolitana Eccleſia requirebat auxilium, cùm clerus perindè, ac populus miſerum in modum fide, ac moribus deprauatus, Epiſcopo, propter infirmam valetudinem, non niſi voluntatem præſtante optimam, omni fere humanâ ope deſtitutus iaceret. 138 Herbipolitani incrementa Collegij. In magno ieiunio præſto his fuit Caniſius. Quo tempore, præter cetera, Eccleſiæ Sanctæ & Iudæam adiunxit virginem, & Hæreticos quoſdam reſtituit: & dioeceſeos ordinandæ auctor fuit Antiſtiti: quod is ſtatim, aduocatis doctis viris, curare cœpit: ad hæc auxit Collegij ſitim, atque expectationem quammaximam concitauit. 139 Patris Caniſij fructus. Sub anni extremum Georgio Badero Rectore, cùm Socij partim Româ, partim Dilingâ, plerique ex Rheni prouinciâ conueniſſent, numero vndeuiginti, magno Epiſcopi, ac Ciuitatis totius gaudio in templo, ac ſcholis conſueta munia auſpicati ſunt. Sex diſtinctæ diſcipulorum claſſes, tres latinæ linguæ rudimentis deſtinatæ, totidem dialecticæ, rhetoricæ, poëticæ (quo poëticæ nomine in Borealibus Prouincijs claſſem deſignant, quam alibi Humanitatis vocamus) Quatuor orationibus, ſolemnique de Sancto Spiritu ſacrificio præparatis exordijs, poſtridie eius diei, quo Sanctæ Catharinæ Virginis, ac Martyris ſtudiorum patronæ inſtauratur memoria, fauſtis auſpicijs initum doctrinæ curriculum. Hîc libet Borgiæ, atque Natalis in diuerſo genere eximiam notare virtutem. Eſt in legibus Societatis, vt nihil accipiatur præmij, vndè cuiuſquam ſpiritualium munerum, in quibus ea ex inſtituto verſari debet, merces rependi videatur. Eam ob rem ne in Collegijs quidem condendis fas eſt vllam conditionem admitti, per quam, ad præbendum concionatorem, aut confeſſarium, aut Theologiæ profeſſorem Societas obligetur. Huic legi eas ſolùm pactiones, quæ cum Fundatore fierent aduerſari Natalis interpretans, quia raros alioqui inueniebat, qui non aliquod fidei pignus exigerent; rationem eiuſmodi iam pridem in Hiſpaniâ condendorum Collegiorum excogitarat, vt Fundator quidem reditibus inſtructum Collegium donaret Societati, prorſus conditione omni remotâ, quæ ex formulâ iuris teneret. Ipſa vero Societas, cognito quid Fundator expeteret, ad id, ſi videretur, obſtringeret vltro ſeſe: explicans, atque præcipiens ſuis quid in quoque Collegio præſtari vellet: ita vt id non eſſet cum fundatore contractus, ſed lex tantùm, aut iuſſum, quod Præpoſitus ſuis ferret. Hac formulâ, vt antè non ſemel, nouiſſimè cum Epiſcopo Herbipolitano, & Canonicis Spirenſibus Natalis vſus, reque vel ſic ægrè tranſactâ, cùm arctiores fidei nexus flagitarentur; pro poteſtate ſibi delatâ, conſtitutionum ſcientiâ, & more ad id tempus recepto nihil dubitabat, quin Præpoſitus Generalis has quoquè duas actiones comprobaturus eſſet: cùm certior Româ fit, videri hanc quoquè formulam ab ſinceritate Inſtituti alienam, & planè corrigendam. Res eras difficili loco. Agebatur non modò Viſitatoris auctoritas, ſed periculum erat, ne irritati Collegiorum molitores cœpta interſcinderent, ingenti cum catholicæ fidei damno, nec ſine domeſticâ ignominiâ, quòd non deſtitiſſe ipſa cœptis, ſed repulſa Societas videretur. Rationem itaque ſententiæ ſuæ Natalis ad Franciſcum diligenter, ac fusè ſcripſit: addens ad vltimum etiam preces, vt neceſſitati Germaniæ aliquid indulgendum putaret. At ille, vt ceterarum tenax virtutum, & præcipuo quodam ſenſu paupertatis amantiſſimus erat, immotus in ſententiâ perſtitit. Cuius deliberatam voluntatem vbi Natalis accepit; ita fideli famulo diuina præſto fuit gratia; nihil vt planè commoueretur: atque adeo eodem die lumen quoddam mentis tributum ſibi diuinitùs in Symbolum fidei teſtatur ipſemet, nec poſtea verbum contra addidiſſe. Superque hæc benigniſſimus Dominus hinc ſtudium Patris Franciſci, quo Societatis Inſtitutorum perfectionem integram conſeruatam volebat: indè Natalis ſimplicem obediendi voluntatẽ reſpiciens, ita rem temperauit, vt cuncta venirent proſperè: cumque bonâ fundatorum gratiâ, conuentorum for- 140 Natalis obedientia, & Borgiæ paupertas

Digitized by Google

mula, ex Patris Generalis sensu, de integro conciperetur. Quam ille post hæc formulam per cunctam Societatem seruari iussit: vt, quas res constitutiones excipiunt; in ijs, hoc est in confessionibus, concionibus, Theologiæ doctrina, ne ipsa quidem sibi Societas ius vllum imponat: sed ei fundatores credant, idque, propter quod cõdita est, vltro præstituram confidant: de ceteris rebus aliquid pacisci nefas non esse.

141 Missio Francfordiensis reuocata.

Idem sub tempus duo, qui Francfordiæ docebant, reuocati. Vrbem, & quòd ibi Cæsares nominantur, & duplici quotannis rerum omnium, præsertim librorum, mercatu totius Germaniæ celeberrimam, vehementer adiutam cupiebant Patres. Verùm cùm neque affulgeret spes implendæ aliquando familiæ: quique ibi docebant nõ cum incommodo solùm; sed etiam cum famæ periculo alibi cibum sumere, alibi nocturnam quietem capere cogerentur in domibus parùm religiosæ cautioni aptis; visum est nequaquam affingendæ alicuius infamiæ materiam Hæreticis nil magis venantibus porrigi oportere: cùm alloquiDilinganum quoquè recens exemplum consulendum accuratiùs ipsorum securitati Sociorum moneret. Quamuis ergo tantam inerudiendis pueris collegissent famam felicitatis; vt quidam Hæreticorum, qui rem obscurare non poterant, in vulgus spargerent, Iesuitas, vt tantùm promouerent discipulos, Magicis quibusdam veneficijs vti: reuocandos tamen, vti dixi, maioris boni respectus suasit. At Christianus Aluerius è Moguntino Collegio in Oppidum, cui nomen Vvimphelinga, rogatu Canonicorum Vvormatiensium, quorum in diœcesi Oppidum est, profectus, rem catholicam periclitantem egregiè tutatus est. Sæpè is populus à vero Dei cultu defecerat: nuperque in Augustano conuentu impetrauerat, vt liceret vnum, aut alterum habere confessionis Augustanæ Prædicatorem. Hoc aperto aditu, Hæreticus Minister, cum asseclis suis, catholici domum Pastoris, & reditus Ecclesiæ occuparat: ruebantque in præceps omnia, ni maturè, vti est factum, subuentum esset. Patris Christiani operâ multa correcta, reuocata publicarum supplicationum religio: reddita catholico Pastori domus: suum Ecclesiæ vectigal, sua templo sanctitas restituta. Quæ salubri doctrinâ, piâque vitæ consuetudine, non tamen sine ingenti labore, & assiduis periculis, obita. Hæreticus buccinator, quò & suam tegeret ignominiam, & violentiùs baccharetur; æquiorem sibi causam esse vociferans, profitebatur de cetero palàm Iesuitæ doctrinam, & eloquentiam esse vberiorem: eòque inuerecundiùs ad quiritationes, ac dolos, ad vim, & mouenda, & concitanda omnia vertebatur. Indè miseri, & cœci homines, furialibus Ministri instincti vocibus, vbi caput pietatem vident attollere, de eius restitutore primùm ejciendo, dein enecando coniurant. Iamque ab Senatu, vt exturbaturum se Christianum polliceretur, expresserant: aderatque sententiæ dies: cùm repente totus ordo, tametsi hæreticus (dexterâ sanè Excelsi immutatus) pro exilij sententiâ, publicè in laudes Patris erupit: suosque adhortatus est, ne bono, ac docto homini esse molesti vellent. Hac verò spe coniurati delecti; templi fores armati insident, vt egredientem è concione confodiant. Sed voluit Deus, vt re ad Consulem, qui fortè erat catholicus, delata; is pro potestate conatum sacrilegorum coërceret. His per sacræ inediæ quadraginta dies gestis, Patrem, Moguntiam ex obedientiâ repetentè Catholici omnes cum lacrymis prosequuti sunt: nec quieuere, donec iterum summis precibus impetrarunt. Apud quos aliquandiu pari sedulitate, successuque versatus; circa annum extremum, concionator Herbipolim abijt, orientis eius Collegij lumen, ac robur futurus. Haud minùs salutarem operam Treuirensis Collegij Rector Hermannus Tiræus in Pago sanè frequenti, Neumagenum vocant, non procul Treuiris præstitit. Ibi Comes Vvitgenstein hæreticus arcem habet. Is, cùm Treuirensis Antistes, idemque Princeps Elector obijsset; Christi gregem Pastore orbatum iniuriæ opportunum videns; in luporum fauces conatur injcere: obtendens etiam iure patrocinij ad se eius procurationem Ecclesiæ pertinere. Summum ergo proximè discrimen simplex agrestium turba venerat, nisi septimo Idus Aprilis Iacobus ab Els, vir & nobilitate generis, & studio religionis inclytus in demortui locum Antistitis subrogatus esset. Huius missu Hermannus cùm Neumagenum venisset; tantâ egit vi, tantum in religiosâ multitudine excitauit

142 Pater Christianus Aluerius religionem Vvimphelingæ sustinet.

143 Patris Hermanni Tiræi Neumageni gesta.

veri,

veri, antiquique cultus amorem; vt, lupis eiectis, arcem se Comitis incensuros minarentur, si inquietare, & mouere loco auita sacra pergeret. Hoc, & superiore anno Treuiris grassata pestilentia, priore tres Sacerdotes, & vnum laicum, posteriore vnum Sacerdotem abstulit, omnes virtute nobiles. Ceterùm quantum esset erga Socios Treuirensium Ciuium studium, hoc quammaximè tempore spectatum est. Nihil de se soliciti totam prope eò verterant curam, vt salui essent Patres, vsque eò, vt cùm de aduersa valetudine Patris Hermanni Rectoris increbuisset rumor; pro ea institutæ supplicationes, multæque, ac longæ peregrinationes à viris pariter, fœminisque haud paucis susceptæ sint. Loco pestilentiâ amissorum, copiosum Deus supplementum Tyronum misit. Quorum vnus Moguntiæ Ioannes Creton Antuerpiensis insigni documento voluntatis diuinæ vocatus est. Romam cogitans, excolendum se priùs exercitationibus spiritualibus præbuit: inter quàs cùm sæpè interiore instinctu ad capessendam potiùs arctam diuini seruitij, quæ ducit ad cælum, viam, quàm Romanum iter impelleretur; odio humilium ministeriorum deterritus, salutarem impulsum strenuè repellebat. Ita quæ destinatum iter ingreditur. Verùm vix millia passuum septem precdserat, cùm languore insolito, & tanquam stupore opprimitur per cuncta membra diffuso: ac videbatur sibi audire vocem sæpè ingeminantis: reuertere Ioannes, reuertere. Sique de progressu cogitaret; inualescebat languor: si de reditu; vigor continuò membris redibat. Hæc inter experimenta aliquandiu luctatus, cedendum Deo bonus Ioannes putauit, ac Moguntiam reuersus, cùm totam rem Patri Rectori non sine lacrymis exposuisset, testatus graue nequaquam fore, si in vilium, quæ ante horruerat, operum tractatione ætatem omnem contereret; ceruicem, animo simul, & gaudio magno, suaui Christi iugo subiecit. Coloniæ cùm Pater Petrus Busæus è gymnasio nostro Decanum, vt vocant, artium ageret, vt institutam à Pio Quarto formulam fidei profiterentur licentiæ gradum petentes induxit in morem: qui hodieque mos salubriter viget.

144 Treuirensium in pestilentia de Collegio solicitudo.

145 Ioannis Creton Vocatio notabilis.

In inferiore Germaniâ vsque ad Maium ineuntem Geusiorum tumultus desæuiere. Antuerpiæ circa Idus Martias grauis seditio biduum, ac tres noctes tenuit: in qua, tametsi nihil factum est sanguinis; tamen viri, fœminæque religiosæ, per summam indignitatem, è suis eiecti cœnobijs: nec pauca Patribus Franciscanis donauit Deus, vt pro suo nomine paterentur. Eo sedato motu Mercatores haud se tutos fore rati; dispersi alij aliò: Mechliniam Hispani, quò & Patrem Robertum Claissonium voluerunt sequi, recessere. Interim Valencenæ deditæ regijs: eâque re turbatoribus quoquè Antuerpiensibus animi imminuti. Quò cùm quarto Kalendas Maias Gubernatrix accessisset, simulque redijssent Mercatores; Claissonius ipsis Kalendis Maijs concionales conuentus repetijt: cui subsidio ad diuina, domesticaque negotia, sacerdotem, & laicum Prouincialis misit. Ita lentos progressus res inter tumultus habebant. Tornacenses, rebus iam quietis, Collegium repetebant: ac deberi quodam modo sibi tum alijs nominibus, tum eo profitebantur; quòd primi Belgarum Societatem consilio publico suscepissent. Verùm interim dum aliquid certi ad idoneum vectigal fundandum expediretur; quatuor tantùm Sodales concessi: qui Ioanne Mortagna præside primò apud Ioannem Gobertum Sacellanum, vt nominant: deinde in conducta quadam Carthusianorum domo, ingens Ciuibus bonis solatium, habitarunt. Sub Idus Martias, cùm quammaximè tumultus gliscebat Antuerpiæ; Cameracum quoquè prope summum discrimen fuit. Quippe ex Geusiorum audaciâ, cùm furor ad Hæreticos quoquè alios vicinos pariter, atque longinquos, tanquam contagione se funderet, qui erant Cameraci Lutherana peste imbuti, in agris, & vrbe coitiones cœperunt facere. Tum verò postquam se extimularunt inuicem, numero insuper freti, aliquid palàm audendum putant. Tertio Idus Martias in forum fermè quadringenti conueniunt: dumque inambulant ceteri, vnus cum supplici libello ad Senatum, atque Prætorem accedit, rogans, vt sibi, & illi Ciuium multitudini, quæ inambulabat in foro, confessionis Augustanæ placita, vtique cùm sit Cameracum Romani Imperij Ciuitas, palàm sequi liceat: proque suæ religionis instituto templum excitare

146 In Belgio publica res tranquillior.

147 Tornacense Collegium restitui cœptum

148 Cameraci periclitata religio.

Digitized by Google

149 Egregiè defen ſa.

ne prohibeantur. Auidè forenſis globus expectabat impij exitum poſtulati. At Prætor, vbi ſuſceptum libellum perlégit; quidque contineretur animaduertit; nullo edito reſponſo, in ipſum Hæreticum internuntium repentè ipſemet manum inijcit, atque teneri denuntiat. Stricto Hæreticus pugione excutere ab ſe manum Prætoris conatur: ſed diuinorum tutori diuina tutela non defuit. Paucorum præſidiariorum occurſu non ſolùm anteſignanus ipſe inhibitus, vinctuſque eſt; ſed totum è foro agmen metu confeſtim euanuit. De perduelle capto, iamque diuinæ, atque humanæ ob intentatas Prætori manus reo Maieſtatis, eodem die ſumptum exemplum. Hoc pacto ſimul vrbs, & religio catholica periculo maximo erepta maturè eſt. Quò autem peiora erant tempora, ac ſpiritus Hæreticorum inſolentiores; hoc erat intentiùs Socijs excubandum, hoc plura in vrbe, foriſque toleranda. Nunquam priuatim, nunquam publicè opponere ſua pectora pro domo Dei, quæ tam validè quatiebatur, murum deſiſtebant. Et quanquam operam in vrbe, maiore, quàm dici poſſit, cum fructu poſuere; tamen ita vicinis in pagis, oppidiſque (cùm vndique Satanici incurſarent lupi in Domini gregem, neque vlli præterea obſtarent cuſtodes) Deo benè iuuante, geſſeruut rem; vt omnium eſſet ſententia ſecundùm Deum, fidem eius tractus catholicam, ſedulitati illi deberi. Inter hæc cùm de Collegijs Duaci, ac Leodij ſtatuendis vehementer ageretur; ad Sancti Audomari tantùm deducta colonia: quæ prima Belgicarum annuis, perpetuiſque ab ſua origine nixa vectigalibus inſtituta eſt. Gerardus eam Americourſius primus Audomaropolitanus Epiſcopus, idemque ad Sancti Bertini Abbas inſtituit è pecunia, quam Sacerdotali frugalitate, ac parſimonia adalendos pauperes ſtudioſos, vtileſque Eccleſiæ ſuæ miniſtros ſepoſuerat. Is anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quarto, cùm nefarios quoſdam id clam moliri cognouiſſet, vt in Monaſterium ſuum, itemque in cõtubernium pauperum, quod conflarat, hæreſum labem inferrent, deque malo eiuſmod in præſens, atque in perpetuum, quoad poſſet, arcendo cogitaret; piorum ſuaſu opem Societatis expetijt. Agebat tum Euerardus Prouincialis, cum Balduino ab Angelo apud Ioannem Lentailleur Abbatem Aquicintinum: eique ipſi, & Monachis eius Sancti Ignatij exercitationes de more proponebat. Scripſit ergo ad Abbatem Epiſcopus, vt illud ſibi auxilij ab Euerardo impetraret. Anni mox inſequentis initio Audomaropolim profecti Euerardus, & Balduinus, cum alia effecere, tum edocuere Epiſcopum non poſſe Societatem (quod ille principiò ſolùm optabat) ſuſcipere procurationem Contubernij ab eo conditi, niſi Collegium ſuorum excitaretur. Ex eo tempore bonus. Antiſtes fundandi Collegij cogitationem complexus nunquam conquieuit, quoad (quanquàm calamitas temporum retardauit) perfectam rem cerneret. Primus Collegij Rector Balduinus fuit. Quinto Idus Apriles Magiſtri tres principijs imbuere literarum rudem ætatem aggreſſi: ſex poſtmodùm, vbi adeſſet copia ſcholarum, futuri. Ceterùm, ad Geuſiorum in Belgio comprimendos tantiſper motus, haud valuit parùm expectatio primùm in dies Philippi Regis, dein Franciſci Toleti Albani Ducis aduentus cum poteſtate ditioni regiæ, loco Margaretæ Principis præfuturi. At verò, tanquam ex vno exturbatæ loco tartareæ furiæ, in alium rabiem, ac vaſtitatem ferrent; ita dum Geuſiorum impetus elangueſcit in Belgio; Hugonottorum incitatur in Gallia: nec ſanè vnquam ante periculoſiùs. Dirum cogitatu nefas: ſed Deus auertit. Diſpoſitis per varia regni loca inſidijs, diuque clanculum comparatâ vi, Regem opprimere, atque præcipuas inuadere vrbium decreuerunt. Qua in re prohibendâ, Societatis operâ non modicè vti placuit diuinæ bonitati. Oliuerius Pariſijs, Augerius Lugduni præuenere impiorum conatus. Auenionenſes quoquè Patres ſaluberrimam Ciuitati ſuæ nauarunt operam: quanquàm initiò, dum inſidias detegunt, minùs inuenirent fidem. Poſtremus Semptember, ac fermè dies cæleſtis militiæ Principi ſacer dignus erat viſus Hæreticis, quem immaniſſimis ſacrilegijs, & infando parricidio funeſtarent. Per id tempus agitabat Pariſijs Petrus Koſtka nobilis Polonus, ex eadem, qua noſter Beatus Stanislaus gente, qui dein Culmenſis fuit Antiſtes. Is Oliuerio, quo familiariter vtebatur, monitum ſe pro-

150 Patrum labores.

151 Audomarenſe Collegium fundatur.

152 Hugonottorum furor in Gallia.

153 Oliuerij de re publica meritum inſigne.

Digitized by Google

xima nocte ab Gallo quodam amico, nobili quidem, sed hæretico, indicat, vt periculo subtraheret sese. Postridie Regem Meldis, quò animi causâ secesserat, interceptum iri, & Lutetiam cœde, incendioque vastandam. Aedes iam quatuordecim, comportatis facibus aliâ, atque aliâ regione, ad incendium instructas: vt ijs eòdem tempore spargentibus flammam, ac distrahentibus Ciues; vrbs faciliùs in potestatem veniret coniuratorum. Hæc audiens Oliuerius, eòque interrogando progressus, vt rem nullo modo negligendam existimaret; rogauit amicum, vt secum eius rei ad Magistratum deferre indicium vellet. Fortè eâdem penè horâ nonnulla ad Magistratum manarat suspicio insidiarum: sed adeò obscuro indicio; vt nil mouendum censeret publicè. At verò vbi tam clarè rei seriem, & ordinem à Petro Oliuerio cognouerunt; vtriusque commendatâ plurimùm fide, extemplò nuntium euolare ad Regem iubent, & ad vrbem præmuniendam applicant curas. Iubent singulas familias pro ædibus quamque suis vel ingens aquæ vas, vel scalas proponere: totâ nocte ad primæ contignationis fenestras nutrire lumina: Præfectos singularum regionum suas habere in promptu copias, atque his similia plura, quæ postulabat vsus. Ipsi præterea, cum magna militum manu, totam noctem perambularunt vrbem: magnâque comitate, tanquam beneficij memores, ad Patrum Collegium aliquoties aduenere, iubentes bono animo esse: illico se, si quid fortè ingrueret, adfuturos. Ita seruata ab incendio, & vastitate vrbs est: ac veluti fuerat indicatum, pice, stramine, aliâque ad concipiendam flammam idoneâ materia refertas postea domos inuenerunt. At Rex cùm aulicorum quorundam suasu parùm se maturè loco mouisset; proximè ab exitio abfuit. Sed diuino protegente numine, strenuâque, ac fideli Heluetiorum operâ, qui equitatus Condæani impressionem non semel fortissimè sustinuere; tandem Parisios, cùm decem ac septem horas, vt fama fuit, in equo, & ieiunus persedisset, incolumis deductus est. Porrò ipsius Regis, ac Magistratus animo hoc Societatis officium, & fidei documentum altè insedit. Compar discrimen, geminamque felicitatem Lugdunenses experti. Erat Turnone Augerius, cùm aurâ quadam matureſcentis, iam iamque erupturæ, in commune Galliæ exitium, impiorum conspirationis afflatus, properè Lugdunum, vt ei vrbi, si qua re posset, supremo in discrimine præsto esset, intelligens quantum in eâ momenti foret, recurrit. Regium Prætorem Biragum, Archiepiscopum, itemque Magistratum sedulò adit: monensque, ac per debitam Regi, atque Deo fidem obtestans, cùm magnitudinem periculi vix animo caperent, prope inuitos compulit, vt caperent arma, excubias diligenter agerent, communirent portas, ad omnes, qui impendere possent, improuisorum casuum ictus intenti. Nec quicquam siue prouisum, siue properatum est frustrà. Cognitum est paulò post, si quatuor tantùm horas cessatum foret; vrbem in Hæreticorum manus fuisse venturam: cùm, qui intra mœnia colebant Hæretici, portas eâdem nocte occupaturi, atque Hæreticorum ducem Dominum de Nouaus cum exercitu ex composito admissuri essent. Quibus id conuenisse ferebatur, vt vrbe potiti, Augerium igne torrerent viuum. Sed aliter Deo visum. Non tamen eadem Viennam, Valentiam, Matisconam, aliaque circa oppida prosperitas texit: sed occupata, & vexata miserrimè ab impijs sunt. Qui Nemausi præcipuè omnem non barbarici modò, sed etiam satanici furoris supergressi videntur modum. Quæ ego dira exempla, ne toties, funestâ sacrilegiorum commemoratione, bonorum sauciem animos; libens prætereo. Circa Turnonem cùm fremerent, inuiolata iactabant forè cetera. Vnis Iesuitis, & quos in Collegio eorum reperissent, interminabantur pestem. Iamque aderat proxima post nonas Septembres nox, quam sibi vltimam omnes boni præceperant animis. Itaque Pater Claudius Matthæus Rector, Conuictoribus ad suos dimissis, Socios conuocari omnes iubet: dumque illi conueniunt; à Prouinciali literas accipit, quibus monebat, vt omni ope seruare studeret fratres, ac Billomum, si discrimen immineret, transmitteret. Quas vbi literas legit, ad coactos iam fratres ingressus, tempus adesse ait promendæ vniuscuiusque, probandæque constantiæ: quo nimirum tempore sanguis, & spiritus in Christi Iesu obsequium red-

154 Seditioni prouidetur.

155 Augerij curâ seruatum Lugdunum.

156 Turnonenſiũ Sociorum ad mortẽ ab Hæreticis oppetendam præparatio.

157 Patris Claudij Matthæi ad Socios adhortatio.

Digitized by Google

dendus sit. Pro sua igitur quisque parte daret operam, vt cohæreret Deo, paratus ad mortem, antequam dies crastina illuesceret, vt prope certum videbatur, oppetendam. Sextum illum annum agi, cùm eodem in Collegio, & concluui eodem Socij omnes, inter quos & ipse interfuerat, eamdem ob causam vitam suam in voluntarium sacrificium Deo deuouissent. Auere se vehementer eandem cernere in ipsis animorum præparationem, vt nemo omnium sub Christo duce, Sacrosanctisque eius signis ignauus esset, ac degener. Quæ cùm dixisset; sententiam singulorum explorat, satis ne haberent animi ad sanctissimam fidem catholicam, si opus esset, sanguine contestandam: singulisque certatim maximâ alacritate, & constantiâ, se cum diuinâ gratiâ quàm paratissimos profitentibus; lætus tantâ animorum excelsitate, planèque commotus: Atque ego, inquit, infinitâ cum animi mei voluptate, suscipio sacrificium hoc sanctissimum, ac Deo Domino vestro, omnium nomine, offero: obsecrans, vt in holocaustum ipse, atque odorem suauitatis dignetur accipere: nobisque omnibus opem largiatur, qua perfectè, & constanter id ipsum re exequamur, ad gloriam diuinæ suæ Maiestatis, ad salutem animarum nostrarum, ad vtilitatem, ædificationemque totius Ecclesiæ Sanctæ. Tum subiecit: Fratres mei mihi in Christo carissimi, habemus à Patre Prouinciali literas, per quas recedere nos Billomum iubet. Hodie tam inclinatâ iam luce commoueri non possumus. Cras, si Deo cordi fuerit eò vsque nobis spiritum prorogare; cuncti iter ingrediemur: quanquàm vero mihi simillimum videtur noctis huius nos calamitatem haud euasuros esse. Quòd si euadamus; & locus ex Oppido egrediendi detur; scitote pericula nihilò minora in agro, quàm intra mœnia nobis proposita esse: ita vias omnes Hæretici insident. Proinde quisque coniunctum cum Deo seruare animum studeat, rogans, vt ipse tantâ in necessitate propitius adsit, constantiamque, & robur inspiret. Et quoniam posthac nunquam fortasse viui inter nos reuisemus; agite in caritatis mutuæ documentum, ac pignus, atque in osculo sancto pacis complectamur inuicem, & vltimùm salutemus. Tum omnes pleni lacrymarum, cælestisque consolationis, quantam nunquam facilè antea degustarant; pro certo habentes suprema illa officia esse, dulcissimumque Iesum daturum, vt in cælum cuncti, quocumque loco mors raperet, conuenirent; ibique sese reuiserent; in mutuos ruére amplexus.

158 Billomum Socij secedunt.

Hinc nocte ferè totâ in precibus tractâ, vbi primùm diluxit, terni variis vijs digressi, Deo duce, Billomum cuncti sospites conuenerunt. Et ipsum mox Billomum in periculo versatum est. Ceterùm neque Billomo, neque Turnone perduelles potiti. Tolosa quoque est trepidatum, cùm circa impiorum insania ferret, ageretque omnia: ac rogatu Magistratus ad paucos dies intermissæ scholæ, quæ nouâ iam in domo bellissimè procedebant. Hîc magnum, & gratissimum vulgò nomen erat Societatis. Summo in templo per quadragesimam Edmundus,

159 Annibal Codretus Mureti prosperè Apostolicum opus obit.

ac viciná in vrbe, cui nomen Muretum, Annibal Codretus Tolosani Collegij Rector concionati cum auditorum frequentiâ, tum fructus vbertate, sua adæquauerunt vota. Illud Mureti nouum accidit, & saluberrimum visum est, quòd cùm, præter quotidianas conciones, ter in hebdomada Annibal catechismum explicaret; dein (quemadmodum fecerat superiore anno Edmundus Tolosæ) interrogantes inuicem super auditis, ac respondentes iubebat pueros disputare. His rebus Tolosatum pariter, vicinorumque animi populorum mirè conciliabantur: eoque maiore studio, amplioribusque promissis Collegium reuocare certabant Apamienses: quibus tamen, vti nec alijs populis, ac præsertim Massilienſibus, apud quos Antonius Posseuinus, & Claudius Matthæus egregijs concionibus, alijsque ex more functionibus Ciuium studia suscitarant, præ paucitate operarum, mos geri non potuit. Edmundus suâ maximè operâ conseruatam perpurgare vrbem pergens, dum Lugduni assiduè vel in templis, vel in custodijs publicis, vel in priuatis collocutionibus, patrocinium veritatis exercet; amplius duo millia dicitur ad rectam fidei doctrinam reuocasse. Iussus, cum aliquot præterea doctoribus, bibliopolarum tabernas recognoscere; infinitam secreuit librorum vim pestilentium, ad nutum postea Regis abolendorum. Ex quibus ingens acerus nocte

160 Apamienses, & Massilienses peroptant Collegia.

161 Ab Augerio præclarè gesta Lugduni.

Do-

Domini natali incensus tres dies lætissimum bonis spectaculum præbuit. Adhæc Magistratibus seriò rem capessentibus, catholicoque populo sancto fidei ardore succenso, Hæreticorum fana æquata solo: Ministrorum pars in vincula coniecti, quidam necati, alij expulsi: præter quos etiam vndeuiginti Pædagogi exterminati, qui vel palàm, vel clanculum improuidis adolescentulorum mentibus instillabant venena impietatis: eòque impensiùs Ciuitas ad Gymnasium Societatis firmandum curam intendit. Quam in rem, paulò ante hunc tumultum, Patribus Collegium, in quo inquilini agitabant, vnà cum certo vectigali donarat. Illeo quoquè Edmundi, ante tumultum, fuit concionum fructus, quòd cùm Nosocomium neglectum iaceret; commendatione eius incitatæ ampliùs ducentæ Matronæ nobiles, vltrò ad sancti illius tutamen operis dederunt nomina: ex quibus is ordo confectus est, vt bis quaque hebdomadâ ægrotis earum aliquot pro gentis more ministrarent: vndè fieret, vt cùm haud sæpiùs in anno circumageretur orbis; opus esset vtilitatis maximæ, non magni laboris. Auenione non Ciuibus modò, sed etiam profugis adiuuandis, qui vndique se ex vastitate eò receperant, successu optimo impensæ curæ. Auctus hinc discipulorum numerus. Ad centum viginti præterea affluxere Parochi: quibus tum alimentis, humanisque subsidijs, tum causarum conscientiæ explicatione, ac ceterâ ad eos spectante doctrinâ ita subleuandis, instituendisque data est opera; vt, si pax redderetur, ad suos ex calamitate lucrum referrent. Collegium Parisiense, inter bellorum strepitum, quodam diuinæ indulgentiæ documento, confirmatum est. Sulpitius Clericus adhuc Tyro, anno fermè in Societate exacto, quinque, & triginta annorum ætate, opificio sutor, pietate, & candore animi insignis, iacebat depositus: quem pridie quàm decederet, inuisens Oliuerius, numquid haberet, quod à migratione retardaret, interrogat: cùmque ille nil planè se habere, imò vehementer cupere ad Deum proficisci respondisset; subiecit Oliuerius, hilaritatis gratiâ, vt fit: Ergo, Sulpiti frater, destituere nos vis, ac sutore orbatos relinquere? Non fiet à me tibi abeundi potestas, nisi sutorem tuo loco alium reddideris. Ille rem seriò accipiens: Pater, inquit, istuc præstare ego quî possum? quod tanta cum ingenuitate dixit; vt Oliuerio, & circumstantibus, vitam præsertim eius innocentissimam respicientibus, spem faceret, impetraturum à Deo, quod peteret. Quare Pater, conuerso in serium ioco: quin adeo, inquit, non vnum velim pro te sutorem; sed duos reddas: neque id difficile tibi fuerit, si, vbi veneris ante Dei conspectum, precaberis, vt, pro infinita sua clementia, quandoquidem, quem dederat sutorem, dignatus est ad se aduocare; duos inopi Collegio pro eo reponat: atque hoc pertere te ex obedientia profitebere. Ad quæ Sulpitius suauiter renidens: faciam, inquit, Pater, vt iubes. Et planè fecit. Tertio post obitum die Sutores duo artificij sui benè periti, quodque erat optabilius, igne caritatis flagrantes admitti in Sociorum numerum rogant. Quibus rite admissis, alter, qui Maturinus vocabatur, Billomæum, alter, cui nomen Antonius, loco Sulpitij, ministerio suo Parisiense Collegium iuuerunt.

Iam verò dum in Belgio, & in Gallia Hæretici adeo inualescunt; etiam in Scotia, præterquamquod Elisabetha Regina Angliæ subdebat assiduè stimulos, arrexere insolentius animos, vt eò Pontificius Nuntius penetrare nequiuerit: quantuis egregiam ad expediendum aditum Pater Edmundus Haius nauarit operam. Ostæ res vt intelligatur, hinc repetam narrationem. Regina Maria ex Gallia reuersa in Scotiam, vt suo loco est memoratum, catholicæ fidei causâ, quam strenuè tuebatur, cùm assiduas inter insidias versaretur, hortatu suorum Henrico Stuardo nupsit: ex quo etiam anno superiore quarto decimo Kalendas Iulias filium enixa est: eum, qui, hæc condentibus nobis, Angliæ, & Scotiæ regnum obtinebat. Interim Guilielmus Dumblanensis Antistes, Regis Scotorum, ac Reginæ nomine, Romam gratulaturus nouo Pontifici, & obedientiam rite exhibiturus venit. Ex quo Pius Quintus, cognito regni statu, pijsque Reginæ conatibus, atque eam consilio iuxtà, & pecuniæ subsidijs indigere, pro sua imensâ totum beandi terrarum orbem cupiditate, Nuntium Apostolicum, qui ei præsto esset,

162 Lugdonensium ardor aduersùs hæreses.

163 Augerij opera Nosocomio consultum.

164 Auenione & ciuibus, & aduenis operanauata.

165 Sulpitij Clerici mors memorabilis.

166 Scotiæ status.

167 Pij Quint Scotiam iuuãdi ardor.

Digitized by Google

esset, spondens, donec vel vnus restaret sacrorum calicum, eo quoque diuendito, non destiturum auxlio esse; Vincentium Laureum Episcopum Montis Regalis, cumque eo duos de Societate, quos ante indicauimus, destinauit. Nuntius accelerans cùm die Sancti Laurentij Parisios attigisset; nomine Reginæ Mariæ rogatus est, vti tantisper subsisteret, dum in conuentu nobilium ageret de puero ritu catholico baptizando. Hoc enim si impetrasset; facilè illud quoquè impetraturum sperare, vt cum dignitate, ac veneratione, quam res posceret, Nuntium Sanctissimi Domini reciperet. Hanc ob causam dum subsistit Nuntius; Nobilitas de baptismo filij consensit: de recipiendo Nuntio abijt in alia omnia. Tempora nimis aduersa ferebant auctum iri turbas, suspiciones, odia: cùm præsertim tantâ in regno iam ferè vulgò inuidiâ Pontificium nomen laboraret. Hæc eadem Vincentio Parisijs obtrudebant multi. Sed is hæresum flammam vel suo sanguine ardens extinguere; vt tentaret omnia, cum Episcopo Dumblanensi Patrem Edmundum Haium præmisit, qui rerum statum diligenter inspiceret: ac si quo modo posset, sibi aditum aperiret. Dumblanensem, atque Edmundum tertio Nonas Decembres Rothomago profectos secundus ventus paucis diebus in Scotiam detulit, in exitu anni proximi millesimi quingentesimi segagesimi sexti: sed repentè noua incidit incendij materia. Henricus Stuardus Rex, Mariæ coniux, extinguitur. Indè ita flagrare, ac misceri omnia; vt humanis auxilijs nihil videretur loci relictum. Ita Sanctissimi Pontificis conatus irriti euasere. Edmundus duos menses frustrà potiùs, quàm sinè fructu, cum magnis luctatus difficultatibus, Lutetiam Idibus Martijs hoc anno redijt: cuius & operam, & prudentiam, & in adeundis periculis magnitudinem animi admodùm Nuntius Apostolicus, & ipse Pontifex probauerunt. Magna ille præterea in Regno modestiæ reliquit exempla contemnendis honoribus, quos amici, & propinqui vltrò offerebant. Multis locis inaudita diu catholica tuba personuit. Sæpè aduersùs impiorum calumnias dexteritate summâ dimicauit: vbique se pro catholico, & Iesuitâ constantissimè gerens. Inter cetera quendam non ignobilem errorum magistrum elinguem reddidit: ac virum cum primis nobilem Ecclesiæ restituit: alios ad bonam frugem reuocauit. Postremò cùm Londino transiret in reditu, strenuam dissimulato cultu Catholicis quoquè eius vrbis consolandis curam impendit: ipsumque per literas inclusum in carcere Londinensem Episcopum ad patientiam excitauit.

168 Duo Socij cum Apostolico Nuntio in Scotiam missi.

169 Edmundi Haij in Scotiam profectio.

170 Lutetiâ redit, beneque operam locat.

171 Visitatores Hispanicarum Prouinciarũ.

In Hispania domi, foriſque pacatus hic annus, & vber frugum sanctarum fuit. Visitatores in lustrandis Prouincijs salubriter occupati sunt. Bartholomæus Bustamantius post Bœticam, Toletanam visit. Aegidius Consaluius Complutensis Collegij Rector Aragoniam. Michaël Turrianus Lusitaniam. Castella designata fuerat Antonio Cordubæ, sed mors eum ad Prouinciam beatiorem transtulit. Itaque secundùm Aragoniam hanc quoquè Aegidius visit. Antonius Laurentij Suarij de Figueroâ, & Catharinæ Fernandiæ à Cordubâ Marchionum Plegi, & Comitum Feriæ filius, stirpis claritudinem, & honores amplissimos, etiam Cardinalatum, ad quem destinatus erat, eminentissimâ humilitate trascendit. Hausto in pueritiâ ab Ioanne Auilâ illo celebri pietatis lacte, sub annum millesimum quingentesimum quadragesimum nonum, cùm studeret Salmanticæ, titulo Rectoris eius Academiæ insignis, licet tum maximè contra Societatem calumniæ streperent, Patrum exemplo, & consuetudine, vitæ suæ rationem longè in meliorem mutauit. Magnis indè gressibus vltrà assiduè nitens, ad vltimum, raro Francisci Borgiæ facto, qui, Ducatu post improperium Crucis Christi habito, mentes omnium latè concusserat; excitatus, & Auilæ confirmatus consilio, hortatuque; anno ab redemptione gentis humanæ millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo eidem Borgiæ, Ognati in clarissima obscuritate agenti, sociumse, atque discipulum dedit. Quod vbi Magister Auila cognouit, ad agendas Deo de beneficio grates tantò accuratius quantò maioribus fuerat honorum, & publicorum munerum periculis subtractus, præclaris adhortatus est literis; quæ editæ extant eo initio. Cognitâ mutationem tuâ, eiusque causis, & quæ sequuntur. Multa talis viri accessu venere in Societatem commoda. Nam non ipse modò, suis reditibus magnâ ex parte, quanquàm

172 Antonij Cordubæ vita insignis.

recu-

recusato Fundatoris nomine, Cordubense, & Salmanticense muniuit Collegia; sed cunctæ eius propinquitatis, ac gentis intimè per eam occasionem conciliatæ, siue ad Collegia propaganda, siue ad obtrectationes malevolorum, aut imperitorum hominum refutandas, præsidium, ac patrocinium fidelissimum præstò semper fuit. Quindecim in Societate Antonius vixit annos, valetudine nunquam prosperâ, quamuis ad labores, & domesticæ disciplinæ severitatem sic quasi firmissimâ vteretur. Consolabatur autem se eo maximè in valetudine malâ; quòd bonâ non satis benè vti sciret. In præclaro eius virtutum choro humilitas (scholæ Christi propria laus, tenére visa est principatum. Homuncionem dixisses per iudicium publicum infami aliquâ deformatum notâ: ita se in cultu corporis, vitâque omni habebat comtemptim: crebròque solebat fœminarum quarundam ab turpi vitâ conuersarum commemorare sanctitatem, ad quam per humilitatem ascendissent, ex acri dolore veterum turpitudinum ortam: ex eâque cogitatione, quòd se proximè fauces tartari, flammasque sempiternas, quas commeritæ erant, quasi oculis assiduè intuerentur constitutas. Exanimo verò tam altè sensu humilitatis imbuto mirum erat ad tumidos spiritus, superbiamque detestandam pariter, atque euertendam, quàm significantia, & efficacia erumperent verba. Id adeo patuit, cùm eâ super tentatione consultus à quodam Sociorum, qui nonnullo orationis dono præditus, euanescebat in cogitationibus suis, præque se eius doni expertes haud magni faciebat; pauciſsimis verbis omnem contumaciam dissipauit: tanquam superbiæ stirpem ex corde hominis apprehensam manu radicitus euellisset. Tædio eius honorificæ præfationis, qua Domnus Antonius vocabatur, præcipuus auctor fuit, vt in Conuentu Generali omnino de Societate remoueretur. Admodùm tamen suauis in conuictu, & consuetudine erat. Precandi studio valde adictus. Nam, & supra communes ex lege precationes; addebat singulis noctibus integram horam; eamque, & ceteras in tantâ corporis infirmitate nixus genibus, mirâ constantiâ peragebat: ac præterea peculiari quadam affabilitate, obseruantiâque tractabat eos, in quibus orationis donum præcipuè eluceret: imò & mirari solebat, quî fieri posset, vt vllum genus hominum, quamuis de vulgo, & opificibus infimis, vitam viuere sine precatione posset. Nequaquam trisi, ac duro, sed lenitiùs ducebatur spiritu: Socioſque adhortabatur, vt suauiter, summâque cum fiduciâ agerent cum Deo: illud probè intelligentes, ac reputantes accedere se ad Patrem. Quo in nomine quanta vis, ac significatio insit vt adumbraret; dicebat: Deum similiter nobiscum facere, atque inter homines parentum nonnulli maximè indulgentes: qui infantulo filio haud satis habent bellaria in manus inferere; sed etiam ne excidant, ipsimet, manu eius apprehensâ, digitulos in pugnum constringunt. In officijs caritatis erga proximos cupidissimè assumebat, quæ maximè essent cum humilitate coniuncta. Inuisebat diligenter ægrotos in Nosocomijs, eorumque confessiones patientissimè, & amantissimè excipiebat. Erga domesticos verò ægrotos sic animis afficiebatur; vt valetudinarij, cui fuerat præfectus, liberandus curâ fuerit; quòd alieni commiseratione languoris vltra modum ipse langueret: præque solicitudine fraternæ salutis funditus perderet suam. Studioſissimus erat benignè faciendi egenis: quos, cùm aliter subleuare nequibat; gaudebat interesse ad ianuam, vbi aliquid eis stipis tribueretur. Oppida parua, & Pagos euangelizans obibat libentiùs, quàm insignes Vrbes: sed patriam fugiebat, cùm diceret, ne Christo quidem Domino ad votum labores in patriâ respondisse. Si laborum sibi ipse genus deligere permissus esset; rudem ætatulam initia religionis, & literarum docendam sibi sumpsisset. Quamquàm erat probè ad regendos alios idoneus, & primus Cordubense Collegium rexit, & Salmanticensi præfuit Superintendens, atque alias subinde nunc Prouincialis adiutor, nunc etiam Vicarius, muneris publici partes attigit; tamen præoptauit subesse. Atque ad occupationum id genus declinandum iustâ valetudinis excusatione vtebatur: quam dicebat experimento sibi compertum satis ad euangelizandum, quamuis ærumnosè, per Pagos sufficere: penitus autem negotijs præfecturæ debilitari, ac perdi. Conseruandæ studio, promouendæque Societatis ardebat incredi-

173 Eiusdem Humilitas.

174 Titulos abhorrebat.

175 Studium precationis quanti faceret.

176 Qua fiducia agendum dicebat cum Deo.

177 Caritas erga proximos.

credibili: sincerus obedientiæ cultor: Præpositorum cum Generalium, tum ceterorum obseruantissimus. Quorum causam cùm palàm tueretur; id tamen cognitâ suâ adeptus erat innocentiâ, vt in motibus, quicumque in Hispania extitissent, caritatem, ac venerationem apud alteram quoquè obtineret partem: quem illi, haud ausi condemnare, non perturbatione ductum; sed potiùs præ suâ bonitate inductum aiebant. Erga Sanctissimum Christi corpus veneratione, atque amore eximio ferebatur. Siue domi priuatim, siue in templo verba esset facturus; ante illud diu perseuerabat abiectus in genua: ex eoque accipiebat oraculo, ad eam incendebat fornacem, quæ ad concionem ferret. Vndè fiebat, vt potius tela, quàm verba mitteret: quæ in audientium se corda intimè penetrantia tenaciter adhæresceret, & suum illic exequerentur opus. Cùm autem contento semper studio ad honesti cucurrisset verticem; tamen postremo tempore ita addiderat gradum; vt videretur sentire se proximum palmæ. Itaque, quemadmodum ad Præpositum Generalem Bustamantius scripsit, humanarum perturbationum si quid prauum, ac rude supererat, correcto iam prorsus, atque elimato; aptus immortali ædificio lapis erat. Totus verò igne diuino succensus vnus cæleſtium Seraphim videbatur. Nec modica in totum profligandæ eius valetudinis causa existimata est contentio, qua proximo anno in Professorum nouâ domo Toleti, laxatis seruori habenis, tanquam robustus tyro ad laboriosa perfectæ vitæ rudimenta se retulit. Indè ad reficiendam valetudinem Oropesanus Comes Ferdinandus Aluarius Toletanus, cui & naturæ necessitudine vt consobrinus, ac multò magis virtutis merito carus erat; precibus summis, vt Oropesam mitteretur cùm expressisset; ibi morbo inualescente, cunctis sacrorum præparatus adiumentis, mortem cum æterna vita mutauit, septimo Kalendas Februarias. Corpus Oropesanorum Comitum sepulchro ad sancti Francisci cœnobium conditum, postea Montellam translatum. Cùm iam periculosè laboraret; ad eum in supremo articulo consolandum iuit Compluto Ioannes Rodericius, vir vnicè meditationi diuinarum rerum deditus, Deoque coniunctus, & propterea Antonio carus. Cui, vt Franciscus Ruitius auctor fide dignus pro comperto refert, Antonius ipse, pro quo iam vitâ functo sacrificabat, visus est adeo clarâ coruscus luce; vt indè intelligens Rodericius beatis iam cæli gaudijs perfrui; nunquam postea preces pro illo facere ausus sit, sed illum pro se supplicem adhibuerit. At Borgia pro gratæ memoriæ officio, tanquam pro fundatore duorum Collegiorum, solemnia persolui precum, & sacrificiorum per cunctam Societatem voluit. Excellentis virtutis, atque doctrinæ iuuenis Granatæ amissus Martinus Gomius: is, qui olim Compluti, cùm magnâ in celebritate apud Academicos, & in Theologorum Collegio versaretur, dato Societati nomine, primus dicebatur ex eo Collegio ad religiosam vitam transisse, & munimenta euertisse, per quæ Collegij eius Alumni, cùm passim ex alijs religiosi fierent, ioci causâ ferebantur in tuto esse, & extra aleam positi. Quorum euersio munimentorum primum, nec vulgare Martini operum numerari potest. Proximum fuit editum vulgò religiosæ exercitationis exemplum: vt qui aperuerat ad scholam Christi viam, idem & scholæ eius documenta præberet. Vix domum receptus erat, cùm obsonatoris iussus obire munus; adeo notus Compluti adolescens emptitandis oluisculis, & quæcumque necessaria vsus haberet, omnium in se oculos conuertebat: ita suo ipse contentus negotio; vt id omnibus longè præferret clarissimorum Doctorum honestamentis. Post breue tyrocinium ibidem Compluti, atque Septimancis positum, & Theologicæ doctrinæ prope emensum orbem, missus in Bœticam; Philosophiam summâ cum laude multos annos Cordubæ explicauit. Iamque pari cum approbatione eadem explicabat Hispali: cùm reiecto ex ore sanguine, tandem Granatæ, quo curationis causâ traductus erat mortalem sarcinam posuit decimo septimo Kalendas Maias. Magnis laudibus, magnoque consensu cuncti eius ætatis Patres ornamenta hominis cum ingenij, tum morum celebrant. Cum præstanti doctrinâ naturalium rerum, ac diuinarum, acrique iudicio pulcherrimè consociata fuisse studium sacrarum precum, & sui corporis afflictandi, custodiam silentij, suauitatem, ac lenitatem consuetudinis, sedu-

178 Pietas erga diuinissimam Eucharistiam.

179 Seraphim à Bustamantio vocatur.

180 Martini Gomij eminentes virtutes.

Digitized by Google

sedulitatem operis, & omnium denique formam virtutum mirè ad normam domesticam exactarum, inter quas modestia, & obedientia eminerent. Ac modestiam quidem in gymnasio maximè, docendique muneribus effulsisse: Neminem auctorum non appellasse verecundiâ magnâ: nunquam se venditasse: ad pietatem omnia retulisse, vt appareret non quemcumque, sed religiosum Magistrum esse: in literarijs concertationibus parcum verbis, clamore modicum, rationibus, ac ac responsis fortem, itemque consideratum: nihil vt ex ore siue sedato, siue in æstu contentionis effugeret, quod reprehensum vellet, quoque efferri ipse, vel aduersarius vllo modo deprimi, aut morderi videretur. Indè dum ex vnâ parte vera, constansque moderatio, ac verecundia: ex alterâ solida rerum scientia, & ingenij solertia mutuis sese ornamentis decorant; summam non apud domesticos modò; sed apud alienos quoquè venerationem, atque beneuolentiam adeptus erat. Porrò, quod ad obedientiam spectat; nihil facilius, ac tractabilius eo: non constantiâ solùm, & labore implebat; sed & simplici mentis assensu, & oris alatritate mirificè commendabat obsequium. Vnum modò expetebat, quòd principiò in rudimentis Tyrocinij parùm diu se fuisse arbitraretur; in ijs, Tyronum instar, deintegrò exerceri: & factus est voti compos: ita tamen, vt Nouitijs ipse Magister præficeretur. Denique mortem ipsam carere pretiosâ notâ, regioque obedientiæ signo noluit. Post longam ægrotationem, benignam virtutum materiam grauiùs iam laborantem, inter consolandum, vt fit, præses Collegij Plaza interrogauit, quando nam vellet ad superam patriam proficisci: cui Martinus haud cunctanter respondit: Equidem crastino die post susceptum Christi corpus (pietate enim præcipuâ diuinissimum mysterium venerabatur) modò per te liceat, Pater, libens abibo. Ac Plazâ referente: Numquid Deus ego sum, cuius in potestate vita, & mors sit? Ille subiecit summissione, ac fiduciâ singulari: Perinde est: nam certè mihi loco Dei es, Pater. Ad quæ verba Superintendens commotus, signum Crucis super ægrum figurans, ac benedicens: fiat, inquit, Dei voluntas. Res profectò notatu digna. Postridie Martinus, cùm plerumque noctis quo cogitari pronum est sensu, in comparando sese posuisset; post susceptum salutis æternæ pignus; citiùs semihorâ, nullo in vultu, nullo vsquam in reliquo corpore argumento mortis relicto; sinu Domini sui, quem susceperat, vti nemo dubitault, euectus; ad æternam euolauit quietem. Permultùm interest quo quis animo disciplinam quamlibet, præsertim religiosam, capessat. Ille cùm Societatem admiratione virtutis, consummatæque perfectionis, quam in ea persuasum habebat vigere, ideoque esset complexus, quod nihil fieri ab se inter humana maius posse arbitraretur; præstanti illo iudicio, tanquam pro metâ sibi proposito, ita diuinum famulatum exorsus, ita ad vltimum prosequutus est; vt quam Ordini vniuerso inesse rebatur sanctitatem; eam ab semetipso constanter exigeret. Patriam habuit diœceseos Toletanæ Oppidum, quod patriæ vocabulo Pignal vergens nominat ætatis: nec dum trigesimum attingebat, Societatis vix tum nonum implebat annum, cùm sublatus est, casu opinione vulgi acerbo: sed præmatura esse possunt Iustorum funera, acerba non possunt? Vallisoleti Professorum excitata domus. Cùm enim instaret Borgia, vt ex conuentus Generalis decreto singulæ, quoad fieri posset, in singulis Prouincijs instituerentur; nihil dubitatum est, quin Castellana Prouincia suam Vallisoleto, pro amplitudine, ac frequentiâ Ciuitatis, deberet. Collegium ibidem iam stabat euntis seculi anno tertio & quadragesimo inchoatum in Sancti Antonij clientelâ: quia primi conditores, post mutata aliquot diuersoria, tandem in ædibus, ac Sacello Sancti Antonij Patauini constiterant. Has ædes iam olim emptas, & alijs adiunctis amplificatas placuit relinqui Professis cum parte supellectilis, & Collegium propiùs Academiam admouendum: quod factum est, amplâ comparatâ domo, in Sancti Stephani Paræciâ malè quidem materiatâ; sed percommodâ situ. Quæ relicta Professis, æstimari ex æquo ac bono iussit Borgia, & pretium Collegio cum fide solui. Quo die assumptæ in Cælum Virginis anniuersarij honores instaurantur, diuisa familia. Duo supra viginti ad Sancti Antonij mansere: viginti quatuor in Collegium nouum

181 Modestia singularis.

182 Obedientia summa.

183 Quo animo ad Societatem primùm accesserit.

184 Vallisoletanæ domus initia.

Digitized by Google

nouum migrarunt. Sancti Antonij Collegium vltimus Rector administrauit Ioannes Baptista Segura: cùm paulò ante Petrus Martinius pro Rectore administrasset: vterque deinde in odium fidei ab Ethnicis interfectus. Segurâ in nouum occidentis orbem destinato, cùm Ioannes Suarius, qui ordinarius præses designatus erat, Vallisoleto abesset; nouas familias primi omnium habuere duo Vicarij: domum Professorum Hieronymus Ripalda, Collegium Ioannes Fernandius, qui Theologicam doctrinam pariter ibi tractabat. Neutra familia fundatorem certum habebat, sed priuatâ multorum liberalitate sustinebantur: nisi quòd tribus ante annis

185 Collegij prima firmamenta.

perpetuam Collegio pecuniam Matrona Salmanticensis Vallisoleti degens, cui nomen Maior Vineria, in duodecim Scholasticorum sumptus donarat: qui deinceps alijs alij perpetuò succedentes ibi educarentur, pro Instituto Societatis, postea in animarum producendi salutem. Aliquid adiectum & hoc anno firmamenti

186 Gasparis Alfonsi Castrij in Societatem liberalitas.

est, Pontificis voluntate huc translato, quod ex Gasparis Alfonsi Castrij testamento exactum est. Sacerdos hic admodùm pius, & locuples Societati ad Oppidum cui nomen Villar, partem hereditatis legarat, commendatâ oppidanorum culturâ. Quam cùm ab anno seculi eius vndesexagesimo aliquot ibi Socij constituti impigrè exercerent; intentâ ab coheredibus, & creditoribus lite; fundus amissus est, certâ adiudicatâ pecuniâ, quæ Vallisoletano Collegio attributa. Eodem quoquè Septimancensis collata domus, cùm doceret vsus parùm idoneam Tyrocinio sedem esse, quod propterea Methymnam quinto ante anno translatum erat. Alia deinde accessere paulatim incrementa, inter magnas quidem rei familiaris difficultates, sed cum singularibus pariter benignitatis diuinæ experimentis: quorum illud his initijs non obscurum fuit. Cùm vetus æs alienum premeret, pensioque vrgeret, quæ sine ingenti famæ, fideique iacturâ differri non posset; appellatis aliquot ex amicis, ita euenit; vt nemini seu facultas, seu voluntas adesset opis ferendæ. Reliquum ergo fuit, quod & primum fuerat, ad misericordiæ cælestis inexhaustos thesauros enixè confugere. Indictis vesperi inter Socios precibus, pro

187 Anna Pacia diuinitùs mota Collegij necessitatem subleuat.

difficultate quadam domesticâ; postridie manè ab Annâ Paciâ famulus cum aureis trecentis nummis adfuit. Cùmque mox ei Pater Franciscus Porrius gratias de benignitate ageret; Nihil opus est, inquit, gratiarum: nam prope coacta misi. Cùm enim ad quietem secessissem; omnis à me fugiebat quies, & vox quædam animo insonabat: quî fieri potest, vt ipsa somnum capias, cùm Societatis Iesu Collegium tantâ necessitate conflictetur? & quanquam destinassem animo opem ferre; & cogitanti quid mitterem, statim venissent in mentem loculi cum summâ, quam misi; tamen ita inhærebat adhuc infixa pectori solicitudo; vt prope missura, eodem momento nocte intempestâ, fuerim: neque lux vnquam redire lentiùs visa sit. Auxit gratiam muneris ipse, quo acceptum est, Sancto Ambrosio sacer dies.

188 Collegium Sancto Ambrosio dedicatur.

Qui Sanctus Doctor collegio tutelaris adscitus est ab euentu tali. Quo tempore Sociorum quasi examen ab Sancto Antonio in paratas Collegio ædes migrauit; pariter examina duo apum ad earum parietem conuolarunt: inuentisque cauernulis, non solùm aliquandiu constitisse; sed & fauos confeciisse, eosque exemptos constat. Quod cùm Patres animaduertissent; dum quod vocandum Collegio nomen, qui cooptandus Patronus esset, consultant; reputantibus illas dulcissimi

189 Apum examina in Collegij exordijs visa.

succi, materiæque lucis altricis ingeniosas opifices, cùm infantis Ambrosij insedissent ori, manaturam indè suauitatem, ac lucem significasse; optimâ præceptâ spe aliquid ad animarum cæleste mellificium eam quoque familiam collaturam; visum est cunctis oblatum diuinitùs patrocinium Doctoris eius, quem infantiæ vtriusque eædem nutrices quadam ratione germanum fecissent. Abulæ latinitatis nunc primùm scholæ institutæ tres, magno Ciuitatis gaudio, bonoque. Segouiæ philosophica adiecta doctrina. Madriti impositum templo fastigium, atque encenia ritu christiano, Reginâ, aulâque prope vniuersâ, alijsque Dynastis ornantibus, celebrata. Villaregium Tyrones sub Pentecostem à Bustamantio deducti,

190 Villaregium Tyrones ducti

quibus Ioannes Emmanuel Leonius Institutor datus. Tantâ hæc res Ioannem Patiecum domicilij eius parentem compleuit lætitiâ; vt gratulatorias ad Borgiam plenas pietate literas dederit, grates inter cetera Deo agens, quòd sibi concessisset

(ita

(ita ipſe loquitur) Angelos in terris videre. Vniuerſa colonia breui numerum quinque & viginti expleuit. Ingens cuncto in populo Villaregij, perque pagos circumiectos ampliùs viginti, ad quos identidem factæ excurſiones, conſequuta morum conuerſio, ac præcipuè in familiâ Fundatoris: quæ Dominorum incitata exemplo, Sociorum operâ ad expiandas, regendaſque ſuas animas vti cœpit. Pueris prima literarum initia docendis vnus aſſignatus eſt Magiſter: quod ita proceſſit feliciter; vt permulti longiſſimo ſpatio Villaregium eâ causâ mitterentur. Tyrones cùm domi ſtudio, quo inter primitias ſpiritus æquum eſt, ſuæ ad plenam, abſolutamque virtutem inſtitutioni vacarent; ſubinde prodibant in publicum; nec ſolùm docebant catecheſim; ſed etiam decantabant in frequentioribus locis; eâque re tum facilè pellexerunt puerorum animos, qui deinde magno agmine ſe diſcipulos, & adiutores aſsociabant, tum penitus ineptas, noxiaſque cantiunculas ab ore vulgi ſummouerunt. Ocaniæ Theologiæ inſtituta diſciplina, vt Complutenſe Collegium, quod prægrauabat inopia, diſcentium eò miſsorum leuaretur impenſis. Ibi Ioſephus Acoſta, & Alfonſus Sandoualius docuere primi. Valentiæ, cùm adhuc intra domeſticos parietes ſtetiſſet ſacræ doctrinæ profeſſio; vulgari cœpit hoc anno Petro Ruitio, & Ioanne Louera profeſſoribus: nouitijs, ad quos alendos haud ſufficiebat Valentinum Collegium, tranſlatis Gandiam: & ſcholis latinitatis indè ſublatis. Hæc, aliaque Aegidius Conſaluius Viſitator opportunè inſtituit. Multis præterea in Collegijs, quod maximè commendabat Borgia, Nouitij à ceteris ſeparati, & præcipuâ inſtituti curâ cœpti. Quæ cùm fermè vbique diſciplina vigere pulchrè ſoleat; vegetiore tamen quadam ſpecie, ac lætiore prouentu per id tempus Methymnæ, ſub Balthaſaris Aluarij cura, florebat. Ei viro, cùm ſuperiore anno Tyronum pariter, ac totius procurationem Collegij ſuſcepiſſet; breui tantum in animis ad ſanctitatem eximiam prouehendis ſolertiæ, & efficacitatis diuinitùs tributum apparuit; vt experientibus mirabili bono, ceteris vix vero ſimile eſset. Abulæ proximis annis, dum Miniſter, aut vicarius Rectoris (quæ prima geſſit munera) præeſſet; cum ceterâ induſtriâ naui Sacerdotis, tum exercitationum Sancti Ignatij excitato vſu; multum apud multos profecerat: Mariâ præſertim Diaziâ, & Beatâ Teresâ Ieſu, quæ iam Sanctis adſcripta eſt, ad inſignem perfectionem excultis. Ceterùm cùm ſe ipſe vſu limaſſet, & auctoritas quoquè iam ætatis accederet; vbi Methymnæ ſimul in Tyronibus erudiendis, ſimul in veteranis tractandis proſperrimi quidam euentus conſpecti ſunt; famam repentè eſt clariſſimam conſequutus. Maximi viri, ſapientiæque interioris intelligentiſſimi eum maximè mirari, & aſſumere ſibi Magiſtrum. Caſtellani Patres iam tum Præpoſitum Generalem rogare, vt Prouinciæ eum toti præficeret: & Ludouicus quidem Sanctanderus hanc teſtimonij grauitatem adhibuit. Haud equidem, inquit, video non in Prouinciâ modò noſtrâ, ſed ne in ceterâ quidem, quam norim, Societate, cui maior in æuo pari religio ſit: quique ampliùs rerum tractatione piarum apud ſubiectos ſiue veteres, ſiue recentes proficiat. Magnâ integritate, ſingulari mediocritatis prudentiâ, & ſuauitate eſt. Idem vigil, & intentus: & quicquid agat, maximè conſideratus. In conſuetudine, vitæque ſuæ ratione modeſtus, & humilis. Conſilia, vt audit libenter, & exquirit; ita ſagacitate valet in optimis deligendis. Tolerantiſſimus laborum. Hominum quoquè, quas perferri oporteat, imbecillitates, benè ſuſtinet: & alienas hac viâ prudenter nouit voluntates capere. Conſtitutionum, & legum, & quæcumque Præſides mandent, cuſtodiam ſummæ curæ habet, ab ſeque priùs, quàm ab alijs exigit. Apprimè ſtudioſus rerum, quæ ad ſuum Collegium, quæ ad Prouinciam, quæ ad cunctam Societatem pertineant. Orationi porrò ita deditus, quàm qui inter nos maximè. Apud extrarios cautus, ac lenis, atque ita religiosè vrbanus; tanquam totam in aulâ vitam exegerit. Vtrumque munus, & Magiſtri Tyronum, & Rectoris Collegij, neutro alteri quicquam obturbante, tam cumulatè explet; quàm equidem niſi vidiſſem, non crederem. Itaque vtroque vt bono fruantur; cupiunt homines eius curæ, vel inter Tyrones, ſubeſſe. Hæc Sanctanderus vir admodùm grauis, ac ſanctus, longèque Balthaſare annis, & re-

191 Tyronum fructus in exteris

192 Balthaſaris Aluarij Sanctitas.

193 Sanctanderi de eo iudicium.

Digitized by Google

ligiosâ vitâ prouectior ita testatur; vt simul profiteri non dubitet, nemini se vnquam ita subiectum fuisse: cùmque ad conciones aliò euocaretur, quamuis paratum ad iussa, quamuis haberet animum; tamen non posse sine aliquo doloris sensu gubernatorem Methymnensem relinquere, in quem præclarissima Deus dona, perque eum in omnes siue domesticos, siue externos, qui homine vterentur, conferret. Vtebantur oblatâ opportunitate Patres: tanquam nobili, ac felici magistro quàm possent plurimos vel formandos, vel perficiendos tradebant: non solùm Tyronum, sed ex ijs, qui post literarum consummata studia, tertium, vt vocamus, probationis annum obibant. Hanc enim quoquè Institutorum Sancti Ignatij partem Borgia in rem conferri volebat: eò magis, quòd & disciplina (vt iam diu seniores queri cœperant) labem facere sensim videbatur, & aliquantò maior ad agendas animarum causas suppetebat copia. Sed, vt intelligeres seniorum querimoniam vel ex hominum ingenio nasci, antiqua tempora laudantium: vel certè si quid tanquam in cute mutatum coloris esset; tamen corporis ipsius sanguinem incorruptum, & vitalia sincera esse; mirifico studio sitiebatur ab omnibus, cumque manifesto profectu accipiebatur disciplina.

194 Marcenense Collegium incolitur. Marcenense Collegium tertio ante anno susceptum incolis huius anni initio, Gaspare Salazario Rectore, frequentatum est. Duces Arcos id condidere Ludouicus Christophorus Pontius Leonius, cui plurimùm noster Ordo debet, ob perpetuam tutelam iam indè susceptam, gestamque Hispali Constantini Lutherani temporibus: & Maria Toletana eius vxor, Soror Antonij Cordubæ nostri, cuius paulò ante beatum finem descripsimus. Hæc in omni pietatis cultu nulli fœminarum secunda, adeo benigna in egentes, vt post exinanitas arcas, nec vestimentis quidem, quibus sese tegebat, parceret; in Societate amandâ, omnibusque modis fouendâ, nec parenti Catharinæ, quam nos meritò parentis loco numeramus, nec Antonio ipsi germano cedebat.

195 Mariæ Toletanæ in Societatem benignitas. Ipsa propriè Marcenense Collegium piâ postulandi contentione, vt à Patribus acciperetur, cum exorasset; vltrò condendum, & muniendum ita suscepit; vt eò curas omnes suas, eò dotalia ornamenta, eò quicquid pecuniæ à viro sibi præberetur, conferret. Sed absolutionem operis, ab hinc biennio sublata terris, videre non potuit. Vidit nimirum quantò securior, tantò lætior è cælo: fruiturque etiam nunc, ac sine fine perfruetur frugibus animarum, quas facta semel sementis apud suos Marcenenses, id est satum Collegium perenni viriditate profert, nec, vti spes est, proferre vnquam, quoad mortale durabit genus, desistet. Nouam Coloniam Prouincialis Auellaneda, vnàque Visitator Bustamantius deduxerunt. Sacerdotes ducti quatuor, Sacerdotij expertes nouem. Collegium interea Gaditanum, tanquam adulta iam vinea, maturâ exuberauit vindemiâ.

196 Gaditani Collegij profectus Restituta est Sodalitas Sanctissimi nominis Iesu ad temerè iurandi prauam consuetudinem, execrandique tartaream scabiem latissimè dominantem, tollendam. Primus omnium ipse Gaditanus Pontifex, dein Prætor, Senatus, & honestissima quæque nobilitatis capita in eam Sodalitatem conuenerunt. Et quoniam magna est Gadibus Seruitiorum Maurorum copia; horum quòquè, probante Antistite, Sodalitium factum, & accommodatis nationi legibus temperatum. Inter cetera, vt quisque redibat Domino facer dies, ad Collegium christianæ doctrinæ causâ ventitabant. Indè ordine egressi, magnâ per vrbem voce, quæ didecerant, cantantes incedebant. Interdum ad littus, vel in forum ducebantur eodem agmine; ibique ad eos, aliosque, qui plurimi sese agglomerarant, appositè fiebat sermo.

197 Sodalitas nominis Iesu restituta ad tollendum iurandi & execrandi vium.

198 Maurorum quoquè factũ Sodalitium. Haud minor multis Christianis captiuitate exemptis impensa cura. Cùm enim Andreta classis regiæ præfectus septem cœpisset Maurorum biremes, magnamque vim Christianorum, qui in ijs ad remum adacti durissimam tolerabant seruitutem, aseruisset in libertatem; ex his, dum alij ad alia templa gratulatum Deo lætabundi festinant; trecenti confluxere ad Collegium, quos Petrus Bernardus, in locum Iacobi Lopij, iam Rector, sermone pro tempore adhortatus, in geminum partitos agmen, ipse cum Ambrosio Castillo per vrbem deduxit, manantibus præ lætitiâ ad tale spectaculum Ciuitati cunctæ lacrymis.

199 Mancipijs Christianis ex Turca ereptis consultum. Vbi in templum maximum ventum est, rursus eos consolatus Rector, & ad cauenda peccata, quæ

200 Petri Bernardi Rectoris in ea re labores.

sunt

sunt omnium malorum semen, & in duriorem, quàm vndè exierant, mancipant seruitutem, atque ad expiandum confessione animum hortatus est. Nec mora, cognitâ re, Episcopus multos præter Sacerdotes Collegij, alios aduocari Confessarios iussit. Perpurgatis animis miseri homines, tanquam reuocati ad vitam, ad diuinissimum quoquè epulum corroborandis viribus admissi sunt. Vbi miserationem maximè excitarunt, cùm seminudi, tantùmque rudi illo nautico centone tecti, quò honestiùs ad cælestem mensam accederent, circumstantes rogabant, vt tegmenti aliquid commodarent: & alij saga, alij pallia, alij alia raptim sibi detracta commodabant. Nec in vrbe, quàm in agro profectum est magis: rem in primis promouente Antistite: qui diœcesim lustrans secum aliquot Collegij Patribus ductis, & materiam suggerebat eorum industriæ, & industriam auctoritate fœcundabat. Hispali ad vicinos populos, sed felicissimo cum euentu nobilem in Vrbem, hodie Xerezium, olim, vt plerique volunt, Asidonam nomine excursum est. Hieronymus Portillus, dum Peruanam nauigationem opperitur, ac Georgius Aluarius, cum tribus præterea Sacerdotibus eâ peregrinatione perfuncti. Hi cùm scholarum sibi Magistros, præcipuamque nobilitatem conciliassent, ita concionum grauissimarum frequentiâ, clarisque Euangelicæ virtutis exemplis Clerum, populum, omnes commouere Ordines; vt ex ætate operatâ literis, nullus omnino è reliquâ Ciuitate, virorum iuxta, ac mulierum, summorum, atque infimorum pauciſsimi reliqui fuerint, qui non ab vltimâ pueritiâ generali confessione animos renouarint. Cùm ingens numerus puerorum per vrbem duceretur summa canentium religionis capita; iucundissimum edebant spectaculum primarij viri, qui admiscebant se innocentium choris: ac fermè nudato capite alij regebant ordines, alij iuuabant canentes, alij, vt in magno concursu, tumultum, atque turbas prohibebant. Id verò totum eò visum est singularius Dei opus; quòd aliquot ante annis Magister Auila diu re frustrà tentatâ, tandem velut imparatam, nec dum idoneam ad statum pietatis excipiendum reliquerat Ciuitatem. De Collegio instituendo actum seriò est: sed admòdum serò transactum. Non absimili felicitate Petrus Domeneccus, & Hieronymus Mur, cum Petro Ludouico Borgia Magistro Militiæ Montesanæ, Patris nostri Francisci Borgiæ fratre, qui à Philippo Rege gubernator, & dux generalis Oranum, in littore Africæ sitam vrbem mittebatur, medio vere profecti, milites, oppidanosque instituerunt. Ad annos ibi tres Domeneccus, quinque Hieronymus cum fratre Ginezio mansit; qui præter cetera munia, cum Arabicè optimè nosset, interpretis vice apud Gubernatorem, si quando res posceret, fungebatur. Hoc primùm anno & in Canarias, quas vocant insulas (Fortunatas prisci nominauerunt) Societatis nauigauit industria, ductu Bartholomæi Turriani Episcopi, cuius de sanctissimâ Trinitate monumenta præclara exstant. Ille vir doctrinâ nescias, an sanctitate maior, vt primùm Episcopus nominatus est, literas ad Borgiam tales dedit. Aueo vehementer, maximè venerabilis Pater, ne ignores, te à me deamari. Ita enim res habet. Nemo omnium est, in quem magis affectus sim; cui plus cupiam, tribuamque. Cæterùm tempus incidit mihi permolestum: in quo consolationem, & opem expeto ab sanctâ Societate, quam suauissimè semper dilexi. Res autem asperæ sunt, in quibus necesse est ad amicos confugias, eos maximè, quorum beneuolentia vno nixa est Christo Iesu. Verè affirmo tibi, Pater, nunquam ausum me deliberatâ sententiâ Episcopatum optare, quamuis, vt hominem inanem, tentamenta eiusmodi & me vellicarent: quæ propitio Christo, perinde vt fœda irritamenta, repuli. Sed tandem tamen ita factum est, vt Philippus Rex noster, ac Dominus Canariensem mihi Ecclesiam imponeret. Assensum ego complures dies sustinui, dum venerarer Deum, vt vtra pars honestior illi, & glorioſior futura esset, in eam inclinaret cor meum. In quo sanè indulgenter accepit me, & in summâ quadam animi æquabilitate constituit. Ad postremum timens, ac tremens ceruicem suppositi, orans Christum Iesum, vt ea susceptio fieret mihi materia laudandi eum, & ipsius Crucem sequendi in sanctâ Canariensi Ecclesiâ. Illuc adire sine Societatis præsidio equidem nunquam ausim. Certum quippe habeo amplius

201 Xerezij res gestæ Hieronymi Portilli, & Georgij Aluarij opera.

202 Oranensis Missio per Petrum Domeneccum & Hieronymum Mur.

203 Missio Canariensis Turriano Episcopo postulante.

204 Eiusdem Episcopi literæ ad Borgiam.

Digitized by Google

vnum ex eâ Sacerdotem, quàm triginta, qualis ego sum, Episcopos, profecturum. Ingens messis est, & ingens ad legendam apparatus. Siquidem Prætor, Iudices Quæsitores, qui recèns decreti sunt, mecum omnes amore sunt coniunctissimi. Mihi autem decretum est Societatis Patres in oculis semper ferre: quæque ad humanos vsus pertinebunt, in me procurationem recipio. Quin & duces mihi eos, rectoresque in rebus omnibus destinaui. Quod nisi præstem; tum me omnino vanum habeto. Accedit quòd & earum apud Regem procuratores Insularum id ipsum ex me institerunt, Societatem vt eò ducam. Itaque, Pater, intelligis, vbi Ordinum simul Laici, Sacrique conspiret gratia, & præeat Antistes; non posse non centesimam redire frugem. Equidem sic arbitror, me Canariæ Episcopum ab vna Societate factum: non studio apud homines, sed meritis apud Deum. Qui quamuis vitia in me innumerabilia viderit, quæ solus emendare ipse potest; tamen & amorem videns, quem mihi erga Societatem idem ipse indidisset; voluit eo loco statuere, vel vile adminiculum, per quod gradum illa indè in cunctas Occidentis Indias faciat. Ergo, per affixum Cruci Christum Iesum, obsecro te, summè venerande Pater, ne me indignum hoc beneficio ducas, ne miserrimus hominum viuam. Quin ita censeo nequaquam id mihi negari fas esse, quin sancto Spiritui repugnetur. Sacerdotes quinque, duos adiutores eorum velim. Ac precor istos Patres, Fratresque dominos meos, apud Deum agant, suam mihi vt opem ad ministerium tam grande largiatur: ac nominatim supplicent tuam mentem ad vota inflectat mea. Nihil euenire mihi infelicius, nihil nuntiari tristius posset, quàm has abste preces repudiari: iterumque affirmo talem repulsam aduersùs sanctum Spiritum fore: qui tuæ Paternitati bonus inspiret, nosque omnes efficiat seruos suos, atque perdoceat omnia, præter Iesum, vel quod propter Iesum sit, nihil esse. Ad has literas alias, atque alias sententiâ, & grauitate eâdem adiecit: nec quieuit, donec Sacerdotum par egregium Iacobum Lopium, qui Collegio Gaditano præfuerat, & Laurentium Gomium, totidemque adiutores Ludouicum Ruitium, & Alfonsum Ximenium impetrauit. Hoc anno Sanlucari profecti, quo die ascensus in Cœlum Christi colebatur, secundoque longè prouecti cursu proximè abfuerunt ab summo discrimine in Maurorum tres biremes illapsi: sed votis ad Deum supplicibus, repentè impetrato (sic opportunitas auxilij fidem fecit) validiore vento, tandem incolumes, octauo postquam è Bœticâ soluerant die, ad Tenarisem insulam, vnam è Canarijs appulerunt. Excepere populi ingenti gratulatione iam notum, carumque famâ Pastorem: sed & nomen, & caritatem præsentia statim experimenta auxerunt. Ipsemet lustrare ritu Apostolico Diœcesim: verba ad concionem facere: erudire rusticanam multitudinem, & pueriles greges: aures præbere cuilibet de vulgo peccata exonerantium: inuisere, solarique decumbentes: carcere vinctis adesse: suam rem communem cum egenis habere: comitatu modico, sed probo contentus, vitam agere frugalitate spectabilem, maiestatemque tueri nullo alio, nisi splendore virtutum. Immensum profectò pondus est auctoritatis, atque existimationis. Non Antistitum modò, sed omnium prope mortalium mitissimus erat, ac simplicissimus Turrianus: & tamen ob perspecta, quæ commemorata sunt, sanctitatis documenta, demissamque in animos opinionem summæ eius integritatis; ita non amabatur solùm, quod consentaneum erat, sed etiam formidabatur ab omnibus; vt rarò alius magis. Indè dumeta vitiorum facillimè excîdi, perpurgarique Domini agrum, reuirescere pietatis stirpes, sanctam vbique cælestis amœnitatem veris enitescere: vt nunc demum vetus Insulis vocabulum Fortunatis conueniret. Iam Patribus de Societate, Fratribusque, quos duxerat, supra quàm spoponderat, & Pater, & Frater, & prope famulus esse. Illi verò contendere vsque magis vires, magisque: non sustinere, vel talibus exemplis vinci, vel tantam benignitatem non exæquare vitâ, manuque. Eniti Laurentius, sed cùm breui morbus eum implicuisset; Iacobus Lopius vicem multorum: ad omnia manum admouere: ad omnes Episcopi vsus præsto esse: sæpius in die & concione, & catechesi desudare, duo è decem maximè præcepta tractans, secundum, ac sextum: eò maiore vbique profectu; quòd ab ipso statim initio, manifestis

205 Iacobus Lopius, & Laurentius Gomius ad Canariensem Missionē designantur.

206 Episcopi Turriani virtus.

207 Patrum nostrorum primi in Canarijs labores.

Digitized by Google

niſeſtis palàm eſt factum prodigijs, adeſſe præſtanti operario præſentem cæli ſauorem. Dicebat per Pentecoſtem, ſub quam appulerunt, apud Augnſtinianos in ſanctæ Crucis Inſulæ Tenariſæ, cùm in æſtu concionis repentè in flebilem clamorem erupit. Profundite imbrem lacrymarum, profundite, non ex oculis, ſed ex corde, nec conſuetas lacrymas, ſed cruentas. En homo iam in decenni concubinatu audit me, qui, priuſquam quicquam cibi deguſtet, inexpiatus occidet, rapieturque rationem Deo vindici redditurus. His dictis, orationis redintegrato filo, inſtitutam diſputationem pertexuit. Ecce autem, dum ad menſam Epiſcopus, & cœnobij Prior, noſtrique Patres, & alij conſident, cùm interrogaſſet Epiſcopus, quid ea verba ſibi vellent, & Pater negaret quicquam ab ſe tale dictum (adeo extra ſe raptus effuderat) medio illo in ſermone dixerit nec ne dixerit; trepidè Monaſterij fores pulſantur, vt ad hominem exhalantem animam aliquis Sacerdotum accurrat. Proſiliuit ipſemet Pater Iacobus: & in vicinum tectum inductus hominem reperit mensâ poſitâ dum ad veſcendum mappam explicat, repentè exanimatum, ceruice in alterum ſellæ latus reflexâ: quam fœmina vnâ ſuſtinens manu, alterâ thoracis ei laxabat fibulas. Hæc erat, quam ſupra decem annos habuerat, concubina. Ille quantumlibet appellatus, atque excitatus, nullum doloris, nullum omnino ſentientis ſignum edidit. Confectum iam nimirum miſeri negotium erat. Cuius horrendi euentus vulgatâ famâ coëgit ad curam ſui incurioſos mortales reſpicere, & dura pectora ad recipiendam in tempore medicinam molliuit. Itaque planè morum inſignis conuerſio conſequuta eſt. Sub autumnum extremum ſatis iam in magnâ Canariâ, circaque rebus conſtitutis; ad laborantes maximè partes leuandas impiger Præſul intentus, ad Inſulas nauigauit duas (Lanzarotem, & Fortemuenturam vocant) procul à magnâ Canariâ triginta fermè vnam, alteram quadraginta leucis. Quæ cùm longo tempore Epiſcopum non vidiſſent, & obrutæ inſcitiâ, ac vitijs iacerent; tanto motu, atque ardore ad pia remedia concurrerunt; vt Pater Iacobus nuſquam ſibi conſpectum maiorem affirmet. Itaque duorum ſpatio menſium nemo fermè in neutrâ reliquus factus eſt, qui non accuratiſsimè Sacerdotibus conſcientiam aperiret. Et Sacerdotum aſsiduè ſedentium in ſacro tribunali, vnus ipſe Epiſcopus erat: ad quem ex Aethiopicâ illâ plebe infimi quique viri, fœminæque adibant. Sed frui tanto bono Inſulis Fortunatis diu non licuit. Cùm vtrâque in Inſulâ ægrotaſſet, & quia poſterior morbus pertinaciùs inhærebat, nec vlla aderant leuamenta, reuehendus in magnam Canariam fuiſſet; malo inſuper nauigij vexatione irritato, præſertim dum curſum accelerant, vt hoſtilia duo Maurorum nauigia effugiant; in portu Canariæ, qui leucâ diſtat ab vrbe, permunitus diuinis planè Sanctorum inſtar curſum ſanctiſsimæ vitæ ipſis Februarij Kalendis confecit: eò nominatim lætus, quòd & in expeditione, & quaſi in acie: ad hæc (vt euangelicam paupertatem ſemper coluerat) quòd in aliena domo, in alieno lectulo, inter obſequia aliena mori contigiſſet. Circumſtantes, vt ſanctitas mortis incredibili ſolatio permulſit; ita cum ipſos, tum Inſulanos vniuerſos inopinata iactura acerbiſſimo dolore afflixit. Non vnum, ſed multa Societati Collegia meditabatur: & in eam rem quàm optimo iure potuit, donatione, ac teſtamento rerum ſuarum pleraque deſtinauit. Neque id minus Inſulani effectum optabant: nihil iam acrius metuentes, quàm ne Societatem ſimul amitterent. Pridie quàm Epiſcopus, & quidem vt tempore, ita mortis ſanctitate proximus in vrbe Canariâ Laurentius Gomius deceſſerat, magnâ religione, & innocentiâ, prudentiâque, & animarum caritate Sacerdos: quem religioſi quotquot aderant Ordinum, Prædicatores, Franciſcani, Auguſtiniani; cum Clero, ac Ciuitate omni exequijs honeſtarunt: additâ concione, quam Auguſtinianorum Prior habuit in verba, quæ ipſemet dicebatur Laurentius moribundus propoſuiſſe: & poſtea Clerus pecuniam contulit ad cereos coëmendos, qui ad tumulum toto anno arderent. Ergo cùm vnicus ſupereſſet de Societate Sacerdos Lopius, conſenſu omnes, qui res adminiſtrabant humanas, atque diuinas diligentiſsimè cauerunt, ne quà ei, ſi fortè redire vellet ad ſuos, exitus pateret ex Inſulâ.

208 Mira Iacobi Lopij prædictio.

209 Morbus, & mors optimi Epiſcopi.

210 Patris Laurentij Gomij obitus, virtuteſque.

211 Religioſorum, & Cleri ſenſus de eius morte.

Digitized by Google

212 Eboræ templi iacta fundamenta.

In Lusitanâ Prouinciâ cùm multa alia Michaël Turrianus Visitator alibi ordinauit, tum Eboræ, atque Conimbricæ institutionem Tyronum. Eboræ quinto Nonas Octobris, qui dies sancti Francisci honores præit, Archiepiscopus solenni ritu, magnâque ceremoniâ, inter chori sui carmina, templi fundamenta auspicatus est. Vrgebat ædificationem, qui & impensam subministrabat, Cardinalis Henricus. Idem sancti Saluatoris Monachas è regione Collegij sitas ære suo alio transtulit, vt, Cœnobio deleto, aream pro Collegio aperiret. Idem & sancti Antonij Collegium Olisippone bono reditu auxit, certam pensionem quotannis ad plenam dotem suppleturus. Inchoauit & Bracharensis Antistes magno splendore sui Collegij templum, additâ ad populum, vbi solennibus ritibus perfunctus est, graui, appositâque concione. Conimbricæ, cùm vehementer imbrium laboraretur inopiâ, populo ad opem diuinam conuerso, fermè quingenti ad Collegij templum venerunt, accerrimè sese diuerberantes; quos cum post seueram lacerationem domum recepissent Patres, & reficere xenijs, curareque agressi, vitiosum sanguinem vel ore suo exugendo è cruentis tergis traxissent; eâ pietate sic permouerunt, vt plerosque omnes de criminibus simul confessos dimitterent, & corporibus sanatos, & animis. Nec surdæ pijs precibus aures fuerunt diuinæ clementiæ: sed effusum piè sanguinem tempestua, ac liberalis pluuia repensauit. In hoc Collegio Ignatij Vogadi, Eboræ Francisci Coëllij insignes fuere obitus. Ignatius in Affricam cum Ludouico Consaluio, & Ioanne Nunnio, qui postea Patriarcha Aethiopiæ fuit, olim profectus; ad consolandos, redimendosque captiuos, vndecim annos, ac dimidium in eo sancto negotio egit: cuius temporis annos quatuor in Lusitanorum præsidio, ceteros Tituani, inter Saracenos vixit, post discessum Consaluij, ac Nunnij omni Sociorum, & solatio, & ope destitutus. Quippe tanta virtus erat, vt eam ita solam, tamque iniquo loco Patres tutam censerent, Christiani longè, latèque sermonibus celebrarent, Saraceni admirarentur. Patientiam ante omnia suspiciebant. Namque cùm vulgo Sanctus ab ipsis haberetur Mahometanis, nec auctoritate parùm apud Ciuitatis Præfectos valeret; nemini erat dubium, quin, si ad eos factarum sibi iniuriarum querelam deferret, multis se molestijs liberare posset, & ipsi fatebantur noxij non impune sibi futurum. At ille inter multa capitis pericula, cùm petulantioribus Barbarorum passim esset irrisui; ab his probris, & contumelijs operiretur, ab quibusdam etiam cæderetur; in placido perseuerabat silentio, nullum commotioris animi documentum edens, suo muneri tranquillâ mente, vultuque bono intentus. Christianis captiuis amplius quadraginta morbo oppressis in summâ humanorum auxiliorum solitudine strenuè ministrabat, conquirebat cibos, & idem coquebat, & porrigebat: adhibebat quicquid nanciscirem edij poterat: solabatur mœrentes, confirmabat morientes, mortuorum curabat corpora, & sepulturæ mandabat: interim, & missâ ad se stipe non paucos, vt cuiusque pietas maximè periclitabatur, redimens, ad Christianorum remittebat oras: omnes ad tolerantiam, ærumnarum, ad conseruandam in religione constantiam, ad vitæ innocentiam modis omnibus incitabat: vt multis sanè nominibus in eorum parte futurus sit, à quibus in magno iudicio Christus Rex esurienti sibi, & sitienti, & nudo, & ægroto, & vincto, & hospiti adhibita solatia, vniuerso audiente mundi theatro, pronunciabit. Patriam habuit in diœcesi Visensi pagum nomine Villa Regis. Prima puer litterarum rudimenta didicit: & dato in Clerum nomine; in ordines minores adscriptus est. Ferebatur iam tum paruus ad pietatem: nullo die, quantùm consequi posset, rei diuinæ non intererat: diuinis Concionatorum vocibus mirificè tenebatur. Demum lectione libelli de Mundi contemptu, & Patris Francisci Stradæ concionibus in vrbe Portus animum ad Societatem appulit: & sub anni vndequinquagesimi initium admissus est. Reuersum ex Africâ perdiscere Patres volebant quod ad Sacerdotium satis foret: at ille præ demissionis studio, ita rationes exposuit, quibus docuit aptiorem sibi sanctam rusticitatem esse; vt in suâ relictus quiete sit. Itaque in Marthæ laboribus, nunc triclinij instructor, nunc coquus, aut ianitor, aliàs aliter, prout obedientia versaret, magno cum exemplo perse-

213 Cardinalis Henrici in Societatem liberalitas.

214 Bracharæ inchoatũ ab Antistite Collegij templum.

215 Conimbricæ impetrata pluuia se flagellãtium supplicatione.

216 Sociorum caritas corporibus prodest ac animis.

217 Virtus & obitus Ignatij Vogadi.

Digitized by Google

perseuerauit, quoad tabe consumptus sexto decimo Decembris die religiosum sacrificium consummauit. Franciscus Coëllius absolutissimæ innocentiæ iuuenis, & ipse Visensis patriâ, sed ipsâ ex vrbe, excreato in studijs Theologicis sanguine, suauissimam, vti iustorum est, reliquit memoriam sui: cùm diu non nisi ferè de excellentibus eius virtutibus sermo esset, & quas quisque obseruarat, eas commemoraret, atque extolleret maximè. Excelsitas animi dicebatur omnino mirabilis in longâ, difficilique ægrotatione, & Crucis amor inexplebilis: ad hæc obedientia summa, efficacissima; item prudentia in piâ consuetudine, quam cum tyronibus instituebat: sed super omnia mentis attentionem ad diuina, & exercitationes assiduas, variasque virtutum, quas in libello eius repererunt, exstimabant humanis viribus intolerandas, nisi si cui, perinde vt illi, iam diuina quodammodo in naturam vertissent. Fuere grauissimi viri, multùmque cum eo, indè vsque ab tyrocinio (septem tantùm annos, ac totidem menses in Societate peregit) versari, qui affirmarent, nil se vnquam in eius dicto, factoue notare potuisse, quod vel leuissimæ noxæ speciem haberet: cùm alterâ ex parte viuum esset omnium simulacrum virtutum. Paucis ante mortem diebus, ingresso in decumbentis cubiculum Georgio Serrano tum Eborensi Rectore, cum aliquot socijs; veluti è somno experrectus: Quis ille, inquit, est, qui modò denuntiabat me sexto Kalendas Iunias ad fruendum Deo abiturum? Cumque Rector, alijque negassent se quippiam dixisse; ille obticuit: hi rem notarunt. Euentus certam fuisse denuntiationem ostendit. Sexto enim Kalendas Iunias immaculatum spiritum Spiritibus beatis immiscuit. Quo beneficio prædiscendi obitus nonnullo iure videtur famulorum suorum tam multos Deus ornare; vt, quando curâ suâ diuinæ gratiæ allaborantes faciunt, ne mors imparatos offendat; diuina benignitas addat, vt neque obrepat ignaris.

218 Francisci Coëllij mores insignes, ac mors.

219 Patris Organtini ad Societatem, & ad Indiam vocatio.

Ingens in Indiam missum est hoc anno subsidium Sacerdotes egregij septem, tresque non Sacerdotes. In Sacerdotibus fuit Pater Organtinus Gneccus Brixiensis, qui iam tum vigesimum quintum agebat annum, cùm anno millesimo quingentesimo quinquagesimo sexto mense Decembri, vnà cum duobus fratribus Ioanne Antonio, & Ioanne Baptista, quos ipsemet ad id excitarat, ad Societatem Ferrariæ accessit, matre viduâ, tametsi nullum præterea reliquum habebat filium, non modò eos non retardante, sed etiam, vt erat egregiæ pietatis, summâ cum lætitiâ, atque actione gratiarum Deo reddente: quæ etiam solebat prædicare Organtinum olim pro Christo multa passurum. Et ipse quidem iam indè à primâ pueritiâ ad Martyrij cupiditatem tacitis instinctibus pulsus, cùm de Indijs nihil dum audisset, & secum, & inter pueros æquales solebat frequenter cum suspirio dicere: O si daretur mihi aliquando pro Christo inter Turcas mori! Cuius voti compotem ex parte factum, perlatæ postea inter Iapones tot per annos ærumnæ documento sunt. Beatæ Virgini Lauretanæ Societatem debebat. Herniâ enim fœdâ laborans, cùm vouisset Lauretanam Cellam aditurum, si sanaretur; & statim mirè conualuisset, moxque voti soluendi causâ Lauretum adijsset; ita comiter, sanctèque ibi est tractatus à Patre, in quem incidit; vt decreuerit vitam eandem sequi. Quod reuersus Ferrariam cumulatè, vt dictum est, perstitit. Tempore eodem & Societatis, & Indicæ profectionis amore succensus est: illâque impetratâ, non destitit fatigare Lainium, vt hanc quoquè concederet. A quo bonâ spe sustentatus, vbi primùm renuntiatus est Præpositus Generalis Borgia; libellum et huius sententiæ dedit. Ego, Pater, cùm primos ad Societatem vocatus accepi; peculiari quodam instinctu perpelli me sensi ad patiendum permultùm in Indiâ, & ad vitam pro Dei gloria perdendam, vsque eo, vt dies, nocteſque ea menti meæ cogitatio obuersaretur. December proximus nonum claudet annum mei ad Societatem accessus: totoque hoc tempore voluntas hæc in animo meo non viguit solùm; sed confirmata, & amplificata est: sæpè etiam contra spem potiundi. Quin adeo quondam, cùm diu malè valerem, & tamen perstaret Indiæ amor; vereri cœpi num à Deo is esset. Quare ad clementissimum Dominum conuersus, oblatisque per amicos multis ob eam rem sacrificijs, ac precibus; vt, si ab ipso impul-

220 Per Lauretanam Virginem mirè conualescit.

221 Quam ardenter Indiam exoperet.

Digitized by Google

impulsus ille foret, valetudinem mihi, vires que ad exequendum concederet; ita conualui, corroboratusque sum, vt nunquam commodiore valetudine, & firmioribus viribus vsus sim; quàm nunc vtor. Commissa in seculo sese mihi offerunt interdum: ac, tametsi non perturbant; tamen vehementer commouent, vt existimem alijs ea vindicanda pœnis, quàm hisce quotidianis: statimque menti occursat præclara tolerantiæ materia, quæ Socijs inter Indos affluit: tumque ita cupiditas inflammatur; vt precum mearum, itemque diuinarum Hostiarum quamplurimas nequeam huc non referre. Nec raro videor mihi iam in regionibus illis esse, ac multis cruciatibus distorqueri. Quæ cogitatio, quamuis afflictet me; tamen voluntas vsque flagrantiùs inardescit. Quin etiam tentare ipse me volui, num planè animo, studioque dura perpetiendi facta ipsa, ac toleratio responderentâ; comperique cum diuinâ gratiâ ita esse: ac longiùs processissem, ni metus me coërcuisset sanctæ obedientiæ violandæ: tamen hac qualicunque exercitatione ita me sentio præparatum; vt si tua Paternitas ad Indiam me, vel quòcumque terrarum, sine omni commeatu, atque subsidio peregrè iuberet ire; non solùm cum assensu voluntatis, atque iudicij; sed cum quadam etiam corporis alacritate profecturus essem. Addam & hoc, quandoquidem cum eo loquor, quem iam habemus in Christo Patrem: cui libenter, ac simpliciter totum aperio animum meum; Expertus haud semel sum, quicquid Deus voluit, vt absè diuturnis precibus poscerem; id mihi tandem concessum. Qua ex re & hanc voluntatem interpretor ab eo esse, & exitum habituram confido. Quæ terrere, & auocare difficultatum obiectu possent, procliuia mihi se offerunt. Linguas earum gentium, quod tanti est momenti, videor mihi haud magno negotio percepturus. In summa (vt mittam plurima) hoc aio vnum: Sæpè multum mihi cadere lacrymarum cogitanti vel me in ijs regionibus multa iam perpeti, vel tantum animarum perire; quòd nemo sit, qui porrigat ad salutem manum: & interdum in hac cogitatione sic exæstuo; vt velle videatur animus è vinculis corporis exilire. Quoniam tamen id modò, quod diuinæ voluntati placitum sit volo decerni; quicquid dixi, si quid obstare perfectæ posset obedientiæ, irritum planè, indictumque esto. Voto quin etiam me, si permiseris, obligabo quæcunque aspera per omnem vitam citiùs patiendi; quàm vt vllâ cum obedientiæ labe hoc mihi concedi perurgeam. Quanquàm, si negabitur, oportebit te, Pater, suppliciter rogare Dominum, vt hoc desiderium temperet. Nam, vt nunc quidem est, tanto in æstu consistere diu vita nequaquam posset. Hanc immensam ærumnarum pro Christo exhauriendarum sitim Organtinus ad Indiam tulit. Quo mihi loco gestit animus Saluatoris nostri gratiæ cunctis sensibus gratulari. Quotum enim quemque inuenias ex ijs, quos tot inter pericula per immensa illa Orientis, & Occidentis maria auri cupiditas rapit, cuius ita vehemens, & imperiosa sit, & inexplebilis auaritia, vt huius est caritas? vt erat Alcarazij illa proximo volumine memorata? Cuius viri mentio admonet, vt & illud adnotemus, quàm sint obscura mortalibus consilia æternæ mentis. Nam Alcarazij, & Organtini cùm simillimus ad Indos impetus fuerit; dissimillimus exitus fuit. Quod in alijs quoquè permultis licuit animaduerti, qui cùm æquè summâ flagitatione institissent, constantiâque demum prope pertinaci, & improbâ profectionem eiusmodi expressissent; partim infelices exitus, partim faustissimos sortiti sunt. Organtinus sexto decimo Kalendas Aprileis, vnà cum Socijs, Olisipone soluit. Quatuor illo anno profectæ naues: in tres Socij distributi: quarta quoquè aliquot eorum optabat solatio in casibus, tam longæ nauigationis: sed abundè visi muniti sunt, quòd Henricus Tauera è sacro Dominicanorum Ordine, cum duobus de familiâ eâdem viris in eâ vehebatur. Is ibat Cocinensis Ecclesiæ futurus Pastor, loco Georgij Temudi, qui in Goanam succedebat sedem, cùm Gaspar Archiepiscopus deponendæ sarcinæ veniam à Pontifice impetrasset. Nisi quòd hæc nauis vehementer ob vectorum multitudinem conflictata est morbis, secundissimâ omnes nauigatione vsæ. Quinto Idus Septembres ad Goam pariter appulerunt. Duo hic annus habuit in Indiâ ad propagationem fidei momenta insignia. Celebratum est Goæ ab Archiepiscopo

222 Quam effet obedientiæ pernax.

223 Maior vis caritatis Christi, quàm insanarum cupiditatum hominũ.

224 Nequaquàm ex exitu res iudicandæ.

225 Concilium prouinciale primũ Indiæ.

Digitized by Google

copo Gaſpare primum Prouinciale Concilium: Fanaque omnia Salſettanæ regionis, atque Bardeſiæ, vnà cum Idolis euerſa. Concilio religioſarum familiarum præfectos, treſque de Societate Antonium Quadrium Prouincialem, Franciſcum Rodericium Goani Collegij Superintendentem, ac Melchiorem Nunnium Collegij Cocinenſis Rectorem Antiſtes voluit intereſſe: qui tres, pro excellenti ſapientiâ, rerumque peritiâ Indicarum, confeſsione omnium, vt in talium perſonarum ſummâ penuriâ, optimè de Goanâ Eccleſiâ non in præſens modò, ſed etiam in omne poſterum tempus meriti ſunt. Quippe huius Concilij decretis poſt hæc magnam partem Chriſtiana res in Indiâ adminiſtrari cœpta: ipſaque Synodus etiam eâ re præclarum de Societatis hominibus declarauit iudicium ſuum, quòd eos iuſsit decreta, canoneſque componere: ac primam concionem, cùm inchoaretur Concilium, Antonio Quadrio, vltimam, cum promulgaretur, quòd in diem Sanctis omnibus dicatum incidit, Franciſco Rodericio demandauit. De tribus præcipuè capitibus in Concilio actum. Primùm de adducendis ad Chriſtianam religionem Ethnicis: tum de Eccleſiaſticis rebus: poſtremò de moribus corrigendis. Eodem tempore Archiepiſcopus Gaſpar abdicans ſeſe, vt impetrarat, in Georgium Temudum ſacrum tranſtulit magiſtratum. Inter cetera viſum eſt Synodo, vbi præſidia Luſitanorum exigua eſſent, religioſos homines vno ex ordine ſatis fore. Ita commodiùs per varia loca diuidi operarum paucitatem poſſe. Occaſione vſus eâ Quadrius, quia Armuziæ Dominicanorum quoquè nonnulli erant; totam illis procurationem vltrò ceſſit, Patre Ioanne Meſquitâ, & ſocio reuocatis. Idque eò libentiùs fecit, quòd poſt Berzæum Gaſparem, nec corporum, nec animorum periculis, quæ cultores ſubibant, Armuzianus ager fructus reddere videbatur pares. Hunc finem Societatis Armuziana ſedes habuit. Idola, vnà cum eorum delubris Franciſcanorum Patrum operâ in Bardeſijs terris, Sociorum in Salſettis euerſa. Ad id, quod indignum erat in catholici ditione Regis, regnare palàm, colique Diabolos; vehementer Ethnicorum ſuperſtitionem firmabant publica illa munimenta, & officinæ impietatis: nec leuiter obuerſantia quotidie ante oculos priſtini cultus argumenta Neophytorum quatiebant animos. Itaque, quod ſæpè ante ex occaſione cœptum erat; hoc demum anno expreſſum ab Antonio Noroniâ Prorege, vt funditus Idola, & Fana omnia aboleri iuberet. Debetur egregij operis ſua non exigua portio Iacobo Fernandio Salſettanæ arcis Præfecto. Quippe & literis fatigauit Proregem, & ſimul facta ab eo poteſta eſt; ſtrenuè aduersùs infera monſtra ſuſcepit bellum. Fauitque Deus, vt res tanta, quanta ſuperioribus annis vix concipi votis poterat, quanquàm ſummo cum gentis, ac Brachmanarum ante omnes dolore, tamen pacatè, ac ſine vllo prorſus tumultu tranſigeretur. Initium factum Nonis Martijs ab omnium principe Fano meretrici impuriſsimæ dedicato. Mardor id nominabant. Publicâ illic impensâ gregem fœminarum cuiuſuis libidini gratis proſtitutarum alebant. Structura erat Fani magnifica. Itaque quærenti meteriam Proregi ad bombardarum fulcra; ſuggeſſere Patres ex eo Fano auferri optimam poſſe. Indè Sacrarium infame illud impudicitiæ Iacobo Fernandio demoliendi negotium datur. Illico is, & Pater Ludouicus Goës, cum idoneâ manu profecti, ſcorti ſimulacro (magna erat moles) in fruſta comminuto; Fano in præſens, tecto dumtaxat materiæ causâ ſublato, parcunt. At paulò poſt cognito Brachmanas cum Luſitano quodam id agere, vt reliquias à Prorege illas, ac ſitum emeret, ipſis poſtea, ad noui Proregis aduentum, quem faciliorem ſibi ſperabant, quo prètio vellet reuenditurus; funditus euerſum eſt: inque areâ mediâ, vbi tumulus aliquot gradibus aſſurgebat, procera Crux, impudicitiæ trophæum, omniſque vexillum ſanctitatis locata. Firmiſsimo hoc propugnaculorum Dæmonis ſolo æquato, alijs paulatim omnibus vaſtitas infertur. Præter exigua penè innumerabilia iuſtæ magnitudinis ducenta octoginta, in quibus quædam ſanè magnifica, vel igne, vel manu corrupta Fana; intra quæ Idolum anguſtâ cellâ, & tanquam ſpecu tenebricoſo, graueolenti, ſpurco, ſpurciſsimum ipſum condebatur: planè vt congrueret habitatori domus. Nec Idola ſolùm, ſtabulaque eorum deleta; ſed & Mahometicæ duæ ædes dirutæ, in quibus

226 Tres de Societate Concilio interſuht.

227 Decreta, canoneſque componunt.

228 Armuziana ſedes à Societate relicta.

229 Fana, & Idola in Salſettis, & Bardeſijs Terris ſublata.

230 Antonio Neronia Prorege & Iacobo Fernandio Arcis Præfecto Religio proficit.

231 Mardor Fanum meretrici dicatum proſternitur.

232 Crucis vexillum erigitur.

233 Duæ Mahometicæ ædes dirutæ.

Digitized by Google

bus è mediteraneis profecti impij Pseudoprophetam suum colebant, sensimque venenum impuræ sectæ spargebant; vt nisi celeriter occurreretur; haud æquè facilè olim vitiatæ eâ peste indigenarum mentes purissimis Christi Domini sacris imbuerentur. Hac Idolorum strage reposita est in Indiâ clades Diabolo, quam hoc anno ipse in Galliâ, & superiore in Belgio imaginibus sacris, & templis catholicis per Hæreticorum furorem intulit. Pater Ludouicus Goës, post egregiè nauatam in Salsettana expiatione operam, tanquam de euerso, vastatoque Dæmonum regno lauream accepturus; die Sancto Iacobo sacro migrauit è vitâ in Goano Collegio. Annum ætatis agebat sexagesimum tertium, initæ Societatis octauum: qui cùm animam prope ageret, rogatus à quibusdam circumstantium Fratrum, vt in ipsos conuerteret oculos: Sinite, inquit, ita esse: nam coram me Sanctissima Virgo adstat. Et planè creditum est misericordiæ parentem clienti suo consolando adfuisse summo illo tempore; adeo excellenti religione semper eam ipse coluerat. Ceterùm in Salsettis, sublatis Dæmonum prostibulis, ad extruendas vero Deo domos adiecta est cura. Absoluta est sacra ædes superiore anno in Curkalino pago inchoata: & Kalendis Maijs sacrum solenni ritu primum in eâ factum, cùm in Apostolorum Philippi, & Iacobi tutelâ esset, ibidemque Sacerdos cum adiutore Socio collocatus. Multi insuper indigenarum ad Euangelij lucem traducti. In Goanâ quoquè insulâ multùm profectum est non magno negotio. Ad arcem Pangim Pater Alexander Valla, cùm valetudinis causâ eò secessisset, ingentem Ethnicorum numerum baptismi amore succendit: quorum quadringentos quinquaginta nostræ Societatis Patres non pauciores alij Sacerdotes varijs in paræcijs abluerunt. Denique per anni curriculum, vel in Collegij templo, vel in alijs, ad quæ Socij ex Collegio Catechismi causâ itabant impulsi ab ipsis, & eruditi circiter bis mille octingenti ad Christianum fontem admoti. Nihilò minùs strenuè in reliquâ Indiâ, nec minùs prosperè laboratum. Trauancoridis oræ populos Franciscus Petrius è Sinis reuocatus, quanquàm ætate, & laboribus fractus inuisit. Iam fermè christiana cuncti Sacra susceperant. Sed valde cauendum erat, ne supremo vitæ tempore, vel præsidio Sacerdotis carerent, vel auitarum quicquâm superstitionum resumerent. Idcirco edixit vbique Pater, vt ægrotus, quicumque is esset, Canocopolam continuò admoneret (is est probatæ virtutis templi custos) ille Patrem sedulò accerseret. Qui Canocop olam admonere neglexisset; nequaquam Christianorum cæmeterio conderetur, sed in profanum insepultus abijceretur. Eadem pœna (quod id grauissimi anathematis loco gens habet) in vsurpantes superstitiones Ethnicas constituta. Demum amplius centum ad caulas Domini adiunctis ouiculis; quarto mense Coulanum, vbi Socijs præerat, remeauit.

234 Pater Ludouicus Goës piè moritur.

235 Beatissima Virgo illi adstat.

236 Templum nouum in Salsettis conditũ.

237 Patris Alexandri Valla opera baptizati Goæ.

238 Francisci Petrij per Trauãcoridem oram peregrinatio.

239 Commorinii in fide progressus.

In orâ Commorinensi quadringentorum quinquaginta ad Fidelium gregem accessio facta. Malabaricæ linguæ schola, quam Georgius Temudus tum Cocinensis Præsul in Manariâ exoptabat, Punicali, quod opportunius visum est domicilium, sub Patris Henrici disciplinâ instituta est, missis Goâ qui discerent, & Petro Ludouico quondam Brachmane, qui Patrem Henricum iuuaret. Malacæ nouum extrui templum est cæptum: quod sacro cranio vnius ex vndecim millibus Virginum locupletatum est. Id Pater Ioannes Baptista Ribera ab Vrbe Româ detulerat. Malacenses publicâ supplicatione, & concursu omnium ordinum, festoque sonitu, & bombardarum lætis explosionibus exceperunt. Melchior Carnerius Nicenus Episcopus è naui reuerenter extulit: præstolantique in littore cum Pontificali ornatu Episcopo Malacensi, in manus tradidit. Is in sacram Collegij ædem solenni cæremoniâ intulit. Pollentem vim sacrorum Cinerum & mare sensit. Cùm enim Ribera ab Goâ Malacam peteret, indè cum Petro Bonaueturâ, & Alexandro Vallâ perrecturus ad Sinas, ortâ in tenebris noctis tempestate, scapha à puppi ad proram traiecta grauissimè vndarum impulsu cæpit ad nauim allidi: cui malo dum nautarum ars in procellâ, ac tetrâ caligine minùs sufficit; rogatus Ribera, vt si quid sacrarum Reliquiarum haberet, in mare demitteret (mira res) vt primùm ijs, quas apud se gestabat, & quidem incerti nominis,

240 Templum extrui cæptum Malacæ.

241 Reliquijs sacris habita veneratio.

242 Earundem mirum auxilium.

Digitized by Google

minis, aquas tetigit: vt ventus, & pontus ſtetit, factaque eſt tranquillitas magna; commodiſſimè abiungi ſcapha potuerit, ac reliquum noctis tranquillo tanquam in portu traduceretur. Indè Malacam delatus, poſteaque repetito cum Socijs curſu, Amacaum Sinarum portum Auguſto medio tenuit. Obijt hoc anno in Iaponiâ Firandi Ioannes Fernandius vir laboribus, & rectè factis cumulatus: qui cum Xauerio in Iaponiam profectus, primas difficultates in incognitâ, adeoque noſtris diuersâ terrâ, ac linguâ perrumpens, octodecim annos perſtiterat: multùmque & factis, & dictis ad Iaponicæ Eccleſiæ fundamenta contulerat: vt prædicaret Coſmus Turrianus, ſi citiùs deceſſiſſet; futurum fuiſſe, nequaquam vt poſſet ſine eo noua illa moles ſuſtineri. Haud dubiè præcognouit, prædixitque vitæ ſuæ finem. Supremis vocibus nil niſi Chriſti Domini cruciatus, gloriam iuſtis in cælo paratam, aliaſque hiſce ſimiles res, quas ipſe Iaponicè ſolitus erat pro concione diſſerere in mente habens, & ore, ſexto Kalendas Iulias ad immortalitatem exceſſit. Accidit & Neophyti finis, dignus planè qui hîc adnectatur. Nexici, quinque procul Firando leucis, inter Chriſtianos tertio ante anno de Ethnicæ Dominæ voluntate factos, fuit etiam Bonzius, qui ante paganos in ſuperſtione erudiebat. Is vocatus eſt Thomas: proque Myſtâ erroris, inſtitutus veritatis interpres; non diligentiâ modò, ſed etiam exemplo agellum ita illum colebat; vt pulcrè vireret, floreretque eius causâ Nexici pietas. Eòque erat cunctis acceptior; quòd nihil ex quopiam mercedis, doniue recipiens, ad exercendam tantò magis virtutem, victum ſibi labore, ac manu quærebat: vetulâ Chriſtianâ, quæ domeſticæ vitæ adiutrix eſſet, oris quanquàm monſtruoſi, quia tamen virtutis erat eximiæ, in matrimonium ductâ. Mirabantur id amici connubium: quibus ille non ægrè ſatisfaciebat, cùm demonſtraret, nequaquam eas nuptias ab ſe voluptatis causâ contractas; ſed vt haberet humanarum neceſſitatum, pietatiſque Chriſtianæ conſortem. Verùm Ethnicæ Dominæ, quæ fœminam ei aliam deſtinarat coniugem, incredibilis indè dolor coortus. Quamobrem irâ furens imperat minaciter Thomæ portentoſam anum protinus domo abigat. Quod cùm is per Chriſtianam legem negaret ſibi fas eſſe; ad inſaniam impotentis Dominæ declinandam, ſolum mutat. Tum barbarâ calliditate mulier ſimulans ante eam diem ignarum ſibi Chriſtianis legibus diuortia prohiberi; ſecuro iubet animo remeare in patriam, ac vetulâ ſuâ frui: ſatis ſibi, cumulatèque factum. Vix igitur domum redierat, cùm ab miſsis à Dominâ ſicarijs, quibus officiosè ad littus occurrerat, vulneribus dirè appetitus, oculis, manibuſque in cælum ſublatis, piè Ieſum inclamans, haud dubiè meâ quidem ſententiâ, in odium fidei interficitur. In Inſulis Xiqui, & Goti inſtituta ſuperiore anno cæleſti Agricolæ nouelleta feliciter adoleuere. In vico Inſulæ Xiquianæ, cui Fucurum nomen, Gaſpar Villela, cum Melchiore Iaponio centum fermè ad Eccleſiam aggregarunt: in ipſo Oppido Xiqui trecentos octoginta, ipſumque in his Ioannis Toparchæ fratrem, cum multis propinquis, alijſque primis, & Bonzio prope octogenario è celeberrimis Iaponiæ ſapientibus: cui quòd tali ætate Chriſtum ſuſcepit; Simeon inditum nomen. Septem fermè Xiqui leucis diſtat Cabaxima: parua Inſula; ſed portu eâ tempeſtate frequenti. Nemini enim præternauigare licebat, niſi Cabaximam appulſo nauigio, ſolutoque portorio, commercij poteſtas per Toparcham fieret. Quæ ab Imperatoribus poſtea Meacenſibus Iaponiam per omnem ſublata portoria ſunt. Præcipuus Cabaximanorum erat Coſmus, quartum iam annum Chriſtianus, pietate, ingenioque, vt rebus ceteris, apprimè florens iuuenis. In hac quoquè Inſulâ trecenti magnam partem à Coſmo edocti ſacro baptiſmate initiati: Bonzijque in ijs duo, quorum alteri, per Sociorum abſentiam, Neophytorum cura permiſſa. In Iuſulis Goti Ioanne Baptiſta Montano cœpta vrgente, Ociquæ mandato Reguli ſacra ædes extructa eſt: cui mirâ ſedulitate Chriſtiani domum addidere ad diuerſorium Patris. Primus in eâ æde baptiſmus circiter octoginta capitum fuit: multòque acceſsiſſent plures, atque ipſius Toni filius; niſi moram Dæmonis ſatellites, vt ferè vbique vſitatum eſt, obieciſſent. Nouorum Chriſtianorum, vt erat in omni genere pietatis virtus excellens; ita oſtendebat ſumma bonitas ſimplicem eorum fidem

243 Ioannes Fernandius de Iaponia optimè meritus obit.

244 Thomæ Iaponis mors in odium fidei.

245 Progreſſus religionis in Inſula Xiqui.

246 Et in Inſula Cabaxima.

247 Et in Inſulis Goti.

248 Fidei Neophytorum, & ſanctæ Crucis mira vis.

Digitized by Google

fidem sibi esse pergratam. Ex morbis incurabilibus nullâ medici, nullâ medicamenti ope, fide dumtaxat in Christi Iesu benignitate fixâ, multi conualescebant. Quin & illud memorabile contigit. Cùm & alibi per Iaponiam, ac præcipuè in hac Goti regione belluarum magna vis cicurum, ferarumque morbis interiret; quidam Christianorum suis bobus, vel cruciculam è collo, vel candelam die Purificationis Deiparæ consecratam appendebant: alij suâ ipsi manu supra eorum capita signum formabant Crucis: ac, stupentibus vicinis Ethnicis, belluæ seruabantur illesæ. Sed miscenda sunt tristia lætis, vt vbique sit Christi sponsa, velut lilium inter spinas. Dum in his terris non improsperè diuina res procedit; Ximabarana Ecclesia, Ecclesiarum Iaponicarum ocellus, graui procellâ iactatur. Tonus, qui ad hanc diem non alienum se Christianis præbuerat, à Bonzio quodam infatuatus, vehementer diuexare eos, atque ad deserendam fidem minis vrgere cœpit. Regulus Bartholomæus re cognitâ reuocare hominem ab diro cœpto conatur, sed nequicquam. Tonus quippe respondit: omnia se eius causâ facturum: de Christianis stare sibi sententiam, vel è viuis vniuersos auferre, vel ad vetusta sacra retrahere. Hæc vbi compererunt fida pectora, Christi milites, domos, patriam, fortunasque omnes deserere, quàm in defectionis impiæ necessitatem adduci maluerunt. Itaque cum vxoribus, liberisque partim maritimo, partim pedestri itinere Cocinocum, vbi Pater Cosmus habitabat, migrarunt. Ximabaranus Tonus fugitiuorum domos publicari iussit, intentâque custodiâ vias obsideri, ne residuis fugæ locus pateret: è quibus tamen non pauci magno cum vitæ discrimine ad tutiora animis loca euaserunt. Porrò Cocinonenses in excipiendis profugis, hospitaliterque habendis, egregia præbuere documenta eius mirificæ caritatis, quæ in primæuæ Ecclesiæ feruere alumnis solet. Nonnulla per id tempus in Bartholomæi ditione tranquillitas erat. Indè proferendæ religioni liberiùs insudatum. Nec aberat spes Arimanum Iacatam eius fratrem, quem impræsens deterrebat ciuilis tumultus formido, breui ausurum palàm Christo se subdere. Nam Gasparem Villelam accitum in aulâ suâ iussit de Christianæ religionis institutis ad Proceres disputare: ex quibus subinde quidam vitali fonte tingendi Cocinocum mittebantur. Interim Ludouicus Froës, vt inter turbulenta bellorum, haud parùm promouens Sacaij tenebat se, aditum Meacensem in vrbem captans. Excurrebat interdum ad insulam Sangam ad arcis Imorienſis radices positam, quò Christiani Meaco, alijsque circa regionibus ad præcipua conueniebant diuini cultus solemnia: Sancio in primis læto, & caritatem erga hospites eximiam expromente. Is erat Christianus Dynasta Sangæ insulæ dominus, vir in his, quæ ad religionem spectarent, ardore, studioque mirus. Hæc incrementa cùm Christiana res in Iaponiâ caperet; Pontificiæ ad Andream Ouiedum Patriarcham perferuntur in Aethiopiam literæ, per quas ad has oras transferebatur. Res autem Aethiopicæ hoc statu erant. Inter ciuilium, externorumque bellorum motus, quibus Abassia omnis ardebat, catholicæ insectatore fidei Adamante sublato, regno adhuc fluctuanti successit filius eius adolescens Malaquas Saguedus nomine. Ouiedus, & Socij, post diutinam longarum, perque difficilium peregrinationum vexationem, ab Asmache Isaaco Barnagazio in orâ Tigrai maritimâ soli aliquid, vbi sedem figerent, impetrarant. Ita confluentibus eò Lusitanis, alijsque Catholicis; duo pagi conflati sunt: quorum is, cui Fremona nomen, feliciùs adoleuit. In his nunc quidem (nam paulatim aucta frequentia) circiter trecenti versabantur: quibus Patriarcha, ac Patres fidelium cunctis, prudentiumque Pastorum officijs præsto erant, victum sibi manu ipsi quærentes: adeo vt Ouiedus nec graue sibi, nec indignum Patriarchæ personâ duceret inter eas angustias agrestia ferramenta tractare, & rusticum opus facere: sed præcipuâ curâ, assiduitate, & caritate in agri laboribus Frater Antonius Fernandius versabatur. Præter hos alij circiter ducenti erant Catholici per Abassiam sparsi, quos Patres, vt in Christo genuerant; ita auctoritate, missisque subinde literis, & quamcunque excogitare caritas poterat ratione, sustentabant.

249 Ximabaranæ Ecclesiæ vexatio.

250 Constantia Christianorũ.

251 Eorumdem Caritas.

252 Meacensis Ecclesiæ status.

253 Aethiopiæ Abassiuæ status.

254 Fremona pagus catholicorum.

255 Ouiedi Patriarchæ virtus.

Ad hunc ergo modum Aetiopicæ habebant res, cùm ex Indiâ ad Patriarcham Ponti

Pontificiæ peruenerunt literæ: quibus iubebatur, cùm primùm opportunitas aperiretur ſine periculo nauigandi, quandoquidem in Aethiopia res non procederet ad Sinas, vel Iaponios ſeſe transferre. Exoptandum videbatur fuiſſe hoc ſanctiſſimi Patris imperium, per quod liceret ad meliores migrare oras, totque, ac tantas, tamque maligni prouentus finire calamitates. At Patriarcha Andreas clarè oſtendit Pontificias inſulas nequaquam ab ſe ocij, ſplendoriſque causâ ſuſceptas. Reſpondit Pontifici maximo, Primùm permagni momenti eſſe non ſolùm propter tot animarum ſalutem, quæ in Abaſſia eſſent, ſed etiam ad vires Turcarum infrigendas, atque tutandam Indiam, expeditionem Aethiopicam ab Luſitano Rege non omitti. Infinitam ex Aethiopia adoleſcentium vim abduci ad Turcas, & inſtitui bellicis artibus, firmiſſimum indè contra Chriſtianos robur. Ad hæc eſſe multas in Aethiopia Ethnicorum Prouincias: qui ſimplices præ ſe animos ferant, tractabileſque, nec magno negotio religionis ſemina ſuſcepturi ſint. Abaſſinis præterea ipſis magnâ iam ex parte, cum diſputationibus Patrum, tum libris gentis linguâ vulgatis, cognitas eſſe catholicas res: non abhorrere à veritate, eos ſi ſit, qui ab iniurijs aduerſantium tueatur. Iſaacum verò Barnagazium præpollentem opibus haud obſcurè profiteri ſe catholicum fore, ſi bellici motus conſidant. Id verò facilè fieri poſſe, ſi vel modica Luſitanorum claſſis auxilio veniat: ſexcentos haud plures deſiderari, qui arma ferant. Id ſe, quanto maximo poſſet ſtudio, precari ab eius Sanctitate, vt cum Rege Sebaſtiano tranſigeret. Deinde, quòd ſe iubebat Pontifex ex Aethiopiâ demigrare; id ſine certo vitæ diſcrimine, cum per illa maria Turcarum volitarent nauigia, latèque maritimos occuparent aditus, fieri nullo modo poſſe. Neque verò ſuum animum pati, vt vllius commodi ſui reſpectu, quas habebat ouiculas, in luporum faucibus deſtitueret, quamuis etiam numero pauciores haberet: quia bonus ille, inquit, & ſanctiſſimus Paſtor, qui animam ſuam poſuit pro ouibus ſuis, Chriſtus Dominus noſter, ſi vnam ſolam vidiſſet perditam, non vtique eam deſeruiſſet, ſed impoſuiſſet in humeros ſuos: & hoc idem vult, vt nos faciamus omnes, tum ſuâ causâ, tum proximorum. Quid enim ſi nos diſceſſerimus, ac vel vnum reliquerimus, dicturum cenſemus eum, qui mortuus eſt pro omnibus? Atque vt vnum confirmaret in fide Thomam, oſtendit ei fixuras clauorum, ſeque attrectandum præbuit. Quod quidem ad me attinet, Pater ſanctiſſime, paratus per Dei gratiam ſum veſtram exequi voluntatem, ſiue manere in Aethiopiâ, ſiue ire in Iaponiam iubeatis: ſiue mittatis ad Turcas: ſiue deponatis à dignitate Patriarchali, vt Patribus meis de Societate Ieſu, vel vobis in coquinâ, aut in quocumque volueritis miniſterio ſeruiam. Hac præparatione, excelſitateque animi ſanctus ille Paſtor, verè non mercenarius, ſummâ in paupertate, maximiſque ærumnis puſillum ſuum paſcebat gregem: cuius eximia virtus, quò conſpectior fiat, ſiquidem cordis theſaurus oratione vulgatur; placet etiam epiſtolam hunc in locum inſerere, quam ad Socios in Europam eodem hoc anno ſcripſit. Deus, ac Dominus noſter, inquit, qui pro ſuâ miſericordiâ, Patres, Fratreſque cariſſimi, nos ad tam ſanctam vocationem vocauit huius Societatis ſuæ ſanctæ, cuſtodiat vos, & conſeruet, confirmetque vſque in finem: detque vobis gratiam, & amorem, vt perſeueretis: & tum veſtro profectui ſtudeatis, tum etiam procurandæ omnium ſaluti: intelligentes hoc opus illud eſſe, quod Redemptor noſter, ac Dominus Ieſus Chriſtus in hoc mundo operatus eſt. Beati, qui in occupatione hac alios adiuuandi ei inſeruiunt cum amore, & humilitate: cum patientiâ, & timore. Ecce breues dies hominis ſunt, & mali, plenique periculis: neque eſt in hac vitâ, quod meritò expetamus, præter profectum animarum noſtrarum, ac proximorum: & in primis quidem noſtrarum, ſeruientes in omnibus Domino: id exequentes, propter quod nos creauit. Qua in re vtinam arbores, & reliquas res, etiam ſenſu, vitâque carentes, quæ præſcriptum ſibi ordinem à ſuo conditore ſeruant, imitaremur. Ne fugite, Fratres, moleſtias, quantumuis caro reluctetur. Bono enim creditori creditis, qui amantiſſimè ſpectat vos, quemadmodum contra vitia, & oppugnationes Dæmonis dimicetis: quò veſter erga ſuam diuinam

256 Eiuſdem Perſeuerantia in ſua Eccleſia.

257 Rationes ad Pontificem de ſua non deſerēda Eccleſia.

258 Ouidi flumi; litas, ac promptitudo.

259 Eiuſdem religioſiſſimæ literæ ad Socios Europeos

Digitized by Google

maiestatem amor probatus sit. Magnum assumite animum, & confidite, ipsum vos liberaturum, viresque & ad vincendum, & ad rectè faciendum haud dubiè subditurum: nisi defatigabimini, præque inertiâ, & socordiâ vos ipsi vltro succubueritis. Intuemini quàm dura, quàmque aspera suscipiant milites exiguæ mercedis, & laudis caducæ studio. Sæpenumerò in pericula summa, præsentemque mortem caput obijciunt coecitate, atque ebrietate venenati honoris acti: nec tamen rarò stipendijs, & laude frustrantur. Et nos pro Dei gloriâ, eiusque regno, vtque nos ipso ab æterno liberemus exitio, magnum quid ducemus vnum, aut alterum pugnæ annum patienter ferre? durumque existimabimus, si aut quò nolimus, aut aliâ, quàm velimus ratione mittamur: paucosque labores, quasi multos horrebimus? Et quidem (quæ est nostra infirmitas) perparum possumus. Verùm id ego rogo vos, vt enitamini ope, & armis, quæ noster augustissimus Reparator nobis subministrat: qui corroborat infirmos, consolatur mæstos, regit errantes, delinquentibus ignoscit, patrocinatur clientibus suis. Gaudete, Fratres, in Domino: tempus breue est, & labor leuis: ac Dominus magnus nimis, cui seruimus: & merces magna nimis, ac fine carens, quam rependit. Renouate, ac reformate sanctas vestras voluntates, & sanctæ vocationis spiritum excitate, tanquam si nunc primùm seruitutem Domini inchoaretis, ex bonâ voluntate, non ex necessitate suaue religionis iugum portantes. Neque credatis spiritui contrario ei, quo vos Dominus vocauit, quemque olim dedit cognoscere suum esse. Ipse enim per Malachiam ait: Ego Deus, & non mutor. Plurima equidem vellem adscribere: sed & tempus, & carta nos deficit: nam & alias literas exarauimus, & præ penuriâ in frustulis scribimus. Valete. Hoc ardore animi dum optimus Patriarcha, inter extrema omnia, & laboriosissimi Pastoris, & seuerissimi Ascetæ partes exequebatur in Aethiopiâ; consimili spiritu in Brasiliâ Ignatius Azebedius in omnem barbaræ gentis excolendæ, perficiendæque Societatis occasionem intentus, nouo ad Flumen Ianuarij Collegio, sumptibus à Sebastiano Rege in quinquaginta capita destinatis, initium fecit. Rebus alibi compositis, cùm iam egregiè Mendus Sà Præfecturam sedasset; huc Ignatius, cum Emmanuele Nobrega, & Prouinciali Granâ profectus; naturam loci peropportunam magnæ coloniæ, quam Lusitani moliebantur, speculatus; princeps eius oræ domicilium, quod adhuc ad sancti Vincentij fuerat, ibi statuit collocare, Nobrégâ eidem præfecto.

260 Ignatius Azebedius Brasiliam visit.

261 Inchoat Collegium Fluminis Ianuarij.

Nec segniter iam Euangelium tractabatur in Floridâ, Petro Martinio, qui primus pedem in eam continentem intulit, à Floridanis interempto, quemadmodum superiore anno dictum est; comites illius Ioannes Rogerius, & Franciscus Villaregius ab longâ, & graui tempestate Habanam Cubæ insulæ portum incolumes inuecti; indè in Floridam transiere hoc anno. In orâ maritimâ Floridæ, quæ triginta fermè ab æquatore in Septentrionem semota gradibus, ab Oriente in Occidentem longo, atque inæquali tractu porrigitur, multa Hispani propugnacula habebant hoc ordine deinceps posita. Primum versùs Occidentem Togobagæ appellabant: quinquaginta indè leucis Caroli ad sancti Antonij: cui succedebat Tequesta: mox viginti ab Tequestâ leucis sanctæ Luciæ: postque sexaginta leucas sancti Augustini, quod erat præcipuum, & minora duo contributa habebat. Ex eo leucarum non nisi duodecim interuallo sanctus Matthæus, quod nuper ab Hæreticis Gallis Menendes receperat: post leucas viginti Prouincia Quala, parique interuallo sancta Helena: vbi, quòd gens mitior videbatur, in interiora regionis progressi, propugnacula quinque Hispani statuerant. Per hæc loca bis mille quingenti circiter distributi præsidiarij erant. Ioannes Rogerius, cùm aliquot præsidiorum milites expiasset, in Prouinciâ Caroli consedit: Franciscus in proximâ Tequestâ. Ita Menendi placuerat. Nam ex Hispaniâ nouâ classes in Europam tendentes, cùm valde sub eas oras periclitari, ac barbari delere naufragiorum reliquias, res, homineſque solerent; prouidendum ante omnia existimauit, vt in casibus aduersis perfugium potiùs miseris, quàm vltimum exitium paratum esset. Continuò illi diuinam sementem exorsi, nequaquam, vti Menendes

262 Floridæ res.

263 Hispanorum in ea propugnacula.

264 Difficilis Floridanorum cultura.

spem

ſpem fecerat, parata inuenere noualia. Statuerunt loco idoneo cæleſtis ſigna Imperatoris, Cruces prægrandes, ad quas edocendos indigenas conuocabant: ſed vix pauci confluebant pueri: qui nihil frequentius, quàm ſe eſurire intercinebant. Quippe ea loca partim hominum ignauiâ, partim ſoli ingenio, commodarum vſibus humanis rerum magnam habent penuriam. Itaque Rogerius cùm ab Epiſcopo Iacatanæ optimo ſanè viro, ac Præſule aliquantum Maizij (quod pro frumento genti eſſe iam dictum eſt) impetraſſet; quamdiu ex eo ad diſtribuendum inter conuenientes ad catechiſmum ſuppeditauit; aduenere non infrequentes: vbi nihil eſcæ, quod præberetur, fuit; conuenire, tanquam ad ſterilem, & inanem cantum, deſtiterunt. In Prouinciâ Caroli Caciquem Hiſpani metu proditionis occiderant: qui ei ſucceſſit, Hiſpani Regis imperium vltrò ſubierat, ſuſcepto etiam Philippi nomine: faciebatque ſpem conceſſurum inſuper vnà cum populo in Chriſti fidem, vbi Menendes, qui redierat in Hiſpaniam, reuerteretur. Itaque noui Sociorum auxilij, & reditus Præfecti ſpe Rogerius, & Franciſcus inter maximos labores, haud magno effectu ſeſe interim ſolabantur.

265 Prima in Peruuiam miſſio Sociorum.

Meliore ſucceſſu in Peruuiam, Philippi Regis poſtulatu hoc demum anno prima ſuſcepta ab Societate expeditio eſt. Binos è ſingulis Hiſpaniarum Prouincijs Borgia iuſſit deligi, quo minore earum incommodo, viri tantæ rei initijs pares ſecernerentur. Lecti ſunt ſacerdos, ac laicus è Toletanâ Prouinciâ Antonius Aluarius, & Ludouicus Medina: è Bœtica Iacobus Bracamontius, & Ioannes Garzia: ex Aragoniâ Michaël Fontius, & Petrus Lobertus: è Caſtellâ ambo Sacerdotes Ludouicus Lopius, & Hieronymus Ruitius Portillus. Is omnibus eſt Prouincialis cum poteſtate præpoſitus, vir, vt res poſtulabat, omni virtutis ornatus genere. Cùm flagranti diuinæ amplificandæ gloriæ, & mortales cælo inſerendi ſtudio coniunctæ erant comites, adminiſtræque præclaræ duæ, Apoſtolici oratoris facundia, & religioſi gubernaculi ſimplex prudentia. Quæ bona grato decorabat lumine in ore nunquam non placido, ac ſereno amabilis comitas, & modeſtia perſuauis. Iam ſtabant in ſancti Lucæ portu mox conſcenſuri; cùm inhorruit ſubitò mare: grauiſque coorta tempeſtas per octo perpetuos dies tetrum in modum deſæuijt, tanquam ad incutiendum terrorem, quos darent ſeſe in caſus, in quæ vltrò pericula ruerent, oſtentaret. Sed viros fortes conſpecta in laudandis cœptis diſcrimina cautos, non timidos reddunt. Eâ ſpecie irati maris animoſa cohors, tanquam voce admonita, vt ad omnem parata euentum ventis ſe, ac fluctibus crederet; cùm confeſsione generali, aſceticoque ſeceſſu veterem eraſiſſet hominem, ac nouum nouo vigore compleſſet; tum ſeſe partim obedientiæ fiduciâ, partim exemplis hominum mortalis lucri causâ in eaſdem procellas tendentium ſtimularet; tempeſtates æternæ mercaturam quietis, adeoque pretioſa pericula amabat potius, quàm horrebat. Kalendis Nouembribus die Sanctorum vniuerſitati ſacro placidius ſe æquor oſtendit, nauigiorumque, & audaciæ humanæ patiens. Itaque eo die adornatâ profectione, poſtridie vectoribus prope cunctis, nautiſque diuino refectis Viatico, vela fecerunt.

266 Hieronymus Portillus mittitur Prouincialis.

267 Pericula fortes non vincunt, ſed cautos faciunt.

208 Philippus Rex abunde Socijs prouidet.

Abundè Philippus Rex ad viæ impenſas, & veſtimenta, ſimulque ad bibliothecam, ac ſupellectilem ſacram ſuppeditauit: negotio dato Peruuis Magiſtratibus, vt in vrbe Regum (quæ eadem Lima dicitur, & eſt Peruuiæ princeps) ad ædificium quoquè ſitum attribuerent: quibuſque beneficijs ex regiâ liberalitate ceteræ Religioſorum familiæ frueretur; eorum omnium nouus hic Ordo particeps fieret. Inſignem quoquè Hiſpalenſes Matronæ in veſte linteâ, alioque apparatu ſacro, & rebus, quæ ægris, languidiſque inter nauigationem leuandis vſui forent, prope per vim obtrudendis, caritatem aperuerunt. Ducum verò Methymnæ Sidoniæ, totiuſque religioſæ eorum domus beneficentia ſumma extitit. Fuit, & viri nobilis quædam benignè faciendi propemodùm pertinacia tanta; vt cùm ſæpè ante quiddam in commeatum obtuliſſet; Portilluſque quod Rex, alijque iam copioſè præbuerant, grato animo remiſiſſet; vbi ſublatæ ancoræ, ac diſceſſum ab littore eſt; in ſcaphâ raptim iuſsâ occurrere donum miſerit, eoque vicerit: cùm verecundia

269 Hiſpalenſium benignitas in Patres euntes in Peruuiam.

Digitized by Google

fuerit, vel per vndas sequaci beneficentiæ diutiùs obluctari. Amabant scilicet eâ ratione collaborare Euangelio, & cælestium thesaurorum, quos sacri illi mercatores quæsitum ibant, in partem aliquo pacto venire. Vnica tum ibat nauis: in qua, præter nautas quinquaginta, permulti nobiles, regijque administri vehebantur, omnium summa capitum centum circiter, ac viginti. Portillus vt illud primus de Societate in Peruuiam habebat iter; ita quasi religiosam vellet signare viam, ac sanctitatis vestigia, quæ posteri sequerentur, vel impressa vndis relinquere; summo consilio cuncta digessit. Ac Deus ita bonis conatibus aspirauit, molliuitque Vectorum pectora; vt planè dignus memoriâ cursus fuerit. Suâ illâ modestiâ, & caritate omnium primùm operam dedit, vt Nautarum iuxtà, ac Vectorum animos caperet. Neque id difficilè est consequutus tum sacris munusculis, tum obsequijs: præsertim vbi quis, vel tentaretur morbo, vel nauseâ vexaretur, iuuando, solandoque. Adhæc constanti significatione amabilis pietatis, animique sinceri sua viritim Nautis precatoria serta distribuit, modum edoctis, quo vterentur: & vitæ Christi Domini mysterijs pro concione explicatis, quæ inter salvtandam Matrem Virginem mente versarent. Inter nobiliores Vectorum, libellos distribuit pios: item edoctos quemadmodum iucundè, & salubriter lectitarent. Vniuersos demum exhilarauit sortitione Sanctorum, quos eo mense patronos obseruantiâ peculiari sibi quisque adoptarent. Porrò Socijs certum singulis attribuerat Vectorum numerum: inter quos, vbi religiosæ disciplinæ pensum persoluissent, instituerent pios sermones. Quæ dum fiunt accuratè, quodque caput est diuinum Numen secundat; totus dies non sanctissimè modò, sed etiam suauissimè exigebatur. Quod, tametsi arduum creditu est plerisque mortalium, vtinam tamen aliquando sibi, vt experiri vellent, persuaderi sinerent. Res enim ipsa fateri cogeret, nullam earum, quas primas putant voluptatum, cùm benè sibi consciæ mentis gaudio, virtutisque fructu posse conferri. Procul ab eo nauigio iurgia, rixæ, contumelioſa Deo, vel Superis dicta: procul ioci petulantes, ac ludi. Totâ vidisses naui feruere quasi officinam religionis: Nautas modò cum globulorum sertis in manu: modò quaternos, aut quinos de pio libello audientes: modò de Catechismo sermones, qui singulis diebus mane, ac vesperi explicabatur, inter se conferentes: parique studio nobiliores, quibus inserebat se quoquè Portillus, vel Sanctorum vitas, vel pium quodpiam Ludouici Granatensis volumen terentes, vel de rebus ad religionem spectantibus colloquentes: vt venustè conquererentur, surripi furtim sibi dies, nec spatij ad ludendum quicquam relinqui. Nec verò dies abibat, quo non plusculi, modò hi, modò illi singulare aliquod venerationis genus Diuo, qui in sortitione sibi obtigerat, publicè deferrent, quorum vitas vel legebant, vel audiebant mirâ cum voluptate. Diebus festis, ac sæpè aliàs Missa extra sacrificium (vt fit in mari) celebrabatur: secundùm quam adhibebatur, & concio. Quotidie litaniæ visitato Sanctorum indice, & salutatio Reginæ Cæli iterabatur. Pater Ludouicus Lopius ad triginta ex Aetiopicis Seruitijs precipuè sibi instituendos sumpserat legis Christianæ rudimentis. In hac varietate piarum actionum ita iucundè nauigabatur; vt non in Peruuium, sed in cælum instituta profectio videretur: magno Vectorum bono, qui pretiosiores inter eundum thesauros inuenissent, quàm quos è ditibus noui Orbis sperare metallis possent. Extraordinariæ nauigantium pietati singularis deberi Numinis indulgentia videbatur. Nec ea sanè defuit. Cùm centum Leucas processissent, intendente se tempestate grauissimâ, obducto nubibus Cælo, Nauclerus obseruatâ ætate lunæ, diuturnam fore, & omnino claudi maria interpretatus, vt iam ingruebat hyems, proram retro in Hispaniam parabat vertere. Itaque ad Patres conuersus: Fundite, inquit, preces ad Deum: in vnica eius clementiâ perfugium nobis relictum est. Haud languidè obtemperatum. Patuitque auditas precantium voces. Quippe cùm vehementior ventus supernè nubes naui aduersus ageret; eodem tempore infernè alius à puppi secundus afflabat: paulòque post discussis nubibus, sopitoque reflante, tantùm is qui fauebat ventus leniter aspirauit. Illud quoquè diuinæ tutelæ argumentum fuit, quòd Galli, qui paulò ante aliam expu-

270 Nauigationis ratio maximè pia.

271 Virtutis fructus voluptatum gaudium excedit.

272 Fauet nauigationi Deus.

Digitized by Google

expugnauerant nauim; cùm hanc facilè indepiſci poſſent, neutiquam attentarunt. Ad hæc cùm ſtatuiſſet Nauclerus in quendam magnæ Canariæ portum aquatum inuehi; mutatâ ſubito voluntate, propiùs ad vrbem ipſam Canariam ſtatùit nauim propellere: planè iniectâ diuinitùs mente, vt poſtmodùm compererunt. Prius enim conſilium ſi perſequuti eſſent; in Anglorum ſe vltrò manus induiſſent; qui duabus robuſtis nauibus eum portum inſederant. Ergo in Canariam, trecentas ab Hiſpaniâ emenſi leucas, tertio Idus Nouembres appellunt. Ibi lætitiâ maximâ ab Epiſcopo Turriano, & Patre Iacobo Lopio, & Ludouico fratre excepti. Namque Laurentius cum Ximenio in Tenariſâ degebant. Perendieque ad portum vſque deducti, qui ab vrbe ampliùs leucâ diſtat, poſtquam conſolatus eſt omnes Epiſcopus, atque nauigio benè precatus, læti curſum repetiere. Indè digreſſos haud leue periculum ad continuanda pietatis ſtudia excitauit. Dum violentior à prorâ ventus incumbit, per Nautarum incuriam, altero nauis latere proximè ad aquas depreſſo, altero ſubrecto altiſſimè; nihil propiùs factum eſt, quàm vt nauis euerteretur: cùmque eòdem incumbentium malorum, velorumque prægrauaret pondus; ita aliquandiu, in momenta ſingula ſingulis expectantibus mortem, & ad diuina auxilia fugientibus, proceſſum eſt. Portillum vnum in tantâ omnium deſperatione narrant, quaſi diuinitùs felicem exitum cognouiſſet; nec vultu, nec vllo motu conſtantiam animi immutaſſe. Reſtitutâ tandem, conatu, peritiâque Naucleri in locum ſuum carinâ; Dominicam inſulam procul ab Hiſpaniâ mille ducentis leucis quarto Idus Decembres tenuere: quam, quia Ethnicorum bellicoſorum eſt, abſque morâ præteruecti, nouam Carthaginem pridiè Natalis Domini peruenerunt. Noui, quod vocant Granatæ Regni vrbs ea eſt, emporium celeberrimum, ab Hiſpanâ Carthagine, propter ſimilitudinem portus, quia in vtroque inſula viſitur, nomen ſortita. Iam Prætor huius Prouinciæ liberale diuerſorium peramplâ in domo venturis Patribus adornarat. Quos cùm aliquantum ibi quietis, ad reparandas ex nauigatione vires cogitarent capere; noua ad ſe laborum inuitamenta traxerunt. Claſſis Hiſpana in eum portum paulò antè deducta, multos mortales diffuſis morbis amiſerat: ceteri grauiſſimè ægrotabant. Ergo Patres continuò re diuinâ, ter à ſingulis de more peractâ die ſancto Natali, ad iuuandos ægros magnâ populi admiratione ſe conferunt. Aliqui ſub meridiem ad Aethiopes tripudiantes habent concionem: qui ita primâ oratione conciliati ſunt; vt rei quis diebus vltrò ipſi prælatâ Cruce, ac tintinnabulo perſonante, ad Patres conuenirent. Cuſtodias ſimul iuuiſunt: aliorumque ſibi vſitatorum documenta officiorum edunt. Iamdudum celebrabatur eum quoquè per orbem fama Societatis, & vulgò cum ingenti approbatione ex Orientalibus Indijs miſſæ, impreſſæque typis literæ legebantur. Itaque cùm oculis hæc populus vſurpauit; enixè rogare inſtitit, vt apud ſe figere ſedes vellent: paratam domum, atque annonam fore: virque locuples totam in eum vſum rem ſuam pollicebatur. Ceterùm nec tantùm Societati abundabat ſobolis, vt tam multas in colonias expediret diuidi: atque hoc ipſum diſertè habebat in mandatis Portillus, abſtineret ab copiolis illis præmaturè ſpargendis, negrauiora viribus ſuſcepta onera, nec ſatis leuarent alios, & ferentes opprimerent.

273 Ad Canariam appulſus.

274 Ad nouam Carthaginem acceſſus.

275 Sociorum hic fructuoſi labores.

276 Expetuntur Collegia.

Digitized by Google

HISTORIAE SOCIETATIS IESV
LIBER QVARTVS.

A.D.1568. OCTAVVM, ac sexagesimum annum supra quintumdecimum ab Orbe redempto seculum, multa memorabilem Societati Iesu fecerunt: sed haud quicquam iucundius, quàm Rodulfi Aquauiuæ inclyti postea Christi Athletæ ab seculo ad eam: & Staniſlai Kostkæ beatissimi adolescentis ab eâdem ad Cælum transitus. Cuius gemini face syderis dum cadente altero, alterum exoritur; modici interuallo temporis, & triumphanti in cælo, & militanti in terrâ Sodalitati illustrissimum lumen accessit. Rodulfus Aquauiua ex Ioanne Hieronymo Atriæ Duce Claudij fratre, & Margaritâ Piâ lectissimâ fœminâ genitus, cùm indè vsque ab incunabulis, quasi in diuinæ gratiæ sinu eductus, non nisi suauissimos omnium virtutum vitâ, & moribus suis innocentissimis extulisset flores; ab anno tamen ætatis quartodecimo vberiùs diuino imbutus spiritu, quæ de viris sanctissimis prodita memoriæ sunt, aggredi facta cœpit. Proripiebat se domo solus: atque iacentes in Nosocomio, quosque ægrotare per vrbem pauperes noſset, perhumaniter inuisebat. Quod tametsi parentes Deum venerantes in puero non audebant reprehendere; tamen ne cui videretur suâ conditione indignum, quòd ita incomitatus in tenuissimorum se domos immitteret; aliqua tangebat cura: simul interdum solicitos, ne eam ætatulæ, corporisque teneritatem frequens cum omni genere languentium vsus afficeret. At Rodulfus neque hominum timebat sermones, neque squallorem, ac sordes fastidiebat miserorum, neque discrimine vllo commouebatur; sed quasi iucundissimas in paupertate, atque humilitate reperiret delicias; multùm, diuque cum ægrotis agebat: nec aliquo in scabello mundiore, si fortè offerretur, sed in ipsis ægrorum vilibus, ac sordidis considebat grabatis; atque indè magnâ affabilitate miseros, verbisque dulcissimis, denique Angelico suo vultu mirificè recreabat. Præterea in mendicos incidens, si quid ad manum haberet, nequaquam ferebat benignum eius pectus, vt vacuos præteriret. Sæpè etiam sibi thoracem, aut aliud quidpiam vestium detrahebat siue palàm, siue quopiam in angulo, & donabat: eoque pacto non rarò cùm Christum in suo paupere vestisset; domum seminudus ipse reuertebatur. Multò frequentiùs è linteâ supellectile suos destinatâ in vsus multa furtim distribuebat. Nec verò, vbi priuatâ domi vteretur mensâ, buccellam suam comedebat solus: sed, vt is, cum quo misericordia ab infantiâ creuerat, parcissimè sumens, quod labentis naturæ mederetur necessitati; cetera ad indigentes, præsertim languidos, dimittebat. Hæc erant Rodulfi nec dum puerilem egressi ludicra, hæ iucunditates: cumque caritate tantâ ceteræ erant coniunctæ virtutes. Pietas erga parentes, obseruantia erga omnes, ac præsertim domesticos, singularis: modestia in cunctis animi sui, corporisque regendis motibus summa, fortis, ac semper æquabilis: cum ætatis eiusdem adolescentibus vsus propemodum nullus, at multus pijs de rebus sermo: neque alia vnquam ex ore eius audita verba. Dicitur & de Indijs, deque Martyrij cupiditate solitus loqui. Domesticas ancillas, ceterasque parentis matronas, si fortè iocantes, risuque solutas, aut per garrulitatem otio abutentes offendisset; acriter increpabat: contraque de rebus agentes diuinis laudabat, incitabatque tam aptis, ardentibusque adhortantiunculis; vt non acres modò illis admoueret stimulos; sed admirationem pariter commoueret. Aduersùs Numen, Curiamque cælestem mirâ religione ferebatur. Inter cetera spatia, quæ precationi, ac rerum diuinarum meditationi tribuebat singulis diebus, vbi primùm vespertinarum precum audiebatur signum; abdens se in cubicu-

1 Rodulfi Aquauiuæ vocatio.

2 Misericordia eius ab pueritia.

3 Aliæ virtutes.

4 Orationis studium.

Digitized by Google

biculum, vel in familiare sacellum, vel quò commodum foret; vsque ad signum completorij nixus genibus perseuerabat. Ita nimirum in paternâ domo spirituali destitutum rectore sancti Spiritus docebat vnctio: quæ & vberrimo cælestium deliciarum alliciebat sensu, roborabatque, vt tandiu delicatissimus puer beatâ cælestium consuetudine frui vellet, ac posset. Lucretia Palmeria è nobilibus Margaritæ fœminis testimonio est, nullo eum strepitu perturbari inter orandum, nec leuiter commoueri solitum: inuentumque ab se quondam orantem apertis quidem oculis, sed immoto obtutu in Crucem intentis. Cùmque semel, atque iterum vocatus, agitatusque nihil sentiret; grauiter sese commotam, ne fortè emisso spiritu obtorpuisset, acciuisse trepidè matrem: quæ cùm aduenisset repertum eodem loco perseuerantem in diuinâ contemplatione, sed iam redditum sibi, atque sensuum compotem. Quam ecstasim verosimilius est voluisse Dominum palàm fieri, vt de alijs quoquè coniectaremus, quàm solam, & vnicam accidisse. Solenne est pueris ex lusu, neglectuque vestimentorum aliquâ subinde parte conscissâ cerni; Rodulfus ex precandi perseuerantiâ ad genu ferè detritis, ruptisque spectabatur. Quanquàm cunctis vestibus eò pulcrior incedebat cælestis Ephebus; quò magis euangelicâ simplicitate decorarentur. Verùm corpusculum tanto labori ex parte succubuit. Namque alterum genu diuturno totius pressu corporis fatigatum primò intumuit; dein Rodulfo nihil parcente, deque precandi nil remittente more; etiam periculoso vlcere conscissum est: nempe vt orandi constantiam patientiæ cumularet merces. Hæc præclara sancti iuuenis rudimenta, quò testatiora essent, nec è senum relatione dumtaxat, post longum tempus, postque obitum sancti viri, tum cùm æui solet longinquitas, atque exitus notabilis cuncta, quæ præcesserint, maiora facere; sed vt sincera, & suæ tantùm molis transmitterentur ad posteros; fecit diuina prouidentia, vt Pater Emerius de Bonis autumno superiore, dum ad vrbem sancti Angeli, domicilij, de quo infra dicetur, causâ pergit; Atriâ transiens, partim ab Rodulfi matre cognita, partim ab se spectata, ad Præpositum Generalem Borgiam, atque ad Rodericium Prouincialem scriberet: & earum epistolarum autographa asseruarentur adhuc in tabulario nostro: ex quibus ferè hæc ipsa nos prodimus: nihil ambigentes, quin multo plura, quæ miraremur singillatim commemorari possent, si fuisset, qui diligentiùs obseruaret. Inter ea studia Rodulfus ad Societatem non nisi famâ, & nonnullo peregrinantium Patrum hospitio cognitam, animum adiecit: eodemque tempore, quo Claudius de suo ingressu agebat Romæ; cùm alter de altero penitus ignoraret; ipse Atriæ voto se eamdem initurum obstrinxit: & mox vehementer est incitatus, vbi præiuisse illum cognouit. Itaque cunctorum amor popularium non solùm vti Ducis filius benignitate, modestiâque suauissimâ præditus obseruabatur; sed etiam partim ipso interdum significante, partim vnoquoque per se argumentante, velut diuino mancipatus obsequio, ac paruulus (sic enim vocitabant) Iesuita habebatur vulgò, & colebatur. Inter hæc Dux Margarita eius mater morbo correpta diem clausit extremum: cui Rodulfus agenti animam, cum Cruce Dominum manu tenens, assiduè adstitit: ea suggerens, eoque sensu animi; vt circumstantes hinc morientis casus matris, indè filij virilis constantia, ac religiosa sedulitas motibus varijs piè cieret. Atque vbi expirauit, ad lamentantes domesticos siccis ipse oculis versus; amabilissimo omnes, sanctoque alloquio solatus est: inter cetera eiulatu monens, & lacrymis abstinendum; quòd certa esset spes Dominam ad Beatorum sedes migrasse. Et sanè raræ Princeps erga Deum, resque diuinas, & aduersùs inopes pietatis fuit, cunctisque matronalium virtutum cumulata laudibus: cuius etiam sanctimoniam testari visum cadauer est post sextum, ac trigesimum annum, ne comâ quidem è ceruice lapsâ, incorruptum repertum. Ceterùm Rodulfus in sacram quidem militiam æstuabat: at nisi Patri Deus, vtique aliud agenti, iniecisset mentem, secum vt Romam, seu visendi causâ, vt fit, seu alio consilio, huius sub initium anni duceret; haud facilè videbatur expediri posse via, per quam è tricis domesticis, quàm cupiebat celeriter, euolaret. Romam simul attigit, non illum siue ad videnda antiqua monumenta curiositas alexit,

5 Amor paupertatis.

6 Societatem expetit.

7 Matri morienti adstat.

8 Romam ductus à Patre certat pro Societate impetranda.

Digitized by Google

lexit, siue pietas nobilissimis circumeundis Basilicis morata est: sed in vnâ fixus curâ, quemadmodum primo quoquè tempore se religiosis septis includeret, rectà ad Claudium, consilium cum eo suum communicaturus, tendit. Fortè eo die Claudius cum aliquot Sociorum ad Nosocomium, cui sanctæ Mariæ ab Consolatione nomen est, inopi iacentium turbæ accinctus linteo ministrabat. Eò se continuò fert Rodulfus, cùm domi non reperisset: cùmque non agnosceretur; vbi sese indicauit, nihil per ambages, & officia verborum moratus, ait se Romam ab Duce Patre ductum: quo consilio sibi incompertum: sed illud deliberatum, ac fixum esse, vitam suam Christi Domini seruitio mancipare inter Patres Societatis. Proinde tam honestâ in causâ præsto sibi apud Ducem sit, veniam vt bonam concedat. Collaudato adolescenti Claudius, ac benè sperare iusso operam pollicetur. Subinde & de Patrum sententiâ, apud quos iam Rodulfus instabat, animum Ducis pertentat. Is consueta seculi prudentiæ iactare verba. Sibi quidem consilium neutiquam esse pugnare cum Deo. Tute ipse nosti, inquit, quòd ætate satis, consilioque maturum te noram, quàm facilè tantùm firmamenti passus sim domi nostræ subduci: sed hic, vt vides, puer est. Plurimùm vereor, ne puerilis iste sit impetus ægretudine ex quapiam: prout animi puerorum mobiles temerè concitantur. Cauendumque est ne, vbi primùm commotio illa resederit; quàm leuiter habitum istum induit; tam & leuiter ponat, turpemque nostro nomini inurat notam. Isto consilio (suscipit Claudius) nemo vnquam religiosus fieret. Neque enim cùm quem vocat Deus ad famulatum suum, syngraphum ei, qua perseuerantiam ad vltimum, velut obsignatis tabulis, spondeat, in manus tradit. De me ipso, si tu minimè dubitas, equidem certus non sum. Perseuerantia donum est gratuitum Dei. Quandiu in hoc exilio vita mortalis degitur; liberæ sunt, & lubricæ hominum voluntates. An reris fieri non posse, vt non nemo, qui vocatione nequaquam diuinâ ad Religionem primùm accesserit, correctâ mox voluntate perseueret, vitamque sanctè concludat: ille è contrario, qui sanctè, & Deo vocante cœperat, per suam socordiam excidat? Sed nobis spes est, opus suum qui cœpit, perfecturum pro suâ benignitate. Quid ergo est? Certæ sunt prudentum consensu diuinæ vocationis notæ: vbi illæ apparent; cedamus eorum sententiæ. Hanc quoquè ob rem religiosæ periclitationes sapienter institutæ sunt: quibus exploretur, ex quo quæque voluntas spiritu sit. Atque vtinam in ceteris humanæ vitæ consilijs, quæ nec perinde sancta, nec æquè tuta sunt, & maculas non rarò familijs longè fœdiores oblinunt, ista adhiberetur deliberationis, & curæ solicitudo. Sed diuini instinctus quæ expeti signa possunt, quæ non in Rodulfo luculenter extent? Notior adolescens est tibi, quàm mihi. Istam, quam vocas ægritudinem, dissimulare non potes, perpetuam in eo fuisse modestiam. Non ignoras, quàm nunquam puer, quàm sacræ orationi, quàm ceteris diuini cultus officijs deditus, & addictus ab infantiâ primâ fuerit: neque nescis hoc ipsum seruiendi Deo in Religione consilium quandiu agitarit. En annus est, cùm se ad id nexu voti adstrinxit. Non ergo repentinus hic impetus, non leuitas videri puerilis debet. Sed prudentiæ, ac pietatis est tuæ, bonâ præceptâ spe, reque benigno Numini commendatâ, sinere eum ad experimenta procedere: ne dum cautionem affectas, pietatem offendas. Aduersùs talia cùm quid afferret Dux non haberet; rem tamen trahebat in longum: deque Rodulfo apud Pontificem collocando agitabat, per speciem exhilarandi pueri, & ab ægritudine auocandi, vndè cogitationem deserendi seculi perseuerabat dictitare ortam. At Rodulfus, cui singulæ videbantur horæ anno segniores, post aliquot dierum patientiam, dum Professorum in templo diuinæ rei interesset; adeo super eum, quo flagrabat semper, sancti Spiritus igne succensus est; vt exestuans, nullumque inueniens quietis locum, apud animum suum statuerit paternam domum nunquam reuisere: sed vrgere Patres, atque vel pertinaciâ, & improbitate, vt in Euangelico exemplo est, extorquere, vt se protinus Nouitijs aggregarent: idque cùm apud se decerneret (vt est amor credulus) magnâ replebatur spe fore, vt impetraret. Rectà igitur ab sacro ad Patres. Adesse ait se non hospitem, sed alum-

9 Moræ iniectæ à parente.

10 Claudij verba ad Ducem, quomodo periclitandæ vocationes.

11 Feruersa seculi prudentia.

12 Rodulfi perpetua virtus.

13 Festinat ad Religionem.

Digitized by Google

alumnum, at filium: nec vnquam, nisi vi auferatur, pedem extra ea limina elaturum. Verbis, gemitibus, lacrymis Prouincialem, Assistentes, Præpositum Generalem fatigat, ne se ab portu animi sui eijciant, neu sinant nouis fluctibus resorberi. Interrogant Patres, fecerit ne Dux manendi potestatem. Ille satis, superque functum se officio suo respondet: persæpè postulauisse: iamque morarum plus satis perpessum. Atqui (subijciunt illi) neque tibi, neque nobis expedit, nisi planè ille consenserit, domum te recipi. Age, fili, æquo abi animo, aliquot præterea exhauri dies: flectetur interim, cedetque parens: vel, si perstabit inexorabilis; tum redito, cumque pace Dei maneto. Quæ cùm dicerent Patres, ne adolescente recepto, causam fortè turbarum, aut certè sermonum darent: perque beneuolum alioqui Ducem, atque christiani pectoris virum irritarent: vtque breue nacti spatium aduersùs quemcumque euentum se præmunirent; immobilior scopulo Rodulfus: Vltra æquum, bonumque pietati se paternæ indulsisse: neque breuem post hac, neque longam pati cunctationem posse, lacrymabundus ingeminabat. Itaque eo delectati ardore Patres, non tam explorandæ constantiæ, quam & ante perspectam, tum ipsam subiectam habebant oculis, quàm, vt feruorem magis elicerent; varias obiectare disciplinæ religiosæ difficultates instituunt. Ad quas igneus ille, sanctæque amore Crucis flagrantissimus animus, tanquam calybe icta silex, diuinæ potiùs, quàm humanæ sapientiæ, & flammæ fulgorem edebat. Inter cetera, cùm Borgia, quæcumque sunt in Societate ardua, nominatim ob oculos ei posuisset; admonuit, etiam, atque etiam cogitaret, num aliarum aliqua Religionum aptior ei foret. Cui Rodulfus respondit: Religiones alias offerri sibi à Deo tanquam clausis portis, vnam Iesu Societatem veluti patentem: nec se ardua formidare: quòd etsi profundendus sanguis foret; speraret vbique sibi affuturam opem illius, à quo vocaretur. Tum verò Rodericius Prouincialis: Vide, inquit, ne fortè sensus iste non perinde vt videtur tibi sincerus sit: sed propterea Societatem, quòd patruus tuus in eâ Claudius est, ita præoptes. Ad quam vocem illico, tanquam suboffensus Rodulfus: Amandate me, inquit, in Septentrionem, amandate in Hispaniam, vel in quamlibet aliam remotissimarum regionum. Modò in Societatem recipiar; paratus sum & tyrocinij, & vitæ vniuersæ tempus eo loco ponere, vndè nulla sit spes vnquam nec Claudium, nec meorum quempiam reuisendi. Idque si placet planè nosse; vehementer rogo, vt re ipsâ experiamini. His, alijsque huiusmodi magni, & diuini cuiusdam animi responsis, ex fictâ pugnâ veram adeptus victoriam, ita Patres inflexit; vt per vim expellere domo religioni habuerint: existimantes Deum, qui seruuli pectus sic incendebat; cœpta fortunaturum. Misso igitur, qui Ducem totâ de re admoneret; Rodulfus vix sua capiens gaudia Alfonso Ruizio Nouitiorum Præfecto traditur, ad Tyrocinium veluti hospes ducendus. Vbi ad Nouitiorum peruenit aulam; explicari verbis nequit, quàm lætatus eorum conspectu sit, quo quemque sensu, qua hilaritate singillatim, qua gratulatione complexus. Osculari & singulis, si Magister permisisset, volebat pedes. Iam felicitatis in terrâ suæ summam attigerat. Inuenerat iam, ruptis venantium laqueis, passer sibi domum, ac turtur nidum sibi, vbi sanctas cogitationes, affectusque integerrimos reponeret, quasi pullos suos: cùm adest natu maior eius frater Iulius, is, qui paulò post creatus est Cardinalis, cum tristi ab Pontifice nuntio, vt protinus redeat ad parentem. Concesserat Duci Pontifex ab eo raptim edoctus, vt aliquot adhuc dies Rodulfi constantiam, de qua se supra modum solicitum, incertumque aiebat, domi cognosceret. Nemo fuit, qui ad eum nuntium tantis modò cum lætitijs incedentis adolescentuli conuersam subito in luctum citharam non miseraretur. Ergo, vt quammitissimè ageretur res; mittitur à Borgiâ Claudius, qui iubeat illum bono animo esse, horteturque vt Christi Domini Vicario libens pareat: Deum Dominum cuncta benè versurum. Peruaserat ad Rodulfum, nescio quâ, suæ aura calamitatis: & quoniam vim vi desperabat repelli posse, nec alia suppetebant effugia; totus in eo erat, vt aliquid latebrarum quæreret: sperans fore, si turbo ille transiret; vt breui tempestas suâ sponte concideret. Sed reperit tandem Claudius: nec mandata

14 Animi præparatio ad aspera perferenda.

15 Domi apud Patres finitur manere.

Digitized by Google

data is priùs expoſuit; quàm ille mœſtiſſimus laxat habenas oculis, & in largum ſoluitur fletum. Claudius quoquè ad collacrymandum, quàm ad conſolandum erat paratior: tamen obtemperandum erat: cùmque pergeret adhortari vt, miſſo
16 fletu, pacatè cederet: Tu, inquit Rodulfus, hoc loco ſi eſſes, rogo quid ageres? Hæccine tibi facta probantur? Nihil equidem aio, reſpondit Claudius: tantùm ex me Patris Generalis mandata habes. Ille me & nuntuim miſit, & hortatorem.
Contendit acerrimè non abducatur. Cùm Rodulfus nihilominus obniteretur; ſuperuenientibus alijs, cœpit tanquam vi, nec ſine fletu ad ianuam trahi, ſuum deplorans caſum, quem dicebat peiorem, quàm ſi in latrones incidiſſet: quòd latrones, vt peſſimè tractarent, non niſi vitam corporis erepturi eſſent: cùm ij, qui venerant abducturi, etiam vitam animæ ereptum irent. Ad ianuam Præpoſitus Generalis cum Patrum manu, Præſul Aquauia Iulius, alijque nobiles opperiebantur. Quos vbi Rodulfus aſpexit; abruptè: Quid, inquit, meritus tam malè de vobis ego ſum, Domini, quod ita me inſectamini. Per ego vos Deum teſtor, ad hanc me qui Religionem vocat, deſiſtite negotium mihi faceſſere, & eius aduersùm vos iram extimulare. Haud enim peius mihi conſulitis, quàm vobis ipſis. Et quoniam Iulius videbatur acriùs agere; aduersùs illum Rodulfus iratior verſus: Nunquid hoc fratris, num conſanguinei, num amici facinus eſt, Iuli? An non potiùs alieni, & inimici? Præſuli verò cuidam, qui hortabatur, vt volens, ac lætus iret: Noſti ne, Domine, inquit, quid ſit Religio? Nolles profectò ſpoliare me tanto bono: ſed tu quoquè velles frui, ſi noſſes. Et quoniam incaluerat, cùm admoneret Pater Generalis vt, miſſis verbis, iret obedienter: Pace tuâ, Pater, inquit, haud licere tibi reor ab Societate eos excludere, quos ad eam Deus vocat: optimè gnarus, qui nam apti ad eam ſint. Ac reſpondente Borgiâ, breuiter iret: ſic iubere Pontificem: Ex ipſo quoquè, ſubiecit, Pontifice, mecum ſi loqueretur, quærerem, ſi fortè ad æternos damnarer ignes, num indè liberaturus me ipſe foret? Ad extremum, cùm via nulla appareret victoriæ, ſi ſuadendo ſolùm, hortandoque certaretur; Borgia ita compellat: Caueto, fili, ne id, quod tantopere tenere vis, per immodicum ſtudium amittas. Nam in hac Religione id primum eſt, vt voluntates quiſque ſuas infringat, & ſententiam ſuam abdicet. Quibus in rebus ſi tam difficilem, atque intractabilem ſtatim principiò ipſe te oſtendis; minimè habile ad eam ingenium prætefers. Hîc verò, quaſi vulnere loco vitali tactus, obmutuit, deditque manus modeſtiſſimus adoleſcens: ac teſtatus ſe iam indè, veluti vnum de Societate, incipere iuſſa Præpoſitorum exequi; in currum fratris, tanquam ad ſupplicium duceretur, conſcendit. Ad paternas ædes reductus, cum Deo plurimùm ſolus verſans, ſi quæ ſuffurari interualla poterat, ſubinde ad Profeſſorum fugiebat ædes: Nec alibi vſquam benè ei, ac ſuauiter erat. Multi interim nobilem candidatum acriter exagitabant, maximè auia Cæcilia Vrſina Comes Carpenſis: quæ vbi blanditias, preceſque nequicquam conſumpſiſſet; eò demum deſcendit, vt precaretur, ſi vſque eo religioſæ vitæ arderet ſtudio; at certè legeret Ordinem, in quem ſacris infulis pateret aditus: vndè olim poteſtate aucto ad Eccleſiæ ſanctæ prodire liceret commoda: non in eam ſe Sodalitatem conijceret, in quam ſemel conditos obſcuritas, & obliuio ſempiterna duriſſimis imperata legibus ſepeliret. Quæ voces euangelicâ ſolidatam virtute mentem ita non conuellebant, vt validè confirmarent. Quippe irreuocabile cum ſeculo diuortium, non amicum diſſidium meditabatur: nec ad diuerſorium, ſed ad domicilium tendebat humilitatis. Aliam prænobilem Matronam moleſtè ingerentem diuinum parentibus obtemperandi præceptum, elinguem reddidit, modeſtè percunctatus, ecquando conſcientiæ quæſtionibus ſtuduiſſet. Inter hæc, & alia multa certamina ibant in longum experimenta, nec vllum habebant finem. Ac Rodulfus, cuius præ magnitudine amoris deficiebat anima in atria Domini; Patris Generalis implorabat opem. Eo viſus eſt certior faciendus Pontifex. Apud eum ergo lis inſtituitur. Claudius à Borgiâ cum Ioanne Polanco miſſus pro Rodulfo, Iulius pro parente ſtetit. Is eadem illa, quæ habebat in ore Dux, iterat: Vereri Patrem, ne conſilium inconſultum id ſit, ægritudinis aliquo ictu ſuſceptum: vndè mobilitas animi, & de-

17 Verba ardentia Rodulfi.

18 Obedire cogitur Borgiæ.

19 Ad paternam domum reducitur.

20 Perſeuerat conſtanter, & oppugnantes ſuperat.

21 Agitur cauſa apud Pontificem.

fectio,

Digitized by Google

fectio, & familiæ dedecus consequatur. Contra ea Claudius, nequicquam post tot experimenta timeri, An non aliquem tandem oportere esse experiundi modum? An quandiu perseuerauerit, habendum in experimentis? Vt id demum experiri sit solicitare, atque peruertere? Non ignominiam domus, sed suarum conscientiarum vulnera formidarent, qui homines ab consilijs Christi arcerent, & sancti Spiritus instinctum pro ægritudine frustrarentur. Atque hîc Pontifex interfatus: Haudquaquam ab tristi, & melancholico spiritu esse Religionis propositum, sed à benè tranquillo, lætoque; pronuntiauit: Quoniam dies non multos Dux erat Romæ futurus; indulgeretur id Patri, vt apud eum Rodulfus interea loci maneret: simul Dux abiret; Rodulfum nemo teneret. Ita demum quarto Nonas Aprilis domum receptus est. Tum nobilis Athleta, non vt interdum peruersissimè fit, quasi palmâ iam esset potitus, in socordiam, fallacemque securitatem solutus est; sed eò certamen acrius capessiuit, quò maiori certamine in summa sibi aditum expugnarat; non ignarus acceptâ clade Satanam minimè fractum, sed potiùs irritatum. Ergo cùm virtutum nullam non magnifaceret; tres tamen præcipuè sibi colendas delegit: obedientiam, humilitatem, caritatem. Nihil ita sequax, ita versatile, vt manus, pes, animus, totus Rodulfus ad Præsidum nutum. Humilitas habebat illud insigne, vt in eius natum, educatumque sinu diceres, non inter nobilitatem, & principatum; ita nullum hæserat vestigium conditionis eminentioris. Vehementer optauit, egitque, vt in numerum Fratrum referretur, qui Sacerdotij expertes munera humiliora domestici vsus tractant. Quo voto excluſus, non tamen vnquam destitit pro omnium se postremo gerere: ita studiosè ministeria vltima obiens; tanquam aliud nihil totâ peregisset vitâ: tum planè triumphans; vbi ministrare ægrotis permitteretur, vt pariter humilitatis officia, & caritatis copularentur. Ceterùm caritatis præstantiam expetita immensis studijs Indica profectio, resque ipsâ in Indiâ, apud Mogores maximè gestæ: mors demum in odium fidei à barbaris illata, loco suo docebunt. Dum autem præclaris hisce initijs multorum expolitione annorum ad glorioſum certamen Deus Rodulfum præparat; Stanislaus ad beatam curriculi sui metam peruenit. Hunc autem non ab vtero solùm segregauit sibi, veluti vnicè carum pignus, cælestis Pater; sed ita indulgenter habuit; vt eius plus quàm paternæ suauitatis, quam Agneti Politianæ, Catharinæ Senensi, nonnulliſque præterea Sanctorum exhibuit, documenta non leuia renouarit. Ortus est Beatus Stanislaus anno salutis humanæ milleſimo quingenteſimo quinquageſimo in Moſcouiâ Prouinciâ Regni Poloniçi, in oppido paternæ ditionis Roſtkouo. Nam fermè non in vrbibus, sed in suis pagis, & oppidis, vt plerique ad Septentrionem Procerum, Polona nobilitas ætatem agit. Parentes habuit Ioannem Koſtkam, & Margaritam Kriskam peruetuſtæ ambos, senatoriæ, opibuſque pollentis proſapiæ. Super hæc aliud verius paterni generis memoratur decus. Erroribus per Poloniam tam latè vulgatis, nunquam ferè Koſtkarum generoſitas hæreticâ labe maculata fertur. Fuit illi statura mediocris, aptâ dignitate, cum venuſtate permiſtâ: os vultuſque angelicus: color candido proximus virgineo rubore aſperſus in genis: capillus modicè ex nigro flaueſcens: faciei figura rotundior: oculi nitidi, sed præ copia sanctæ dulcedinis, qua cor aſſiduè colliqueſcebat, vuidi interdum, ac lacrymabundi. Effigies, quæ Romæ ad sancti Andreæ super beata eius oſſa propoſita est; non longè aberrat à verâ. Hoc velut decorum domicilium aptum habitatori animo cælestis Faber ædificauit. Curſus vitæ perbreuis videri potuit, niſi virtus in immenſum extendiſſet. Pueritiam in domo paternâ: aliquot adoleſcentiæ annos Viennæ in Auſtriâ: minùs vno Romæ in Societatis Tyrocinio egit. Pueritiæ tenor haud diſtinctè compertus. Procul abfuiſſe ab omni rudis ætatis non petulantiâ modò, sed etiam leuitate; illibatum conſeruaſſe virginitatis florem, itemque acceptam ab fecundâ origine in ſacro fonte ſtolam graui labe nunquam contaminaſſe certum, teſtatumque est. Ex quo tempore Viennam ſtudiorum causâ cum Paulo fratre natu maiore venit, aliquantò notior memoria est. Quippe cùm raros per id tempus Magiſtros incorruptæ omnino doctrinæ Polonia haberet; Viennæ autem,

22 Vocatio religioſa non ex melancholia.

23 Ad Societatem Rodulfus tandemadiungitur.

24 Tres virtutes delegit ſibi colendas.

25 Beati Stanislai Koſtkæ prima ætas.

26 Eiuſdem Genitores.

27 Habitus, ac ſpecies.

28 Vitæ curſus.

29 Virginitatem ſeruat.

30 Nunquam peccat letaliter.

præter

31 Viennam Austriæ mittitur cum Paulo suo fratre.

præter admodum florens Societatis gymnasium, contubernium quoquè Conuictorum nobilium, famâ & ipsum illustre, itemque sub Patrum curâ magno adolescentibus ad mores, doctrinamque præsidio esset; Polonorum multi nobilium, maximè catholici, liberos eò suos mittebant. Eo conuictu Paulus, & Stanislaus statim accepti sunt: sed fructus non longus fuit: quòd (vt in loco prodidimus) cùm ædes, quas Ferdinandus Cæsar in eam rem concesserat, Maximilianus reposcisset; contubernium illud anno millesimo quingentesimo sexagesimo quinto solutum est: & Conuictores dissipati ad priuatorum Ciuium, ac fermè Hæreticorum hospitia demigrarunt. Ita tum Viennæ promiscuè habebant res. Nec melior Stanislao, ac Paulo conditio obtigit: quanquàm Stanislaus erat in potestate maioris: sique suo viuere ingenio licuisset; omnium primò intra religiosa claustra sese: ad vltimum quòuis potiùs, quàm ad hominem hæreticum recepisset. Verùm eius, & fratris, vti vna erat stirps, nec longo interuallo discriminata ætas; ita (quod nimiùm sæpè vsu venit) longissimè diuersi mores. Paulus quanquàm procul à flagitijs, de cetero florentis haud multùm reluctans æui cupidinibus, vestium elegantiâ, copiosâ, ac delicatâ mensâ, liberiore vitâ, ludicris iuuentæ delectari: perexiguam rationem habere cum Deo, plurimam cum paribus suis. Contraria omnia in delicijs Stanislao erant: solitudo, ieiunia, modestia cunctis in rebus, attenta custodia sensuum, diuturna precatio, familiares nulli, vel probatissimi, nullius rei potior, quàm conscientiæ suæ ratio. Quod eò magis in minore fratre mirandum est; quòd cùm exempla omnia ad deprauandum potentia sint, & domestica quàm quæ maximè; nihil tamen is vnquam ab institutâ seueritate laxauit animum: quamuis & pelliceret, & impelleret, & prope adigeret frater. Cetertùm cùm tanta vtriusque esset vitæ, morumque dissimilitudo: & Paulus, quemadmodum ætate anteibat, ita exercere in minorem fratrem dominatum æquum censeret; acerbiorque ex ipsâ Stanislai patientiâ fieret; nec pati posset illam eius grauitatem, atque constantiam, quam ad suæ prauitatem licentiæ detorquere nequibat, assiduum quasi ante oculos accusatorem obuersari sibi; facilè intellectu est, quàm solidam necesse sit fuisse Stanislai virtutem, quàm exercitam patientiam, & mansuetudinem. Namque eò sæpè præferuidus Paulum ætatis improuidæ rapiebat impetus; vt innocentem fratrem nullâ aliâ re, nisi quòd ad eius normam fingere sese nolebat, non verbis modò & probris, sed & plagis malè acciperet. Hoc nimirum domestici cuisdam supplicij genus dilectissimo sibi adolescentulo admirabili consilio permittente Deo: qui innumerabiles, ad Sanctorum suorum probandam, excolendamque virtutem, ac multiplicandas coronas, præter omnium mortalium opinionem, habet artes, ac vias. Hinc ergo multarum fœcunda laudum seges constantissimo amatori iustitiæ offerebatur, illud assiduè cauenti, vt quammaximè placeret Deo, fratri quamminimè displiceret. Obseruare hominem, vt ætate præstantem, colere quasi parentem; eidem placidè in loco obsecundare, perque officia omnia, tanquam Domino, morem gerere: famulum dixisses, nisi quòd, vti caritatem fratrum, ita sedulitatem anteibat seruorum: pulcroque his commercio mistis & strenuam caritatem, & voluntarium exhibebat obsequium. Nullâ vnquam ratione conqueri, nullam præ se ferre iniuriarum memoriam, ac ne sensum quidem: ingenio atque solertiâ ad rectè facta tegenda vti. Cùm palàm interdum sacra vsurparet ieiunia, alias idem, vt clanculum faceret, causas, quibus ab communi abstineret mensâ prudenter excogitabat. Ad precandum Deum, diuque Beatorum congressu fruendum interdiu in ædium secedebat abdita: noctu verò, postquam omnes sopor oppressisset, tacitè surgebat è lectulo: ac positis humi genibus in alto illo rerum omnium silentio, & fauentibus tenebris, diuinis vocibus, radijsque vacabat. Vbi liceret, proripiebat sese raptim in templum. Quod quanquàm multùm respectus temperabat fratris; non poterat tamen cohiberi, quin sæpè, ac diu faceret: quotidieque non modò diuinissimum Christi corpus initio scholarum, ac fine salutaret; sed etiam binis, terniue sacris interresset: festis autem diebus etiam sacro, vespertinæque psalmodiæ, quæ cum musico concentu, atque apparatu splendido

32 Diuersi mores Pauli, & Stanislai.

33 Firmitas Stanislai in virtute.

34 Vexatur à fratre.

35 Ipse eum tanto magis obseruat, & colit.

36 Precandi studium.

Digitized by Google

dido in templo Collegij eâ tempestate celebrantur, ad rerum sacrarum maiestatem contra Hæreticos conseruandam. Hisce autem diuini cultus officijs planè visu dignâ pietatis specie intererat nixus genibus, immotus corpore, oculis decorè submissis, manibus fermè ante pectus coniunctis: eâ verò animi effusione in Deum, eâ copiâ infundentis sese diuinitatis; vt non raro abstractus à sensibus in ecstasim raperetur, quod vulgatum erat Viennæ. Incredibili erga Dei Parentem pietate ferebatur. Nunquam aliud videre erat in eius manibus, nisi rosarium, vel pios libellos, qui precationes, ac laudes Parentis sanctissimæ continerent. De reliquo Beatorum cœtu præcipuo colebat studio sanctam Barbaram. Cuius præstantissimæ virginis, martyrisque & toto Septentrione celeberrima est memoria, & sodalitas in Viennensi Collegio sub eius clientelâ adolescentium erat. Et scilicet adeo domi exercito pietatis causâ adolescenti, eius patrocinium Virginis, cui pater, quòd obligatam Deo fidem nollet fallere, pro carnifice fuerat, aptissimè congruebat. Totus denique curâ fixus in cælo Stanislaus, in exercitationibus quoque scholasticis pia tractabat argumenta, ac plurimùm cæli Reginæ laudes. Obseruatumque est, cùm initiò haud admodum inter condiscipulos emineret, paulò post, cùm iam Rhetoricæ operam daret, in primorum venisse numerum: quamuis in studia pietatis operæ conferret plurimum, ac perexiguum quiddam deriuaret in studia literarum. Ita pietas ad omnia valet. Multò quàm condiscipuli frequentiùs diuina instaurabat mysteria: postridieque corpus Domini susceptura, vesperi abstinebat à cœnâ, quò purgatior ad viuum Cæli panem ab mortuis terræ escis accederet. Denique puer ætate, vir prudentiâ (vt Viennenses loquuntur literæ) carus omnibus, molestus nemini, magnum erat constantiæ, & pietatis exemplum: vtque alij postea testati sunt, sanctus vulgò habebatur. Hæc Stanislai vita cum esset; satis apparebat neque ab seculo indolem talem, neque ad seculum natam. Breui ergo diuinus Spiritus cœpit interiore instinctu rapere ad excelsa, incitare ad fortia: vt penitus res, ac spes abdicaret mortales: vt relictis patriâ, & propinquis transiret ad sortem Dei, ac religiosæ disciplinæ, veluti cultro, viuentem se hostiam immolaret Procreatori suo. Quem ille instinctum, cùm totum latè pandens sinum pectoris, voluntate exciperet summâ; tamen siue puerili pudore, siue qua aliâ causâ, ne Confessario aperiret, sex spatio mensium prohibitus est. Quod fortasse, vti Deus permisit, quò haberet deinde innocentissimus ille animus non nullam plorandi, seseque despiciendi materiam, tanquam sancto Spiritui tandiu obstitisset (Permittit enim talia Deus mentibus puris, velut ad sepimentum humilitatis) ita Diabolus fraudulenter cauit, sperans aliquod lucrum ex morâ. Quippe nouit improbus, quandiu occulta est pietatis Magistro conscientia nostra; interrumpi diuinæ prouidentiæ ordinem, cumque singulis nobis, nec legitimè repugnantibus, sibi esse certamen: eâ verò patefactâ; dimicationem fore cum pluribus: quibus etiam cæleste auxilium ex submissione, ac debitò nexu promptum sit. Quamobrem tum quæ Deus in humanis cordibus serit, tum quæ ipsemet superseminat, quantùm maximè potest occultat: quò facilius salutifera Dei semina opprimat, & mortifera zizania sua enutriat. Sed irritus fuit in præsens conatus. Diuinâ tandem roborante gratiâ Stanislaus fuimet, mutique Dæmonij victor egregius, rem Confessario omnem aperuit multis cum lacrymis: protinusque victori manna absconditum datum est. Etenim, tanquam facti sibi accepti notam, & tanquam ad similia confuefacere vellet Imperator cœlestis Tyronem suum facinora; tantum ei supernæ voluptatis ingessit, vt capiendæ adolescentuli cor haudquaquàm sufficeret. Indè dies, ac noctes nil in mente eius, & ore nisi Deus, & Societas Iesu. Fatigare ipse per se Patres: adhibere non preces modò assiduas, sed & lacrymas: allegare alios, etiam Pontificium Legatum. Quasi parùm conueniens duceret, quibus ceteri in Principum aulas mortalium aiuntur præfidijs, ea non admoueri, vt aditus ad sempiterni familiaritatem Principis pateret. Verùm frustrà erant omnia. Stabat Magio Prouinciali sententia: nisi bonam à parentibus veniam impetraret; nequaquàm admittere. Nam præterquamquod Societati ferè moris non est adolescentes institutioni suæ ere-

37 Reuerentia in diuino cultu.

38 Ecstases frequentes.

39 Pietas erga Deiparam.

40 Sanctam Barbaram præcipuè colit.

41 Ex pietate proficit etiam in literis.

42 Sacramenta quomodo frequentaret.

43 Vocationem religiosam aliquandiu Confessarium celat

44 Conscientia aperiēda spirituali Magistro.

45 Consolatio Stanislai exhibitione Confessario aperta.

46 Societatē vehementissimè petit.

47 Non recipitur metu turbarum.

Digitized by Google

ditos, sibi eam parentibus aggregare; non magno ante tempore diram modicæ Viennæ tempestas extiterat Nouitiorum causâ receptorum. Cui tempestati qui vim, atque robur dederant, tum pollebant plurimùm. Ad hæc cùm Poloniæ regnum iam prosperè Societati aperiretur, atque in eo gentis Kostkæ magna esset potentia; apparebat & à Paulo Viennæ, & ab Ioanne in Poloniâ facilè suscitatas tragœdias posse, quæ ingens gloriæ diuinæ cursui impedimentum offerrent. Et Stanislaus ingenuè confirmabat nota sibi suorum ingenia: nec dubitare, quin non solùm negaturi veniam, si peteretur; sed acerrimè pugnaturi contra essent, si rem alicunde resciuent. Hæc faciebant, vt quanquàm vehementer virtutem probaret Stanislai Prouincialis, suspiceretque constantiam; amplioris tamen contemplatione boni, tam sancti eum voti compotem nullo faciendum modo censeret. Haud pauci sunt, qui dum sancti aurâ Spiritus ad Religionis prouehuntur portum, si qua incidat offensatio, quasi ad scopulum constantiam frangunt. At Stanislai, velut intercluso lapsu amnis, crescebat in immensum cupiditas: atque adeo quò se aduersùs diaboli, satellitumque eius iactationem firmaret; sacram iecit anchoram: id est adiecit animi decreto voti sacramentum, quo se ingressurum Societatem obstrinxit. Inter hæc, domestica, vti credibile est, humanæ patientiæ intoleranda vexatio grauissimum illi morbum, haud sanè ad mortem, sed vt opera Dei manifesta in illo fierent, adduxit. Nihil enim vnquam hoc morbo insignius, ac fortunatius contigit beato adolescenti. In hoc primùm Diaboli superauit spectra: deinde sacrosanctâ Eucharistiâ admirabili modo impertitus est: postremò valetudinem quoquè recuperauit diuinitùs. Sub initia morbi Diabolus, qui famulos Dei, quos nequit peruertere, gaudet tamen vexare; terricanis formâ in cubiculo eius apparuit, diroque faucium hiatu in decumbentem ferociter insiliebat prosecaturus. Ter insiliit, ter constanti animo precibus ad Deum fusis, ac signo Crucis repulsus, tandem euanuit. Terno Satanæ impetu reiecto, vti olim Christo Domino duci inuicto, ita nunc victori militi accesserunt Angeli, & ministrabant: hoc etiam præcipuè singulari ministerio, quòd olim Domino nihil potuere præstabilius ipso, nunc verò ipsum seruulo Dominum ministrarunt. Siquidem, ingrauescente morbo, ea religiosissimi adolescentis animum cura angebat maximè; quòd verebatur, ne absque augustissimo Viatico abeundum esset è vita: cùm & fratrem non admodum rerum curiosum diuinarum cerneret, atque hospitem super hæc hæreticum sciret. Ergo humanis destitutus præsidijs ad cælestia confugit. Mensis erat December: nec multis ante morbum diebus in patronæ suæ Barbaræ sanctæ vitâ, quam, solennia eius celebraturus, legebat, scriptum repererat, qui eius Virginis imploraſſet opem, neutiquam eam passuram, vt supremis immunitum mysterijs mors opprimerèt. Quo loco tanquam opimo thesauro (vt erat) inuento; lætus, tanti beneficij, vt se quoquè facere participem vellet, precibus, & ipsis Pœnitentiæ, Eucharistiæque sacramentis ob eam rem susceptis, institerat. Hoc ergo cùm præsens necessitas menti subiecisset; cælesti plenus fiduciâ ad Martyrem benignissimam versus, venisse memorat illud tempus, cùm præcipuo eius auxilio indigeret: Ecce autem (singulare, pauciſque concessum donum) nocte intempestâ ipsâ adest, & sub aspectum se offert sancta Barbara, pariterque Angeli duo claro in lumine sacrosanctam afferentes Hostiam: qui cùm ad lectulum accessissent famelici ægri, reuerenter ei porrexerunt. Atque ipse summâ primò cum animi demissione veneratus, paridemde cum gaudio Deum cordis sui parentem, & arbitrum vitæ, salutisque suæ susceptit. Secundùm hoc immortale pignus æternæ vitæ, vt nouo locus beneficio esset, inualescit vsque eò morbus; vt medentes de salute pronuntiarent actum. Nec verò iam Stanislao, post acceptum cæleste Viaticum, vlla ad capessendam versùs cælum viam cunctatio erat: cùm Virgo clementissima Dei mater paruulum Filium in sinu gestans præsens adfuit, consolans clientem suum. Quem vt vberiori suauitate perfunderet; puellum Iesum in eius deposuit lectulo. Indè ægrò lectulum situm tam pulcrè floridum contemplanti, non mirifica solùm allata consolatio; sed etiam Saluatoris accessu afflata est salus. Et cumulauit cæli Regina munus. In digressu nominatim admonuit, vt

48 Voto se obstringit Societatem ingrediendi.

49 Aegrotus Satanæ terricula vincit,

50 Ab Angelis Christi corpus ei ministratur.

51 Sanctæ Barbaræ opem experitur,

52 Apparet ei Beata Virgo cum Iesu puero valetudinem reddit:

53 Eadem monet vt Societatem ineat.

Socie-

Societati se traderet. Hinc iam pronum est cogitare, is, quem antea tantus habebat ardor Dei se obsequijs dedicandi, postquam tot insuper captus, obligatusque pignoribus est, atque eo pacto conualuit; quàm censeret æquum vitam, à quo toties recepisset, auctori beneficentissimo reddere. Itemque posteaquam apertus adeo, ac certus Deiparæ accessit monitus, quàm ad Societatem auidè raperetur, vt recens illius iussum, votumque suum vetus expleret. Perstabant tamen surdæ, clausæque penitus Prouincialis aures. Vndè fiebat, vt inops consilij Stanislaus cunctas versaret in partes animum. Erant tunc Viennæ Franciscus Antonius, is, qui Societatem in Sardiniâ inter primos fundauit, qui nuper ex Italiâ profectus, magno nomine ad Italos, atque Hispanos, & Mariam Austriacam Maximiliani Cæsaris coniugem nationis vtriusque linguâ conciones habebat. Hunc Stanislaus, vt nihil intentatum relinqueret, cùm adijsset: Iam se biennium totum à Prouinciali flagitare Societatem ait: sed ab eo talem sermonem penitus respui, nisi à parentibus sibi potestas fiat. Esse quosdam sibi auctores, vt cum fratre mox in Poloniam redituro eat. Parentes, vbi constantiam perspexerint, fortè potestatem facturos. At sibi optimè omnium notos suorum animos: nequicquam sperari hanc veniam ab eis: imò si posteaquam odorati rem sint, in eorum veniat manus; carcerem se, & vincula manere. Nec verò ea se formidare Christi Iesu gratiâ; sed à Deo vocari ad sanctam hanc Societatem: ad id se voto dudum obstrictum: non posse animum suum capere vllam quietis partem, donec promissa faciat: eòque properandum magis, quòd rediturus propediem in patriam Paulus, se quoquè reducturus sit: vbi nulla prope soluendi voti, Deoque seruiendi opportunitas sit futura. Ferat igitur consilium ipse per Deum, opemque. Deliberatum sibi esse, nisi prohibeat, alias adire Prouincias, & tandiu peregrinari, tandiuque persæuerare pulsando, quoad alicubi tandem aperiatur. Franciscus Antonius, qui & famâ, & iam suâ quoquè nonnullâ experientiâ virtutem adolescentuli longè ætate maturiorem norat; planèque videri sibi in eo videbatur dexteræ Excelsi opus; multis ad Deum factis precibus, tandem respondit sperare se, si Augustam ad Petrum Canisium superioris Germaniæ Prouincialem, vel demum Romam ad Præpositum Generalem Franciscum Borgiam tenderet; ab eorum alterutro receptum iri. Nullam enim formidaturos inuidiam, si adolescentem, post tam longam peregrinationem, tam procul domo, & omnium rerum egenum suscipiant. Nullum fermè est præstantium facinorum consilium, quod non videatur præcipiti proximum. Quædam tamen, quæ præsertim consulto rite Deo suscipiuntur; ab ipso inspirata Numine, euentus, alioquin malus consiliorum arbiter, ostendit: vti in hac Francisci Antonij oratione contigit, quam Stanislaus accepit, expertusque pro oraculo est. Oblatâ igitur spe recreatus, in occasionem imminebat fugæ: quam breui obtulit frater. Cùm enim more suo innoxium Stanislaum malè admodum Paulus accepisset; is, qui mirâ ante patientiâ exercendæ virtutis materiâ lætabatur; tum animo quidem placato, sed quadam indignabundi specie; Profectò, inquit, ad hunc me modum si habere pergas; eris in causâ, vt abripiam me aliquò fugâ, tibique de me erit parentibus reddeda ratio. Cùm Paulus ad hæc eò magis furens, quò ad responsa talia insolentior, iret, faceſſeret, properaret in malam crucem, respondisset; Stanislaus silentio vilem linteum amictum comparat, & cetera faciendo itineri, pauperum in morem, accomoda, magnamque noctis partem in precibus ponit. Die postero benè mane, antequam surgeret è lecto Paulus; serio, adeundi ne faceret potestatem, interrogat: eoque rursus cum stomacho abigente; posito, quo ad id loci alienâ magis, quàm suâ sponte vsus erat, honestiore vestitu; sumptoque rusticani pueri, quem parauerat, habitu; raptim ad Collegium pergit, interest Sacrificio, diuinissimo se pane corroborat: acceptisque à Francisco Antonio ad Canisium, atque Borgiam literis; iter ingreditur eo consilio, & quidem religione voti firmato, vti nullo vnquam tempore domum sederet, nullumque faceret peregrinandi, victumque interim emendicandi finem; quoad inoptatam adeo sibi Societatem rimam, per quam se insinuaret, alicubi aliquam inueniret. Ibat tanquam diuinæ gratiæ vectus alis nouellus Iacob è cognatione,

54 Stanislaus aditus omnes in Societatem tentat.

55 Consultat de fuga in alias Prouincias.

56 Fugit rustica no habitu.

57 Mira Stanislai religiosæ vitæ cupiditas.

tione, domoque paternâ euocantem Deum sequens, bacillus in manu, vilis galerus in vertice, rude corpori tegmen, Deus, & Christus Iesus in corde: nec dubius circa cælestium Patronorum, suarumque comitatus virtutum. Haud multò post cùm domi non appareret, ac Paulum conscius remorderet animus, quasi fratrem sæuitiâ suâ grauius de se aliquid consulere adegisset; ipse, ac pedagogus, & is, apud quem diuersabantur, ad Collegium soliciti accurrunt, rogitantque quid factum Stanislao sit. Nil indè certum reportant; sed Vngari adolescentis indicio, & literis, quas ad hanc rem Stanislaus reliquerat, tandem cognitâ fugâ, cisijs conductis in diuersas festinant partes. Rumor fuit ad maleficam mulierem itum

58 Mirabiliter in sectâsium manus effugit,

eamque docuisse quâ parte nobilis exul egressus, quâ viâ inueniendus foret, Eâque viâ, quam Maga monstrasset, hospitem cisio velociter eodem vespere ad eum locum peruolasse, in quem gloriosâ fugâ inclytus Christi miles diuerterat: cùmque iam prope haberet eum in manibus; equos consternatos concidisse, vt progredi vltra non possent; & ipse auriga attonitus exclamaret, nunquam sibi tale quid ad id temporis contigisse: atque hoc tanquam portento exterritum hospitem ab insectando destitisse. Hoc modo & aditam veneficam, & exterritos equos, annuæ Viennensis Collegij literæ, recentissimâ re, Kalendis Septembribus anni millesimi quingentesimi sexagesimi septimi scriptæ Generali Præposito, cunctæque Societati nutiant: eaque narratio his clauditur verbis. Quid adhuc futurum sit, Deus nouit: speramus tamen id non sine Dei consilio contigisse, vt ita abiret. Adeo enim constans semper fuit; vt non pueriliter, sed cælesti quadam inspiratione commotus fuisse videatur. Aliud quidam admirabile adijciunt, cùm insectantes ita iam Stanislaum essent assequuti, vt facilè, quamuis mutato habitu possent agnoscere, ipseque eos optimè cognouisset; ipsum tamen agnitum non fuisse. Præterea cùm quondam in Hæreticorum fanum esset ingressus, idque, quantùm monstrabat exterior facies, Catholicorum templum ratus (Lutheranorum enim apparatus haud magnopere distat) diuinum epulum expeteret; re subindè cognitâ, vehementer ploranti tam præclaram spem sibi euanuisse; rursus, quemadmodum olim dum ægrotaret, panem Angelorum Angeli manu porrectum esse. Inter hæc clementissimi Numinis beneficia, & fortasse alia, quæ, metuens ne per confusam suo memoriam indulgentior fama vero affinxerit, volens præterm tto; demum ab longâ peregrinatione sospes ad Canisium Augustæ non inuentum, Dilingam peruenit. Vehementer placuit Canisio indoles, bonamque ostentat spem. Interim tamen, siue vt ampliùs de virtute eius periculum faceret, siue vt specularetur, nunquid propinqui mouerent, seu potius Deo nouam famulo suo virtutis promendæ materiam suggerente: nam nec erat, quòd adeo explorata constantia denuo exploraretur; & ad propinquorum motus speculandos, tanquam hospes haberi poterat; iubet tantisper Dilingæ in ædibus Conuictorum,

59 Iterum Angeli manu Eucharistia donatur.

seruilibus fungi officijs, Stanislaus qui iam vilem haud nequicquam induerat habitum; sed cùm sequuturus, qui, cùm Dominus esset omnium, serui formam assumpsit; vehementer gauisus est rebus quoquè, ac ministerijs eiusdem se insignibus decorari. Sic est fermè nobilitas: vbique se effert: quicquid obeundum est, obit splendidè. Quanquam in Stanislao humilia inter munia haud naturæ solùm generositas; sed multò magis vera emicabat indoles christianæ, ideſt diuinæ nobilitatis. Siue ad mensam, siue in ceteris quotidiani vsus officijs longè inferioribus se dominis ministraret; tantâ id curâ, studio, veneratione faciebat; vt aperte ostenderet Deo se magis, quàm hominibus inseruire: nec mercenariam exhibere operam, nec subsidia descendendo venari, per quæ ascenderet; sed esse, dumtaxat officiosissimum humilitatis sanctæ candidatum. Ità domum se gessit, vt breui in se omnium conuerteret oculos; ac Patribus tum in vocatione constantiam, fidelitatemque probaret in ministeriorum magnam concitaret expectationem sui, vt Prouincialis ipse Canisius scribit. Ceterum suauissimus ille flosculus Virginis sanctæ debebatur amœnitati. Nonnullus haud dubiè subierat Canisio timor, ne si Stanislao recepto, quem Viennenses recipiendum non putarant, turbarum quicquam coorietur; tota in se tempestas incumberet: neque secius omnino

60 Dilingæ seruilibus ministerijs exercetur.

61 Mittitur Romam.

Stani-

Stanislaus agebat, suos quanquàm tanto dissitos interuallo, vt est solicitus auidè, laborioseque quæsiti boni primus fructus, nimium tamen propinquos ducens. Adhæc nescio quomodo maiorem indulgendi feruori suo, exagerandæque virtutis existimabat Romæ sibi opportunitatem fore. Quæ cùm Canisius elicuisset; pro idoneâ habuit causâ Romam eum destinandi, priùs etiam quàm responsum, vt moris est, à Borgiâ referretur. Igitur cùm Socios duos eo ipso autumno mitteret; tertium ijs Comitem Stanislaum adiunxit: laudans illum Patri Generali, ac præclara de eo sperari significans. Tantumque itineris Viennâ Dilingam, Dilingâ Romam, quod fermè duodecies centena millia passuum summa colligit, adolescens nec viæ, nec graui cuipiam assuetus labori, confecit pedes, impertiente imbecillitati corporis vires animo, quibus abundabat. Quanquàm ita Romam affectus, peruénit; vt aliquot dies antequam ad Tyronum labores in Religiosæ disciplinæ stadium induceretur, cum præcipuâ habendus curâ fuerit. Quinto Kalendas Nouembres anno partæ salutis millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, die sanctis Apostolis Simoni, & Iudæ sacro in Nouitiorum adscriptus est numerum apud Professos: moxque in Romano Collegio defunctus coquinæ laboribus: postremò ad sancti Andreæ translatus est mirâ Dei prouidentiâ. Nempe, vt postquàm alia præcipua duo sanctâ in Vrbe Societatis domicilia præsentiâ suâ, & cælesti conuersatione solatus esset; in eâ tum nascente probationis domo tantùm olim amplificandâ, ac principe totâ in Societate futurâ; non solùm exactum Tyronis exemplum, sed etiam beatum corporis sui depositum, ad solatium, & incitamentum Tyronibus omnium posterarum ætatum relinqueret. Præerat instituendis Nouitijs ad sanctæ Mariæ de Stratâ Alfonsus Ruizius: ad sancti Andreæ Iulius Fatius, paulò ante è Lusitaniâ, vbi complures annos egerat, in Italiam reuocatus: viri ambo virtute, prudentiâque præstantes: & in magnis ante, posteaque spectati muneribus. Primum sub ingressum Stanislaus Claudio Aquauiuæ, quanquàm recenti discipulo, tamen iam ad docendum maturo, exercitationibus spiritus de more excolendus traditur. Verùm, cùm ad prima ferè verba, de rebus diuinis ille solueretur in lacrymas; aiebat Claudius, accipiendi potius, quàm tradendi exercitationes eas impositum sibi munus. In eo secessu Stanislaus ab pueritiâ vltimâ repetitam confessionem cum Patre Ruizio instituit: ex quâ, post eius obitum, professus Ruizius est, animum ab se innocentissimum planè repertum, nec vnquam lætiferâ noxâ contactum. Interim Ioannes Stanislai Pater, cognitâ eius fugâ, perdoluit. Sed cùm videret factum irreuocabile: quippe cùm Romæ agendum esset, ac Pio Quinto Pontifice; more plerorumque mortalium, perinde æstimare res verè, atque amare liberos nescius; iram, doloremque, plenis minarum, probrorumque datis ad eundem literis, euomuit. Aiebat inustam puerili eius leuitate maculam splendori gentis Kostkæ: inhumanissimè se, impièque desertum, destitutum, proditum: suum filium, vilissimi instar mendiculi, vagum, atque erronem Germaniâ totâ, Italiâque conspectum. In hac puerili fatuitate si perseuerare haberet in animo; caueret vnquam reuiseret Poloniam. Nusquam adeo fore tutum, vndè vi non extraheret: proque torquibus aureis, quos ante gestasset, gestaturusque fuisset, si ingenium suis dignum natalibus voluisset induere; oneratum ferro in tetrum coniecturum carcerem, vbi nunquam videret diem. Has literas, cùm de Stanislai virtute certi Moderatores, ei reddidissent; continuò legenti, vt habebat promptissimas, eruperunt lacrymæ. Quidque fleret interrogatus; miseram parentum suorum deplorare se cæcitatem respondit, qui dona Dei vsque adeo ignorarent. Iussusque ad eas literas respondere; in hanc rescripsit sententiam. Cùm se Deus Dominus in familiarium suorum recepisset numerum; parenti nullam doloris, at multiplicem lætitiæ causam esse. Nam ad ipsum quoquè pertinere huius beneficij partem, qui filium in cælestis Principis haberet aulâ, idque sine impensâ, & curâ: quod nequaquam ijs contingit patribus, qui apud Principes nihilò minùs, quàm sunt ipsi, mortales, liberos suos collocant. Indignum quidem se, qui propter Dei amorem quicquam acerbi ferat: si tamen pro suâ clementiâ Christus Iesus, tam multa pro nobis passus, tanto munere dignarè-

62 Romæ Tyrocinium auspicatur.

63 Quos habuit Tyrocinij Magistros.

64 Spiritus exercitationes à Claudio Aquauiua traditas summa pietate obit.

65 Literis à patre sæuis acceptis, deflet eius cæcitatē.

66 Ad eas literas pia responsio.

gnaretur; haud optatius quicquam sibi, ac beatius posse in hac vita euenire. Proinde quæ minas ille putaret, sua esse vota. Cetèrùm sciret se dudum sempiternæ Maiestati fidem obligasse, quoad spiritus mortales artus regeret, in paupertate eidem, castitateque, & obedientiâ seruiturum. Citiùs, quàm vt hanc fidem fallat; extrema paratum omnia, necèmque vel acerbissimam perpeti. Ipsi quoquè parenti longè fore consultius, si filium sponte tradat, commendetque Deo, & gratiam ei deposcat, qua vocationis inæstimabili dono ad finem vsque perseueranter respondeat, quàm si facessere negotium conetur. Hoc enim & irritum, & ipsi præterea noxium: illud verò salutiferum vtrisque fore. Hæc fermè de Stanislao apud Professos agente comperta sunt. Eius temporis, quo in Romano fuit Collegio, duo speciatim narrantur. Primum cùm eius visendi causâ Ioannes Franciscus Commendonus Cardinalis venisset; Stanislaum abundè se ornatum humilitatis existimantem insignibus, prodire ad illum ita vt erat in obsoletâ, qua ministerij causâ vtebatur lacernulâ voluisse, nisi Patres habendam magis rationem amplissimæ Cardinalis personæ, quàm Stanislai seruoris duxissent. Norat Commendonus ex multis Legationibus per Septentrionem obitis gentem Kostkam, satisque Viennæ Stanislai virtutem perspexerat: & hic est, opinor, Legatus, cuius patrocinium apud Magium Prouincialem, vt se in Societatem acciperet, Stanislaus interposuerat. Itaque & adolescentis mores, & familiæ eius nobilitatem perhonorifico in digressu testimonio Patribus commendauit. Sed illud quanto & apud homines, quodque caput est, apud Deum esset in pretio, clariùs patefecit. Cunctis domesticis pro notâ, constantique pietate, quanquàm adeo Nouitius, modicæque ætatis, venerationi erat. Itaque Marius Francus grauiter animo perturbatus, eiusque precibus multum tribuens, pro se vt Deum precaretur, rogauit. Cui Stanislaus: Pariter, inquit, concedamus in templum, & ante diuinissimum Sacramentum sternamus preces, eique nos commendemus. Eunt continuò: habet Stanislaus haud longam magis, quàm ardentem precationem: ac repentè Socio mens conserenat; eaque anxia cura sic euanescit; vt protinus non modò omni vacuus perturbatione abierit; verùm etiam insigni consolatione plenus, & gaudio. Quod, cùm hæc ipsa nos moliremur, superstes idem Sacerdos, & concionator perspectæ religionis, cum excellenti sanctitatis Stanislai testificatione rite, ac sanctè confirmabat. Ad vltimum translatus Stanislaus in collem Quirinalem ad sancti Andreæ, ita cunctis in rebus absolutam honesti formam tenore æquabili expressit; vt vel vsitata domesticæ disciplinæ munera obiens, quendam ijs splendorem præcipuum, quandamque præter solitum lucem adderet: sic vt etiam vbi nil nisi, quod ceteri, faceret; videretur tamen plura facere, & ampliora, quàm ceteri. Et scilicet faciebat: cùm potiùs quemadmodùm, quàm quid agatur interfit: ac sæpè qualitas operis in opus euadat. Erat itaque viuum omnibus cunctarum laudum exemplum: nec dubitabant Nouitiorum doctores, etiam num superstitem, palàm pro formâ ceteris ad imitandum proponere. Modestia eius in vultu, & oculis, in gressu, gestuque, ac motu omni: parsimonia linguæ, & verborum examen erant summa. In oris illâ angelicâ specie adeo sanctitatis fulgebat color, & purissimæ lumen emicabat integriratis; vt intuentibus cum virtutum ceterarum, tum maximè pudicitiæ amorem quasi afflaret. Nec tamen vnquam tristem videre erat, aut tetricum, sed hilarem, suauemque mirè decenti, atque amabili vultu. Nempe gaudens animus, delitijsque beatæ vitæ saginatus, multò quàm adolescentia magis faciem ei, ætatemque floridam faciebat: non per interualla summi boni fontem reguſtans, sed quantùm mortalitas patiebatur, assiduè potans: atque adeo continentiùs illi, quàm mortalis conditio patiebatur, inhærens. Sedulò Moderatores aduigilabant, ne immodico abreptus impetu spiritus, nequaquam pari præditum vi terrenum vasculum immaturè desereret. Cetèrùm ita suopte iam nutu ferebatur, & acquiescebat in Deo; vt vita eius omnis verè dici perpetua posset oratio: & insigni dono consequutus id esset, vt vbique, ac semper in diuino se stare conspectu sentiret. Iulius Fatius, quantùm obseruare ipse potuerit, animaduersum sibi testatur, nullis inter orandum, aut meditandum

67 Stanislai conteptio suimet.

68 Tranquillitatem mētis Socio precibus restituit.

69 Pro exemplo Tyronibus à Magistris proponebatur.

70 Modestia, & pudicitiæ fulgor.

71 Sancta hilaritas.

72 Summa cum Deo coniunctio, & donum vbique Deum præsentem intuendi.

fugacis

fugacis mentis euagationibus obnoxium Stanislaum fuisse. Et verò quò euagaretur, qui iam se totum, ac penitus in Oceanum immensum diuinitatis immersérat, vndè quò se cumque verteret, nunquam emergeret? Cuius & integerrima illa caro animi iam didicerat affici studijs: vt posset cum regio Vate profiteri: Sitiuit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea. Certum est ipsum quoquè ex animi redundantiâ ita amoris diuini incendio incalescere, ita exæstuare solitum corpus; vt cordi, ne opprimeretur, ad mitigandum ardorem, imbutos frigidâ panniculos necesse esset apponere. Erga Dei beatissimam Genitricem iam prorsus animum induerat filij: parentemque appellare suam in omni sermone consueuerat. Quod tanto cum sensu, tam simplici, pulcrâque ingenuitate præstabat; vt audientibus suæ partem suauitatis aspergeret. Notauit id præ ceteris Emmanuel Sà theologus idem, & concionator, & vir optimus: qui cùm aliquando comitem eum ad basilicam sanctæ Mariæ ad Niues duceret, ac perçunctatus esset, num eam diligeret; is humili quodam gestu, & ore blandissimo respondit: quid quæris Pater? est mea Mater. Eâque voce tali modo, ac sensu prolatâ, valde commotus Emmanuel, cùm deinde rem Patri Generali narraret, admirabundus aiebat, nequaquam sibi visam eam hominis vocem. Sanè cùm frequentissimè de ipsâ Cæli Reginâ loqueretur, noua semper, & magnificentissima, quibus appellaret, excogitabat nomina, & gradus, in quibus collocaret, altissimos: vt simul appareret graue illi esse, quòd celsius quiddam, vbi reponeret, non inueniebat: nec exæquare verbis iudicij sui maiestatem poterat. Ad salutationem Angelicam, sacrum rosarium, preceſque alias, cum psalmis, in laudem Virginis consuetas, suauissimè afficiebatur: cùmque quàm liceret creberrimè, in ijs exequendis officijs versaretur; animaduertebant Patres id quoquè exequi eum quadam cum venustate vultus, & gratiâ vsque eo extraordinariâ; vt planè illi ab plenâ gratiæ Virgine, gratiæque parente Reginâ, cuius inseruiebat laudibus, præter morem indita videretur. Est etiam qui rite confirmat splendore pluſquam humano lucentem eius faciem haud semel sibi conspectam. Ita nimirum ad luminum Patrem capaces animæ accedentes illuminantur. Ceterùm Stanislaus inter dulcia hæc beatæ Patriæ studia nihilò impensè, incitatèque minùs austera, & dura huius exilij propria tractabat. Adolescentulus eius innocentiæ, & sanctitatis nullum faciebat finem integerrima illa membra, & obsequentissimum animo corpusculum afflictandi. Nihil erat, quod excelsum illud pectus pertimesceret: nihil existimabat arduum, nil supra vires ducebat suas, ostendens vim Apostolici verbi: Caritas omnia sperat, omnia sustinet. Quæ diuersa videbat laborum in singulis, viliumque munerum, ac pœnarum sponte susceptarum genera; ea ipse fame inexplebili, & animo immenso appetebat vniuersa: &, vt quæque ministeria humillima, & contemptissima erant; ita exultabat maximè, ac beatus ingrediebatur. Nemo autem suspicetur, quia solet interdum ingentibus ausis, generosisque seruoribus, Angelum lucis mentiens tenebrarum pater, fraudis aliquid immiscere; siue leuitatem in his, siue ludificationem vllam Dæmonis fuisse permistam: cuncta enim sanctâ obedientiâ temperabat, fidelis character, ac nota germanæ virtutis, certissimumque aduersùs ludibria Satanæ munimentum. Et quamuis ab suo non nunquam sensu religiosi quoquè viri in his, quæ per honesti speciem blandiuntur, peregrè remoueantur; tamen Stanislaus propensissimâ voluntate, curâque summâ ad legum domesticarum regulam, Præsidumque nutum, se vbique fingebat. Itaque intuenti mihi omnem eius (quantulus fuit) cursum ætatis, primaque cum medijs, cum postremis media comparanti; haud dubiè videtur per vias rectas semper ab diuino Spiritu, tanquam manu, fuisse ductus: affluentium verò donorum, quæ deinceps alia super alia semper vberiùs effusa in eum è cælo sunt, quasi fons, & origo fuisse efficacissima, & vberrima à principio collata religiosæ gratia vocationis. Cui gratiæ cùm se ille gratissimum, & perinde obsequentissimum præberet: eâque re largum, ac beatum diuinæ benignitatis flumen in suum, vti oportet, caput fontemque refunderetur; perenni vsque commercio indè rursus emanans, ad irrigandum, fœcundandumque egregiè præparatum,

73 Ex diuino amore cor exæstuans refrigeratione externa indiget.

74 Beatam Virginem vnicè, & vt Matrem amat.

75 Eius facies splendere visa.

76 In seſe asperimus.

77 Obedientissimus.

78 Vocationis in eo gratia excellens.

Digitized by Google

ratum, cultumque fidelis, & diligentis serui agrum multiplici cum incremento redibat. Quàm porrò efficax, & abundans fuerit diuina vocatio, pariterque ei quàm plenè ipse responderit; non ex diuersis, sed prorsus ex ijsdem cernitur argumentis. Id admirabilis illa docet constantia in vexatione diuturnâ, corruptelâque domesticâ: id assidua, & multiplex vt admitteretur flagitatio: id votum conceptum: id postremò tam generosa fuga, tam longa, tam & laborum, & discriminum plena peregrinatio, dum ab propinquis, ab opibus, ab delicijs, ad solitudinem, ad nuditatem, ad obscuritatem, asperitatemque Crucis, quæque alia habet religiosus rigor seculi votis aduersa, incitatione maiore contendit; quàm auaros, vel ambitiosos, vel voluptatum amatores suarum furor cupiditatum agat. Vbi verò peruenit Romam; quasi thesaurum tanto labore quæsitum adeptus; expleri gaudendo nequibat. Et quoniam, quod abundat in corde, id lingua personat; plerique eius sermones instituebantur de cælesti dono religiosæ vocationis: nec fermè vnquam sine magnificentiâ præclarà verborum, & vberibus lacrymis. Quodque proprium est ad perfecta, & summa nitentium, talia cum fecisset, ac faceret, incusabat se, ac dolebat, quasi aduersùs tam incomparabile donum esset ingratus. Mortalium omne genus voluisset tanti boni particeps fieri, suosque nominatim propinquos, affines, parentes: à quibus de cetero ita disiunxerat curam; vt periniquè ferret eorum mentionem, præsertim si opes, & nobilitas, vel quidpiam, vndè in se redire existimatio posset, memoraretur. Iam instituta Societatis tanti faciebat, tamque accommodata sibi rebatur, & congruentia; vt nihil supra. Natum atque aptum, seu potiùs à Christi gratiâ factum ad ea intelligeres. Nec ab opinione facta distabant. Ad ea volebat non modò, quæ communiter ageret, sed & priuata omnia pietatis suæ momenta exigi. Legum erat cunctarum, & quotidianæ disciplinæ seruantissimus. Nec Rectori modò; sed infimorum quoquè operum præfectis alacritate singulari, & fide parebat: Nihil quantumuis in speciem leue prætermittens: vt qui nec leue duceret, in quo pondus æternæ gloriæ inesse posset: nec iussa per interpretationes ad suum stomachum trahens; sed oculatâ Deo, cœcâ mundo sapientiâ exhauriens: ad eamque, quam Sancti viri describunt, perfectionem contendens veri obedientis: qui non quantum, aut quale sit, quod præcipitur spectat; sed solo est præcepto contentus. Id cerni cum aliàs licuit, tum in eo, quod sequitur. Missus enim ad comportanda pariter cum Claudio Aquauiuâ in culinam ligna, dum Claudius feruori suo obsequens aggerat vsque communem, & cumulat sarcinam; Stanislaus, quòd certum fortè lignorum numerum, quem singulis itineribus ferrent, coquus nominauerat; demere, quæ numerum superarent, cœpit, & contestari eum se numerum nequaquam egressurum. Itaque socij quoquè, quem de cetero tanquam magistrum ille venerabatur, temperandus ardor, & accommodandus ad eius obedientiam fuit. Hæc, atque horum similia cùm palàm cernerentur ab omnibus; Iulius tamen Fatius, & Alfonsus Ruizius, qui Institutores, & Confessarij, latebras quoquè intimas scrutabantur animi; multò & videbant clariùs, & contemplabantur iucundiùs abditos ibi thesauros: professique, eo mortuo, sunt non potuisse in eo cuiusuis modi noxam obseruari. Fatius nominatim de obedientiâ scriptum reliquit: visam sibi in Stanislao ad eum ascendisse verticem; ad quem celsissimum inter mortales potest. Nihil ei oblatum vnquam difficile, quicquid innueretur: nunquam tardum, aut cunctantem repertum: quam ob causam iucundè interdum appellabat omnipotentem. Cùm verò incidisset tempus, vt valetudinis causâ temperare eius intentam assiduè in Deum cogitationem necesse foret; eamque ob rem iussus esset spatia orandi contrahere; indè quidem visum initiò modicè tangi: verùm id quoquè adeo tulisse placidè, tamque obsequenter in potestate fuisse Rectoris; vt animi eius beata tranquillitas nullam in partem commoueretur. Quod benè fundatæ humilitatis documentum insigne, & vti dicere instituerat signum fidele totius sanctitatis minimè fucatæ, sed veræ, ac solidæ, sapientes habent. Nam ferè vt quisque maximè in meditandis diuinis, ac cetero cultu pietatis dulcedine quadam impletur; ita difficillimè, eâ inescatus voluptate ad communem sese componit normam, & ad

79 Quanti faceret religiosam vocationem.

80 De Societatis institutis æstimatio.

81 Erga omnes obediétia singularis.

82 Quanti fieret à Magistris Nouitiorum.

83 Signum solidæ eius virtutis.

Præsi-

Digitized by Google

Præsidis nutum versât. Nec rursus tanta in Stanislao ad parendum alacritas ex hebetudine, vel ignauâ quadam mollitudine nascebatur ingenij; sed ex certâ virtute, & animi inductione, ac spiritu recto, quem sortitus erat: cùm persuasum haberet, ita singulis in rebus cum diuinâ voluntate se cohæsurum, si quos Dei loco sumpsisset, cum ijs quamarctissimè iungeretur, eorumque penitus sensum indueret. Quippe valebat ingenio: consilijque maturitate, ac prudentiâ longè præcurrebat ætatem. Inuentusque inter eius libellos post obitum vnus est, in quo, cùm diligenter animi sui sensa, & concessa diuinitus lumina adnotasset; sanè præstantis, vt aiunt, documenta sapientiæ legebantur: quorum nos gustu neutiquam lectorem hoc loco fraudaremus, si nanciscì libellum contigisset. Nominatim autem dexteritas in eo quædam suauissima traditur excelluisse in familiaribus regendis collocutionibus: ac si quando ad media prolaberentur; ad pia argumenta reuocandis: cùm scitè, venustèque exempla Sanctorum è vitis inseret: quæ, tanquam ipse spectasset, aut easdem gessisset res, ita affectu suo, ac spiritu narrans animabat. Neque hæc cùm præstaret quicquam indè tribuebat sibi, vel de aliorum existimatione apud se deterebat; sed mirificâ aduersùm omnes obseruantiâ, se tanquam inter Angelos versari dicens, indignum appellabat tali cœtu; studensque ex singulis proficere, quæ in vnoquoque cernebat separatim, ab se deberi cuncta censebat. Ex his omnibus sancto Dei puero quàm largè, & copiosè gratia diuinæ ad Sociotatem vocationis infusa sit; quàm fideliter tradita ipse talenta exercuerit; quàm postremò certâ notâ eius consignatæ virtutes sint; ad liquidum apparet. Hac itaque incitatione, felicis instar, rapidique cursoris, spatium virtutis longissimum perexiguo emensus tempore, metam attigit, ac destinatum apprehendit brauium. Mense ab Societatis ingressu decimo, Assumptæ in Cælum Deiparæ nocte, patronam, matremque secutus est suam: cùm iam se circumageret annus, ex quo Viennam gloriosâ fugâ reliquerat. Ipsa porrò ex hac vitâ migratio duo habuit singularia. Primùm diuino, præter naturæ ordinem, iussu existimata est contigisse: deinde cùm præsensit eam, tum prædixit Stanislaus, imò & impetrasse coniectura est. Venerat per æstatem in Vrbem Petrus, de quo supra memorani, Canisius, præter Societatis negotia, rationes etiam quasdam, ac vias subleuandæ Germaniæ cum Pio Quinto Summo Pontifice collaturus. Qui rogatus à Patribus, vt ad Tyrones sancti Andreæ aliquid piæ cohortationis haberet; ipsis Augusti Kalendis, ab Professorum quoquè domo, & Collegio vniuersis ad audiendum tantæ auctoritatis, ac sanctitatis virum congregatis, Nouitijs verba fecit. Orationis materiâ ex vernaculo vulgi in Italiâ verbo, quo se feriari eo die Augustum dicit, desumptâ. Quo verbo cùm ferè intelligant homines bona mensis eius exordia, auspiciaque poni debere, vt salubriter totus, atque hilariter exigatur; indè Canisius disserens, non Augustum modò, sed & menses omnes rite feriandi demonstraturum se optimam viam: Ea est, inquit, si ad cuiusque mensis accessum animo quisque suo persuadeat, eum sibi mensem vltimum fore: atque adeo ita comparet sese, eoque modo rationes vitæ suæ componat; quemadmodum velit paratus in ipso vitæ exitu deprehendi. Quod pleaum sapientiâ monitum, cùm inter se deinde Nouitij retractarent; Stanislaus, sibi verò dixit opportunè cecidisse: sibi propriè dictum: nam se eo ipso mense planè moriturum. Quæ vox in præsenti, vt fit, non valde animaduersa; deinde cognita est prædictionis vim habuisse. Dies indè cùm sancto Laurentio sacer appeteret, qui inclytus Martyr, ex more Societatis nostræ, in menstruâ sortitione Stanislao patronus obuenerat, quamuelberrimum optans agere eum diem; tanquam ad stolam pretiosam, & vario distinctam ornatu parandam, pridie instituit à Rectore, multa sibi vt liceret effectu pia, perpessu dura suscipere; ex quibus leuissima quædam concessa inter cetera, vt publicè in coenaculo verberaret. Ipso mox die festo, post obita ritu diuina, omne matutinum tempus coquo administer exegit, sancto humilitatis, caritatisque negotio religiosum diei otium colens: quæ sunt feriæ Beatis imprimis acceptæ. Secundum prandium interrogatus publicè ab Nouitiorum Magistro quid inter laberes matutinos mente agitasset; respondit: ex culinæ igne, quem habuerat

in

84 Ingenium, eius, & prudentia.

85 Pia colloquia.

86 Erga Socios obseruantia.

87 Prædicit obitum suum.

88 Petri Canisij adhortatio ad Tyrones.

89 Erga Sanctos menstruæ sortitionis quàm pius.

90 Humilitatis, & caritatis munia Sanctis acceptissima.

91 Leui morbo corripitur Stanislaus.

in conspectu, succurrisse eum, quo Laurentius tostus fuerat. Paulò post malè incipit habere, iubeturque collocari in lectulo. Commotiuncula erat, non febris, aut quicquam curâ dignum: tamen Stanislaus lectulum inscensurus, cùm super eum benedicentis ritu salutare signum Crucis manu figurasset, solenni suâ hilaritate adiecit: Si Deo cordi est, vt hinc nunquam exurgam; fiat eius voluntas. Subinde febri corripitur, quasi Laurentij patroni sui flammarum particeps factus. Nec multò post, cùm Claudius Aquauiua (qui hæc ipsa narrauit) & alij quidam decumbentem inuiserent, deque mali, vt erat, leuitate dissererent; dixit Stanislaus: Se à Beatissimâ Cæli Reginâ, per patronum suum sanctum Laurentium, institisse, vt ad se euocare ipso Assumptionis suæ die vellet: atque adeo sperare se id, quod rogarat, impetraturum. Exitus docuit auditas preces. Cùm perleuis esset febris, eaque tertiana; tertio eius accessu mors consequuta: dum ne periculi quidem quicquam alij cognoscunt. Itaque cùm altero ante obitum die ad cubiculum editiore situm loco deduceretur; post gratias Deo, & Societati de curâ, quæ sibi adhiberetur, actas, affirmans ibi decessurum; aliquam admirationem ijs, qui aderant, mouit: ideoque subiecit, si tamen Deo placitum fuerit. At postridie, cùm affirmaret eâ se nocte obiturum; suscepere Fratres, quasi ioco, nequaquam id vero simile esse, nisi si fortè Cæli Regina, cui assumptæ sacer instabat dies, secum assumeret. Post meridiem verò languore, ac sudore gelido occupatus; Patre Fatio nihil id esse (vt assolet) dictitante; disertè affirmauit; adesse iam sibi haud dubiè clausulam vitæ mortalis. Ac tandem fecere fidem tum constantia dicta, tum labi continuò, valdeque concidere cœptæ vires. Indè rogauit vti sinerent humi sese abiectum mori. Quod cùm primò Rector negasset; iterum instanti ex parte indulgendum ratus; vt in solum cum culcitra deponeretur concessit. Ita humi iacens diuinissima mysteria, & suâ, & circumstantium consolatione magnâ suscepit, ad preces, quæ adhibebantur, attentè, pièque respondens. Sed illud fuit spectaculum Fratribus periucundum. Cuncti animaduertere, vbi primùm in cubiculo Sacrosanctum Domini corpus apparuit, tanquam gestiente ad dilecti sui conspectum animo, dulcissimâ quadam amœnitate, & pulchriore solito hilaritatis flore virgineum eius os explicatum. Sub hæc ad Patrem Rectorem conuersus: Tempus breue est, inquit. Ac Patre prosequente illud Apostoli: Reliquum est; ipse subiecit, vt præparemus nos. Ac velut de integro ad momentum illud æternitatis arbitrum se comparare exorsus; bis conscientiam homologesi detersit: veniamque de Fratribus, quòd minus recta eis præbuisset exempla, ita rogare ex animo instituit; vt si exempla verè talia, non optima, præbuisset. Ceterùm quantò breuior vsura vitæ restabat; tantò eam occupabat intentius. Multas precationes ab Sanctis viris compositas, ei tempori accomodas vltrò exequutus, sacram Domini in Cruce fixi effigiem petit. Eam statim porrectam manu tenens, ac peramanter intuens, ore, vti semper erat, lætissimo, plenum pietate colloquium, quale tempus, & cor æstuans suggerebat, instituit: de beneficijs acceptis gratias benignissimo Domino agens, quòd se procreasset, quòd proprio sanguine redemisset, quòd ad Religionem vocasset, ac cetera eius generis, rogans peccatorum veniam, spiritumque suum in manus illius commendans. Tum exorsus à pedibus singillatim sacras plagas summâ cum veneratione, ac suauitate exosculatur. Simili que affectu oblatam, qua valens vtebatur; sanctissimæ Virginis Matris suæ imaginem complexus, atque osculatus est. Indè ad alios Cælites versus, quoniam tempus aderat, quo patrocinia maximè conquiri, atque vsurpari conuenit; voluit sibi Patronorum suorum, è beatis cæli incolis nomina recitari: quos, vt erat accuratus, vnà cum ijs, qui per singulos menses in Tyrocinio illi sorte obtigerant, ex ordine in libellum retulerat. Postremò de more interrogatus, num quid molesti in animo resideret; Nihil, respondit. Ac rursus, num esset paratus Deum euocantem sequi; iucundissimè item respondit: Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Atque ita sancto oleo iam inunctus, alterâ manu Rosarium, & quædam piacularia grana, alterâ sacrum cereum sustinens; vt virgo vigil, ardenti cum lampade, sponsi aduentum opperiebatur: ac breui inter sanctissima Iesu, & Mariæ inge-

92 Precatur à Deipara, vt die Assumptionis moriatur, & impetrat.

93 Rursus obitum suum prædicit

94 Humi abiectus cupit mori.

95 Qua pietate vltima Sacramenta susceperit.

96 Vt ad mortem se comparârit.

97 Sanctissimè moritur, & lenissime.

Digitized by Google

ingeminanda nomina viuere Deo cœpit. Adeo leniter felix ille animus ab suo corpusculo, quod fidelissimum socium, atque administrum habuerat, segregatus est; vt planè ostenderet, quàm studio ei nihil hæreret: eique tam viuidum colorem, oculos vsque eo nitidos reliquit; vt adstantes migratio fefellerit: & mansit deinceps venustissima in ore demortui species, quasi leniter, ac dulcè renidentis. Est qui testatur, auditum sibi eâ tempestate, cùm prædicaretur publicè, apparuisse moribundo clienti Deiparam Virginem. Illud certè multi obseruarunt, cùm iam proximè ab excessu abesset, oculosque ferè tanquam sopore dulci quiescens placidè clausos haberet; conspecta interdum in vultu repentè sereniore, cum oculorum hilari circumactu, dulcique labiorum motu, & quasi subrisu, argumenta quædam suauissimæ voluptatis, qua animus, vel in eo formidolosissimo agone, perfruebatur: vnde coniectura fiebat præclaram ei quampiam diuinarum rerum visionem obijci. Horâ post noctem mediam tertiâ excessit, qua ferè Dominus, & Saluator noster ad gloriosissimam Virginem Matrem suam olim excipiendam cum Angelis è cælo creditur descendisse. Tum id tempus, tum morbus nec diuturnus, nec grauis, nec medicorum iudicio periculosus: præterea facilitas, qua adolescentis optimè constituti, & integris dum viribus dissoluta coagmentatio est, iure persuaserunt ei suauissimo lusculo non absuisse frugis maturitatem: neque imperiosæ mortalitatis rapacitate præceptum; sed extra ordinem auctoris vitæ placidâ manu fuisse collectum. Eâ nocte ad domum professam vni Sociorum, qui statuerat primâ luce Stanislaum inuisere; visus est semisomni alius frater, qui monuit frustrà iturum, vt viseret ægrotantem: iam Stanislaum esse in cælo. Quod cùm is miraretur; iterum ille affirmauit, iam Stanislaum esse in cælo: denuntiatque horam, qua solutus vinculis corporis euolarat. Commotus eâ denuntiatione socius, atque cogitationi impressam retinens, vbi diluculo primò surrexit, trepidè se dedit in viam: cumque vitâ functum sodalem amantissimum reperisset, cognitâ obitus horâ, quod sibi prædictum fuerat plenus admiratione narrauit. Illud pariter animaduersum est, cùm Stanislaus multas ob causas meritò esset omnibus vnicè carus, magnæque expectationis; tamen perinde quasi non de beatâ eius vitâ solùm certi essent, sed illas ipse quasdam ex torrente superfundentis se diuinæ voluptatis deijceret; magno omnes cum gaudio casus acerbitatem tulisse: illud certantes, vt quidpiam è pauculis rebus, quæ sancto fratri vsui fuerant, impetrarent pro sacris pignoribus asseruandum. Mortis, eoque modo obitæ vulgatâ famâ, ad exequias ingentem è Collegio, Domoque professâ exciuit Sociorum numerum: tanto motu, vt eum concursum, sanctitatisque nomen admirans Franciscus Toletus, qui postea fuit Cardinalis, tumque theologiam in Romano Collegio nomine magno docebat; dixisse feratur: Eh adolescens Poloniæ mortuus est, cunctique ad cadauer eius festinant: nobis porrò, vbi senes occubuerimus, quid fiet? Ad id, vt videtur, alludens, quod sanctus Augustinus, cognitâ magni Antonij vitâ, & subitâ ex lectione eius duorum conuersione, dixit. Nec satis celebratum est funus; sed etiam tum alij, tum primarij Societatis Patres, pedes demortui, tanquam sanctas Reliquias, religiosè exosculati sunt. Hæsitque in animis omnium tam dulcis sensus ex admiratione diuinæ clementiæ, talia in suis famulis perpetrantis; vt accumbentibus ad mensam sponte fluerent lacrymæ, & memoriam reficiendæ naturæ rapax illa cogitatio extingueret. Denique quàm singulari cum sanctitatis opinione Stanislaus decesserit, duo apprimè testantur. Primum quòd adolescens, ac Nouitius, præter Societatis morem, in ligneo est conditus loculo, qui discretas (vt æquum erat) ad posteritatis venerationem sanctas illas Reliquias conseruaret: quanquàm non erat tum causa vlla discriminis. Namque illud nouo in templo sancti Andreæ, quasi consecrandæ ceteris postea sequutis humo, & lapidi pretioso in fundamenta ponendo, primum sepultum est immaculatum corpus, quod haud sine peculiari Numinis curâ perdiu integrum, incorruptumque permansit; quasi etiam tum conseruatæ olim vigor virginitatis animaret. Deinde quòd mors iuxtà, ac vita visa eiusmodi est, vt censuerint Patres cunctæ statim Societati, quod luculenter fecerunt, separatâ epistolâ nuncupandum.

98 Beata Virgo in morte illi obiecta.

99 Mors admodùm insignis, & extraordinaria fuit.

100 Eius beata vita statim reuelatur.

101 Fama eius sanctitatis.

102 Cardinalis Toleti dictum in morte Stanislai.

103 Primus ad sancti Andreæ de Societate moritur, & in ligneo loculo sepelitur.

104 Epistola de eo per omnes Societatem dimittitur.

Paulò

Paulò copiosiùs eadem in Lusitaniam Iulius Fatius scripsit, summo, vt apparet, studio, vt qui gratissimæ cælo illius animæ diuitias interiùs norat. Sed Stanislaus Varsouitius Tyrocinij commilito, itemque Polonus in ordinem vitæ primus digessit. Duobus post annis carmine edita est in Poloniâ, adscripto Beati titulo. Vbi veneratio ita statim cœpit, vt non desint ex eo regno, qui Stanislai sanctitatis nomine adductos se profiteantur, vt nomen in Societatem darent. Denique primus hic fuit de Societate, qui ab Romano Pontifice Beati appellatione donaretur: & multis in Poloniâ, alijsque Prouincijs, ac Romæ præsertim acceptum sibi adolescentulum, idem qui ab initio cæpit, fauor diuinus prosequens, illustrat miraculis, ad animarum, & corporum beneficium eorum, qui ad eius confugiunt preces. Multi grauissimis Dæmonum oppugnationibus eius ope erepti sunt: alij optatas adepti virtutes, alij in morbis, alijsque humanis calamitatibus præsens experti auxilium. Ab obsessis quoque corporibus per eius inuocationem expulsi mali dæmones. Denique ipse mer admirabili modo ad suæ beatæ vitæ testificationem non nemini apparuit. Quorum admirabilium operum, rite iuratis testibus, tabulæ confectæ sunt publicæ: & prodita sunt etiam quædam à nobis in proprio libello, quo vitam Beati vulgauimus: vt, quoniam ad eius venerandum corpus sortiti, licet indignissimi, contubernium sumus; id quale cumque obsequij documentum, ex munere, quod tractamus, clementissimo hospiti, patronoque domestico, pro singularibus in nos meritis, redderemus. Hîc Pauli eius fratris adscribere exitum satis habebo; quandoquidem talis fuit, vt optimo iure Stanislao tribuatur, qui gratiam fratri de cælo reddiderit, qualem sancti viri solent ijs, qui nobilem ipsis patientiæ coronam elaborarint. Paulus ergo, cùm primis annis haud multum negotij suscepisset in rerum cultu diuinarum; vbi maturuit ætas, ita diuersam viam iniuit, vt moriens sanctitatis famam, & ipse non leuem reliquerit. Comparem sibi genere, ceterisque ornamentis conquirens coniugem, aliquot conditiones frustrà tentarat: cùm reputare cœpit secum Deo cordi non esse, vt illo se vitæ genere illigaret: ac proinde vertendas alio cursus: quin Deo ipsi soluto plane ab terrenis nexibus & animo, & corpore seruiendum. Hæc salutaris cogitatio nouæ illi vitæ initium fuit. Indè liberaliùs cœpit sese precationibus dedere, diuina crebriùs vsurpare, ac reliqua pietatis officia tractare impensiùs. Tum virtutis gustu illectus, quæ experienti multò suauior, quàm cogitanti est, diuinâque gratiâ corroboratus, quæ rectè factis amplificatur; animum induxit facultatibus suis Christo Domino redditis, pauperem vitam, humilemque traducere. Itaque Prasnisij, vbi versabatur, Patribus Franciscanis (quos Bernardinos in Polonia vocant) certam pecuniam assignauit templo, ac cœnobio extruendo. Templo eiusdem Oppidi populari annuum vectigal auxit, & sacellum in eo condidit, & in sacello sibi sepulcrum cum inscriptione hac posuit. Non erubesco Euangelium: Significans vitam sibi inopem, quamuis mundo ignobilem, vltrò delectam: quòd è schola esset non mundi, sed Christi: nec rubori sibi, sed splendori ducere, quòd cælestis Magister re, & oratione optabile, & gloriosum demonstrarat, ac fecerat. Præclarè enim sanctus Ambrosius: Neminem, inquit, debet pudere, si ex diuite pauper fiat, dum largitur pauperi: quia Christus pauper factus est, cùm diues esset, vt nos suâ inopiâ ditaret. Denique amplas eodem in Oppido ædes Xenodochio continentes ædificauit, consilio collocandæ ibi Societatis. Quod vbi impetrare non potuit; pauperibus eas, & Xenodochio largitus, in earum parte pauper ipse pro Christo, & contubernalis pauperum factus, vitam in assiduis ieunijs, precationibus, & alijs pietatis muneribus egit, omnium virtutum, sed præcipuè humilitatis specimen latè clarissimum præbens. Auebat summopere, vt absolutum faceret holocaustum, se quoque ipsum Societati penitus tradere: quam venerabundus vbique, cum præfatione honorificâ, sanctam appellabat. Et quamuis multa, ne reciperetur, obstarent; ætas in primis grauior, ac perdita valetudo; tamen, post diuturnam flagitationem sine fine perseuerantem, Claudius Aquauiua Generalis Præpositus, cum ipsi homini, tum sanctæ Stanislai memoriæ tribuendum aliquid ratus, admisit. Hoc Paulus nuntio lætus, dum conuerso penitus ad

Cru-

105 Stanislaus Varsouitius primus eius vitã describit.

106 Primus de Societate à summo Pontifice Beatus appellatur.

107 Miraculis illustratur.

108 Paulus Beati Stanislai frater quanæ demũ virtutis fuerit.

109 Qua occasione ad Deum totus conuersus.

110 Facultatibus pie distributis voluntariã paupertatem colit.

111 Sepulcrum sibi inscribit.

112 Societati quãtum tribuerit.

113 In eam tandem recipitur.

Digitized by Google

Graecem animo, totus in eo est, vt à subortis litibus bona, quæ Ecclesijs donarat, explicet, protinus in domum Domini euolaturus; Petricouiæ in regni Iudicijs, quæ Tribunalitia vocant, lethifero morbo correptus, ad præmia rectè factorum, piorumque studiorum decessit. Certatim ad corpus visendum confluxit vniuersa nobilitas, quod & postea prædicabant, quandam sanctitatem spirasse, & omnibus eius conspectu acres pietatis motus iniectos. Ita Paulus, quo bono Stanislaum arcebat, eius ab Stanislao factus est consors. Similiter olim Patriarcha Ioseph bonorum in partem, quæ illi interceptum iuerant fratres, recepit. Sed humana illa fuere, & caduca bona: nostra hæc diuina, ac sempiterna: vt in Aegyptum aduocatos illos; ex Aegypto hunc euocatum appareat. Extremo hoc anno Lauretum quoque suum addidit Cælo flosculum Iacobum Recinetensem annos natum circiter octodecim, ingenio, moribusque præstantem. Is triennio ferè ante in Societatem admissus, tabe lentâ consumptus, prædixit, diem Christi natalem sibi fore supremum. Eo die, cùm se ad migrationem solennibus diuinorum præsidijs instruxisset, Patribusque, ac Fratribus, quos singillatim complecti omnes voluit, lætus vale dixisset; dum abeundi cupidè expectat signum, proceditque dies; cœpit dolere, quòd horæ nimiùm lentæ irent: tandemque horâ ante vesperam tertiâ feliciter euocatus est. En quàm victa iam mors est: quàm non amara, sed amata Iustis, vel ijs, quos vita recens arctiùs complexos teneat. Stanislaus pro beneficio impetrauit: Iacobus increpauit morantem. Et illa, velut iam didicisset certamina caritatis, neutri durè, & per insidias irrepsit, sed ad præmonitos placidè, ac verecundè accessit.

114 Piè decedit.

115 Iacobi Recinetensis sancta mors.

116 Mors Iustis non amara, sed amata.

Hoc anno primus Romæ Procuratorum conuentus habitus est origine tali. Est in Societatis Institutis, vt totius conuentus Ordinis, nec certis temporibus, nec crebro fiat: quòd sine magnis Prouinciarum incommodis, & absque boni cum priuati, tum publici retardatione fieri non posset. Verùm quia necesse erat, vt Generalis Præpositus, quò cunctæ familiæ meliùs consuleret, singularum Prouinciarum statum, non solùm per literas, sed etiam coram peritorum nuntiorum relatione cognosceret; sapientissimè decreuit sanctus Pater Ignatius, vt è singulis Europæ Prouincijs, tertio quoquè anno (nam Prouinciæ extra Europam propter locorum distantiam laxiora interualla postulabant) Professorum cuiusque, & Rectorum lectus suffragijs vnus quispiam ad certiorem, quibus de rebus videretur, faciendum Præpositum Generalem veniret. Ille ita lectus Procurator nominatur. Id Lainij tempore, quantùm eius, ac reliquæ Societatis occupationes permisere, factum est: neque habito ad eos nuntios deligendos conuentu Prouinciæ; sed simplici siue per literas, siue coram cum Prouincialj consensu: neque eâ curâ, vt ex cunctis Prouincijs Romam omnes eodem conuenirent tempore, & commune aliquod consilium haberent. In secundâ verò generali Congregatione Borgia, postquam ipse renuntiatus Præpositus est, retulit ad Patres, vt super illo Constitutionum capite, quod nulla præscribit Congregationi Generali certa tempora, maturiùs deliberarent: viderentque, num, vt alia quædam, id quoquè amplius explicari, & fixis circumscribi terminis expediret. Eiusque erat ipse sententiæ, vt septimo quoquè anno habendam putaret. Multis in vtramque partem disputatis, in Præpositi sententiam plerique initio abierunt: cum eo, vt si septimo anno plerique Prouincialium censerent non adesse causas ad conueniendum idoneas; in biennium proferri liceret. Sed postea, cùm intercessum esset, resque diligentiùs pertractata; eò discessum est, vt saluis Constitutionibus, nulloque interuallo ad conueniendum cunctæ Societati definito; qui tertio quoquè anno iubentur venire Romam Procuratores, ij Professi quatuor votorum, virique maximè ideonei essent: & ad legendos eos suum quæque Prouincia haberet Concilium: in quo tum alia decernerentur cum Præposito tractanda, tum præcipuâ curâ rationes colligerentur, quæ suaderent, dissuaderentue generalem conuentum. Denique omnes eodem congregati tempore, decretorio præditi suffragio, vnà cum Assistentibus, ac Generali Præposito, cui geminum suffragium, & in omnium pari numero præpollendi ius esset, consilio habito, communicato-

117 Congregationes Procuratorum vndè ortæ.

118 Lainij tempore quomodo habitæ.

119 Borgiæ tempore quomodo stabilitæ.

Digitized by Google

que inuicem Prouinciarum statu, sensuque; decerneretur, vtrum iubendus conuentus esset generalis, nec ne. Hac viâ, talique temperamento neque cogendo Consilio inquietabatur Societas, si nulla subesset digna tanto motu causa: neque, si causa postularet, remedij curam prætermittebant. Hoc itaque Procuratorum his conuentibus destinatum primum, ac supremum est. Dispicere num qua re laboret Ordo, aut aliud causæ sit, quare maximum indîci conuentum oporteat. Post hæc propria quisque separatim Prouinciæ suæ negotia cum Præposito Generali tractat. Dubitatum est num Procuratorem eligi ipsum Prouincialem liceret: tandemque responsum à Borgiâ non licere: siue vt minùs interturbaretur Prouinciarum administratio, siue vt incorruptiùs de necessitate cogendæ Congregationis iudicaretur: dum non ijs, quorum in manu administratio est, sed alij iudicant. Ergo cùm tertius hic Francisci magistratus iret annus; is, vt reliqua Societatis instituta deducere studebat in mores; ita, edictis per vniuersas Europæ Prouincias ad designandos Procuratores Prouincialibus Concilijs, eorum conuentum Romam in autumnum edixit. Posterioribus temporibus certus dies præstitus est, & adhuc obseruatus quintusdecimus Nouembris. Quod Pontificis iussu ex veteribus institutis de solennibus ante sacerdotium votis mutatum erat, ita dies incommodum demonstrabat, vt, si quid profici sperarent posse, eam vnam rem Prouinciarum quædam conuentu vniuersali digna censerent. Cetèrùm cùm omissum nihil à Præposito sibi persuaderent, nec vltra quicquam obtinendum; cunctæ summo consensu decreuerunt nihil esse, cur Societas cogeretur. Austriaci tamen Patres censuerunt (si Præpositus Generalis probaret) nominatim sanctissimo Patri supplicandum, vt Regiones Boreales exemptas eâ lege vellet. Namque Pontificem posse ipsum de Legatis suis cognoscere, quanta per eas terras Sacerdotum esset penuria, quàmque simul necessaria copia esset ad præcipitem prohibendam populorum ad Hæreticos defectionem, præoptantium sæpè quamlibet corruptos, & corruptores, quam nullos sacrorum administros habere. Nec verò vsquam alibi, aut necessaria magis dilatæ professionis experimenta, aut mendicitatis ignominiam timendam minùs. Sed Francisco (cùm desperaret exitum) modestius visum est in præsens nihil mouere. Sexto Nonas Octobris cœptus Romæ Procuratorum conuentus. Præsidem loco suo Præpositus Generalis morbo implicitus Euerardum Mercurianum substituit: qui Assistens Septentrionalium Prouinciarum, & Romanæ Domus Minister erat: ita tum Propræpositum nuncupabant. Quoniam nouum hoc conuentus erat genus, ante omnia formam præscribi oportuit, quam sequerentur. Igitur cùm principiò iustum videri ipsum conuentum censuissent: &, si quid fortè interueniisset vitij, quoad ipsis liceret, suppleissent: posteaque de ceteris quidem rebus ex maiore suffragiorum numero, de cogendâ verò, nec ne, Congregatione Generali, quæ vnica huiusce modi Conuentuum causa est, ex maiore parte dimidiâ statuendum decreuissent; Secretarium legerunt Petrum Ribadeneriam: preces, sacrificia, afflictiones propitiando Numini ad felicem deliberationis exitum edixerunt: & diem ex eo die quartum dicendis sententijs finiuere: sic, vt contrahi id spatij, nequaquàm verò prorogari fas esset. Postero die, quæ apposita visa sunt necessariæ ad rectè censendum notitiæ inuicem communicandæ sancita: & præterea additum, vt, quo die dicendæ essent sententiæ, quibus suffragium esset; ij singillatim omnes de sancto Spiritu sacrificium facerent: tum in vnum congregati, abiectique in preces, apud se quisque sententiam, quam vsque in illum articulum sustinere debuerant, firmarent, scriptoque comprehensam darent. Vbi dies adfuit, pridie Nonas Octobris, cùm in sacellum Generalis Præpositi, vnà cùm eo iam validiore, ex conceptâ formulâ conueniissent, & rite cetera præstitissent; consensu pulcherrimo, nemine prorsus dissentiente, declarauerunt, Generalem Congregationem cogendam non videri: communique item sententiâ Conuentui finem imponunt. Ita tum gesta res est: nec multum deinceps ex eâ formulâ immutauit ea, qua nunc vtimur. Subinde quæ sua cuique Procuratorum Prouincia mandata dederat, separatim exhausta. Habuit primus hic conuentus illud insigne: quòd eum sanctitas

120 Quid ijs Congregationibus tractandum.

121 Prouincialis non potest eligi in Procuratorem.

122 Difficultates, quæ hoc tempore Societatem premerét.

123 Primi conuentus Procuratorum forma.

124 Preces indictæ ad bonum Cõgregationis exitum.

125 Generalem Congregationem non cogendam iudicatum.

ctitas eximia Franciſci quodammodo dedicauit, ſacrauitque: vt, velut ex generoſo quodam, cæleſtique rore imbuto ſemine, ſperare liceat ad ſequentes quoquè tranſuſum vigorem. Nam ſuperat prope fidem quot ſuis Pater humillimus, quot Ordinis vniuerſi precationibus, & ſacrificijs, & varijs voluntariæ affictionis generibus ampliùs anno, ſecundum, ex maioreDei gloria, exitum inſtiterit poſtulare. Vehementius nihil optabat, quàm Generalatu ipſe deijci, vel liberari: vtque parem muneri Societas, longè ſe imparem ducens, nanciſceretur Præſidem. Quin etiam perpetuam anno ſuperiore ſupplicationem inſtituerat, vt ſignificare Deus vellet, num vltra trahendus ſibi magiſtratus foret. Tamen cùm Aſſiſtentes vetarent quicquam in tam graui, immutabilique negotio moliri; patienter ceruices ſub iugo continuit. Quòd ſi vllo modo ſperaſſet bonam ſe ab Societate coactâ miſſionem impetraturum; haud dubiè, vt ea cogeretur, lapidem in hoc conuentu omnem mouiſſet. Vnus in eo defuit Franciæ Procurator Edmundus Haius Collegij Pariſienſis Rector, quem iter ingreſſum obuius cum ſarcinis mulus ex edito cliuo præcipitem deiecit in vallem. Et quanquam viſus eſt mirâ Dei tutelâ per opem ſanctorum Geruaſij, ac Protaſij Martyrum ſeruatus; tamen ſubſiſtere Lugduni ad curationem coactus, vices ſuas Procuratori Aquitaniæ Ludouico Codretto demandauit. Ceterarum Prouinciarum hi fuere Procuratores, Luſitaniæ Georgius Serranus in Franciſci Henricij, quem morbus tenuit, ſubſtitutus locum: Toleti Michaël Gubernius: Caſtellæ Hieronymus Ripalda: Bœticæ Alfonſus Zaràtes: Aragoniæ Ioſeph Aiàla: Inferioris Germaniæ Maximilianus Capella: Rheni Ioannes Beroſelius: Auſtriæ Hurtadus Petrius: Superioris Germaniæ Petrus Caniſius: cuius, tametſi Prouinciæ præerat; lectio rata habita eſt, quòd iam in Italiam venerat, cùm reſponſum eſt, Prouinciales legi non debere: Longobardiæ Fuluius Androtius: Siciliæ Ioannes Philippus Caſinus: Neapolis Gaſpar Hernandius: Romæ Petrus Ribadeneria. Inter cetera ab Hiſpanicis Prouincijs miſſi inſtitere, vt in Araozij locum, quem Rex in Hiſpaniâ morabatur, Aſsiſtens nominaretur. Quare Prouincialium exploratâ ſententiâ, Generalis in eius locum ſuffecit Hieronymum Natalem: qui, inſpectis quatuor Germaniæ, duabus Galliæ Prouincijs, paulò ante in Vrbem redierat. Nec verò ſegniùs commune totius Eccleſiæ, quàm Societatis emolumentum curatum eſt. Hoc anno primus in Indiam Viſitator eſt miſſus Conſaluus Aluarius: & præclara in Floridam deſtinata ſubſidia: lætiſſimoque euentu, vti ſuo refertur loco, Peruuiæ Prouinciæ poſita fundamenta. Itaque cùm ad Orientem, atque ad Occidentem propagationi fidei latiſſimam patefieri portam narrarent Pontifici Patres, atque peropportunas ad iuuandum Septentrionem eidem Caniſius vias proponeret, multùmque ijs rebus Paſtor ſanctiſsimus lætaretur; ſuggeſſere inſuper videri optimum factu, ſi ipſius Sanctitas aliquot Cardinales deſignaret, qui in has tanti momenti curas peculiari attentione incumberent. Conſilioque inter ſe habito, tum nouas excogitarent ſanctæ Fidei reſtituendæ, ac propagandæ rationes: tum rectè conſulta ad effectum perducenda curarent. Quod audiens Pontifex, id verò omnino faciendum affirmans, protinus nominare Cardinales, qui idonei viderentur, cœpit. Ex quibus decimo Kalendas Sextiles in ſacro Senatu lectos à ſe quaternos promulgauit: Cardinalem Auguſtanum, qui paulò ante comite Caniſio in Vrbem venerat: Bordeſieram, Granuelanum, & Commendonum, qui Hæreticis reuocandis ad fidem præeſſent: totidemque, qui Ethnicis conuertendis, adiecit. Marcum Antonium Amulium, Guilielmum Sirletum, Antonium Caraffam, & Alexandrum Cribellium. Paulò poſt, cùm memoraret Borgia Ingolſtandienſem Academiam Sociorum operâ, Eiſtetenſis Epiſcopi fauore profitendæ fidei formulam à Pio Quarto editam ſuſcepiſſe: eamque item rem ſummâ cum voluptate ſanctiſſimus Dominus audiret; ſubiecit Pater in Academijs Italiæ id nihilò ſecius inducendum moris: tum vt ipſi proſpiciatur Italiæ, tum etiam, ne fidei ſanctæ hoſtes ex infectis profecti oris ab catholicis Academijs arma, atque inſignia, quæ mox contra veritatem, ac religionem vertant, accipiant. Id quoquè conſilium optimum optimo Pontifici viſum eſt: atque exequuturum pollicitus,

126 Pietas Patris Borgiæ in hoc conuentu.

127 Nomina Procuratorũ primæ Congregationis.

128 Hieronymus Natalis in Araozij locum Aſſiſtens ſufficitur.

129 Quaterni Cardinales à Pontifice Hæreticis reuocandis & conuertẽdis Ethnicis præpoſiti.

130 Profeſsio Fidei in quaſdam Academias inducitur.

Digitized by Google

citus, anni insequentis initio ad Perusinam, ac Bononiensem Academiam, & cunctos Italiæ Episcopos super eâ re literas dedit.

131 Syrorum ficta legatio deprehenditur Patris Baptistæ Eliani interpretis opera.

Quatuor circiter menses liberali Pontificis sumptu egerunt hoc anno Romæ Syri quidam Legati ab suo Patriarchâ se affirmantes missos; quorum literas Arabicè scriptas cùm Pontifex Patri Baptistæ Eliano (quem & Romanum vocabant) interpretandas dedisset; is varia persequutus indicia, tandem comperit simulatam Legationem. Ac sumpsisset de vanis nebulonibus exemplum Pius; nisi subodorati periculum Syri Clanculum se fugâ eripuissent. Porrò quicquid paulò ignotioribus scriptum linguis afferretur interpretandum ferè nostris sodalibus tradebatur: ea de peritiâ juxtà, ac fide illorum opinio erat. Extremam sub æstatem cùm sparsi per Vrbem morbi mortalium vim ingentem conficerent; deposcente sibi tenuiorum curam Sodalitate, quæ ab sanctis Apostolis nominatur; memor Pontifex officij in eodem genere biennio ante præstiti; Societatis Iesu dixit esse id munus. Quod non grauatè susceptum, pecuniam satis largè ipso subministrante, eâ curâ Patres, eoque labore, tum Confessarijs ad curandas animas, tum decem Socijs delectis, qui bini in quinque grauiùs laborantes Vrbis diuisi partes operi præessent, administrarunt: vt simul inopis turbæ calamitatibus occurrerent, simul Pontificis accuratissimi satis voluntati facerent. Qui quidem quantùm Societatis probaret operam, eâ quoquè re declarauit, quòd non familiæ suæ modò, vt alijs annis; sed etiam sibi ex eâ concionatorem assumpsit: vt eodem tempore quatuor de Societate sacri Oratores in Vaticano dicerent: vnus ad Pontificem, alter ad eius Familiam, tertius ad Canonicos, & populum in sancti Petri, postremus ad Heluetios in ædiculâ Campi sancti. Benedictus Palmius coram Pontifice nostrorum hominum primus conciones ordinarias habuit. Qui cùm libertate vteretur maximâ, & aulicorum vitia insectaretur acerrimè; tamen ita Apostolicum præ se quendam ferebat animum; vt libentissimè, & magno cum profectu audiretur. Itaque non solùm ternas quaque hebdomadâ in prolixiore ieiunio conciones habuit; sed etiam continuare eas totum annum feriatis Domino, Sanctisque diebus (rem eo loci ad eam diem inauditam) est iussus. Latinæ orationes in Pontificio sacello ab Ludouico Gagliardo, & Benedicto Pereriâ habitæ, quia supra modum placuerant; nominatim iussi sunt iterum dicere: de Ludouico affirmante Pontifice videri sibi in eo Angelum audire: nec minorem cùm iterum dixere admirationem, ac plausum tulerunt. Sed tum Benedictus, qui de sacro Christi Domini excessu orationem habuit, visus excellere. Demum ita vniuerso Purpuratorum Patrum Senatui, & Commendono in primis illa in diuino verbo tractando dignitas placuit; vt is, cùm iterum legaretur in Germaniam, rogantem in digressu Pontificem, numquid haberet, de quo ipsum admonendum censeret; de hoc, præter cetera, admonendum putauerit; vt, quemadmodum suum habebant aliæ Religiosorum familiæ in Pontificio sacello dicendi statum diem; ita suus attribueretur Societati. Quod cùm eo loco omnium Legati gentium, aduenæque permulti intersint, ad Romanorum splendorem sacrorum inter eas nationes augendum, apud quas in pretio latina eloquentia est, valiturum id esset. Quod Pontifex cùm probasset, sacrique Palatij Magistro transigendum mandasset; in proxima deinceps solennia Ascensionis, Pentecostes, & diuinissimæ Trinitatis accitti è Collegio Oratores: inque annos consequentes certa assignata est ad dicendum dies Feria sexta maioris hebdomadæ. Aptum enim verò explicandæ eloquentiæ argumentum, nisi moles infinita, ac pondus immensum opprimat. Ceterùm inter diuina Sacramenta, vel eo nomine dignissimum id est, in quo summa quæque ingenia; & facundissima ora contendant: vt Verbo, quod pro nobis obmutuit, atque adeo maledictum factum est, hæc saltem à nobis benè dicta reddantur. Statuerat Pontifex in Indiam quoquè Orientalem, atque Occidentalem aliquos de Societate mittere, qui eas gentes, & Clerum inuiserent nomine suo, & confirmarent. Sed existimante Patre Generali, & Assistentibus magis expedire id ab Episcopis fieri, quibus Patrum aliquot comites adderentur; in hanc sententiam facilè venit. Tam autem fidelem operam in Dei, & Apostolicæ sedis

132 Pontificis mãdato ægræ Vrbi consultum.

133 Pius V. quantùm Societatis opera vteretur

134 Quatuor de Societate in Vaticano concionantur.

135 Palmius Pontifici totum per annum cõcionatur.

136 Ludouicus Gagliardus, & Benedictus Pereria in sacello Põtificio cum laude latinè dicunt.

137 Ordinaria in Parasceue Oratio Societati attribuitur.

138 Pontificis in Societatẽ beneficia.

obse-

Digitized by Google

obsequium nauante Soci etate, prouidentissimus Pastor egregijs beneuolentiæ, & beneficentiæ respondebat indicijs: eamque, quò fructuosiùs laboraret, tempestiuis beneficijs largiter adornabat, alijs ad priuatum, alijs ad publicum vsum. Ad Andomarensem Episcopum, nouumque Colonien sem Archiepiscopum Salentinum, qui Friderico de Vveda se abdicanti successerat, in commendationem Collegiorum, quæ in eorum Ecclesijs erant, accuratas literas dedit. Reuerso ex Galliâ Michaële Turriano Cenetensi Præsule, qui fuit postea Cardinalis, multaque de Sociorum in Galliâ effectu narrante; Pontifex ad Fabium Mirtum Episcopum Calatinum apud Regem nouum Internuntium scripsit: vt è Sacerdotijs, quorum Regis esset designatio, attribuenda Collegijs curaret aliqua, vndè bonus operarum numerus in regno tam auxiliorum indigo pararetur. Atque humanis præsidijs diuina adiugens, Sacerdotes Societatis peramplâ potestate ad absoluendos confitentes instruxit. Ad vsum porrò priuatum vetus priuilegium, quo Sanctimonialium curâ liberamur, in integrum restituit. Labefactarant id Panormitani Cœnobij, cuiâ Rollione est nomen, Virgines omnibus adnisæ machinis, ac demum diplomate ex Pio Quarto Pontifice impetrato, ne ab Societate, à qua restitutum ab stirpe Cœnobium, & ad insignem sanctitatis gloriam prouectum erat, deserentur. Sed Pius Quintus, rogante Borgiâ, non solùm pristinam summâ voluntate redintegrauit immunitatem; sed etiam disertè professus est, id priuilegij genus valde sibi probari. Demum Societatem omnem, iam ante alijs Mendicantium Ordinum priuilegiis gaudentem, declarauit se velle Indulgentiarum quoquè iis concessarum participem esse.

139 Restituit, & laudat priuilegium Cœnobiæ Virginum non curandi.

140 Domus, ac templi sancti Andreæ progressio.

Iam domus Probationis ad sancti Andreæ nonnullo crescebat ædificio, stipe maximè nouitij Franciſci à Turre Mediolanensis. Templum à fundamentis, quanquàm modicum, tamen non inuenustum ad culmen perductum est: cuius præcipuum altare Marcus Antonius Cardinalis Columna die Purificationis Deiparæ consecrauit. At sexto Kalendas Iulias magnifici templi in sanctissimo Iesu nomine dedicati ad ædes Professorum cœpta extructio Alexandri Farnesij Cardinalis sumptibus. Idem Farnesius, & Cardinalis Augustanus, qui sacrum rite fecit, primarium in fundamentis lapidem posuerunt. Arbitrabatur Alexander deberi sibi hoc opus: vt Sodalitas, quæ à gente Farnesia, cùm Paulus eam Tertius confirmarat, progenita quodammodo fuerat; ab eâdem in principe Vrbe principem Ordinis ædem acciperet. Nec alius Odoardi postea Cardinalis in ædificandâ ibidem luculentâ domo sensus fuit, dum hereditariâ pietate gentis clarissimæ opera magna consummat. Debebatur & illa ei templo dignitas, vt Præposito Francisco conderetur: & ipsi Francisco conueniebat, vt cœptam ab se duodeuiginti ante annis, cùm primùm Romam venit, ædificationem persequeretur. Suscepit ergo rem impigrè: situmque ipse coëmit magno ære, quod ex amicis Proceribus longè positis per literas ferè emendicauit: cùm diceret ad templum totius Societatis commune æquum esse, vt quicumque ei benè vellent aliquid opis conferrent. Dum fundamenta implerentur (quæ in septuaginta palmos depressa, & eorum sex, & viginti infra aquam) insigne Dei patrocinium contigit experiri. Alueo enim pleniore Tyberis cùm per subterraneos meatus, vt in cauâ, ac prope pensili Vrbe, influxisset; laxatis vtrinque marginibus, remissisque tignis, quæ transuersa vestientes fossarum labra tabulas distinebant; repentè omnia hausta in profundum, nullâ cuiusquam noxâ, cùm circa operæ haud minus quadraginta versarentur. Vbi Sacerdotalium precum nouum editum est Breuiarium; sine retractatione institui Chorum placuit ex veteri iusso Pontificis. In Professorum templis dum taxt canentibus Nouitijs, inductus est. In Romano Collegio Gaspar Ceruantes Archiepiscopus Salernitanus, & Iacobus Couaruuias de Leyua Ciuitatensis Episcopus, & Quæsitores Hispani, qui omnes Bartholemæi Carranzæ Toletani Archiepiscopi, quem Romam Pontifex traduxerat, cognoscebant causam; die quarto Ianuarij, quo & vota Socij renouarunt, excepti conuiuio sunt: ijdemque tum carminum multiplici varietate singuli horati: tum vniuersi conciunculis super mensam habitis quindecim linguis. Itaque

141 Templum Iesu ab Alexandro Farnesio Cardinali extrui cœptum.

142 Cardinales Farnesius, & Augustanus primum lapidem ponunt.

143 Fundamentorum altitudo, & in ijs iaciēdis Dei patrocinium.

144 Chorus instituitur.

Digitized by Google

modico spatio temporis auditi Hæbræorum, atque Arabum soni, Græca, & Latina oratio: tum linguâ Britanni suâ, & Scoti, & Hyberni, Belgæ, Galli, Germani, Boëmi, Poloni, demum Hispani, Lusitani, Itali. Hoc notarim, quòd huius moris, qui deinde non rarò, ac duplo interdum maiore linguarum numero, ad eximios cohonestandos hospites, vsurpatus est, hoc initium inuenio. Res autem hunc fermè in modum administratur. Præter linguas veteres Hæbræam, Græcam, Latinam (quarum patria libri iam sunt, in quibus tantùm viuunt, nec tam natione, quàm studijs censentur) homines leguntur non periti modò linguarum, sed ferè de Nationibus, quarum sermone dicturi sunt. Hique, cùm sermo est hospitibus planè ignotus; tum latinè præfantur, quâ dicturi sint linguâ: tum ad extremum oratiunculæ sententiam item latinè subijciunt. Porrò thematis instar, & argumenti nunc psalmus, nunc locuples alius è diuinâ Scripturâ præsenti tempori accommodatus locus proponi solet: cuius alia deinceps alij membra, atque particulas, quo iussi sunt ordine, quampaucissimis tractant, vt & spatium omnibus pateat, nec gratiam rei longitudo corrumpat. Vt enim poma alendo corpori aliena gustare tantum delectat; ita sermonum, qui non intelliguntur fructus est omnis in gustu. Ob auditorum frequentiam distinguenda fuit hoc anno in plures classes latinæ linguæ doctrina: Magistro inter Humanitatem, & summam Grammaticæ scholam interiecto: cui postea Primæ classis Grammaticæ nomen mansit. Alijs postea annis ita eadem multiplicari auditoria necesse fuit; vt, cùm hæc scriberemus, iam gemina Humanitatis essent: Grammatica verò in tres distributa classes auditoria octo magna discipulis plus ferè centenis compleret: quorum terna infimi, ac medij: bina summi haberent. Plurimi ex Collegio Socij in subsidium per Italiam, Galliam, ac totum Septentrionem dimissi. Nec qui substitere domi vllum prætermiserunt genus auxilij, quod conferre in absentes possent. Missus in Galliam estingens precum, sacrorum, pœnarum sponte susceptarum index, quæ quisque, ad propitiandum ei Regno numen, obtulerat: multò & grauiora, & plura oblaturi; nisi iuuenum calorem Præsidum prudentia temperasset. Ex Oppidis circa Romam consueti reportati sunt spiritualium frugum manipuli. Vnus è Socijs scholasticis, qui comes Sacerdoti iuerat, dignâ imitatione, ideoque etiam relatu, vsus industriâ. Die sancto Paschæ, templo ad sacram accessuris synaxim referto, pauca ingenio suo præfatus, meditationem ab Ludouico Granatensi ad præparandos diuinissimo illi conuiuio animos scriptam clarâ, lentâque voce recitauit è suggestu, cum voluptate auditorum, ac pio mbtu. Deinde quinquagenos, vt corpus Domini sumpserant, in secretum sacellum seuocatos, post gratiarum actionem, cohortatiunculis breuibus ad conseruandam animi munditiam incitabat: & quam indè instituere vitam deberent edocebat. Sed Romani Collegij adeo læta progressio Diabolum scilicet pessimè adurebat: qui, dum omnes ad tam præclarum opus labefactandum scrutatur vias; aptiorem nullam inuenit, quàm discordiarum semen: satis gnarus, quo caritas in cœtu laxaretur; eum tanquam corpus neruis compagibusque solutum, ægrum, & inhabile reddi; nec ab interitu longè abesse. Vsque ad hanc diem ab anno salutis millesimo quingentesimo quinquagesimo quarto alij, atque alij Superintendentes: sed vnus, idemque præfuerat Rector Sebastianus Romæus Aretinus, vir vsquequaque sanctus: qui iam fessus, perditâque valetudine, leuandus visus est onere, vti percupiebat. Erat domi Professorum Dionysius Vasquius biennio ante Antuerpiâ Romam euocatus: cui, diuiso Secretarij munere, Prouincias Hispaniæ Pater Generalis attribuerat. Verùm cùm id neque vtile domi ad negotia, & consensionem foret, neque Hispaniarum Prouincijs gratum; Dionysium, quem magni faciebat, Collegio in Sebastiani locum præfecit. Nescio quo pacto, cùm Pater Franciscus ad perfectam virtutem promouere omnes studeret; Diabolus sanctis eius conatibus in occasionem nocendi abutens, paulatim cœperat in Societatem inuehere spiritum longissimè ab primâ suauitate eius alienum, haud quidem ipsius Præpositi culpâ (nulla enim mater benignior, atque adeo indulgentior illo) sed humano administratorum errore. Qui, similiter atque principiò suæ præfecturæ

145 Primæ super meniam varijs linguis conciũculę in Romano Collegio.

146 Auditorũ Collegij frequentia.

147 Sacra, & preces à Socijs oblata Romæ pro Galliæ necessitatibus.

148 Aliquid turbæ in Romano Collegio.

149 Dionysius Vasquius Romani Collegij Rector austerior.

150 Rigor in regendis hominibus noxius.

sa n-

ſanctus Bernardus, neſcij habere modum; contraria omnia, atque intendebant, aſſequebantur: vſque eò, vt in Hiſpaniâ de Prouincialibus, nominatimque de Arellaneda, Carillio, & Conſaluio graues querimoniæ eſſent, quòd inconſulto abrepti ſtudio, tanquam dominantes in Clero, in eis, quos veluti filios alere, & excitare debuerant, animos tenues, ac ſeruiles ingenerarent, cum fiduciæ, caritatis, totiuſque religioſæ diſciplinæ labe, & agendarum rerum pernicie. Nec verò me fugit apud molliora ingenia, quod diſciplina, & cura eſt, auſteritatem, ac triſtitiam nominari: & (vt ſua cuique ſententia, ac via eſt) qui aliena minùs probant notare omnia ſolitos inflatiore cenſurâ. Ceterùm latè fuſa opinio in totum rarò abierrat. Eodem illo ſpiritu cœpit Dionyſius in Romani Collegij adminiſtratione vti: quòd quò fuit magis nouum, & inſolens eò loci; eò plus incommodorum peperit, Catenarum, & carceris (res in Societate, ne dum in florentiſſimâ illâ officinâ literarum, ac religionis inaudita) mentio interdum audiebatur. Excidebant etiam homini minùs cauto verba nonnunquam indigna: domiturum ſe ingenia Italorum, atque docturum ſubeſſe. Vitium ſanè ſuper omnia cauendum ijs, qui præſunt. Quorum, cùm & nutus taciti, geſtuſque, ac vultus notentur; dicta irreuocabili lapſa impetu ſic animis infiguntur, & adhæreſcunt; vt poſtea nec euelli poſſint: & communicata, tanquam faces tartareæ, incendia latè fundant. Ea verò cùm per ſeſe eſſent acerba; hominibus parùm excoctæ virtutis intoleranda prorſus faciebat perſona: cui nihil ad colligendam beneuolentiam humani delinimenti ſuffragabatur: non genus, non facies, nec vultus: color ipſe teter, obliquus oculorum obtutus erat. Ita breui ingens illa nationum alumna domus ab priſtinâ ſuâ tranquillitate, in ſolicitudines, in angores, querimonias, atque adeo conuenticula non bona diſtracta eſt, ipſo diſſenſionem iuuante numero. Quippe cùm fieri non poſsit, quin magnâ in familiâ nonnulli ſint ferocioris ingenij; hi, quemadmodum multitudine opprimuntur bonorum, cùm rei ſumma conſtat; ita ſi hæc turbatur, plurimos in commune exitium ſecum trahunt. Erat inter ceteros iuuenes Camillus Carga ad metas philoſophici curſus, homo viribus benè valens, ingenio feruidus, nec ſatis domitæ iræ: qui aſperiùs ab Dionyſio increpitus, Euangelica oblitus præcepta, militari potiùs confidentiâ, quàm religioſâ ſubmiſſione reſpondit. Nec Dionyſius diſſimulare nouit, atque impotentem tantiſper, dum reſideret impetus, cedendo mollire; ſed, ad ceterorum terrorem editurus exemplum, duos illico robuſtos aduocat ex Fratribus Laicis, iubetque inijcere in Camillum manus, atque vincire. Ille, iam ſui nequaquam potens, duobus vtrâque manu arreptis laterculis, abſiſtere eos ab ſe procul iubet: cùm interim ipſe, ac Dionyſius, ac duo Fratres clamoribus Collegium totum complerent. Hactenus proceſſum eſt. Nam prope vniuerſi, inſolito exciti tumultu, illico accurrerunt, ſpeciemque miſerandam contemplati, horrore correpti, in gemitus, ac lacrymas præ indignitate facinoris abierunt; deplorantes intra ſanctum id conſeptum, vndè ad totum terrarum Orbem cæleſtis vnanimitatis ſpargebantur exempla, tantum lætitiæ partum Diabolo. Peruolat extemplò ad Borgiam triſtis nuntius: qui, vt par erat, ex intimis commotus ſenſibus, Benedictum Palmium ad rem cognoſcendam, & maturè componendam mittit. Gratiſſimus erat toti Collegio Palmius. Cui ſimul apparuit, cuncta multitudo attonita, atque eiulans facta obuiam incondito ſtrepitu miſeris rebus poſcebat opem. Quos Pater graui ſupercilio caſtigatos, vt impetus illos infringeret nimium elatos; iubet in ſua quemque abire conclauia. Tum conuenit Dionyſium ſeparatim, grauiſſimoſque Patrum, atque Doctorum: ex quibus, poſtquam motus, & querelarum cauſas didicit; vniuerſum Collegium, edito campanulâ ſigno, conuocat in templum. Ibi agreſſus de pace, deque caritate, proprioque Societatis ſpiritu loqui, cùm ſemper haberet mirè obſequentes oculos, tum ita commotus eſt; vt cùm totus ipſe, totâ in oratione, cooperiretur lacrymis; ceterorum nemo ſeſe cohibere poſſet. Itaque omnibus commotis, & vbertim flentibus; poſtremo in ſermone per Deum obteſtatur, vt exiſtiment ipſum ſe cauſâm eius indigni turbinis extitiſſe, ſuam ſegnitiem, atque ignauiam, ſua ſcelera talem ab Deo commeruiſſe pœnam. Quæ ex ani-

151 Quam lingue neceſsaria temperâtia ijs qui præſunt.

152 Camilli Cargæ tumultus domi.

153 Palmius quietem Collegio reddit.

154 Eiuſdem Palmij ad Socios Oratio, cum ſummæ demiſſionis ſignis.

Digitized by Google

animo proferens, ardenti vultu, neque oculis vnquam ad solum tacentibus descendit: prouoluitur humi, & veniam lacrymabili implorat voce: continuòque genibus reptans singulorum pedes incipit osculari. Perculsus hac specie Dionysius, vt qui insciti â magis, quàm voluntate labebatur; etiam ipse lacrymarum plenus proijcit sese in terram: deinde alij, atque alij, vt nemo fieret reliquus, consequuti. Reptabant humi: inuicem precabantur veniam, tanquam rei omnes forent: osculabantur pedes: facinus detestabantur: perfundebant lacrymis solum. Tum Palmius Domini spiritum videns in Domini familiam incidisse, erectus: Condonate, inquit, vobis vicissim, condonate fratres, sicut & Deus in Christo donauit vobis. Nec quispiam aduersùs quempiam indignetur: sed in æternum illum æternæ salutis nostræ hostem vertite iram, qui commeritus est. Ille ab initio homicida, ille diffidij, & peruicaciæ pater, præ inuidiâ pacis, & consensionis nostræ id monstri molitus est: ille hanc exciuit miseram tempestatem. Sed Dominus Iesus, qui diligentibus se facit, vt omnia cooperentur in bonum; omnia in maiorem eius dolorem, & ignominiam vertet: redeuntibus, per Dei gratiam, nobis ad pristinam tranquillitatem, & pacem. Hunc in modum relato post fœdam procellam iucundo sereno; Benedictus secedit in cubiculum cum Dionysio, hortatusque, vt aliam iniret administrationis viam: atque eos, qui se ex caritate Christo denouerant, ex caritate regeret; rursus Consiliarios, & Magistros ad fouendam pacem accendit. Camillus, vt in præsens ipse quoquè cognosceret erratum suum adductus; haud multò post visus est ad suos mittendus: & Dionysius ab administratione summotus: cui Hieronymus Domeneccus Siciliæ Prouincialatu perfunctus successit. Hoc maximè exemplo Pater Franciscus edoctus, multorumque expostulationibus permotus, quanquàm ante sæpè commendauerat lenitatem; ad eam omnes, præsertim Prouinciales Hispanos, impensiùs instituit adhortari: prædicans, experimento compertum clementiâ, atque benignitate longè ampliùs, quàm asperitate, ac rigore profici. Ceterùm cùm in Germanico quoquè Collegio, quamuis numero adolescentium nobilium ducentis sexaginta floreret, quo & Pontifex quotquot è propinquis idoneos habebat, è patriâ aduocarat, non nihil interdum administratio claudicaret; ad idque animaduersum esset Superintendentis occasione, qui erat Franciscus Toletus, callidos adolescentes abuti; admonente Ribandeneriâ Procuratore Prouinciæ, funditus ab Romanis domicilijs Superintendentis sublatum est nomen: & cuncta tranquillitati pristinæ restituta: multò clariùs in restinguendis hisce incendijs Dei elucente gratiâ, quàm Diaboli inuidiâ in suscitandis. Et quoniam non minùs in aduersis Dei patrocinium, quàm in secundis cernitur; subiungatur proditum in Siciliâ, idem sub tempus, paternæ eius tutelæ documentum. Hieronymo Domenecco Romam decedente, vicem Prouincialis subire iussus est Paulus Achilles Collegij Rector Panormitani, candidissimæ vir animæ, atque leniissimæ. Ad hunc presbyter Vincentius Malherba nomine, ab Societate iam annos quinque circiter profugus, adijt rogans, vt à votis absolueret. Paulus pro suâ bonitate quamplacidissimè id suâ negans in potestate situm; ad rem cum Præposito Generali, ad quem pertineret, tractandam hortatur: suamque apud eum omnem operam pollicetur. Ille valde, vt præ se ferebat, lætus responso, Romam se profecturum ostendit: tribusque deinceps diebus frequens in Collegij templo, & cum Paulo fuit. Sexto Nonas Octobris primis tenebris dum Paulus recipit se domum è templo, auditis toto die confessionibus fatigatus, in hominem incidens, monet postridie triremes Neapolim soluturas: adesset in tempore: curaturum se, vt admitteretur: & aliquid etiam, quo se magnopere laborare ille aiebat, viatici collaturum. Quo in sermone sensim progressi, ad Collegii ianuam pariter veniunt. Hîc verò dum attollit manum Paulus, vt tintinnabuli funem ianitorem vocaturus apprehendat; bonus Malherba, eductâ, quàm gerebat abditam, sicâ, nihil minùs suspicanti crebris ictibus & pectus, ac totum corpus appetit. Ad improuisum facinus mitissimus vir attonitus, sanctissimum Iesu nomen ingeminans in terram corruit. Indè sacrilegus percussor confectum existimans, ferro, pallioque relicto, fugâ sibi consulit. Res sanè ad commendationem diuinæ cle-

155 In Socijs commotio animorum, ac fructus:

156 Lenitatem Borgia Præsidibus commendat.

157 Superintendétes omnino ex Vrbe sublati.

158 Paulus Achilles à profugo Sacerdote diré impetitus.

159 Diuinitus ex cede liberatur.

Digitized by Google

clementiæ singularis, & quam nemo sapientum miraculo exemit. Accursu fratrum deducto in Collegium Patre Rectore, è tot ictibus nullus pertinuisse ad viuum repertus est: tantùm in pectore, atque altero crure leuiter perstricta cutis: adeo sine noxâ, vt postridie & sacrum fecerit de more, & confessiones audierit. Tantùm salutiferi Iesu nominis inuocatio, & accepta Deo viri sanctitas potuit. Hoc euentu Franciscus cognito, in Siciliam scripsit, diligenter vt caueretur, ne quid mali nocenti contingeret: daretunque opera, vt eius animæ in primis prospiceretur: cùm & illa Dei, quæ Paulum seruauerat, bonitas ad benignitatem nos inuitaret: & percussori haud semper constare mens diceretur. Haud aliter suâ ipsa sponte facturus erat Paulus, qui quàm alienam grauiter ferebat culpam; tamsibi, quod Christi nomine condonaret, oblatum aliquid lætabatur. Non deerant tamen, qui grauiter vindicandum scelus, edendumque exemplum, quo sacrilegus hominum coërceretur furor, censerent. En piissimum Patrem Venustum in Siciliâ paucis ante annis dirè mactatum: ibidem Paulum ad necem nuper appetitum: & fuisse post id facinus apostatam alium, qui ab eodem monitus demirtendâ pellice, minitatus sit, quod Malherba nescierit, se scitè perpetraturum. Itaque si ad feruida ingenia spes impunitatis accesserit; aperiri sacrilegis parricidijs amplam fenestram, & animis curandis aditum omnem occludi. Ipsos fateri Siculos metu pœnæ suorum nimiùm promptas ad cædem manus inhibendas. Hæc Ioannes Montoia Visitator maximè censebat. Idemque (cùm eius admonitu Prorex diligentissimè conquiri sontem iussisset, & comprehendisset) aliquandiu captum siuit in squallore carceris scelus luere: deinde vrgente Borgiâ, vt misero consuleretur; in Collegij Panormitani cubiculum inclusum ad impetrandam ab Deo veniam præparauit: vndè post aliquot ánn os tandem dimissus est.

160 Borgia condonari iubet nocenti.

Prorex erat Ferdinandus Franciscus Marchio Piscariæ, qui cùm esset Religionis apprimè studiosus, egregiam Patribus animas iuuandi materiam ministrabat. Multùm quoquè proficiebat vitæ suæ, atque suorum formâ: cùm ipse, ac Proregina coniuxi, & proximi ali frequenter, ac luce palàm inter Ciues nullâ magis re, quàm moderatione eximij, spectandique diuina obirent. Et tulerunt præsentem quoquè suæ pietatis fructum. Depositò iacente filio, cùm ambo parentes in Panormitani Collegij templo ad Sacerdotis abiecti pedes absolutionem petiissent, atque Domini subinde corpus sumpsissent; ex eo die reparari cœpta puero salus, in totum breui redintegrata est.

161 Marchio Piscariæ Siciliæ Prorex, & eius pietas.

Foroliuij magnâ virtute murarius faber Gaspar amissus. Parmensis erat patriâ. Propensissimè pietatem indè vsque ab rudibus annis coluerat. Ante spectatam diuinam rem nunquam ad opus adibat: ipsos ædituos, vt sibi templa patefacerent ante lucem excitare solitus. Vt verò concioni interesset, multa passuum millia percurrebat. Cum hac indole Dei famulatum in Societate exorsus; tantò procliuiùs ad perfectionem omnem processit. Simplex ad obsequium, laborioſus ad opera, vigil ad preces, mitis omnibus, vni sibi asper. Excitabat mane Socios ad precationem solennem: sed iam horam totam ereptam oculis in eâ ipse consumpserat, & ordinarium postea spatium adiungebat, & spatia alia post opus vesperi. Feriatos verò dies totos ei negotio operatos habebat. Nihil extra communes mensas (nisi si quid aliquando fraternæ caritatis gratiâ) quamuis laborum magnitudo requireret, deguſtabat. Quin & diurno fractum labore corpus nocturnis vsque atterebat flagris: adeo sæuè, ac sæpè; vt, misserentibus interdum Rectoribus parùm tanta inclementia probaretur: sed ei Prouincialis Rodericius fecerat potestatem. Modestia erat viri spectanda semper, sed tum elucebat blandissimè; cùm rei diuinæ ministrabat. Ita collectus in sese, summissis luminibus, compositis ante pectus palmis adstabat. Itaque, & iucundissimè à circumstantibus spectabatur, & ad eundem se habitum multi componebant. Hac efficaci, & nunquam tacitâ morum linguâ, tum etiam additâ ad id tempestiuè voce, omnes ad Deum, quibus cum ageret, adducebat. Nemoque domesticorum, nemo extrariorum, modò nosset, Magistrum Gasparem non amabat plurimùm, ac venerabatur. Quo grauiùs atroci omnes funeris eius casu perculsi sunt. Dum parietem veteris ædificij ad Collegium ex ijsdem cœmentis extruendum

162 Gaspari murarij fabri spectabilis vita.

163 Eiusdem miserandus occasus

164 Foroliuienses exequuijs illũ honestant.

dum, subrueret, præsensit quidem ingruentem ruinam; sed inter fugam ex offensatione lapsus oppressus est. Foroliuiensis populus communi mœrore: Clerus etiam multis sacrificijs, & religiosissimis exequijs honestauit. Ita Dei misericordia alijs alibi sese modis effert. Quæ Romanis pepercit operis; Gasparis occasum non parcendo nobilitauit. Sed & illud animaduerti licet, in arte ita periculosâ, vt tales alioqui casus memorandi non sint, quantum interfit pauculæ pecuniæ, an (vt ita dixerim) cæli mercenarium opprimi. Inter multa præclarè per Italiam gesta, Lauretani Collegij longè, vt solet, pertinuerunt labores. Illud enim maximè Collegium est, quod cominus rem, & eminus strenuè gerit, dum Patres non modò confluentes ad se vndique peregrinos excolunt; sed ipsi quoquè ad excolendos latè populos peregrinantur. Itaque Anconam, Asculum, Firmium, Sanctum Seuerinum, Sanctum Genesium, Sarnanum, & alia Picentum loca, partim superiore, partim hoc anno, egregio vbique successu, peragrarunt. At Recineti, præter catecheses per templa, & vicos, atque alia vbique vsitata; Iudæi etiam aliquot ad baptismum adducti, haud sine ope Iudæi iam catechumeni: qui cùm plurimùm se Christo debere profiteretur, communicare cum suâ gente inuentum ab se bonum curæ habebat. Is narrabat cùm Iudæorum manus in Orientem ad quærendum Messiam nauigaret; incidisse in Sarracenorum biremem: qui cùm Iudæos sæuè trucidarent; vbi ad se ventum est, negasse Iudæum se, at Christianum esse: atque ita seruatum, & captiuum abductum. Ex eo tempore amare Christum, vt seruatorem suum cœpisse. Duos annos in turbâ nauticâ circumductus cùm esset, fortè ita euenisse, vt in modicam Insulam non procul Christianis terris, vnà cum concaptiuo pro biremis vsu emitteretur. Ibi prostratum in genua instituisse Christum precari, vt quando vitam sibi benignè seruarat; etiam libertatem, quò baptismate posset elui, restitueret. Indè reuersos in biremem consopitam omnem reperisse turbam, consensuque ambos occasione vtendum ratos, in scaphâ Christianorum, non longè positas, vt dixi, terras fugâ petijsse. Tum sibi nihil prius fuisse, quàm vt Lauretanæ Virginis ædem inuiseret, & Christo renascereturr. Hic ergo cum Recineti ab Episcopo baptizandus ageret, magno vsui ad aliorum peruicaciam Hebræorum edomandam fuit. Tam multas habet Saluator communicandæ vias salutis. Sed illud in speciem leuius haud scio, an re mirabilius gratiæ Christi artificium fuerit. Ferrariæ ciuis, tametsi suam habebat iustò matrimonio copulatam mulierem; tamen alienam amabat: quam visus sibi videre per viam; instituit per vestigia sequi. Illa in Collegii templum progressa primùm ad pœnitentiæ tribunal accedit, repurgatque per homologesim conscientiam: tum ad diuinam mensam accumbit. Amator oculis, quocumque ea pergeret, sequebatur: & modestiam, ac pietatem haud ante cognitam notabat, suspiciebatque. Cùm demum non esse, quam opinabatur, animaduertit; post cognitum errorem, sic prope confuso hærenti cogitatio subit: nimirum diuinitus factum, vt in eum locum veniret, vbi specie christianæ sanctitatis conspectâ, faciendum quid sibi esset, admoneretur. Ergo viam certus nouam ingredi, eundem, quem pia mulier adiuerat, Sacerdotem adit. Ordinem rei primò omnem, tum conscientiam aperit. Mox & coniugem ad Sacerdotem eundem adducit: pariterque cum eâ se diuinis frequentandis mysterijs, & alijs Christianæ vitæ obeundis officijs totum dedicat: per quas ab Satanâ vias pelliciebatur ad exitium; per eas à Christo ad salutem adductus.

165 Lauretani Col. legij vtiles labores, & excursiones.

166 Iudæi conuersio insignis.

167 Flagitiosi viri notabilis conuersio.

168 Politianorum in repetendo Collegio studia.

Inter noua postulantes Collegia hoc anno studia excelluere Politianorum. Hirem vrgere iam dudum exorsi, hoc demum anno per publicas literas primùm, dein misso Legato nobili ciue Ioanne Hercule Minato, obtulerunt celeberrimam in eo tractu sanctæ Mariæ, cui à sancto Blasio cognomentum, ædem, cum suis vectigalibus. Cùmque id Franciscus recusaret, quòd ea ædes extra vrbem esset; atque ad colligendas stipes propositæ starent arculæ; ad Ioannem Mariam Taurusium Romæ agentem scripserunt, rem vt omnino transigendam curaret: ac postremò ipsemet Episcopus eâ tantùm causâ Romam venit, coram, perque Internuntios idem flagitans: ac templum intra vrbem, & domicilium, ac cetera omnia quamliberalissimè pollicens: adeo vt tantis studijs prope delassatus Borgia;

Col-

Digitized by Google

Collegium admiserit, cum eo, vt tum demum incolas, maturum sibi cùm videretur, mitteret. Tanta verò in Politianorum animis studia, præter ingenitam humanitatem, duæ inflammauerunt causæ. Primùm admirabilis ille exitus eius, qui infamiam olim degentibus ibi Socijs per fraudem inusserat: vt anno ante hunc quinto narratum est. Iam enim illustratâ veritate omnes vulgò Societati fauebant, voluntate etiam emendandi quicquid ante deliquissent. Deinde experimento (vt est natura mortalium) postquam amiserant, Collegij vtilitatem carendo intelligebant: cùm sacrorum vsitata crebritas intercideret: cùm solutior creſceret ſoboles: nec qui ingenia eorum, ac mores accommodatè fingeret, præſto eſſet: cùm denique fulgore illo in omni genere pietatis, quem Collegium induxerat, paulatim obſoleſcente; iam paſſim totâ vrbe priſtinæ imago negligentiæ recurſaret oculis. Hoc iam Collegio in hunc modum recepto, Domus probationis noua inchoata est. Ioanna Caſtrota Dux Nuceriæ, eademque Marchio ſancti Angeli diu inſtiterat, vt in vrbe ſancti Angeli ſuæ ditionis, quæ in Samnio eſt modica, in montibus ſita, quinque ab Adriatico mari paſſuum millibus, Collegium poneretur: cùmque Pater Franciſcus ſecundi conuentus decretum obijceret; eò preces vertit, vt domum ſaltem probationis, cui poſt aliquot annos ſcholæ adderentur, concederet: ſe capitibus viginti alendis pretium collaturam. Idque ita flagitabat, ac precabatur; vt ſaluâ gratiâ diutiùs obſiſti nequiret. Quippe magnis perſonis, dum religioſa poſtulant, quæ tamen conceſſi non expedit; arduum negotium eſt probare, quod neges. Nam ſuper inſitam ab nobilitate, atque opibus indolem, quâ poſtulatis plerique ſuis ineſſe pondus imperij volunt; dum oculis ad ſua tantùm vota intentis, & religioſæ rationis propemodùm rudes, haudquaquam ſatis omnia, circumſpiciunt; exiſtimant ſibi quia bona, atque honeſta petunt, nec benè poſſe, neque honeſtè negari. Cùm vtique verius eſſet exiſtimare, quò meliora ſibi à viris bonis, beneuoliſque negantur; eò cauſas, quare negentur, maiores adeſſe, quàm ipſi diſpiciant. Ergo miſſi hoc anno cum aliquot Socijs Pater Emerius de Bonis, & Pater Franciſcus Hemerulus: Ille Rector, hic præfectus Nouitiorum futurus. Nolæ quoquè inſtituta eſt probationis domus, cui Franciſcus Gomius Præpoſitus, & templum cœptum ædificari. Pater Victoria, qui è Sardiniâ reuerſus Collegium Nolanum regebat, in Salernitanum Archiepiſcopatum iuſſus excurrere; valde in vrbe, & agro renouauit, auxitque diuinum cultum: paces operoſus conciliauit: ſcholas rudimentorum fidei inſtituit, Sodalitatemque ad myſteriorum frequentiam excitauit: denique ſummis laboribus egregia molitus, ad eadem molienda Venafrum diſceſſit. Collegium Senenſe, templo ſancti Vigilij curâ animarum expedito, & adiunctâ Abbatiâ ad Quantum, vt vocant, tenui illâ quidem, & vbi ædes ſancti Michaëlis deſerta, ac ruinoſa erat, tamen loco remittendis animis peropportuno ſita, emergere priſcis ærumnis cœpit. Ceterùm, quod habebat Societas prope Baſſanum cum ſacello domicilium ſeculi euntis altero & quinquageſimo, ei ab Sodalitate ſe flagellantium donatum; Capuccinis, quorum multò magis accomodatum inſtituto erat, ſponte conceſſum eſt. Taurini maximâ Ciuium voluntate apertæ ſcholæ nono Kalendas Nouembris. Eò Rector adijt Achilles Gagliardus, cùm in Romano Collegio Theologi Doctoris, ad maiorem apud Hæreticos accolas auctoritatem, ornatus eſſet inſignibus. Iacobus Acoſta, cui Achilles ſucceſſit, cum Ioanne Xauerio Antuerpiam miſſus. Ex hoc Collegio Ludouicus Codrettus, cùm Allobrogum Ducem ad Collegium Camberienſe iuuandum omnibus rebus deſtitutum, incitaſſet: quam ob cauſam Taurinum in reditu ex Congregatione Procuratorum venerat; in Valles Lucernæ, atque Angrognæ excurrit, confirmans diuino verbo Catholicos, Hæreticorum redarguens errores egregio cum pretio operæ.

Laurentius Magius Auſtriæ Prouincialis hac æſtate in Poloniam iter intendit, ſuis vicibus, quandiu abeſſet, Henrico Bliſemio Rectori Pragenſi delegatis. Tum primùm Collegia Polonica Prouincialis inuiſit: qui non ab Socijs modò, ſed ab Præſulibus quoquè, Dynaſtiſque, ac Rege perhumaniter, perque honorificè exceptus; eos ad fidei catholicæ defenſionem, captato prudenter tempore, nec

169 In vrbe ſancti Angeli domus probationis inchoatur.

170 Item in Nolano Collegio.

171 Pater Victoria Salernum, atque Venafrum vtiliter excurrit.

172 Senēſis Collegij incrementa.

173 Baſſanenſe domicilium Capuccinis conceſſum.

174 Achilles Gagliardus Taurinenſis Collegij Rector.

175 Ludouici Codrettiin Valles Lucernæ, atque Angrognæ excurſiones.

176 Prouincialis Magij in Polonia res geſtæ.

ſine

sine effectu, accendit. Bransbergense, & Pultouiense ordinauit Collegia: curauitque, vt Bransbergensi ad triginta alendos ab Cardinali Hosio suppleretur impensa, literisque fundationis, ex formulâ ab Vrbe missâ, vltima manus inuceretur. Grauitate illâ suâ dulcissimâ, ingenuâque prudentiâ, adhæc ore verè probo, ac plenâ blandæ maiestatis specie, mirum quantum Sarmatarum animos cœpit: nec minus ipse humanitate captus est, & facilitate gentis: quàm perspectam sibi, expertamque prope incredibilem profitetur. Itaque toto animo, cunctisque opibus iuuandum Regnum suscepit. Sed ante omnes admirabatur Cardinalis Hosij cum Religionis tuendæ studium, tum erga Socios Bransbergenses pietatem. Quorum vt in recenti domicilio, & plerisque prope tyronibus, & super hæc adeo procul ab reliquâ Societate; & imbellicitates sustinebat, & ægritudines alleuabat, & auctoritatem, pressis, si qui incidebant humani errores, tuebatur constantiâ, & indulgentiâ singulari. Collegij quoque Pultouiensis patrocinium amanter Antistes susceperat Petrus Miskouius, qui demortuo Fundatori successerat: tametsi videbatur initiò minimè sauturus. Multa præterea Collegia petebantur. Acerrimè instabant Iacobus Vchanski Archiepiscopus Gnesnensis, & Adamus Konarski Posnanensis Episcopus. At Valerianus ex vrbe Vilnâ magni Lithuaniæ Ducatus principe, quam curabat, & proprias ad Cardinalem Hosium, cuius consilio se, & exemplo excitatum aiebat, vt faueret, & ad Bransbergenses Socios literas dedit, quas prodere hoc loco iuuat: vt hoc etiam monumentum apud gratam posteritatem illarum Polonicæ Ecclesiæ columnarum extet. Ergo scriptarum ad Cardinalem exemplum hoc est.

177 Stanislai Hosij Cardinalis pietas.

178 Collegium Pultouiense. Petrus Miskouius Antistes protegit.

179 Noua Collegia in Polonia postulantur.

Illustrissime, ac Reuerendissime in Christo Pater, ac Domine.

180 Epistola Valeriani Vilnensis Episcopi.

PArtim officij mei memor, quo Ecclesiæ Christi, & me ipsum, & omnia mea debeo, partim illius sanctissimi, & saluberrimi consilij haud oblitus, quo me Illustrissima, & Reuerendissima Paternitas Vestra, pro suâ in me singulari beneuolentiâ, amicissimè dignata est commonere, vt sanctis, & pijs vestigiis vestris insistens, omnem meam operam darem, quo fratribus Societatis Iesu Vilnæ aliquod certum domicilium quamprimum posset constitui: ostendens breui tempore futurum, vt res christiana, quæ his temporibus infelicissimis in hoc magno Ducatu Lithuaniæ admodùm vehementer nutat hæresibus in dies alijs, atque alijs pullulascentibus, eorum operâ, Deo optimo aspirante, in tranquilliorem statum posset redigi: etsi is non sum Illustrissime, ac Reuerendissime Antistes, qui me tantis angustijs circumclusum amplitudinem, & maiestatem clarorum gestorum, & factorum Reuerendissimæ Paternitatis Vestræ, quibus iam penè toti Orbi inclaruit, sperem vel saltem aliquam similitudinem posse assequi; tamen dictis causis permotus, pro eâ rerum mearum tenuitate, in quam sum, militum, & Hæreticorum maximis iniurijs redactus, quod potui præstiti. Emi igitur in primis domum cæmentitiam olim Dominorum Lassinski, cum alijs multis commodis Collegio piorum istorum, & doctorum virorum satis aptam, tum vel eò maximè, quòd eò loci sita est, vt & Episcopi Vilnensis Curiæ sit valde vicina, & ab omni strepitu opificum longè semota. Habeo iam, & prædium ære meo ibidem emptum, vndè singulis annis centeni aliquot floreni Polonici in eorum necessaria redire potuerint. Nunc illud mihi restare videtur, vt Illustrissima, & Reuerendissima Paternitas Vestra, pro suo in me valde propenso animo, vnum, atque alterum virum prudentem ex hac Societate Bransbergensi dignetur ad me Vilnam mittere. Et quia sic afflictæ sum valetudinis, vt in dies impendentia pericula timeam; cuperem tales mihi mitti, qui ad capessendam possessionem istorum bonorum omnium essent apti, ac idonei: vt eos statim dominos, & heredes eorum omnium constituerem. Quod vt Illustrissimam, & Reuerendissimam Paternitatem Vestram, pro suâ in Ecclesiam Christi vigilantiâ, facturam non dubito; sic ego præter hoc, quod tot, & tantorum beneficiorum semper sum futurus gratus,

etiam

etiam Deum optimum maximum continuis votis sedulò orabo, vt illam ad suæ Ecclesiæ sanctæ incrementum, & augumentum in multos annos seruet saluam, & incolumem. Cetera ex eo, qui has perferet literas, facilè cognoscet. Valere Illustrissimam, ac Reuerendissimam Paternitatem Vestram diutissimè, felicissimèque percupio. Vilnæ ex curiâ meâ Episcopali vigesimo die Augusti, Anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo octauo. Scriptæ autem ad Collegium erant tales.

181 Eiusdem epistola ad Patres Bransbergenses.

Cùm pro meo Pastorali officio subinde mecum cogitarem, Reuerendi Patres, quibus modis res Ecclesiastica in hoc magno Ducatu Lithuaniæ, ob infinitas ferè hæreses valde labascens, possit quoquomodo erigi, & attolli; venit mihi in mentem, Deo sic procul dubio volente, veneranda hæc, & celebris Societas vestra. Quæ, cùm pro suo instituto, & eam rationem vitæ sit amplexa, vt & verbis facta valde cohæreant, & omnium disciplinarum optimarum tam diuitem scholam aperiat, vt ex eâ, tanquam illo diuite cornu, quilibet in vsum suum necessaria facilè queat depromere; in eam spem sum adductus, vt credam his vestris sanctissimis armis, quibus vos audio satis abundè esse instructos, omnes has pestes grassantes ab ouili mihi à Christo commisso depelli posse. Quo verò hoc per vos Christi operarios strenuos commodiùs agi possit; primò domicilium satis commodum vestro instituto iam curaui: deinde, & prædium, vndè necessaria Societati vestræ non aspernanda esse potuerint. Verùm, vt & de his, quæ sunt iam parata, & de ceteris, quibus opus adhuc esset, tantò melius, & certiùs possit constitui; Reuerendas Paternitates Vestras obnixè peto, vt pro vestro in Ecclesiam Christi zelo sancto, vnum, atque alterum virum doctum ex Collegio vestro ad me Vilnam ad certum tempus quamprimum mittere dignentur: qui quasi prodromi, vnà mecum omnia ea præparent, quæcumque ad professionem Societatis vestræ videbuntur requiri: simulque eorum bonorum, quæ iam sunt parata possessionem capiant. Quod, vt vos, pro vestro in Ecclesiam Christi amore, facturos non dubito; sic ego dabo omnem operam, vt & hi viri boni, quos mittetis, satis abundè habeant omnia: & de reliquis ex eorum consilio sic constituam; vt venerabili Societati vestræ satis commodum domicilium hîc figi possit. De qua re etiam ad Illustrissimum Dominum Cardinalem Episcopum Varmiensem scripsi, Dominum meum obseruandum. Qui etiam, pro suâ in me beneuolentiâ, non dedignabitur, quod possit huic rei vsui esse, in commune consulere. De reliquis meus hic famulus, qui Reuerendis Paternitatibus Vestris has literas reddet, vobiscum aget. Valere vos diutissimè, felicissimèque percupio. Vilnæ ex nostrâ Curiâ Episcopali vigesimâ die Augusti, Anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimooctauo.

182 Vilnæ cur properâdum Collegium.

Apud Cardinalem Heilisbergæ Prouincialis Magius erat, cùm redditæ vtrique suæ sunt literæ. Addebat autem earum lator, qui & currum, & pecuniam ad Socios continuò peruehendos adduxerat, ideo festinare Episcopum, quòd & senior ætati diffideret, atque Hæreticorum Vilnensium anteuertere conatus vellet, qui Academiam, vel Vilnæ, vel circa moliebantur: in eamque rem vim pecuniæ magnam conferebant. Sperabat autem Episcopus, si Academiâ ab se catholicâ occupatus esset locus; eo procliuiùs Regem Hæreticorum cœptis obstaturum. Perdoluit Magius non adesse sibi facultatem adeo inflammatis senis optimi studijs extemplò parendi. Itaque & officiosissimè illi rescribit, & impensè cum Præposito Generali causam egit: ac demum, ingentem erga totum illud regnum propensionem secum referens, in Austriam reuertit, misso Romam ad Tyrocinium iam magni nominis concionatore Petro Scargâ, quem Deus Dominus benignè Polonos respiciens, Patris Stanislai Varseuitij commotum exemplo, ad sua hæc castra vocarat: eodem tempore & nouis expeditionibus aditum aperiens, & bellatores egregios parans. Interim Elbingæ statio priore anno posita continuata est. Sub huius anni initium ad Petrum Phaëm, qui eam stationem obtinebat, Hæretici Elbingenses contumeliarum, & minarum plenas misere literas, in quibus significabant octodecim è suo numero in ipsius, ac Sociorum, quicumque Elbingæ apparerent, necem coniurasse, vel cum fortunarum suarum, & capitis certo discri-

183 Petrus Scarga ad Romanum Tyrocinium missus.

184 Pater Petrus Phaë ab Elbingensibus Hæreticis diuexatur.

Digitized by Google

185 Hæreticorum minaces ad eũdem literæ.

mine. Et quidem, sic enim loquebantur, huic præclaro facinori salutifera Natalis Domini nox destinata modò erat: sed inspirauit tibi, tuus & dominus, & magister Satan, ne solitâ horâ veneficij tui sacrificium offerres. Verùm, quod non continuò fit, non ideo nunquam fit: ocyùs, seriùs non effugies. Vel vigilem, vel in lecto consopitum meritis mactabimus pœnis. Neque est, quòd martyrij te inani spe ludas. Non pro Christiano, aut iustitiæ teste; sed pro malefico, vt es, trucidabere manibus nostris. Sat credimus te (adeo es nequam, sceleratus, temerarius) hisce nostris literis haudquaquam commotum iri: & fortè dabit te Deus in reprobum sensum, quo meritum diu supplicium luas. Ad id ergo te compara. Nosti mentem nostram. Deus contra te, tuosque promouebit conatus nostros. Nos octodecim Christiani viri. Hac denuntiatione nihil territus Petrus, quanquàm sciret in mediâ se morte versari; nec diem, nec noctem ab insidijs vacuam habere; nunquam tamen destitit fidelis officio pastoris fungi. Atque benignissimus Deus, vt illius prouexit, ita nefariorum repressit conatus. Quippe terribiles illæ minæ nil præter inanem strepitum, & terriculamenta, qualia auctores decebant, ediderunt. Ictæ lapidibus fenestræ; modò ante ianuam proiecta bestiarum cadauera: modò ante ipsa altaria, quæ & fœdissimis conspurcarunt sordibus; obscenæ passim figuræ pictæ, subiectis in Papistas, Iesuitasque carminibus, & ipsis omnino poëtis, & picturâ dignis. At Petrus, Deo benè iuuante, modestiâ, sedulitateque obnitens, ita Catholicorum cœtum erexit paulatim, auxitque; vt in sancto Christi resurgentis Paschate circiter ducenti catholico ritu confessi, vnâ tantum sub specie diuinam Synaxim celebrarint. Hæc dum impigrè Petrus curat, paralysi siue naturali causâ, siue Hæreticorum arte corripitur. Quare Bransbergam reuocato, in eius locum Rector ipse Bransbergensis Philippus Vidmanstadius, & Lucas Crezouius, ille Germanus, hic Polonus, stationi succedere. Viennæ, Pragæque res gestæ quietiùs. Viennense Collegium Maximilianus Imperator confirmauit. Sex supra centum Viennæ: non multò pauciores Pragæ: restituti catholicis sacris; præter alia vtrobique apud Catholicos incrementa pietatis. Sed Pragæ, totâque Boëmiâ ineunte æstate vulgata lues immanis (ex qua Sociorum tres absumpti) commercia interrupit. Olomucij paucis mensibus ad septuaginta reuocati ad pristinos ritus, in quibus ipse Lutheri consobrinus. Hîc, extremo iam vere, Antistes Synodum Diœcesanam habuit, vndequinquaginta annis intermissam: ad quam vocati Pater Magius Prouincialis ante discessum in Poloniam, Henricus Blyssemius, & Adalbertus Bausek, ducentis, qui interfuere Sacerdotibus, & Antistiti concionibus, priuatisque colloquijs pro virili, quam Deus dedit, tulere opem. Augustæ, cùm indè vsque ab eius sedis initio pauci, qui ibi versabantur, victitassent pecuniâ, quam Canonici pendere ante concionatori ordinario consueuerant; quòd id videbatur stipendio simile, Pater Generalis vetuit posthac accipi: idemque planè sub tempus duo nobiles Fuggeri domum, ac sumptus ad vigintiquinque sustinendos detulere: quanquàm diu post Collegium fundatum est. Adeo accepta Deo sincera Institutorum custodia: tantusque in sanctæ paupertatis studio est prouentus. Hinc, antequam Romam veniret Canisius, Herbipolim, atque Eluangam excurrit. Eluangam ductu Cardinalis Augustani eius Ecclesiæ præpositi inter vernum ieiunium abijt. Ante viginti annos sedem Hæretici Eluangæ fixerant, nec auelli poterant Lutherano innixi Principe. Sed optimus Præsul administrum non imparem nactus Canisium, diuinâ in primis aspirante gratiâ, editis paternæ pietatis, caritatisque, & euangelicæ humilitatis indicijs, eò deduxit rem; vt, post multos, cum Ecclesiâ reconciliatos, consensu omnium decretum sit, neminem post hac Oppido recipiendum, qui non ante ex formulâ Pij Quarti fidem profiteretur. Sique negotium facessant Religionis corruptores, indè aliò demigrandum. Canisius, post confirmatum populum, iam Hospitalium quoquè, aliarumque pijs dicatarum vsibus domorum familias cælesti doctrinâ, & pœnitentiæ sacramento solabatur, ac recreabat: cùm Herbipolim Episcopi, aliorumque primariorum literis trepidè aduocatur. Rumorem sparserant infelices architecti mendaciorum Hæretici, tandem Canisio

186 Petri Phaë cõstantia.

187 Res Austriæ.

188 Lutheri cõsobrinus ad Catholicos reuocatus.

189 Res Germaniæ Superioris.

190 Paupertatis studium maiori Deus prouẽtu compensat.

191 Canisij strenui labores.

192 Hæreticorum fabula de Canisio.

quo-

Digitized by Google

quoquè obortam Euangelij lucem, atque ad nouum Euangelium defciuiſſe. Hic rumor & alibi, & maximè Herbipoli, vbi priore anno Caniſius cum admiratione ingenti auditus fuerat, procedebat ad imbecilliorꝭ multitudinis labem. Itaque is magnopere accitus, & verò indignans affictam ſibi ab impoſtoribus vmbram, atque perſonam in caſtris militare impietatis, cùm ſub Oecumenicæ Religionis ſignis quicquid non auctoritatis modò, ac virium, ſed & ſanguinis, & ſpiritus haberet pro veritate deuouiſſet; magnis itineribus Herbipolim fertur. Apparet in ſuggeſtu: ſacroſanctæ ſe Romanæ Eccleſiæ filium, diſcipulum, defenſorem profitetur. Aduerſarios inanibus imaginibus, vaniſque commentis, vt qui veritate non poſſent, graſſantes, in eam, quam fecerant, deiecit foueam: ementitoque inuolucro palàm explicato; ſimul totam eorum falſæ doctrinæ, ac figmentorum fabricam ante oculos ponit: vt nihil ex mendacio aliud lucrarentur, quàm vt cognoſcerentur, haberenturque mendaces. Ceterùm ex Herbipolitano Collegio ſperatum iam apparebat præſidium: vt non deeſſent, qui confirmarent, Franconiam, ſi ante talis defendiſſet cuſtodia, haudquaquam in tantum miſeriarum fuiſſe venturam. Seminarium humanioribus literis latinè, & græcè ſtudentium Sociorum hîc cœptum eſt: Moguntiæ Philoſophiæ, ac Theologiæ. Moguntinus Antiſtes Collegium ſuum certis firmauit reditibus de Canonicorum conſenſu. Collegium Treuirenſe, vti & Ciuitatem, iam ex peſtilentiâ reſpirans, bellum excepit: ſubortis offenſionibus inter nouum Archiepiſcopum, eundemque creandi Imperatoris Septemuirum, atque Rempublicam: quæ, vt aliæ quædam Ciuitates Imperij, libertatem vindicabat. Ergo cùm ille pro Domino nequaquam admitteretur in vrbem; ad vim neceſſariò ventum eſt. Quarto Idus Iunias Treuiros obſidione cinxit: quæ decem fermè hebdomas tenuit. Tum demum pax facta, receptuſque obedienter Princeps, cauſâ diſſidij ad Imperatorem reiectâ, qui tandem ſententiam pro Archiepiſcopo tulit. Inter hæc, multa fuere Socijs toleranda. Serebant in vulgus ij, qui ante quoquè parùm fauebant, ſiue Hæretici, ſiue Hæreticis, quàm Catholicis propiores, Archiepiſcopo fauere Ieſuitas: quod pronum creditu faciebat ipſa aduerſùs Societatem, bonoſque omnes clementia Præſulis. Indè bis totum faſtidioſiſſimè perſcrutati Collegium ſi arma, ſeu veſtigia occultorum conſiliorum deprehendi poſſent. Studia Senatus beneuolè admodùm in Collegium propendebant: ſed licentia militaris tum ſemper, tum maximè in huiuſmodi ciuilibus diſſidijs ægrè coërcetur iuſtis imperijs. Quo tempore nequiſſimus quiſque, vt ad conſerendas in acie manus poſtremus; ita ad inermes, atque non reluctantes vexandos, ſpoliandoſque ferociſſimus eſt. Irrumpebant igitur in Collegium, vorabant, hauriebant quicquid ad manus occurreret: proferrique ſi minus occurreret, trucibus oculis, turbido vultu, voce terribili iubebant. Contumeliæ inſuper, conuicia, execrationes aggerebantur. Quæ Dei famuli patientiâ, & diſſimulatione, atque adeo alacritate, quàm fieri poterat maximâ, tolerabant. Itaque vnus Fratrum, qui piſtorem agebat domi, vltra Saxoniam natus, execrante quodam, ac dicente: Credo equidem Ieſuitas à Diabolo huc deportatos: hominem blandè intuitus: Ego certè, inquit, pedibus meis veni, atque admodùm feſſus. Sed cùm opinione diutiùs teneret obſidio, receptoque in vrbem, quod è Lotharingiâ accerſierant, auxilio, publica creſcerent mala; iamque tenuiorum plurimos fames, militum haud paucos morbi, vulneraque conficerent; Antonius Vinkius Prouincialis, qui fortè præſens aderat, atque alij Patres, è ſuâ tenuitate egentium ſubleuare neceſſitates aggrediuntur: ijdemque auctores Senatui ſunt Noſocomij curandis militibus adornandi. Quod cùm placuiſſet Senatui, eamque curam ad Socios contuliſſet; continuò Prouincialis vicinam Collegio domum, paulò ante ab Archiepiſcopo ipſi Collegio, quòd eius horto imminebat, emptam, in Noſodochij deſtinauit vſum, tribus ei de Collegio præpoſitis, quibus alij ibant adiutores. Poſtridie tredecim ægri aduecti, ac ſubindè alij: ex quibus nonnulli mortui, quos omnes in proximum ſanctæ Claræ Monaſterium tumulandos proſequuti Socij, cum Patre Rectore, ac duos ipſi ſuis extulere humeris Collegij Sacerdotes. Inuiſebatur paſſim Noſocomium,

193 Eorundem fallaciæ detegũtur.

194 Herbipolitani Collegij fama, & opera.

195 Treuiris exbello moleſtiæ.

196 Sociorum in aduerſis patientia.

197 Antonius Vinkius Prouincialis, ceteriquePatres calamitati publicæ ſuccurrũt.

198 Noſocomij cura Noſtris demandatur.

mirabantur mundiciem, magisque nouam, ac religiosam in militari mensa benedictionis, sacræ lectionis, gratiarum agendarum consuetudinem, Cruces, ac pias imagines passim affixas: super omnia Patres linteo præcinctos discursantes, & circa frequens ministerium satagentes. Quæ inusitata ijs oris per eas tempestates officia vix credi potest quantam effecerint in populo atque, ac militibus animorum conuersionem. Qui modò pro hostibus odio erant; iam loco parentum obseruabantur. Ac si quis procacior adhuc Iesuitis re, verboue negotium facesseret; statim hinc, atque hinc existebant è gregalibus, qui absterrerent, commemorantes quantâ boni illi viri caritate egentibus ægris, mortuis, omni hominum generi subuenirent. Adeo non ad æterni modò, sed ad huius quoque temporis fructum salubre consilium est vincere in bono malum.

199 Belgicæres.

Louanij, cùm migrasset è vita ordinarius Hæbraicæ linguæ professor, duobus eam sibi prouinciam deposcentibus, quorum alter ab doctrina, alter ab religione claudicabat; Rector Academiæ, ac primarij viri institere, vt id oneris quispiam Sociorum susciperet. Et Costerus, remisso stipendio, iussit tantisper eum locum supplere Ioannem Harlemium insignem pietate, atque doctrinâ virum. Isque magnâ approbatione, apud numerosius, quàm superiores Magistri auditorium in Buslidiano trilingui Collegio primus de Societate Louanij publicè docuit. Sed hîc quoquè, cùm Dux Albanus strenuè perpurgandis ab hæresi Prouincijs daret operam, & Princeps Auriacus apertè iam contra Religionem, ac Regem exercitum duceret; sub autumnum, Musarum ocia strepitus martius interturbauit. Collegium nostrum eo negotij minus habuit, quòd Albanus Dux, cùm Ciuitas munitorum, atque propugnatorum certum exigeret numerum, immune iussit esse. Haud multò post, & Louanio, & Belgio vniuerso, recessu hostium in Galliam, qui quàcumque tulere pedem, stragem ædium sacrarum immanem edidere; tranquillitas in præsens redijt. Tornaci iam Socij octo, par Sacerdotum, ac Fratrum numerus agebant inquilini in ædibus Ioannis Gobertij Sacellani, vt vocant, ædis Deiparæ. Amplum sancti Ludouici sacellum Canonici attribuerant, in quo sacris populum mysterijs impertirent. Flagitante Episcopo, Octobri mense in aulâ Xenedochij sancti Nicolai prima literarum rudimenta, & catechismum edocere pueros cœperunt, qui affluxere quamplurimi. Pater Robertus Clayssonius Ecclesiastem agebat in summo templo, & ingenti cæterorum è populo, & nonnullo Hæreticorum concursu. Huc Robertus, Episcopi postulatu Tornacensis, Antuerpiâ venerat, postquam Iacobus Acosta, & Ioannes Xauerius ex Italiâ venerant Antuerpiam: quos Hispanarum natio, quantâ cogitari potest maximâ humanitate excepit. Leodium, cùm Antistes domum emisset, qua, dum paratur Collegium, præcursores aliquot vterentur; Costerus duos misit Sacerdotes Vincentium Verium, & Christianum Dalmensem, qui tanquam in statione Leodiensibus præsto essent. Ibidem interdum Henricus Dionysius versabatur: sed ordinaria eius statio Traiecti ad Mosam erat, vbi mirificè conseruabat, restituebatque diuinum cultum. Duaci Collegio initium factum. Ioannes Lentaillerus Abbas, & Conuentus sancti Saluatoris Aquicinctinus Ordinis sancti Benedicti instituit. Quadruplex erat Collegium, pars complectebatur pueros græcè, latinèque docendos, extra Dialeticam: pars prouectiores instituendos necessariâ Sacerdotum doctrinâ: pars quosdam inopes: postrema nostros homines, qui triplex illud genus doctrinâ, & moribus gratuitâ operâ informarent. Dimicatio fuit Abbati molesta, primùm cum Monachis, vt redituum donationem ab omni conditione liberam, cùm aliter à Societate non reciperetur, comprobarent. Deinde cum Duacenâ, tum nascente, Academiâ: Occurrere volebant Monachi posterorum erratis. Academici postulabant duo: primum, vt Collegium quoquè Aquicinctinum ex auditoribus suis mercedes, quæ didactra, aut minerualia vocant, exigeret: ne ceteris Gymnasijs gratuita vnius doctrina officeret: deinde, vt publicè docturi in Academiæ iurarent leges. Sed tandem, cùm Abbati enixè roganti vtriusque gratiam rei feciſſent; eodem festinante, primus secundùm ferias sancti Lucæ dies scholarum auspicijs destinatur. Parata erant omnia: index typis impref-

200 Ioannes Harlemius primus de Societate Louanij Hæbraicâ linguâ publicè docet.

201 Tornacense Collegium restituicœptum.

202 Pater Robertus Clayssonius Tornaci concionatur.

203 Vincentius Verius, & Christianus Dalmensis Leodium missi præcursores.

204 Duaci Collegium inchoatur fundatore Ioanne Létaillero Abbate sancti Benedicti.

Digitized by Google

preſſus librorum explicandorum, per inferiorem, ſuperioremque Germaniam ſparſus. Archiepiſcopus Cameracenſis, Atrebatenſis Epiſcopus Franciſcus Ricardottus, in cuius diœceſi Duacum eſt, aliquot Abbates: non modicus præterea è propinquis vrbibus aliorum numerus conuenerant, vel vt ſpectarent, vel vt cohoneſtarent eam celebritatem: cùm ipſo ſancti Lucæ die moderatores Academiæ vetant quicquam inchoari, niſi priùs, qui publicè docturi eſſent ſolemne iusiurandum Academiæ conciperent. Id viſum Prouinciali Coſtero mirum: data Abbati verba: ad eumque articulum, cùm quieti tandiu res apparari vidiſſent; denuntiationem eiuſmodi reſeruatam. Abbas haud modicè commotus vehementer agit: fidem ſibi decem ante menſibus obſtrictam exigit: orat, obſecratque ne tanto negotio aduocatos in Duacenſium præſidium Religioſos fugent, contriſtent, & cogant ipſo initio aliquid contra ipſorum inſtituta committere. Illi aiebant, eâ re ſe communi paci, Academiæ dignitati, poſtremò conſcientiæ conſulere ſuæ. Nam ſi id Collegium ex Academiæ eſſet corpore; multò minorem contentionum, & liuoris cauſam fore. Et quoniam perſpicerent ipſum in magnam euaſurum celebritatem; nolle eius decoris expertem fieri Academiam. Ad vltimum ſe fidem iureiurando obſtrinxiſſe, non permiſſuros quempiam publicum Duaci Magiſtrum agere, qui apud Academicos nomen Profeſſus non eſſet. Prouinciali certum erat non ſubijcere ſuos homines, præſertim ſacramento adactos, alienæ poteſtati, ante exploratam Patris Generalis ſententiam: quem ſciebat nunquam paſſurum fuiſſe, vt in eum vſque locum res procederet, niſi Abbas ſalua fore Societatis iura ſcripſiſſet. Ergo vel inchoandum erat, quod mox cum graui ore notâ (ſi fortè Generalis acta improbaret, Duacoque euocaret) deſereretur: vel poſt tantum apparatum, tamque celebrem vndique ſparſum ſonum, tantumque hominum concurſum, expectatio omnium eludendâ, Hæreticiſque, ac prauè affectis ingenijs materia dicta dicendi, inſultandique præbenda. Iamque, vnum diem inter eas contentiones dilato exordio, gliſcebat ſermo ab Ieſuitarum faſtu, qui nullius hominum ditionem pati poſſent, moras accidere. Demum, poſt longum certamen, Abbas ab Academicis moram ſex menſium impetrat, dum à Patre Generali reſponſum feratur. Prouinciali pollicetur, ſi perſtent in ſententiâ Academici, & Generalis non iudicet eò deſcendendum; tum ſe liberos ab omni docendi onere, vel in ſcholaſticorum Societatis Collegium, vel in probationis domum reditus collaturum. Hæc cùm Præſulibus via maximè probaretur; Coſtero quoquè, poſt conſultos domi Patres, & precibus Deum, quia alius non dabatur exitus, probata eſt. Ita tertiodecimo Kalendas Nouembres, poſt ſacrum de ſancto Spiritu, quod Abbas fundator ſolenni ceremoniâ fecit, ſuſceptaque à fratribus diuina myſteria, initium factum. Sub dio, quòd multitudinem ſepta non caperent, orator, & poëta auditi cum gratulatione publicâ. In quatuor Claſſes diſtributi auditores, geminas Grammaticæ, ſingulas Humanitati, & Rhetoricæ deſtinatas. Rector Collegio primus omnium Maximilianus Capella præfuit, cuius vices principiò haud dum Româ reuerſi Henricus Somalius, qui & Rhetoricam docebat, ſubijt. Populo quoquè conſulere ſacerdotalibus officijs in ſancti Iacobi templo, cùm ſuo carerent, cœperunt. Ceterùm quoniam ab Vrbe præfinito ſemeſtri Pater Generalis nequaquam reſponderat, quid nam ſibi de Academiæ negotio placeret, & Academici omnino volebant in ſuas leges iurari; auctoritatem ſuam Pontifex interpoſuit, & Collegium noſtrum per has literas omni alienâ poteſtate exemit.

205 Studiorum initia diſturbatur ab Academiæ Moderatoribus.

206 Sedato tumultu ſtudia incoantur

207 Maximilianus Capella primus Duacenſi Collegij Rector.

Pius Papa Quintus.

208 Pontificis literæ pro Duacenſi Collegio.

DIlecti filij ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Quia Societatis veſtræ Collegia, quæ apud multas variarum Prouinciarum Ciuitates conſtituta reperiuntur, animarum ſaluti, fideique catholicæ tum propagandæ, tum conſeruandæ, tum reſtituendæ magnoperè vtilia, accommodataque eſſe intelligimus; idcirco Collegium veſtræ Societatis, ſumptibus Monaſterij Aquicinctenſis, eiuſ-

Digitized by Google

que Abbatis nuper istic institutum esse cognoscentes, & magnâ ex eâ re lætitiâ affecti sumus, & Monachorum eorum, qui in opere tam egregio perficiendo de religione quamoptimè meruerunt, pietatem, caritatem, deuotionem vehementer in Domino commendauimus. Eius enim operâ non solùm eadem animæ lucra, Domino adiuuante, prouentura speramus, quæ ex reliquis eiusdem Societatis Collegijs, & antea prouenisse, & nunc quammaximè prouenire compertum habemus; sed etiam Vniuersitati ipsi in istâ Ciuitate nuper institutæ magnum ornamentum, vtilitatemque allaturam esse iudicauimus. A cuius quidem Vniuersitatis iurisdictione prædictum Collegium, quod ex viris religiosis constat, non solùm quoad ipsorum personas, & bona; sed etiam quoad scholas, siue Grammaticæ, siue Humanarum literarum, siue Rethoricæ, aliarumque liberalium artium, liberum, immune, exemptumque esse volumus: & harum tenore literarum Apostolicâ auctoritate decernimus, atque statuimus: sic, vt neque eiusdem Collegij Magistri vllo iuramento Vniuersitati obstricti sint: & quæ sunt eorum consuetudinis, institutique propria, hæc omnia nullo impedimento retinere, & conseruare possint. Quòdsi eidem Collegio cum Vniuersitate conuenerit, vt eius Vniuersitatis pars sit; hoc tamen sine vllo prædictæ ipsius immunitatis, exemptionisque præiudicio fieri volumus, & mandamus. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub anulo Piscatoris die tertiâ Nouembris, anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimooctauo, Pontificatus nostri anno quarto.

Thomas Aldobrandinus.

209 Res Gallicæ.

Gallia inter hæc, inhærente scilicet in visceribus causâ veteri tempestatum, varijs concussa est fluctibus. Ab primis anni mensibus, ad ver vsque medium, certatum armis: tum quædam composita pax, quæ breui, vt debuit, concidit. Nam Ciuitatibus primarijs conditiones religioni pestilentes auersantibus, eam Carolus Rex Christianissimus edicto, vt vna tantùm vbique coleretur religio catholica, constantissimè rescidit. Indè renatum bellum. Ita assiduè Religiosos viros, ac maximè de nostrâ Societate suppliciorum, ac necis circumfremuerunt pericula. Neque idcirco sacri bellatores de tuendæ religionis, seu corrigendorum curâ morum quicquam remiserunt. Hieronymus Natalis Visitator, rebus in Belgio compositis, æstate ineunte Parisios venit. Vtramque & Franciæ, & Aquitaniæ Prouinciam (quantùm permiserunt tempora) reuisit, composuitque: indè se Romam, vt supra est memoratum, recepit. Inter illam temporum quietem Billomæum, ac Turnonense Collegia ad suas rediere sedes, & opera intermissa repetiere. Eo autem retro tempore, quo exulandum fuit, Claudius Matthæus, qui Socijs Turnonensibus præerat, Niuerni tum Duci, qui graue vulnus in bello acceperat, tum populo vniuerso præclaram nauauit operam. Edmundus Augerius, cùm Metas concionaturus in ieiunio magno, Lotharingi Cardinalis rogatu, proficiscens, Parisios ob itinera infesta paulò veniisset seriùs; ab eodem Cardinali subsistere in Regiâ iussus est, & ad eam diebus singulis concionem habere. Quod cum ingenti rei christianæ commodo exequutus; ibidem totam æstatem promouens religionis causam priuatim, ac publicè, præsertim apud Regni capita, à quibus magni fiebat, mansit. Per autumnum cùm habitâ Parisijs illâ, post sancti Ludouici tempora, siue religione, ac splendore supplicantium, siue sacrorum gestatione pignorum, quæ ab trecentesimo anno nunquam producta ferebantur, supplicatione celeberrimâ; Henricus Regis frater aduersùs Hæreticos, ac perduelles cum exercitu mitteretur; Regis, Reginæ, Cardinalis Lotharingi, aliorumque Principum sententiâ, visum est magni referre vnà Edmundum proficisci. Atque is, non quòd sibi quicquam tribueret; sed quòd nihil non religionis causâ tentare, ac perpeti cuperet; continuò est profectus. Vir tenuissimæ valetudinis totos dies affixus equo, ac fermè ieiunus obiens, humi noctu cubans, inter circumuolitantes plumbeos peruadens globos, nullius denique militaris expers ærumnæ, nullum periculi genus declinans, consilia dando,

210 Augerius in Regia Parisiensi concionatur.

211 Idem cum Regis fratre in bellum aduersùs Hæreticos mittitur.

212 Eiusdem in exercitu labores, & fructus.

con-

Digitized by Google

concionando, Deo precibus propitiando, diuina mysteria distribuendo, pro viri-
li victoriam iuuit. Has in curas dum Edmundus incumbit; Prouinciam loco
eius Annibal Codrettus administrauit Tolosani Rector Collegij, qui & ipse in eâ
Ciuitate orthodoxæ doctrinæ tenacissimâ statione suam egregiè tuebatur. Mas-
siliæ autem Auenionensis Collegij Rector Antonius Posseuinus vernâ operâ to-
rius faciem Ciuitatis ad pietatem renouauit. Præuenienda sibi diebus aliquot
Cineralia putauit, vt interim statum morum, & quæ maximè in Ciuitate, tametsi
egregiè catholicâ, tamen & celebri, & maritimis, ac terrestribus florente com-
mercijs, indigerent medicinâ cognosceret. Ante omnia, quoniam Episcopus
aberat, cum Vicario, atque Consulibus egit, vt Vicarius, conuocatis ad se Con-
cionatorum, & Confessariorum primarijs, demonstraret quanti interesset vno eos
animo, & consentientiquoquè oratione, per sancti illius temporis opportunita-
tem, causam pietatis suscipere: & Consulibus quoquè præsentibus consultaretur,
quæ potissimùm, & quâ ratione castiganda vitia, ne quis offenderetur: quæ præ-
cipuè religionis subleuanda, atque promouenda opera: quis item in condem-
natione certorum vitiorum, vel absolutione tenendus modus, ne destrueretur
ab altero, quod alter ædificaret: & alia huiusmodi similia. Quæ solertia cum
eò valuit, vt fructuosè, atque inter se amanter sacrum stadium religiosi athle-
tæ decurrerent: tum maximè, vt negotiationes quædam dolosæ quampacatissi-
mè ad æquitatis normam redigerentur: cùm ipsimet Consules in eo congressu
desponsionibus quæsiuissent, quæ per nomen saluas præstandi merces (assecura-
tiones vocabant) multis fraudibus obtentum præbebant. Ergo hoc primum in-
dustriæ Posseuini pretium fuit; eo successu, vt multi nequaquam leues summas non
benè partas vltro dominis redhiberent. Ad hæc Dominicos Quadragesimæ dies
chorearum bacchatione, conuiuiorum luxu, ceteroque inanis lætitiæ, atque in-
temperantiæ temeratos apparatu, prope sibi è sancto tempore exemisse Diabolus
videbatur; eiusdem admonitu tota res in publicarum supplicationum lætam, salu-
bremque pompam conuersa est. Custodiæ publicæ, præter exhortationes, & al-
loquia, nonnullosque ob æs alienum inclusos conquisitâ stipe liberatos; in futu-
rum etiam tempus consultum est, datâ operâ, vt ad diuinissimum sacrificium de-
còrè faciendum ædicula extrueretur. Super quotidianas conciones, vbi sanctio-
res intercurrerent dies, adolescentes scholasticos, sextâ quaque Feriâ pueros
Orphanotrophij, magno ceterorum auditorum accessu, edocebat rudimenta
fidei. Hisque, & ludimagistris, & inclusis in carcere, alijsque, vt quibusque aptum
erat, libellos pios, & catechismos distribuit, bibliopolâ secum adducto eam
ob rem, quod semper faciebat, vt emere quoquè volentibus copia in promptu
esset. Illud verò, vti summè necessarium, ita saluberrimum curauit. Stabat in
portu Regia classis longarum nauium quatuordecim. Damnati in eâ remiges ad
tria millia erant, quos diuinis curandi mysterijs nulla vnquam, ne præceptis qui-
dem interuallis, mentio fiebat. Quæ verò ab ijs peccarentur luctuosum sit refer-
re. Quæ Posseuinus vbi cognouit; grauissimè ingemiscens mortalium peccatis,
tanquam satis terræ non essent, & maria onerari, ac Barbarorum successibus
viam sterni; Archiepiscopum Aquensem Cardinalem Strozium, qui Massiliæ
aderat, regiæque classis præfectum Molinum, & Prouinciæ Prorègem, atque alios,
ad quos res pertineret, conuénit, & cunctos ita permouit; vt consensu decreuerint, Sacerdotem præficiendum, qui & diuino verbo, & sanctis mysterijs miseræ
turbæ prospiceret: idque decretum ceteris maritimi negotij legibus adijceretur,
cum voluntariâ appendice, vt Societatis hominibus, ad classis illius iuuanda ser-
uitia, nunquam aditus non pateret. Ad hæc, cùm discrimine nullo Hæretici,
Catholicique mixtim remiges haberentur; ne inficerentur integri, morbidos
segregandos curauit. Postremò alijs Sacerdotibus ad alios expiandos accitis,
ipsemet quinqueremis, quam Regiam vocabant, homines audijt ducentos fermè,
ac quinquaginta: quorum plerique vniuersæ vitæ retexuere noxas: nec pauci
hæreticum virus euomuerunt. Vbi autem sanati confessione; tum diuinissimo
quoquè recreati pabulo, & rosarijs, pijsque libellis donati sunt. Et fuit non pie-

213 Posseuini industria Massiliæ.

214 Prauæ consuetudines abolitæ.

215 In Carcere detentis prouisũ.

216 Consultum nauticę turbę.

tate

tate magis iucundum, quàm miseratione triste spectaculum: vbi excitatâ in littore arâ, ad spectandam diuinam rem, sumendumque Domini Corpus, turba omnis nautica educta est, binis ordine prodeuntibus, magno catenarum strepitu, quibus illigatos trahebant pedes, interque se vincti erant. Ex omni verò numero centum sexaginta eiusdem Patris operâ, quòd pœnarum tempus explerant, Caroli Regis assensu in libertatem asserti. His rebus, & quas proximis annis tum idem Posseuinus, tum Claudius Matthæus Massiliæ administrarant, excitati Ciues, vt Collegium apud se, vel Professorum domum haberent, omni ope certabant. Nec minora in suo constabiliendo fuere Auenionensium studia. Ac planè mirum accidit, quòd cùm in frequentissimo consilio de coëmendâ Collegio domo, in qua conductâ versabatur, confirmandisque vectigalibus eidem ab Ciuitate donatis, ageretur; vtrumque transactum est, ne vno quidem, quod vix aliàs contigisse vnquam memorabatur, desiderato suffragio: cùm alioqui non deessent, vt in magnâ Ciuitate, eoque loco, ac tempore, qui ante parùm fauerent.

217 Massilienses Nostros apud se cupiunt.

218 Auenionenses Collegium stabiliunt.

219 Hispanicæ res.

In Sardiniâ Sassari ad Philosophiæ curriculum aliquod exordium Theologicæ doctrinæ adiunctum est. Cæsaraugustæ Philosophia inchoata, & nouum templum Hispali ab Kalendis Maijs, vsque ad Kalendas Sextiles pestilentiâ, quanquàm non admodum sæuâ, grassata est per inopum maximè domos: maiorem editura stragem, nisi vrbis præses Franciscus Hurtadus Montis Acuti Comes sedulò opem tulisset. Quin & precibus ad Deum suis deliniisse cælestem iram visus est. Eâ pietate ipse, ac tota domus erant. Patrum nostrorum curis cum ad animarum expiationem, atque rectionem suarum, tum ad alia religionis ministeria amantissimè vtebantur: eo maiore effectu; quòd ipse Comes exemplo præibat: nec rarò in Nosocomijs posito pallio, & nudo vertice, spectatum accurrente multitudine, ægrotis ministrabat. Quæ cùm gereret ante coortam pestilentiam, vbi ea apparuit, impensâ curâ, atque liberalitate memorabili extra vrbem Nosocomium omnibus rebus instruxit, vbi percussi carbonibus curarentur: diuersorio seorsum addito conualescentibus recreandis. Granatæ, Prouincialis conuentus causâ, cum Rectore Hispalensi, & Patribus alijs versabatur Prouinciæ Præses Auellaneda, cùm Hispalensis calamitas nuntiata est: volentemque continuò accurrere, vt & domesticis, & Ciuitati, si quid posset, vitâ suâ morti oblatâ, opis afferret; Patres, & Archiepiscopus Granatensis prohibuerunt. Ergo cùm placuisset Hispali iuniores euocare; senioribus, qui ad ciues iuuandos manserant, subsidio misit quatuor præterea Sacerdotes ex omni lectos eorum numero, qui multis precibus, atque adeo lacrymis eam sibi periculis æquè, & caritate plenam prouinciam depoposcerant. Interim cum alij, tum Iulianus Ouiedus, & Ioannes Garzia vltima sacramentorum præsidia pestilentibus ingenti animo, ac studio porrigebant: & Garzia præmio retulit carbonem prope cor enatum, vndè diu conflictatus tandem emersit. Nimirum perficiendæ deerant, illuminandæque coronæ pretiosa gemmarum decora, quæ posteà nouum in Orbem quæsitum abijt. Verum Alfonsus Velascus præsenti visus est dignus triumpho. Inter audiendam pestilentis homologesim, cùm ad precandam salutem etiam vlceri manum appositsset; continuò ictus, intra diem quartum quartodecimo Kalendas Iunias confectus est. Cordubam habuit Patriam, vbi diu Sacerdos honoratus vixerat. Non dum quartum in Societate annum explerat: Sed virtus quàm longè esset prouecta Socij Hispalenses annuis literis breui, verùm significanti hoc verbo testantur. Erat in hoc Collegio mirificum quoddam humilitatis, caritatis, patientiæque exemplar. Ceterorum nihil incolumitas læsa est. Collegium Burgense, quod Cardinalis vocatur, à Comite stabuli, vt exequutore testamenti Fundatoris, Societati donatum, & summi Pontificis auctoritate confirmatum; quia litigiosum erat, neque is, qui propositus vbique est, animarum fructus extabat è litibus, Comiti stabuli redditum est. Nouæ autem ædes cum templo, cuius altaria Episcopus in peruigilio sancti Matthiæ consecrauit, ipsâ sancto Matthiæ sacrâ luce incoli cœptæ. Frequens Oppidum Carauaca militaris Ordinis sancti Iacobi, cui nobilitatem præcipuam Angelorum operâ figurata Crux dedit: vn-

220 Hispalêsibus in pestilentiâ opera à Nostris nauata.

221 Auellanedæ Prouincialis caritas.

222 Iulianus Ouiedus, & Ioannes Garzia strenuè se gerunt.

223 Alfonsus Velascus pestecõtactus obit.

224 Burgensis Collegij migratio.

225 Carauacensis Collegij susceptio.

dè

dę & Cruces, quæ eam tetigerint latè per christianum Orbem, singulari ope aduersus fulmina, disseminantur, nouum Collegium impetrauit. Id Michaël à Regno ciuis Caruacensis quamstudiosissimè annum iam septimum postulabat: discursans ob eam rem, nec vlli parcens labori: de suo promittens expensarum maximam partem, & alios ad conferendum instigans. Demum quia Toletanæ Prouinciæ vniuersæ, ac nominatim Patri Simoni Rodericio, qui Marciæ hoc tempore agebat, & Bustamantio inspectus locus magnopere probabatur, quòd latè circa pateret campus ad animarum culturam, eò magis indigarum, quòd vix vllæ toto eo tractu Religiosorum familiæ essent; susceptum negotium est ita, vt tum incolæ mitterentur, cùm ædes, & necessaria cetera humanis vsibus non deessent. Biennio post missi sunt; ac bonus Michaël subinde vitâ decedens, quæ sibi reliqua erant Collegio attribuit, quod ex asse scripsit heredem; diserte cauens, vt si quando quis plura, quàm præbuisset ipse, conferret; ille Fundatoris nomine, & beneficijs frueretur: satis habens se inter benemeritos numerari. Compluti cùm magnus esset ad Theologicam doctrinam, quam in Collegio nostro Pater Alfonsus Deza profitebatur, auditorum concursus, atque Academici impedire eam rem tentarent; scholastici suâ sponte Vallisoletum profecti, suis sumptibus egere, & obtinuere causam. Pronuntiatumque est licere Patribus in Collegio suo docere, & quibuscumque libitum esset auditum accedere.

226 Michaëlis à Regno Ciuis Caruacensis Societatem benignitas.

227 Alfonsi Dezæ Compluti quâ accepta doctrina.

Sebastianus Lusitaniæ Rex hoc anno, vbi quartumdecimum ætatis annum egressus est, gubernacula susceperus, præter cetera pietatis decora, quibus Regni auspicia dedicauit; centum triginta vinctos misit è carcere, gratiâ factâ noxæ ijs, quibus aduersarij non repugnarent, & ære alieno persoluto eorum, quod summa tricenorum aureorum non superaret. Ab remigio quoquè omnes dimisit, quibus non vltra biennium luendæ pœnæ restaret. Quæ publicè probata benignitas haud sine commendatione disciplinæ, vndè proficiscebatur. Ludouicus Consaluius Regis magister fuerat: & pueri quoquè audire confessiones solebat; sed id muneris, cùm duobus ante annis Ioanni Montoiæ Augustinianorum Prouinciali egregio viro cessisset; repetere hoc anno iussus est. Plurimùm ille cum suâ sponte, tum Borgiæ monitu cauebat, vt negotia publica, quamminimè fieri posset, attingeret: vitari tamen haud poterat, quin & eius apud Sebastianum, & Leonis Henricij apud Cardinalem Henricum, à quo etiam num pleraque administrabantur, nimia quibusdam auctoritas videretur, & inuidiosa esset. Sebastianus inter primas curas duo Collegia à Patre Generali petiit: tumque ob alia merita, tùm etiam, quod primum hoc omnium postulatum Regni potens fecisset, impetrauit: alterum Funcali in Insulâ Materiâ statuendum: alterum Angræ in vnâ Insularum, quas Tertias vocant. Neutrum tamen hoc anno incœptum. Collegium Brigantinum ex legato piæ Matronæ, quæ moriens domum cum pago, etiam aëris salubritate peropportunam legauit, ac præterea reditibus Ecclesiasticis ab Episcopo adiunctis, haud modicum incrementum accepit.

228 Lusitaniæ res.

229 Sebastiani Regis pietas.

230 Ludouicus Consaluius Regis Magister, & Confessarius.

231 Rex duo Collegia impetrat Funcali, & Angræ.

In Indiâ fermè vbique patientiæ præclara fuit seges. Quippe cùm longo vsu bellandi, iam Europæas Barbari artes didicissent, è contrario Europæi partim coaceruatis contenti, partim coaceruandis intenti pecunijs non leui ex parte in Barbarorum degenerassent ignauiam; auctâ hostes audaciâ nihil vspiam pacati relinquebant. Malacam huius principio anni acerrimè Aceni oppugnarunt. Ij sunt æterni Lusitanorum hostes ex Insulâ Somatrâ haud longè positâ, quàm Taprobanam veteribus celebrem quidam putant. Rex ipse, cum vxore præsens, & liberis, vrgebat rem: qui cùm die sancto Matthiæ sacro, trigesimoquarto die ab cœpta obsidione, non sine suorum clade abscessisset; ad apparandum maiori conatu bellum, solicitandosque finitimos Malacæ Dynastas incubuit. At citeriorem maris Indici oram ab promontorio Commorino vsque ad Goam Malabares Mahometani vehementer infestam habebant. Quæ res non humana solùm negotia, sed etiam diuina morabatur: cùm Euangelij promulgatoribus, nauigatione impeditâ, nec semper commeandi facultas adesset, nec vnquam sine ingenti vitæ periculo. Atque adeo Lusitanum quoquè periclitabatur imperium, & nomen

232 Indicæ res.

233 Malacæ obsidio.

234 Infesta hostibus maria.

in

Digitized by Google

in dies euilescebat. Mangalor erat Oppidum ad flumen eiusdem nominis in Malabarum orâ maritimâ prædonibus receptaculum, vndè improuiso impetu prætèr nauigantes adoriebantur. Eoque flumine magna vis piperis Mechani auertebatur. Hasce ob causas, & multas præterea acceptas iniurias, Antonius Noronia Prorex, comparatâ classe, Mangalorem Oppidum diruit, & flumini arcem imposuit. Duos de Societate Sacerdotes in expeditionem, qui & concionibus incitarent, & sacramentis expiarent, curarentque militem, duxit. Illi multos etiam remigum ab superstitionibus patrijs ad vera sacra transtulerunt. Militum ante pugnam excepere confessiones: inter pugnam ibant primâ in acie simulacrum Christi Domini in Cruce fixi manu prætendentes. Quæ res momenti non parum ad victoriam, ipsorum prædicatione militum, habuit. Post pugnam ad saucio-

235 Arx ad Mangalorem extructa.

236 Nostrorum fructus in bellica expeditione.

rum corpora, animasque curandas, atque occisorum cadauera, qui non multi fuere, condenda humo verterunt laborem. Vbi cœpta arcis ædificatio, in eâ statim, de Proregis voluntate, Nosocomium instituerunt ægris, saucijsque recipiendis. Ac distributis inter se prouincijs, alter Patrum in castris mansit, alter Nosocomij procurationem suscepit, cum mirâ omnium beneuolentiâ, & approbatione. Atque is eò iucundiùs Christianæ ministeria obibat pietatis; quòd cùm in Delubro ingenti adornatum Nosocomium esset, non solùm ibi honorabat Christum Dominum, vbi fuerat stabulum impietatis; sed ipsis quoquè Deorum ligneorum simulacris, quæ confracta in ignem mittebat, cibos præparabat ægrotis: vt saltem conflagrantia reficiendis hominum prodessent corporibus, quæ perniciem animis stantia ministrabant. Cetèrùm Goâ, finitimisque Insulis iam prope omnino ab Idolorum nequitiâ perpurgatis, dum ad conseruandos alibi Neophytos incumbitur, in Salsettis Christo subiugandis graue erat negotium. Tres ibi iam sacræ stabant ædes. Ad Raciolanam arcem sanctæ Mariæ Virgini ad Niues dicata omnium prima. Sancto Spiritui altera præcipuo in Oppido, cui nomen Marganum est. Tertia Curtali in sanctorum Philippi, & Iacobi nomine. Duæ his accessere hoc anno: altera sanctæ Crucis, vbi Dominicâ Septuagesimæ: altera sancti Michaëlis nomine, vbi, die eius apparitioni solenni, diuinæ primùm hostiæ immolatæ. In singulis celebres fuère baptismi magno cùm auctu Christianæ plebis, non tamen ingentibus sine & periculis, & ærumnis. Efferatiora sunt ingenia eius gentis: hærebat animis dolor, è superioris anni Delubrorum excidio. Carissimorum hi fratrum, illi filiorum, alij coniugum ad Christum transeuntium amissionem ferre non poterant. Hoc studiosiùs conabantur Patres exulceratos lenire animos, & patientes reddere medicinæ cælestis. Itaque & Nosocomium, quod ad eam diem habuerant Goæ, Marganum visum est transferendum: vt simul Christianæ benignitatis experimentis confirmarent nouellam sobolem, simul Idololatrarum ira permulceretur. Nam his æquè, vt illis, Nosocomium patebat: quod magnâ caritate Fratrum vnus auxiliarium Petrus Alfonsus curabat. Quanquam paganis Curtalienſibus nulla caritas, benignitasque demerendis satis fuit. Furore quodam perciti, impetu in templum facto, arâque penitus denudatâ, ad viginti insuper Christianos propter habitantes expoliant, etiam casis eorum exustis. Hi, cùm primùm diluxit, coram Patre Petro Mascareniâ sese, vt relicti fuerant, planè nudos, quiritantes, suamque ostendentes, ac deplorautes calamitatem, sistunt. Pater, ad tantæ conspectum indignitatis grauiter ingemiscens, tectos ex facultate, quæ ad manum fuit, solatusque verbis, in templum ad causam Deo commendandam deducit. Non dum templi expilationem quisquam cognorat. Itaque simul fœdè spoliatum sacrum altare conspectum est; tum verò coortæ miseris lacrymæ, haud sibi calamitatem suam, sed iniuriam Dei grauem esse ferentibus. Mascareniæ quoquè pectus ea species vulnerauit. Sed Patri simul, ac filijs consolandis fons solatij non defuit. Linteo enim amiculo, quod vnum suppetebat, altari vestito, quanto maiore in egestate mortalis apparatus, tanto affluentioribus pietatis diuitijs, sacrosanctâ immolatâ Hostiâ, haud leuiter recreati sunt. At Barbari postero die ipsum met aggressi Mascareniam, verberibus, plagisque concisum semianimem relinquunt. Cetèrùm incassùm furebant. Acuebatur

237 Salsettæ, Goanæ periculosa, & laborum feraces.

238 Sociorum caritas in ægris curandis.

239 Curtalienſium in Christianos furor.

240 Pater Petrus Mascarenia Christianos recipit atque solatur.

241 Eiusdem in verberibus patientia, & caritas.

sup-

Digitized by Google

ſupplicijs ſuppliciorum fames, non Euangelij promulgandi ardor extinguebatur. Itaque in Goanum deportatus Collegium, curatuſque; vt primùm valetudo permiſit, ad priſtinos labores, & pericula pretioſa ſe retulit. Et benigniſſimus Dominus, quàm ſuauem cæleſtium ſubindè voluptatum tot ærumnis guſtum aſpergeret, optabileſque fideli ſeruo calamitates faceret, indè exiſtimari licet. Conſederat fortè in cliuo, qui imminebat Ethnicorum pago: in quem coniectis oculis mœſtiſſimus angebatur, quòd adeo miſerè cæca gens mortiferas ſuas tenebras, quàm lucem vitalem mallet; cùm ſubitò mediâ de valle pueri vox inſonuit, ſuauiſſimè concinentis, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, ac reliqua è chriſtianæ inſtitutionis rudimentis. Quæ vox ægri Sacerdotis ita blandè tetigit aures, ita permulſit animum; vt iam multo plura & verbera optaret, ac vulnera; quandoquidem ſuos per cruciatus, ex ore ſuccreſcentis ſobolis, in mediâ Dæmonum ditione, ſanctiſſimæ Trinitatis perſonare nomen inciperet. Iiſdem in terris Pater Balthaſſar Gagus ab finitimis Mahometanis captus, & in vrbem Pondam eſt ductus. Sed quia ſtatim Prorex omnes aditus iuſſerat arctâ teneri cuſtodiâ, ne Mahometanorum cuiquam è Luſitanâ ditione exitus pateret, quoad Balthaſſar redijſſet; continuò humaniter eſt dimiſſus. Idem Pater, cùm in latrones incidiſſet; tantùm necem effugit, quòd ſclopi in eum intenti fomes, non concepit flammam. Verùm in orâ Trauancoris procliuius factum eſt negotium animarum. Franciſcus Petrius, qui Socijs eum tractum procurantibus præerat, omnes adhibuit machinas, vt Regis animum Trauancorienſis ſibi adiungeret; quod demum ſolertiâ caritatis, & veræ ſignificatione virtutis, pacatiſque inter ſe eius Regni primarijs hoc anno eſt conſequutus. Acceſſit quòd Rex, ad finitimorum vim Regulorum bello defendendam, ab Luſitano Prorege, Patrum commendatione, non nullam equorum copiam, quibus vehementer egebat, ſperabat impetraturum. His ergo de cauſis conciliatus; poteſtatem, Patre Franciſco rogante, fecit toto ſuo Regno, etiam mediterraneis locis, promulgandi diuinam legem: & in ipsâ vrbe Regiâ Trauancori ipſemet templum extruxit, Reginâ quoquè fauente. Cocini nunquam ante ſtudioſiùs ſuſcepta fidei propagatio, nunquam tractata feliciùs. Nonis Sextilibus, miraculo Niuium conſecrato Magnæ Virgini die, centum ſeptuagintaquatuor capitum peracta luſtratio eſt: & furuæ animæ Agni immaculati ſanguine factæ niue candidiores. Interfuere celebritati nouus Epiſcopus, Præſidij Luſitani Prætectus Ioannes Fonſeca, alijque primarij viri. Neophytorum agmen cum feſto tibiarum, fiſtularumque, ac tympanorum ſonitu per compita vrbis deductum recenti veſtitu fulgens, ramiſque viridibus, quos manibus prætendebant inſigne. Quod ſpectaculum nunquam antea Cocini viſum, non modò ſanctâ ad baptiſmum illecebrâ Indos pepulit; ſed etiam ad opus iuuandum Europæos incendit. Itaque, & veſtes conferre, & ſuas quiſque domos deducere quempiam è nouello Chriſti grege certabant. Haud interim quieuit Satan. Naires, quæ militaris eſt natio, auctoritatis inter Indos præcipuæ, ita non modò contumelioſis dictis, ſed etiam extrema omnia minitando recèns initiatos vexabant; vt miſeris ſumma deſperatio oboriretur: nec eſſet obſcurum ab ipſo Rege Nairum foueri audaciam. Quæ intelligens Pater Melchior Nunnius, abſque morâ Ioannem Fonſecam, atque Epiſcopum admonet, naſcenti vt Eccleſiæ conſulant: neu ſinant per iniquam vexationem tantum perire animarum, quæ nullo prope negotio inſeri cælo poſſint. Quibus rem, vti æquum erat, libenter amplexis, Rex partim expoſtulatione, partim mixtis terrori minis Fonſecæ permotus; continuò Proceribus ſuis, Collegijque Patribus aduocatis, palàm edixit, licere cuiuis ſine fraude Chriſtianum fieri. Ita dum perſequuntur Socij opus, ſexto Kalendas Octobris ex omni numero Catechumenorum, ſiue genere, ſiue diuitijs primi, quò acriùs ceteros exemplum compungeret, quadraginta ſupra centum pari celebritate ad ſacrum fontem admoti ſunt. Nec pauci, præter hos, priuatim initiati. Iamque illud præterea ex Rege flagitabatur, vt circa Cocinum in Palmetis, vbi pleriſque eorum, qui Chriſtianis adiungebantur, domicilia erant, ædes ad religionis cultum excitari fineret. Quod quanquam ſuperſtitione ipſe Brachmanes cunctabatur; tamen

242 In mœrore mirè recreatur.

243 Pater Balthaſſar Gagus à Mahometanis captus, & mox dimiſſus.

244 Trauancorienſis ora religioni Chriſtianæ aperta.

245 Patris Fr̃aciſci Petrij dexteritas cum Rege Trauacoris.

246 Cocini amplificatus Chriſtianorum numerus.

247 Neophytorum lõgus ordo per vrbem feſtiuè ducitur

248 Pater Melchior Nunnius Neophytos vexãtibus occurrit.

249 Ad ſacrum fontem plures ſolenniter admoti.

Digitized by Google

tamen quia, & Lusitanorum idem socius erat (fratrem armorum vocant) concessurus denique sperabatur. Is erat Indiæ status, cùm Prorex nouus è Lusitaniâ Ludouicus Ataidius, vnàque etiam Consaluus Aluarius de Societate, qui Sociorum statum cognosceret, ordinaretque, à Borgiâ missus, ad litus Goanum applicuerunt. E quinque nauibus, quæ Olisippone pariter soluerant, hæc vna Prætoria Goam tenuit: ceteræ Cocinum delatæ. Octingenti triginta in Prætoriâ venerunt, quibus Pater Aluarius, eiusque Socius Emmanuel Lopius omnibus præsto fuere, non Sacerdotum modò, sed Christianorum etiam famulorum officijs. Nusquam exscensione factâ, sed perpetuâ ab Lusitaniâ in Indiam vsi nauigatione, ampliùs mensibus sex, nunquam fixo in terrâ vestigio, sexto Idus Octobris Goanum portum intraruut. Exoptatissimi aduenerunt. Nam & Ludouici Proregis virtus cuncto populo præclaram spem fecerat, & Socij maximopere cupientes cum reliquæ Societatis moribus consentire; Visitatorem, qui rem hanc videret, iam diu expectauerant. Ei tamen hoc in primis dederat mandati Borgia, vt ad mores Indicæ Societatis, cum Europææ moribus ita exæquandos intenderet; nihil vt nisi cunctanter, atque Patrum consensu, qui longo experimento, quid cuiusque loci ingenium ferret, didicissent, loco moueret. Eam ob rem Consaluus statim Cocino Melchiorem Nunnium, Coulano Franciscum Petrium, Punicali Henricum Henricium, quos vnà cum Prouinciali Quadrio, & primis Goanorum Patrum in consilium adhiberet, acciuit. Qui dum se ad iter accingunt, præmissus à Melchiore Pater Franciscus Lopius in odium fidei à Barbaris interfectus est. Ludouici Melli oneraria onusta mercibus Cocino Goam soluebat, in quam (quòd apprimè erat armis, & viris instructa) centum quinquaginta Lusitani nobiles, pars magna ex Europâ recèns aduecti conscenderunt. In eam Pater Melchior, vt opportunitate vteretur, quòd, vt supra indicaui, mare à prædonibus, hostibusque erat infestum, tutam ratus nauigationem, quatuor de Societate imposuit, Franciscum Lopium Sacerdotem, Antonium Dinim Diaconum, Ioannem Caraualium, & Emmanuelem Lupium nullis initiatos ordinum sacris. Quinto Kalendas Nouembris festo sanctorum Iudæ, & Simonis Apostolorum die vela faciunt. Postero die prope Cialem Mahometanorum celoces magno numero occurrunt. Pugna extemplò committitur. Quamuis oppugnarentur accerrimè, & vndique pulsarentur, nihil suberat periculi Lusitanis: adeo robusta erat, tormentisque, ac bellatoribus communita nauis: quæ inter Barbarorum parua extans nauigia, ceu scopulus, atque arx hostiles ictus sine labe excipiens, quàcumque se verterat, stragem hominum, nauicularumque hostilium edebat: cùm miserandus omnino casus victoriam peioribus dedit. Intentis in prælium Lusitanis, in tormentarium puluerem incidit fortè scintilla. Indè vehemens repentè erupit incendium, vt superiore nauis parte impetu primo diffractâ, quosdam vectorum in mare deiecerit. Tum peste illico diffusâ, multis iam partibus comprehensis, oneraria, instar fornacis ardebat. Erecti ad id spectaculum hostes, nauigia propiùs admouent excepturi homines: & prædam, si quid liceret, ex ignibus erepturi. Christiani quò se verterent, quodque præoptarent exitij genus, aliquandiu deliberauerunt. Vndique circumstabat mors. Vel igni. Vel aquâ, vel ferro pereundum erat, vel certè vita arbitrio hostium permittenda. Sed, vt nihil vitâ carius est, & natura ipsa docet, quantùm sine Dei iniuriâ fas sit, omni ope seruandam; leuissimum malorum visum est illud, vbi aliquid spei supereſſet. Itaque, vt ad quemque arrepserat flamma, exorabilia magis, quàm mare, & ignem, humana rati pectora; in mare delapsi ad Malabaricas nabant celoces, vltro se in seruitium induentes. Pater Franciscus diu in angulo ardentis Onerariæ perstitit cum Socijs Deum suppliciter consulens, oransque, vt regere se eo tempore, ac tueri vellet. Denique ipsi quoquè mari sese committunt. De Ioanne Caraualio, atque Emmanuele Lupio, quid actum sit, vtrum aquarum, an hostium vi occiderint, nunquam certo est cognitum. Horum alterum quidam retulit se vidisse prensantem iam hostilis nauigij marginem, grauiter ictum in capite, ac deuolutum in vndas. Antonius Dinis, cùm pendentem in mare nauticum funem

250 Ludouicus Ataidius Prorex nouus: & Societatis Visitator Pater Cõsaluus Aluarius Goam aduecti.

251 Patris Francisci Lopij mors in odium fidei

252 Quatuor de Societate nauim cum Lusitanis conscẽdunt.

253 A Turcis impetuntur.

254 Lusitana nauis fortuito incẽdio vastatur.

255 Lusitanorum consilium in tanto periculo.

256 Ioannis Caraualij & Emmanuelis Lupij incertum qualis mors.

Digitized by Google

nem apprehendisset; eo aliquandiu se collo tenus demersus in aquas sustentauit. Pater Franciscus, præ grauitate corporis haud longo labori sufficiens, ad proximam celocem natatu euasit. In eam dum excipitur, ex recenti tonsura verticis, fortè Sacerdotem Barbari cognouerunt. Indè extemplò circumstant, solicitantque intentandâ morte, salute promittendâ, vt ad Mahometum, deserto Christo, traducant. Quas voces impias cùm ab animo, auribusque Pater arceret; seque Christianum occubiturum semel, atque iterum testaretur; impatientes moræ Malabares primùm ei pectus hastâ transfigunt: dein gladio caput scindunt: postremò cadauer sæpiùs lanceis appetitum, atque perfossum in mare deuoluunt. Geminâ palmâ Religiosus quoquè Franciscanus donatus est. Quæ cum alii retulere, tum Antonius Dinis: qui haud procul pendens, vt diximus, è rudente, prospexerat. Nec mitiùs multò actum cum ipso est. Vix trahens animam ex ictu collabentis mali exceptus ab hostibus, postquam multùm vexarunt in littore, prædamque diuisere, vnà cum triginta Lusitanis in Oppidum, cui nomen Caporatum, abductus est. Longum sit, quæ in eâ captiuitate pertulit, exequi diligenter. Bis vænijt; tribus familijs orizam purgare adigebatur, quam vetulæ quædam cùm deferrent, interim faciem ei fœdissimè consputabant: pueri verò raptos è paludibus, & stagnis bufones, notato tempore, quo aliquid cibi sumpturus esset; ori eius petulantissimè adfricabant. Quòd si in somnum demitteret oculos; ad miselli latus clam cultris locatis, ex improuiso coorti clamitabant: arma quæsisse, quibus necem ipsis moliretur. Indè & contumelias procaciter, ac verbera sæuè ingeminare. Pro lecto nuda erat humus, pro cibo tantillum orizæ, pro potione aqua, pro vestitu pudor, nihil præterea, nisi quod multis post diebus linteolum vix palmare quidam donauit, quo maximè tegenda obnuberet. Has inter difficultates adolescenti Christiano, quem ita circumuenerant, vt postridie esset nefariâ concisione Mahometo sacrandus, opportuno alloquio fuit saluti. Itaque expedientibus iam penè cultros dicto die ministris, cùm adolescens haud quaquàm se ab Christo discessurum contestans, eorum spem fefellisset; irritati Cacizij, reuocatumque ab Antonio ad constantiam, quod res erat, suspicati; ipsum donari sibi Antonium postulant Mahometo immolandum: nullas esse affirmantes victimas, quibus victoria de Lusitanis impetrari certiùs posset. Tamen auri vicit amor: vnàque cum alijs captiuis pecuniâ redemptus; Goam quinto Idus Ianuarias anni proximi redijt: tonsuræ instar sacerdotalis glabrum in vertice orbem referens: quam ei figuram per ludibrium Barbari, cùm è Societate hominem esse resciissent, igne formauerant. Pater Franciscus Lopius, cui virorum fortiter obeuntium insignia diuinò beneficio datum est per Ethnicorum crudelitatem adipisci, Lusitanus natione erat: annum agebat ætatis vndequadragesimum: viginti in Societate, plurimosque eorum Sacerdos in Indiâ vixerat. Vir erat bonus: in confessionibus audiendis assiduus. Ad id operis, atque ad tractandos in familiari congressu hominum animos apprime factus, paruo contentus, inque religiosâ disciplinâ nihil leue ducens, sed momentorum omnium diligens obseruator. Coulanensi domicilio aliquot annis præfuerat, quanquàm plus ad parendum, quàm ad imperandum habebat facultatis. Emmanuel Louus duos ac triginta natus annos, quorum vndecim in Societate traduxerat, Scholasticorum votis emissis, in domesticis Marthæ ministerijs fideliter versabatur. Eadem erant Ioannis Carualij munia: ætas duobus minor annis, sed totidem ab initâ Societate maior. Inter hæc Molucis insulis Consaluus Pereria Lusitanorum ductor, quem altero ante anno ad opem ferendam Christianis aduersùs Mahometanos cum classe profectum tradidimus, aduentu suo densis è tenebris lucem visus est afferre: & ingens per eam occasionem patefacta Euangelio porta est, præcipuè apud Celebes Rege Sionis restituto in regnum. Instructâ classe Pereria, ob veteres de finibus dissensiones, aduersùm Castellanos iturus, qui portum in insulâ Zebu, conditâ arce, tenebant; idoneam nauigationi tempestatem opperiebatur: cùm ex Manado nuntij adfuere, confirmantes Sionios populos iam tandem Regis sui desiderium cæpisse, ac polliceri imperata facturos. Rex ille, cùm annis ante quinque

257 P. Franciscum Lopium quo mortis genere Malabares cõficiunt.

258 Antonius Dinis multa captiuus cum ignominia tolerat.

259 Sustinet in Christiana fide iam deficientem adolescentem.

260 Patris Lopij vitæ summa.

261 Consaluus Pereria Lusitanorum ductor Molucas appellit.

Digitized by Google

262 Sionis Rex in regnum restituitur.

baptisimum in orâ Manadi ex Patre Iacobo Magalliane, vt suo memoratum est loco, suscepisset, ac circiter sesqui anno post ab regno desertus in Oppidum, quod in fide vnum mansit, sese cum patre, ac germanis recepisset; ad arcem indè Ternatinam confugerat, opem implorans Lusitanorum. Quam quia Lusitani suis vndique difficultatibus inclusi ferre ad id loci nequiuerant; bonus Rex Christiano animo ibidem Ternate exilium tolerabat: Patresque nostri cunctis siue humanitatis, siue christianæ pietatis officijs haud mediocri negotio suo consolari, & sustentare hominem conabantur. Ergo cùm iam Sioniorum cognitâ voluntate, vtendum occasionis beneficio visum esset; Pereria Laurentium Hurtadum cum modicâ militum manu ad deportandum Regem misit: pollicitus in reditu ab Zebuensi expeditione cunctam eò se classem adducturum, totamque Sionem (si qua fortè pars peruicaciùs moraretur) ad Regis obedientiam adacturum. Sacerdotes in Ternatino Societatis domicilio tantùm erant duo, Marcus Prancudus, & Petrus Mascarenia: qui, quanquam occupationibus pressi ægrè Ternatinis laboribus erant pares; tamen Prancudus totam in se molem suscepit, vt Mascarenia solatio mitteretur & Lusitanis, & Regi. Bartholomæi Apostoli natali die biremem conscenderunt: secundoque cursu in Manadum vecti cognoscunt neutiquam Sionis vniuersos, sed solùm partem ad sanitatem redijsse. Indè ad ipsam Sionis oram prouecti anchoras contra Oppidum iaciunt, nomine Pasen, omnium eius plagæ firmissimum. Id factio maximè aduersa Regi tenebat. Diditâ tamen famâ adesse Lusitanos, & Regem; vndique coacti, qui ab eius partibus stabant; ad biremem accedunt: eique vestigia (quæ genti aduersùm Reges veneratio, atque obsequij testificatio solemnis est) osculantur tantâ voluntate; vt quidam lacrymas non tenerent. Triduum indè tentatum si posset cum Pasenis res placidè componi. Sed vbi nil expeditur; Lusitani, ante omnia noxis confessione detersis, descendunt: adiunctisque ex indigenis, qui Regi studebant ferè trecentis, arma inferre constituunt. Hostes vim expectare non ausi, Oppido deserto, in mediterranea, & ardua loca secedunt. Nec Lusitanis ad insequendum siue animus, siue studium aberat: sed cùm regia cohors hinc Lusitanorum paucitate, indè hostium virtute (nam fortitudinis palmam inter Sionios Passeni habent) commouerentur, atque etiam dies instaret ab Consaluo Pereriâ præfinita, qua Laurentius biremem cum reliquâ classe coniungere deberet; die Natali Deiparæ cursum ad eam cæpit. Illis digressis Rex ad Patruelis sui pagum satis frequentem cum Mascareniâ, duobusque Lusitanis se se recepit. Ibi statim concinnata ad diuinum cultum ædicula: & Regis Pater admodùm venerandus senex per genitale lauacrum illâ renatus infantiâ, quæ apta cælo est. Ac spes erat omnino potiturum: adeo christianæ legis præcepta iuxtà, ac mysteria probabat, ac mirabatur: & ad ea vitæ actionem accommodabat. Exitu Septembris cùm statuisset Mascarenia Christianos Manadenses inuisere, Rexque cum multis suorum è numero ire comes pararet; è propinquâ insulâ, quam Sanguin appellant, de primâ secundùm Regem (Reges autem liberaliore vocabulo eminentiores Dynastas nominant) dignitate viri adfuerunt, rogantes, vt facere & ipsos Christianos vellet. Id se fuisse vel longiùs petitum venturos, nec nisi impetrato abituros. Quod quantopere optarent, vt magno pignore testarentur; extemplò comam, cui mulierum ritu promissæ, velut sacræ, parcunt, vltro abscindunt. Addidit Sionius quoquè Rex suas preces: affirmans longâ sibi necessitudine viros coniunctos esse: & propter loci propinquitatem vtriusque partis interesse hoc insuper inter se vinculo copulari. Nequaquam aspernanda occasio Mascareniæ visa. Itaque toti Insulæ sub Christi salutare imperium subiungendæ imminens, respondet: Redirent ad suos: sique verè cuperent Christiani esse; caracoram (nauigij genus est) qua veheretur mitterent: semet profecturum ad eos. Quo accepto responso alacres, celerrimèque reuecti; caracoram adornant, mittuntque duos Principes Iuuentutis, alterum sanguine Regi proximum, alterum primi in totâ Insulâ Viri filium, qui Sacerdotem Christi deducant: & ipsi nouas ædes, quibus illum excipiant, moliri aggrediuntur. Vbi caracora adfuit, iam Regis quoquè Sionij parata

263 Petrus Mascarenia cum Rege ad Sionios mittitur.

264 Regis pater baptizatur.

265 Rex Insulæ Sanguin cum Primoribus Christiani fieri petunt.

erant

Digitized by Google

erant nauigiola circiter octo, quibus Rex ipse cum suis veheretur. Ergo quarto Nonas Octobris, quem diem Francisci Assisinatis sanctitas consecrauit, inito pariter cursu, eodem die sub vesperam proximè ad Sanguin peruehuntur. Postridie ab Sangui Rex cum proceribus vniuersis, summâque gratulatione obuiam factus; in regni principem vrbem, cui nomen Calonga est, duxit: & quia nouæ ædes satis approperari nequiuerant; vir princeps ex optimis suis, quas incolebat, cum vxore, ac filijs vltro migrauit: vt ijs cælestis doctor, & Sionius Rex vterentur. Vnus, alterque dies in noscendâ gente, & maximè in exposcendâ diuinâ ope traductus: tertio catechesis publicè instituta. Locus delectus est peramœnus, & amplus, qui frequentiam caperet, sub speciosarum arborum frigidâ vmbrâ, alludente placidis vndis mare: est enim regio torridæ plagæ subiecta. Rex, & Regina, primique Calonganorum cum vxoribus suis, tum cetera ingens multitudo conuénit. Qui, vbi summa disciplinæ cælestis capita audiuerunt; nihil non summè probantes, nihil non præstituros largè recipientes, aquas mysticas primo quoque tempore postulabant. Quibus, vbi donati sunt, & christiano insuper cum prioribus coniugibus Sacramento coniuncti; lætitiâ, quantâ potest maximâ cogitari, exultauerunt. Iam dies, ac noctes Mascareniæ diuersorium honestissimis viris refertum erat, siue salutandi studio, celebrantibus, siue scisitandi quæ ad salutem cuiusque animæ pertinerent. Caritatis verò munusculis, nisi Pater posuisset; nullum ipsi ponere modum sciebant. Sed in venerandæ Crucis triumphali excitando signo studia eminuerunt. Primùm aliquot dies per agros, syluasque digressi oberrarunt, vndique oculis præstantissimam, aptissimamque ei decori arborem exquirentes: qua tandem ad voluntatem inuentâ, nequaquàm passi eximio labori degeneres admoueri manus. Nobilis iuuentus deiecit: eadem dedolauit: opus eadem totum ita fabrefecit (est enim faber mirè docilis amor) vt Crux haud alia formosior in Maluco spectaretur. Vbi verò præparatâ in areâ statuenda fuit; tum videre licuit gratum cœlo spectaculum. Regum par sancto sub onere, & certatim iuuantes Proceres, neminemque se nobilem, aut vllius pretij censentem, qui non partem operis attigisset. Quæ vt erecta, ac fixa est; continuò Reges, & vniuersa multitudo procubuere in genua, & suppliciter adorauerunt, totâ interim festis omne genus organis personante vrbe. Inter hæc idonea nauigandi tempestas inuitabat Mascareniam; vt Cauripenses Christianos inuiseret. At religiosa illa manus Rex pariter, Procereſque, simul profectionis mentionem audiuere; cum gemitu circumsistunt, querentes quid peccassent, quare se deserere cogitaret. Nisi satis pro dignitate, ac meritis suis accepissent; tenuitati ipsorum, imperitiæque ignosceret: significaret modò quid gratum animo esset, prolaturos, conquisituros, è proximis Insulis aduecturos. Quas ad voces præcordia Sacerdotis commiseratione rumpebantur, quòd bonos adeo, amantesque mortales, Sacerdotum inopiâ, solos deserere cogeretur. Ostendit nihil eos commisisse, nisi quam ob rem omni essent amore, & obsequio digni: satis, superque cunctis erga se functos officijs: nec verò sibi quicquam extra salutem eorum cordi esse. Ceterùm & alijs seruiendum esse gentibus: & Cauripam nauigandi, si præsens tempus dimisisset, nullum posthea habituram. Tali consolatione, redituſque oblatâ spe deliniti rogare insistunt, vt extruendo templo locum designet. Quem, cùm in peramœnâ secundùm littus agri planitie, quam densæ arbores vestiebant, metatus esset; protinus opus aggressi Primores, cunctas arbores intra sex horas exciderunt, Rege, quem nec ætas iam deuexa, nec valetudo imbecilla tractare securim sinebat, instante operi, cædenteſque studio, & oratione sedulò adurgente. Dumque sese illi certatim fatigant; sanctâ quadam æmulatione tacta nuntiari Regina iubet, se quoquè venturam cum fœminis: purgandoque solo, & vellendis herbis operam nauaturam, ne laboris eius, & fructus expertes omnino forent. His apud Sanguin ita gestis, magno cum accolarum mœrore, Mascarenia in Sionem reuertitur: & indè Sionio nunquam ab latere discedente Rege, Kalendis Nouembris profectus in Manadum biduo venit. Hîc ex gente Batachinâ, quæ plus hominum centum millia dicebatur efficere, adfuere qui-

266 Mascarenia ab Rege, & Primoribus Sanguin Calongæ, vnà cum Rege Sionio honorificè recipitur.

267 Calõgani Christianis mysterijs instituuntur.

268 Pietas Neophitorum erga Crucem.

269 Mascareniam alio contendẽtem Calongani morari benignè contendunt.

270 Calonganorũ feruor in sacra æde parãda.

271 Mascarenia ad Sionios redit.

272 Batachini Baptismum latè petunt.

quidam magnopere postulantes, vt & ipsos, & cunctam nationem baptismo, quem iam diu expeterent, impertiret. Pronum est cogitare quantus pij Sacerdotis animum dolor exederet, cùm videret quantum animarum euocari ad lucem Euangelij, eripique exitio posset, si copia magistrorum adesset. Quorum etiam penuria fecit, vt abstineret à vulgando baptismate. Atque hæc erat hoc tempore

273 Pontificis sententia in vulgando baptismo.

Pontificis Summi sententia: vbi Sacerdotes deesent, per quos baptizati in religione continerentur; modum tingendis hominibus adhibendum. Itaque spe Batachinis factâ, cùm primùm copia suppeteret, venturum ad Celebes Sacerdotem, à quo & ipsi edocerentur; repetito cursu secundùm Celebum insulam nauigans, & vbique magnâ etiam apud Bolanum regnum, & alibi ad suscipiendum baptismum præparatione inuentâ, tandem Cauripam attigit, ingenti non Christianorum modò lætitiâ, sed etiam Ethnicorum. Iam initiatos diligenter excoluit: baptismum petentes hîc quoquè in Sacerdotis aduentum distulit. Magnam auctoritatem Euangelio præbebat Sionius Rex, qui non modò palàm diuinæ legis veritatem, sanctitatemque prædicabat; sed etiam Patrum expertam sibi in se pietatem profitebatur. Inopem se, regno eiectum, omnium rerum egenum ab eis benignè susceptum, sustentatum, iamque propemodùm restitutum in regnum.

274 Mascarenia Cauripam attingit excolitque.

Quæ tanto maiore dicebat cum pondere; quanto inter eos populos maior Viri sapientia habebatur. Eò etiam magis Mascareniæ curæ erat, vt penitus regnum ille recuperaret. Iamque in Sionem reuecti Consaluum Pereriam auidè expectabant; vt rebelles ad ius, fasque, prout pollicitus erat, compelleret: cùm Præfectus quidam Lusitaniæ cohortis, nomine Mendornelas, adfuit. Ex eo cognoscunt Pereriam, Zebuensi expeditione nullo effectu tentatâ, vi tempestatis auersum ab Sione, in Malucum redijsse. Ceterùm, quod in se esset, Mendornelam ipsum cum suis præstiturum, adnisurosque, vt Rex sua reciperet. Ita expeditis armis, Paseno Oppido per vim domito, alteroque sponte dedito, maximè commotis oppidanis colloquio Regis, in quo popularem suum sibi vetustâ Regum stirpe genito, & Tyrannum iusto dominio ante habitum exprobrauit, Insula omnis imperata fecit. Quem successum fides, ac bonitas Regis (præter æterna cæli præmia) videtur in terris promerita. Adeo moderatè fortunam aduersam tulit: adeo se & pium in Deum, & in homines seu malè, seu benè meritos clementem, & gratum præbuit. Pacatè iam regnum cùm possideret, Mascareniæ Ternatem nouo exorto anno repetenti, natu maximum filium ferè nouennem, indolis egregiæ puerum dedit, vt sub Patrum disciplinâ in Ternatino Collegio educaretur.

275 Sionius Rex auctoritati est Euangelio eiusque propagatoribus.

276 Prospersuccessus in præmiis fidei ac bonitatis Regi obuenit.

277 Rex filium Ternatini Collegij Patribus educandum tradit.

Respirantibus Molucis in Amachaum Sinarum peninsulam Pater Melchior Carnerius Nicenus Episcopus, qui Aethiopici Patriarchæ adiutor, dein & successor futurus, consecratus erat, nauigauit. A Pio Quinto Pontifice literas superiore anno acceperat, per quas, vnà cum Patriarchâ Andreâ, Sinensi, vel Iaponicæ Ecclesiæ iubebatur præesse. Quas literas cùm Malacensis Antistes, qui Vicarium ad hoc tempus in Amachaënsi conuentu habuerat, cognouisset, probasset que; Melchior, parendi Sanctissimo Patri studio, quanquam & Medicis, & Theologis ob eius valetudinem disuadentibus; Kalendis Maij Malacâ soluit. Nec obedientiæ defuit, vt ipsemet loquitur, is qui factus est pro nobis obediens vsque ad mortem. Vix soluerat, cùm tussis, qua afflictabatur ante grauissimè, leuata est: conquieuit pectus: & pituitarum scaturigo, qua, in singula prope momenta, suffocabatur, magnam partem exaruit. Denique multis & syrtium, & pyratarum ereptus periculis, Amachaënsem portum ingressus, nascentis eius Ecclesiæ procurationem primus Iaponiæ, & Sinarum Antistes suscipit. Cuius vniuersæ possessiones, ac vectigalia eo tempore paruâ domo, sacrâque ædiculâ, vtrisque ex materiâ, & plumbeo calice continebantur. Peropportunus fuit aduentus Episcopi non populo tantùm Amachaënsi, sed etiam Societatis Patribus: qui, velut in statione, ibi versabantur. Oppidum in dies augebatur. Aduenæ, plerique mercatores, & gente, & religione, sectâque, tum linguâ etiam, & oris colore diuersæ conflabant. Nec vitiorum minor, quàm hominum colluuies erat: multique

278 P. Melchior Carnerius primus Iaponiæ, & Sinarũ Episcopus.

279 Eiusdem obedientiam Deus remuneratur.

Chri-

Digitized by Google

Christianorum ita cum vitijs alijs, tum nominatim mulierc[u]larum consuetudine tenebantur impliciti; vt vis, ac manus Episcopi necessaria medicinæ esset. At inter paucos illos de Societate perturbatio sanè grauis inciderat, non quidem prauitate animi, sed quam vel feruor vltra modum audax, vel prudentia nimiùm cauta concitarat. Ioanni Baptistæ Riberæ, & Petro Rieræ in Indiam profecturis Lainius disertè mandauerat, vt omni conatu tentarent aditum in Sinarum regnum. Hoc mandato, & regni ampliſſimi famâ, ad id, quod per se ipsi auidissimè expetebant, tot populorum salutem, magis, magisque incitati, omittendum nihil putabant, quo clausſtra, vsque eo obsepta, peruaderent. Eminebat ardor, & spiritus Riberæ. Vir acer, & animosus, si tuta non paterent, per ipsa perrumpendum pericula existimabat. Nihil quidem committendum, vndè tentari Deus apertè videretur: neque tamen omnia ad timidam imbecillitatis humanæ, prudentiæque exigenda normam: sed multa in tutelâ, consilioque Dei cum bonâ spe relinquenda. Qua enim ratione aliâ gentibus illatum à principio Euangelium esse? Ergo cùm Riera ab Cantoniæ Magistratibus ingressum suppliciter postulasset; vbi reiecta postulatio est; Ribera hominem natione, ac superstitione Sinam pellicit, ambos vt aliquò in mediterranea inuehat. Sina pretij magnitudine, quod pius Mercator vltro pendebat, illectus; Cantoniam primùm, indè per fluuium in vrbem maximam Languin ambos deportaturum recipit: dabatque fidei sponsorem germanum fratrem, quem in Amachaënsi Oppido relinquebat. Id consilium Rieræ quoquè initiò placuit: verum, vbi re vulgatâ Lusitani passim dissuadent; summumque discrimen apertè adiri, ac vitam temerè proijci clamant; seu metu, seu religione tactus, non solùm non se ipse committere in eum casum voluit; sed Riberam quòque, cui Prouincialis Indiæ iussu præerat, omni ope cœpit prohibere. Is autem nec periculum planè temerarium interpretans, nec posse sibi quenquam obsistere, quominùs Præpositi Generalis iussa exequeretur; rebus clanculùm comparatis, multùmque Deo precibus, sacrificijs, & corporis affictationibus inuocato, per noctis silentium Ethnico, cum quo pactus erat, vehendum se tradit. Nocte proximâ Cantoniam veniunt: vbi, quò tutius indè inter Sinas ageret; Ribera gentis habitum, vestitumque assumit lætissimus prosequendi Languim itineris occasionem opperiens. Amachai interim cognitâ fugâ, Lusitani, de Rieræ voluntate, fratrem nautæ, qui Riberam auexerat, ducunt in carcerem, grauissimasque intentant minas, nisi det operam, vt Ribera quamprimùm reuehatur. Hoc, dum Cantoniæ nauigationem comparat, nauta per fratris literas cognoscit. Itaque sexto postquam Amachao discesserat die, nil suspicantem Riberam in nauim imponit: putantemque se Languim deuehi, Amachaum reportat: qui summo cum suo dolore, vt qui iam plurimarum baptissimum gentium spe præceperat, tulit hunc casum: sed tulit, quàm potuit, moderatè. At Riera metuens, ne fugam iterum moliretur; simul atque domum venit, seuero præcepto tria mandat: Primum ne extra cubiculum pedem efferat: deinde ne sacrum faciat: postremò ne quempiam alloquatur. Hæc quoquè Ioannes Baptista, quanquàm haud æquissima arbitraretur, tulit patienter, quoad Melchior Episcopus aduectus finem turbis imposuit. Accessit & Patris Francisci Cabralis auctoritas, qui, post amissum Petrum Ramirium, in Iaponiam Socijs præfuturus contendens ex Indiâ, Malacenses obiter, & Amachaënses res visere, & componere iussus erat. Id Riberæ factum, ex ingenti haud dubiè animo, studioque humanæ salutis, Romani Patres minimè probarunt: qui voluissent eum reputantem quantùm simplex obedientia victimis apud Deum præpolleat, Prouinciali Indiæ, vti iam scripserant, constitutisque ab eo præfectis, ad conseruandam ordinati obsequij formam, subesse. Episcopus principiò inter Socios summâ humilitate, & caritate, tanquam vnus è numero, habitauit: sed Patris Francisci Cabralis suasu, quò posset liberiùs episcopalibus fungi muneribus, atque etiam, vbi opus foret, minore cum Societatis inuidiâ pastoralis adhibere virgæ seueritatem; in ædes, quas episcopali ædiculæ contiguas emit, quanquàm perægrè ab carissimorum sibi fratrum consuetudine auelleretur, migrauit: aggressusque teneræ

280 Amachaënsis vrbis progressus ex Episcopi aduentu.

281 P. Io. Baptistæ Riberæ feruor in Sinas penetrandi.

282 Cantoniam ab Ethnico ducitur.

283 Indè ab eode sibi timente reducitur.

284 P. Franciscus Cabralis in Iaponiam mittitur Socijs præfuturus.

285 Episcopus apud Nostros primũ manet.

Digitized by Google

eius Ecclesiæ statum componere, breui commune Nosocomium, & seperatim elephantiacis receptaculum, & misericordiæ sodalitatem instituit. Dum autem Ribera, & Riera ad Sinarum fines tanto strepitu, nullo effectu satagunt; tertius eorum comes Alexander Valla, Quadrij iussu in Iaponiam delatus, lætitijs ingentibus cumulatus est. Sexto Kalendas Iulias portum Fucundam prosperè tenuit. Hic vbi primùm ditus per populum rumor est, Sacerdotem de Societate aduectum; completum est mare fælis ad Lusitanam properantibus nauem, completum & littus, excensum opperiente populo: ac simul exscendit opprimebatur vndique multitudine omnium ordinum, vestes eius, manus, pedes, impressa solo vestigia, multas inter lacrymas, exosculari certantium. Indè, quasi humeris sublatus, duplici præeunte choro, puerorum altero, altero puellarum, hymnum Te Deum suauiter concinentium, in ædem sacram deducitur. Quò venit continuò Ioachinus Toparcha, & à Regulo Bartholomæo vir nobilis occupationes excusans, quòd in præsens ipsemet salutatum, suaque ei cuncta oblatum minùs venisset. Adfuere & Catechumeni quatuor, qui cùm se iam, quod satis esset, tenére catechismi memorarent; precabantur baptismum. Quibus Alexander per interpretem triduo meliùs eruditis, eas tanquam primitias, præcoquasque fruges exuberaturæ maturitatis argumentum Deo libans, magna cum voluptate salutarem vndam impertijt. Indè in Insulam Xiquim, vbi tum Cosmus habitabat, traiecit. Neque hîc concursus, gratulatio, veneratio minor. Cosmus ipse, cum Ludouico Almeida, & Michaële Vazio socijs, duobusque puerorum choris Zachariæ canticum modulatè, pèque canentibus, obuiam venit. Alexander, ad religiosissimi senis, cuius de laboribus, virtutibusque tam multa cognorat, occursum, veneratione plenus in genua procidit, eius pedibus osculum impressurus. Verùm Cosmus nequaquam passus humilitate se vinci, nihilò segniùs imbecilla humi genua ponit: ibi, spectante multitudine, sanctâ contentione ambo humi prouoluti, alter alterius captabant pedes. Abijsset in longum certamen, nisi Alexander tandem comprehensam fortè senis manum satis habuisset deosculari. Tum arctissimè inuicem, suauissimèque de genibus complectuntur, rectàque Deo gratulatum in templum procedunt. Paucis interiectis diebus omnes, quotquot erant è Societate, præter Ludouicum Froëm longissimè in Meaco absentem, Cosmus in vnum coëgit, de rebus Prouinciæ consultaturus. Quo in conuentu cùm se longo interuallo reuisentes, mutuis solati essent alloquijs, rebus pertractatis ad promouendum diuinum opus, in varias distribuuntur Ecclesias. Alexander in Goti Insulas cum Iacobo Consaluio mittitur in locum Patris Ioannis Baptistæ Montani, qui magno cum fructu eam vineam penè biennium excoluerat: & nuper etiam filium Toni nothum, duorum & viginti annorum, indolis optimæ adolescentem, Ludouici nomine impositio, fidelium cœtui inseruerat. Ipse Ioannes Baptista Cocinocum: Melchior Figeredius Funaium est missus: Balthasar Acosta Firandum redijt: Gaspar Villela Fucundam primò ad Lusitanorum confessiones excipiendas, deinde Nangasachum concessit. Id est maritimum Oppidum in ditione Bartholomæi Regis, vbi extremo superiore anno Ludouicus Almeida, vir ad prima Ecclesiarum fundamenta quasi diuinitus ponenda factus, prope septingentos Christo pepererat. Nec multo tempore Villela strenuè opus promouens, ijs ampliùs trecentos adiunxit. De Patre Cosmo vehementer certatum est. Versabatur ille libenter in Xiqui: quippe cùm Insulâ iustæ magnitudinis sit leucas viginti ambitu colligens, tumque duobus Tonis subesset, altero iam Christiano, altero Euangelij progressum nihil morante; breui videbatur posse tota superstitionibus liberari. Et Ioannes Christianus Tonus nullo modo adduci poterat, vt eripi sibi tantum virum permitteret. Quanquàm postea compertum est non eum cælestium, sed terrenorum spe bonorum ductum: cùm lucra ex Lusitanorum commercijs sperata non capiens; deserere religionem impius non dubitauit. Spe igitur in præsens terreni compendij, vt apud se Cosmum haberet, certabat. Verùm Bartholomæus Regulus, multis iam relatis ex hoste victorijs, & pacatis ferè omnino rebus, Omuram eum accersebat: tum vt in illam suarum principem Ciuita-

286 Alexãder Valla quanta lætitia, ac veneratione in Iaponia exceptus.

287 Baptismum petentibus impertit.

288 Eidem Pater Cosmus cum socijs occurrunt.

289 Iaponici Patres per Ecclesias spargũtur.

290 Nãgasachensis Ecclesiæ primordia.

Digitized by Google

uitatem Christum inducere tentum vt filium, quem paulò ante susceperat, sancto baptismate consignaret. Has ob causas profectionem Cosmus adornabat. Quod cùm cognouisset Tonus Ioannes, neque aliter tenère eum posset; nauigandi facultatem vt adimeret, nauigij remos auferri iussit: sed Bartholomæo tandem vrgente, satisfieri sibi Ioannes passus est. Octauo igitur Idus Septembris è Xiqui discedens, Fucundam, dissidia quædam Lusitanos inter compositurus, tetendit. Indè, Lusitanis quinque comitantibus, Omuram venit. Pridie Nonas Octobris cum Socijs, & Lusitanis comitibus ad cœnam adhibetur ab Regulo. Super eam regia coniux primam de religione christiana, Damiano verba faciente, concionem audijt. Post hæc infantulo sacer latex inspersus, & nomen vocatum Sancius. Tum Bartholomæus veritus, ne Omurâ Cosmus abscederet; suorum Procerum conuocato cœtu, quanti apud se sit Cosmus, quantique referat eum Omuræ figere sedem, exponit. Eam ob rem rogat, accedant ad eum supplices, & ad manendum perpellant, recipientes templum se Omuræ christiano ritu condituros. Paruere Bartholomæo Proceres: vtrisque Cosmus. Continuò extruendo templo cura impenditur. Dum illud extrultur, adornato in ædibus diuersorij sui sacello, non intermittebat summi Dei Sacerdos pacem miseris per Sacrosanctam Hostiam expoſcere, Christianos prouehere, & conuenientibus Ethnicis cælestis doctrinæ thesauros aperire, vt tria breui lustra celebriora, primum nonaginta capitum, alterum octoginta, tertium sexaginta peragerentur. Solenni Conceptæ magnæ Virginis die in perducto iam ad fastigium templo sacrificium primum immolatum est, eamque ob causam ab Concepta Virgine templo nomen impositum. Natalitia feriæ magnâ celebritate, quòd primùm id loci ea sacra cernebantur, exactæ. Quod in alijs Iaponiæ Ecclesijs vsu compertum erat, permultùm valere ad docendos pariter, iucundèque tenendos populi animos, vt per ea solemnia nunc ex nouo, nunc ex veteri sacræ Scripturæ instrumento argumenta varia, & historiæ introductis personis, & imaginibus in conspectum darentur; id Omuræ quoquè vsurpatum maximâ voluptate, & admiratione Christianorum pariter, & Ethnicorum. In Meaco adhuc omnia perstrepebant bellis: nec Pater Ludouicus Froës impetrare in vrbem reditum poterat. Id Xinouaradonus Dynasta Ethnicus perstudiosè curabat. Cuius operâ illud expressum interim est, quamuis reclamantibus Bonzijs, vt restitueretur Christianis Meacensibus, aperireturque templum. Quo facto statim eò conuenire ad preces, ac diuina colloquia fideles cœpere. Melchior Iaponius ab Ludouico missus aliquandiu apud eos versatus, cum ceteros omnes concionibus mirum in modum recreauit, tum quinque & quadraginta homines nobiles recèns ad Ecclesiam aggregauit. Interea Ludouicus Sacaij tenens se, indè modò Sangam, vbi Sancius templum extruxerat, modò in alia circumiecta Oppida excurrebat, magno cum Christiani nominis incremento.

291 P. Cosmus ex Xiqui Fucundam, & Omuram se transfert.

292 Omuræ primũ templum extruitur.

293 Conceptæ Virgini dedicatur

294 Natalitijs ferijs Populus sacris historijs recreatur.

295 Meacenses res.

Nouo interim in orbe ad Occidentem Ignatius Azebedius Brasiliæ visendæ negotium vrgens in Sancti Spiritus Oppido, Socios, ne sparsi per pagos calumnijs, periculisque paterent, vnum reuocauit in locum, iussos per interualla pagos reuisere. In vrbe Sancti Saluatoris domum probationis, quam primo suo aduentu inchoauerat, ordinauit, & literarum studia in Collegio ad meliorem redegit formam. Indè, quò propiùs necessitatem gentis, maximasque eius iuuandæ difficultates inspexerat; eò intentiùs noctes, ac dies vias inuestigabat, quibus pereunti multitudini subsidium ferret. Fecerat illi Generalis Præpositus, renuntiandæ visitationis causâ, in Europam redeundi potestatem, siue quempiam, si mallet, ad id suo loco mittendi: ne tot maris, ac terræ discriminibus, totque æruminis, tam longâ peregrinatione iterandâ, vnum caput obijceretur. At ille, incitante animi ardore, atque inexplebili laborum siti; tam vberem, quæstuosamque negotiationem nemini præoptauit, quàm sibi: quòque res magis explòratas, & consilia meliora Romam perferret; prouincialem Sociorum conuentum in Bayensi Collegio habuit: vbi, de communi sententiâ, quæ existimabantur cum ad propagandam Fidem, tum ad Societatem confirmandam in eâ Prouinciâ pertinere, decreta sunt. Sed nimirum plus erat in Ignatio studij, rectæque voluntatis, quàm re-

296 P. Ignatius Azebedius Brasiliæ res componit.

con-

conditioris legum scientiæ: ijs præsertim temporibus, quibus pleraque tum primùm ad vsum reuocabantur. Eum enim conuentum, consilio haud dubiè optimo, nec sanè frustrà habitum, Romani Patres negarunt Visitatori potestatem edicendi fuisse. In Fluminis Ianuarij nouo Collegio Antonius Rodericius die Sancti Sebastiani excessit è vitâ: vir, & Sacerdos, propter insigne iuuandi Brasilios studium, suamque virtutem, & recta vitæ exempla memorandus; de Brasiliâ, maximèque de Ecclesijs circa Bayam optimè meritus. Ipse & ore, & fidibus canere pueros Brasilios docuit: quorum deinde operâ, cum gentis admiratione, in sacris adhibebatur. Quatuordecim in Societate, inque Euangelij prædicatione consumptis annis, duos & quinquaginta natus, ab laboribus inter medios labores placido fine conquieuit. Cum quibusdam Castellanis ad Carisios instituto itinere in Brasiliam cùm veniisset; ibi iam grandis natu militiæ cælestis amore tactus, cum eâ terrenam commutarat. Hoc anno egregium in Floridam subsidium missum, & in Peruuiâ nouæ Prouinciæ successu optimo fundamenta sunt posita. Reuersus in Hispaniam Petrus Menendes è Floridâ, spes rei christianæ amplificandæ in immensum efferens, facilè Borgiam impulit, vt sex in eam expeditionem destinaret, Ioannem Baptistam Seguram, Antonium Sedennium, Consaluum Alamum Sacerdotes, cum comitibus Ioanne Carrerâ, Petro Linare, & Dominico Vaëzio, iussos Peruuiæ Prouinciali Hieronymo Ruitio Portillo subesse, & Vicario ei suffecto Segurâ. Tertio Idus Martias iussu Regis commeatu, ac supellectili sacrâ affatim instructi, octo item adolescentes, quorum in tradendâ christianâ doctrinâ ministerio vterentur, pleroſque Societatis ineundæ percupidos: itemque Floridanos quinque Hispali baptismo initiatos ducentes, è Sancti Lucæ portu soluerunt, simul cum optimo rerum, atque hominum apparatu. Ibat Petrus Menendes iam non Floridæ modò Præfectus, sed & Gubernator Insulæ Cubæ ab Rege creatus, & eorum marium ditioni præpositus. Octauo post die Fortunatas Insulas ingressi, ab vniuersâ Ciuitate, quæ Patris Iacobi Lopij virtute, industriâque commota, Societatis amantissima erat, perbenignè accepti sunt. Solennijs ibi Paschalibus magno cum populi bono exactis, ad Insulam Boriquen ex itinere in portu, quem diuitem vocant, recreati; tertiodecimo Kalendas Quintiles in Floridam appulerunt. Prouinciæ status pessimo erat loco. Quippe cùm res ad vsum vitæ præsidiarijs non nisi ex aliunde conuecto suppeterent, nec benignè conueherentur, nec semper tempori, cùm fretum procellosum sæpè intercluderet aduersa tempestas; cogebat milites suprema necessitas ex indigenis vel volentibus, vel inuitis assumere: quod ijs morte durius accidebat: cùm præ summâ terræ sterilitate, ac rerum penuriâ, ijsdem ipsi angustijs premerentur. Quare ad vim, fraudesque conuersi, si quem exterorum nanciscerentur, parcebant nemini. Et iam Tocobagæ propugnaculum euerterant præsidiarijs extinctis. Tequestanum vix tenebat se. Leui de causa occiderant patruum Caciquæ milites: quo irritata gens, sublatâ Cruce, quam Frater noster Franciscus Villaregius fixerat, incensis tugurijs, recessit ab arce longiùs: occupatisque itineribus, vndè aqua erat petenda; eas in angustias præsidiarios redegerat; vt hinc quoquè præsidium abducere Menendes cogeretur. Haud fortuna alibi melior. In propugnaculo Sanctæ Luciæ, vbi ad trecentos milites Menendes reliquerat, fama fuit, fortè vero, vt solet, amplior, sed tamen ingentis index calamitatis, præ famis intolerandæ rabie, se inuicem voraſse: ita illud quoquè propugnaculum, pariterque Sancti Matthæi conciderant. Præcipuum omnium Sancti Augustini satis numero firmum restabat. Sed milites miserandum in modum nudi, squalidi, fame, frigoreque confecti. Ad hoc propugnaculum Petro Menende, cum Segurâ, Socijsque delatis, tanto humanarum rerum, diuinarumque subsidio repente conspecto, quæ gratulatio extiterit, nemini facilè est, nisi geminos casus expertis cogitatione assequi. Promulgato Iobelæo, christianisque mysterijs Præsidio recreato, cùm rerum statum per se se exploraſset, atque ex Rogerio cognouisset Segura, ad res componendas, Habanam concessit, Dominico tantum Vaëzio, ad solatium militum, & linguam gentis ediscendam, relicto. In eo ab Floridâ Habanam traiectu, aperte si

297 Antonij Rodericij mors, & virtus.

298 P. Io. Baptista Segura & Socij in Floridâ adeunt.

299 Floridæ status deterrimus.

300 Fames intolerandæ.

Digitized by Google

te si vnquam, perspecta Numinis cura est. Si paulò violentior ventus inciderit; nunquam periculo vacat transmissio. Coortâ tempestate Nauclerus diris vocibus, atque exercrationibus contra Deum versus, inter cetera impius querebatur, idcirco (horrendum dictu) tam ipsis malè euenire omnia, quòd Christiani, & Orthodoxi essent: non ita cum Lutheranis, non ita cum Turcis agi. Quas ad execrationes commoti Patres, diuinæ bonitatis insuperabilem improbitate hominum fatigare indulgentiam cœpere, vt daret gloriam nomini suo, pessimique hominis dicta nefanda, non vt ipsorum peccata exigebant, sed benignis factis, & miseratione reselleret. Haud dubiè auditæ preces. Cùm duo irent nauigia, id, in quo impius Nauclerus, Patresque vnà vehebantur, protinus ex eo loco cursum prosperrimum tenuit: illud alterum perdiu iactatum proximè ab exitio abfuit. Ne tamen impio conuiciatori nefaria impudentia videretur cessisse feliciter; subinde Habanâ Floridam repetentem, vnà cum Vectoribus cunctis, ac mercibus, eodem prope loco, vbi paulò ante execranda euomuerat verba, fluctus vindices hauserunt. Pater Segura, atque Socij, vbi venerunt Habanam, consultant inter se diligenter, quâ maximè viâ, & vocari ad religionem indigenæ, & adiuuari Hispani milites possent. Omnium primum visum Seguræ est, Habanæ Collegium Societatis instituendum. Nam cùm haud ampliùs viginti leucis ab Floridæ procursu, cuneoque distet is portus, eumque classes, quæ ab nouâ Hispaniâ, quæ ab Peruuiâ, quæ à nouis terris aperiendis redibant tenerent; nec pauci in Insulâ, vtique iam christianâ, ac suum habente Episcopum, politiore cultu, homines degerent; magnus quoquè mancipiorum numerus transuectus ex Aethiopiâ, magna ostendebatur, ac multiplex operæ cum fructu ponendæ materia. In eo tamen præcipuum videbatur momentum, vt ibidem pœdagogium conderetur, in quo primorum Floridanorum filij literis, & christianis moribus imbuerentur. Consilium Menendes supra modum probabat, ac pollicebatur daturum se operam, vt Collegium Rex copiosè instrueret. Hanc ob causam domo non incommodâ, quâ vterentur: atque æde sacrâ sancto Ioanni dicatâ precario impetratis; Rogerius ibi relictus est: ceteri reuecti in Floridam, & Consaluus Adamus in prouinciâ Caroli, cum Francisco Villaregio collocatus. Antonius Sedennius Gualæ cum Dominico Vaëzio. In Neophytis ex Hispaniâ reportatis erat Tegueſtani, Cacique frater, Iacobus nomine, quem eius populares occisum ab Hispanis ante suspicati, vbi viderunt incolumen; vehementer exilarati, redintegrandæ amicitiæ consilium susceperunt. Eò Segura cum Præfecto Menende contendit: fœdusque cum Rege Catholico renouatum est: & Crux eo loco, vbi nuper steterat, è duplici refecta pinu eximiæ proceritatis statuta est. Philippus quoquè Caciqua Prouinciæ Caroli, qui ad Menendis reditum christianum se cum suis forè promiserat; spem faciebat impedita adeo rerum exordia prouentus habitura commodiores.

301 Prouidentiæ diuinæ illustre documentum.

302 Blasphemi exitium.

303 De erigendo Habanæ Collegio agitur.

304 Patres per Floridam distributi.

305 Crux in suum locum honorificè restituitur.

Verùm quàm in Floridâ laborioſi, sterilesque conatus fuerunt; tam accessus pronos Peruuia, lætosque diu processus habuit. Hieronymus Portillus, & Socij ad eam fundandam Prouinciam superiore anno ex Hispaniâ profecti, diebus septem, & quadraginta, mille & quingentas emensi leucas, nouam Carthaginem, Regni noui Granatæ portum venerant. Ibi magno plausu, & commodo incolarum, paucis diebus exactis, tertio Nonas Ianuarias soluerunt, & portum, quem nominis Dei appellant, quarto post die tenuerunt. Magistratus, & vniuersa Ciuitas (eodem quo portus est nomine) obuiam effusi occurrerunt: id se facere confirmantes, quòd beatum ducerent eum diem, quo Societas Iesu in eas regiones pedem inferret. Tum deducti ab vniuersâ multitudine rectà in templum princeps, indè in diuersorium, quod factâ optione, è tribus ipsimet propter contiguam ædem sacram delegerant, introducti. Amabile inter Ciues benignitatis certamen extitit. Sed Patres, quia ex regio diplomate cumulatè subministrabatur quicquid opus foret; priuatâ liberalitate nullâ in re vsi. Portillus, quò blandiùs tanta animorum propensio inuitabat; hoc studioſiùs speculatus, qua maximè posset re beneuolentis populi commoda augere; in suggestum progressus, duo

306 Patris Hieronymi Portilli in Peruuiam profectio.

307 Res gestæ in oppido Nominis Dei.

præ-

Digitized by Google

præcipuè commendauit. Primum, vt quoniam multi fine vllo præsidio ægrotabant, locusque est valetudini aduenarum infestior, Nosocomium adornaretur: nec ante sacrum, inter quod dixerat, est peractum; quàm mille ducenti aurei in eam rem conferrentur: quibus continuò vnus Mercatorum pro se mille adiecit. Deindè commendauit, vt Sodalitium instituerent Nominis Dei: vt quandoquidem id erat Oppido nomen; etiam præcipuo studio eius veneratio curaretur, eique se deuotam Ciuitas testaretur. Atque id quoquè Sodalitium sine morâ conflatum est. Aegrè indè dimissi, Panamam terrestri pergunt itinere duodeuiginti Leucarum, sed in primis difficili, & impedito asperitate, amnibus, syluis. Isthmus ille est, qui Meridianas Americæ partes, cum Borealibus nectens, terrarum recèns inuentam molem in peninsulas duas figurat. Quippe inter veterem hunc nostrum, & nouum, vt vocant, mundum, similitudinem notare non modicam licet. Vterque ingens creditur Insula esse, Oceano vndique alluente, vti iam exploratum aiunt. Vtraque Insula ita facta est; vt binis peninsulis constet. Tum ipsas inter peninsulas simlitudo intercedit, & positu, & formâ. Nam vtrobique maiores in Septentriones spectant, minores in Austrum vergunt. Ita plurimum terrarum ad Septentriones patet. Ac minores eo quoquè conueniunt, quòd vtraque figuram triquetram imitatur: ita, vt, tergo in Septentrionem latè expanso, frontem in Meridiem longè exporrigant, sensimque extenuentur, donec Africa bonæ spei promontorio terminetur: & meridiana America in fretum Magellanicum desinat. In huius peninsulæ, quà meridianam Americam contineri dicimus, latere, eo quod solem Orientem spectat, & Africæ obiacet, Brasilia sita est: in aduerso occiduo, quod nullo terrarum interpositu Oceanus meridianus excipit, Peruuia iacet. Ergo vbi Panamam ventum est, ad Septentrionem ire pergenti, noua Hispania occurrit. Qui cursum in Austrum flectit; primùm Castellam, quam vocant auri, tum Peruuiam inuenit. Ita Panomam confluentes vndique Mercatores Hispani, Peruui, Mexicani, & aliarum circa terrarum frequentant. Senatu quoquè Regio, & Forensi consilio decoratur. Huc aduentare Socios allatum cùm esset, pro sua humanitate Ciues, Regijque Magistratus publicum occursum parabant. Sed Portillus religiosæ tenax modestiæ, occultè vrbem ingressus, anteuertit. Diuersorium apud Franciscanos præparatum inuenit. Rogatus, vt in supplicatione percelebri, quæ postero die in sancti Sebastiani solennijs habita est, verba faceret; minimè tergiuersandum putauit. Cùmque opportuno loco negotiatorum tractasset pericula, & ostendisset iniqua exercentibus lucra, perquè iniuriam parta retinentibus, quàm prorsus omnis in cælum esset occlusus aditus; tantum dedit pondus sui præconis voci diuina virtus; vt, cùm eadem multis annis pro concione decantata audissent; tamen noui concionatoris terribilibus minis altè in pectus admissis, tanquam consternati, clamitarent: se quidem saluos fieri velle, ac rerum potiùs omnium, quàm animæ detrimentum facere. Nec verò dixere fortiùs, quàm fecere constantiùs. Multi non ante sumpserunt cibum, quàm tabulis recognitis, rationes cum Deo composuissent. Immensa itaque pecuniæ vis, pondo ampliùs quatuordecim millia (octonis ibi argenteis, vno ampliùs in Peruuiâ singula pondo æstimant) redhibita iustis est Dominis. Fuit qui ex vnâ duntaxat pactione iniquâ mille quingentos aureos reddidit. Alij continuò negotiationes, quamlibet quæstuosas, quòd implicitam haberent iniuriam, abiecerunt. Nec contenti perperàm facta retexuisse, nisi prouiderent in posterum, & Satanæ laqueos præcauerent; adeunt consensu Portillum, orant, & obtestantur explicet ipse, præscribatque, quæ negotiorum, saluâ conscientiâ, tenenda sit forma. Aderat Panamæ, venerando Prædicatorum ex ordine, Generalis nouum per Orbem suæ familiæ Vicarius, eidemque Visitator, cum Peruuiæ Prouinciali, & aliquot egregiè pijs, doctisque Fratribus. Qui, cùm ex portu Nominis Dei, eodem, quo Portillus comitatu, venissent (vt facilè inter bonos fit) maxima inuicem caritatis erat contracta necessitudo. Cum his Portillus, pro rei grauitate communicato consilio, adhibitisque Mercatorum è numero peritissimis, salutisque æternæ cupidissimis quatuor, iustas quasdam negotiorum formas proposuit,

308 Portilli in dicendo efficacitas.

309 Noui Orbis cum veteri similitudo.

310 Peruuiæ situs.

311 Panamæ res à Portillo gestæ.

312 Mercatorum studia in negotiis iustè instituendis.

213 Portillus iustam negotiorum formam instituit.

posuit, quas libenter omnes amplexi, ijs exinde se vsuros receperunt: quamuis nonnulli dicerent propemodùm deploratam habere salutem suam, nisi sedem Panamæ Societas fixisset. Alij interim Socij aliorum vsitatorum Ordini munerum specimen dabant: quanquàm, pleriſque grauis occupatio ex malâ valetudine fuit. Sed inter cetera industriæ documenta ex Aethiopicis mancipijs mille, & quingenta capita cùm noëgissent; perque vrbem catechismum canentes longo agmine ducerent; non solùm complebantur viæ, feneſtræque viris, ac fœminis, pueris, ac senibus; verùm etiam è lecto ægroti ad nouum se spectaculum deferri iubebant. Appetebant iam Cineralia, & Ciuitas cùm Consilium Regium in Hispaniam scripsisset Philippum rogans, vt aliquot de Societate iuberet Panamæ subsidere; illud conatu omni tentabat, vt saltem in solenne eius ieiunium moraretur. Fabri nominatim lignarij, & alij quidam, communi habito inter se consilio, domùm, ac templum suo sumptu extructuros pollicebantur. Ceterùm quia Limam pergere iussi erant; relicto Panamæ Ludouico Medinâ, qui Patri Antonio Aluario grauiter ex morbo decumbenti adesset, & recepto in Societatem indè Alfonso Petrio Lusitano, magni deinde vsus fabro lignario ad ædificanda Peruuiæ Collegia, pridie Dominicæ sexagesimæ profecti, sexto, ac trigesimo die Callaum portum, vndè duabus vrbs Lima leucis abest, intrarunt, inauditâ ante id tempus celeritate. Nam quanquàm leucas, non vltra quingentas ab Panamâ Limam directa Regio colligit; quia tamen aduersùs austrinos ventos tenditur, qui ea maximè tenent maria; ad excipiendos, eludendosue illos adeo magni, ac frequentes necessarij erant excessus; vt cui bimensis per id tempus nauigatio contigisset, prosecundissimâ haberetur. Ceterùm non modò tempestate prosperrimâ in Peruuiam Deus Societatem, sed & mirabili tempestiuitate peruexit. Nam ad id loci ex anno salutis humanæ millesimo quingentesimo trigesimotertio, cùm primùm cœpit in potestatem Hispanorum redigi, per annos complures non subigendis modò gentibus, sed & ciuilibus inter ipsos Hispanos bellis omnia turbulenta fuerant. Iam verò positis armis, constitutis colonijs, nihil aptandum restabat, nisi vt mores componerentur. Non deerant è Cœnobijs, neque è Clero pij quidam, doctique, & accurati cultores animarum: sed pro magnitudine, atque difficultate operis, proque eorum numero, qui potiùs sua, quàm quæ Iesu Christi quærebant, erant sanè perpauci. Igitur auri copia (nulla enim ditior inuenta prouincia est) impunitas, dominatus, bella, illecebræ peccandi ab loci ingenio, & indigenarum opportunitate, ita genus omne mortalium, cunctosque ordines, & ætates corruperant, vt iam ipsosmet pigeret sui, puderetque. Tergemina illa mundi pernicies auaritia, superbia, intemperantia haud facilè vsquam latiùs grassabantur. Hi rem quoquomodo facere: illi per iniquitatem parta flagitiosè absumere. Fœminarum cura omnis in luxu, mollicieque, & pigmentis, & saltationibus. Iuuentutis cultura nulla: mysteriorum vsus quamminimus. Miseros homunciones inuentis auriferis terris obliuio prope cœperat cæli. Nondum tamen omnino decesserat medicinæ, si afferretur, suscipiendæ voluntas. Erant qui Societatem in Europâ norant, alij auditione acceperant, genus hominum esse totum in alienam salutem intentum: operatum iuuentuti formandæ: terere Nosocomia: adire custodias: adesse moribundis: omnia iuuandis omnibus experiri. Quos inter sermones audiebantur interdum vota gementium: his enimuero Peruuiam hominibus indigere; id mala sua remedij postulare. Quid ita, vt extrema Orientis adijsse dicebantur, non item adirent Occidentis? Hic status rerum, & animorum præparatio talis erat, cùm fama manat aduectos tandem, & in portu adesse. Incredibilia animorum studia ad eum nuntium extiterunt: è vestigio accurritur. A Prorege, ab Archiepiscopo salutatores, cum iumentis, quibus inhærentur: item Magistratus, & Ciuium sodalitates, cum populi ingenti numero, ad introducendos in vrbem adfuerunt. Sed, & huic Patres celebritati clanculum vrbe initâ, subduxere sese: Patresque Dominicani, quos paulò ante memorauimus, cum quibus venerant, ad sese diuertere coëgerunt. Tum certatim salutatum accursum tanto studio, vt nec è religiosorum vllâ domo, nec è Clero, nec

314 Mancipiorum agmé catechismum canens per vrbem ducitur.

315 A Panama Limam nauigario quamcelerrima.

316 Peruuiæ status.

317 Lapsi fœdè mores.

318 Societas cupidissimè excepta.

319 Portillus cõciones instituit.

nec Ciuium honoratiorum quisquam cessandum sibi putarit. Producitur & ad concionem Portillus in sancti Dominici, qui primus illuxit Domino feriatus dies (is fuit quintusdecimus ante Pascha dies, cui à Passione nomen) Prorex, Archiepiscopus, Magistratus omnis, quicquid nobilitatis Limæ erat, interfuit. Exposuit inter cetera quid Societati propositum esset: quid petitum in eas oras venisset: preces popposcit, vt in suam gloriam Deus omnia, communemque salutem dirigeret. Visi sunt Angelum audire: eodem die secundùm meridiem, itemque postridie, qui sancto Vincentio sacer erat, maiori semper approbatione auditur. Omnia videbantur vero maiora. Trahebantur & illa in expectationis pignus, quæ fortasse casu euenerant, & interpretationem quoquè diuersam capere poterant: quòd cùm è naui descenderent; sol defecisset: cùm primùm Portillus suggestum ascenderet; terra mouisset. Aiebant timendis Dæmonis argumenta esse: quod eò quadrabat magis, quòd Peruuis Idololatris pro Deo sol erat: & syderis defectio exctintionem superstitionis: ofemor terræ concussum terrenorum pectorum diuinis facturum vocibus indicaret. Tantis ordinum omnium studijs, tamque præter solitum secundo fauore erectus in solicitudinem Portillus, ad conuocatos Socios talem orationem haud penè verbis, quàm lacrymis pluribus instituit. Plurimùm velim Patres, Fratresque hunc nostri itineris cursum, hanc, qua sumus excepti, expectationem Ciuium, ac populi gratiam oculis intueamur non carnis, sed spiritus: illis nempe, qui non id, quod natura temerè appetit, eique dulce est, sequuntur: neque in externâ specie consistunt; sed intima rerum considerantes, momentis quidque suis expendunt: quid commodi, quidque simul incommodi inesse possit; explorant: ac super omnia cum similibus alijs conferentes euentibus, qui sibi sperandus exitus sit, augurantur. Si nobis id modò, quod in externâ patet imagine, quod in cortice, & extimâ cute lucet, considerandum esset; haberemus profectò vndè gauderemus: quando res ad id loci nostræ sic euenerunt, vt nunquam ausi essemus optare. Verùm si morem intuemur in suis mittendis nuntijs Deo visitatum; non minùs credo hac prosperitate, quàm gaudere vulgus soleat, nos dolebimus. Equidem magnopere fateor timere me, cùm adhuc id, quod opus fundat, quodque præseminat fruges, oppugnationes, infectationesque in hoc accessu nostro non videam. Quem enim Prophetarum populi, ad quos missi erant, infectati non sunt? Ipsi filio Dei quò pacatus, & sine vexatione fuit accessus? Nec Apostolis aliam conditionem præscribit: Si me persequuti sunt, & vos persequentur. Quod calamitatis, quod ærumnæ genus est, cuius expers Doctor gentium fuerit? Quid (vt propiora nobis intueamur) Ordinis nostri parens non pertulit? Tum plerique eius filij, fratres nostri, quò non per aduersa, & obstantia adiuerunt? Quid ergo spei, solatijque nobis sit dum talia desunt, contraria abundant? Iter prosperum in paucis: celeritas ante inaudita: gentium ex itinere fauor: huius amplissimæ Ciuitatis effusa benignitas: existimatio, tanquam aliquid essemus! omnia denique ita prona, ac sine offensione; vt nobis Deus, quasi lacteum mare præbuerit: & in humeris nos suis portauerit: nec quicquam nocere nobis, aut obstare passus sit. Quæ cùm ita sint, nequaquam socordes nos decet esse, sed maximè attentos, & diligentissimè videre, quid per hæc postuletur ex nobis. Ac primùm quidem, quòd imbecillitati nostræ consulat summa illa clementia, & tanquam solido cibo nondum aptos lacte pascat; totque beneficia congerat in immerentes; gratissimam rependere nos æquum est memoriam, & ab gratiarum actione nunquam desistere. Deinde præparemus animos necesse est, in certamen, quodcumque subboriri possit. Haud enim rarò qui abfuerint in mari, existunt in terrâ fluctus. Tempora sua sunt, vt rerum aliarum, ita procellarum, ac turbinum: quæ sapientissima illa bonitas eâ ratione dispensat, qua maximè ex vsu nobis futura sint. Nec fumus obliti Saluatoris ipsius triumphalem in Hierusalem ingressum, & paucis intermissis diebus acerbissimum in Caluarium egressum. Super omnia autem velim, Fratres, humilitate nos summâ, ex animi toto sensu deijciamus: quicquid istud est humani fauoris nihili æstimantes, nec in eo fiduciam

320 Fauor populi omnia in bonam partem accipit.

321 Verba Portilli ad Socios, quo modo vtendũ secũdis rebus.

Digitized by Google

ciam efficiendarum rerum ponentes; nec nobis quicquam indè tribuentes, tanquam aliquid simus, cùm simus nihil: sed hac indulgentiâ Dei, ad modestiam augendam, ad exercendam vltro patientiam, ad intendendos labores, ad maiorem in rebus omnibus vigilantiam, vtamur. Talia Portillus haud maiore differebat submissione animi, quàm audiebantur. Veris enim Christi discipulis insita semper Magistri vox aures personat cordis, vt omnia cùm fecerint, seruos se inutiles ferant. Tam longæ enim nauigationis molestias, relicta quæcumque leuamento erant in veteri orbe, itineris cum alia pericula, tum valetudinis: adhæc quæ instabant in illo terrarum Orbe subeunda; nouam vitæ degendæ rationem, nouas ediscendas linguas, indigenarum ferendos mores nullo ducebant aduersarum rerum numero. Ita omnia, vel ingens ardor maiora pro Christo patiendi, vel illa Ciuium tanta benignitas alleuabant. Nihil iam longius videbatur Limensibus, quàm vt Patres constitutos in ædibus suis viderent. Ergo breui Regij Præsidis Castrij ante alios (nam Prorex vixerat) sedulitate, Regiâque magnam partem impensâ, opportunissimo vrbis loco situs amplus, duobus interfluentibus riuis amœnus emitur. Dumque Ciuium hi cœmenta, hi operas, alij pecunias certatim conferunt; temporarium templum extruitur, in quod Archiepiscopus magnâ ceremoniâ diuinum Christi Corpus primùm intulit: & Collegij ædificatio, eodem auspicante Antistite, inchoatur: eâ omnium propensione; vt qui quidpiam in eam contulissent, magnum se feciſſe lucrum putarent. Quin etiam iuuit vehementer ædificationem Deus, vocatis ad Societatem aliquot ædificandi magistris: & inter ceteros nobilissimo vno, ad quem cuncta Ciuitas in eo genere palmam deferebat. In suas vbi Patres migrarunt sedes; quò res constantiùs, & ordine gereretur; Portillus sua cuique Sociorum diuisit munera. Rectorem Iacobum Bracamontium dixit: simul inuisere Hispanorum puerorum scholas iussum, & Peruuorum filios catechismum docere. Michaëlem Fontium Nouitiorum Magistrum instituit, atque confessiones, præcipuè mulierum, excipere, & docere grammaticam iussit: quæ summa Limæ eâ tempestate disciplinarum erat. Ludouicus Lopius spiritus exercitationes proponebat, aderat morientibus, explicabat catechismum mancipijs Aethiopibus. Ipse Portillus familiaribus collocutionibus, quotidianisque nunc per templa, nunc per custodias publicas, nunc per Nosocomia operam concionibus dabat: expectationem omnium, quanquàm summam, longè transcendens. Respondebat consulentibus: Canonicis in æde maximâ scholam è Pontificio iure explicabat. Super hæc, vbi ferebat vsus, omnes tentabant omnia, apertissimo documento: ad egregia facta non multùm obesse paucitatem hominum, si multa sit virtus. Quanquàm & illud verum est, spirare vbi vult diuinum spiritum: ac sæpè non aliam apparere causam, cur Deus hosce potiùs, quàm alios adhibeat administros; nisi quia æternæ, summæque rationi sic placitum est, vt nequaquam ei, cuius potissimum vtatur operâ, gloriandi sit causa, tanquam singulari emineat sanctitate: cùm dona huiusmodi publicè vtilia, quæ gratuita vocamus, non in suum cuique commodum, sed in alienum dentur. Pater Antonius Aluarius, quem Panamæ grauiter ægrotantem relictum dixeramus, paucis diebus excessit è vitâ. Egerat in varijs Societatis laboribus annos circiter duodecim: quatuor vota erat professus. Zamoram habuit patriam. Cùm aliquid magni semper optasset Christi causâ efficere; in ipso conatu occubuit. Ludouicus Medina, post Aluarij finem, iter in Peruuiam prosequutus, socijs se se adiunxit. Itaque septem ex Hispaniâ profecti supererant: tres Sacerdotij expertes, quatuor Sacerdotes: qui dum omnes pro suâ virili nauant operam; mira omnino in amplissimâ illâ, ac principe Peruuiæ Ciuitate morum commutatio paucis mensibus effecta est. Vrbs erat recèns à Francisco Pizzarro Peruuio domitore fundata annis ante circiter trigintaquinque. Ab alluente flumine Lima, à principatu Vrbs Regum nomen habet. Hominum incolebant genera præcipuè tria, Hispani, Peruui indigenæ, & aduecti ex Aethiopiâ serui. Nam ex orâ Africæ, quam Guineam vocant, alijsque Aethiopiæ partibus incredibilis abducitur mancipiorum numerus, quibus Brasilia, & noua Hispania, & Peruuia, demum America prope omnis:

322 Magnæ caritati omnia videtur prospera.

323 Templum, & Collegium Limæ inchoatur.

324 Pater Iacobus Bracamontius primus Limensis Collegij Rector.

325 A Nostris varia munia cum laude exercetur.

326 Virtus hominum paucitati supplet.

327 Dono proficiendi in proximis humiliter vtendum.

328 Pater Antonius Aluarius Panamæ mortuus.

329 Limæ vrbis ædificatio.

330 Aethiopes ex Africa in nouum Orbem inuehuntur.

Digitized by Google

neque ea modò, sed & Indiarum, & extremi Orientis pleræque oræ complentur. Hoc igitur tertium erat Limæ incolarum genus. Penes Hispanos & diuinarum regimen, & humanarum rerum erat. Quorum alij ex Hispaniâ profecti, alij ibidem orti erant: siue vtroque hispano parente, siue barbaro altero, quos mistos appellabant: Hybridæ à nobis dicentur. Singula hæc hominum genera, præter communia vitia, suis vrgebantur. In indigenis, & mancipijs maximè ebrietas: ad hæc reliquiæ multæ pristinæ superstitionis vigebant. Oriundos ex Europâ, sed ibidem procreatos, Hybridasque inconstantia, ac leuitas, ac ferè parentis vtriusque vitia sequebantur. Patres singula homnium genera singuli aggressi, in suâ quodque officij parte studebant excolere. Quippe tum corpus habet optimè, cùm membra rectè valent. Portillus Primores præcipuè, Clerumque, & capita tractans, nihil non auctoritate efficiebat. Vel ab quadringentis leucis eius potissimum famâ exciti homines, medicinam suis animis inuenturi, Limam accurrebant: cùm de Portillo interrogarent, cælestem hominem appellantes. Eius è loco superiore vox concutiebat audientium pectora, ac terrore complebat, vt auribus tinnientibus, ac noua quisque ab auditorio domum consilia coquens rediret. Feriâ quartâ propriam domi cohortationem habebat ad multos de nobilitate adolescentes, quos comitate, virtutisque suæ opinione ad audiendum pellexerat; ac sæpè secundùm cohortationem vniuersos deducebat ad Peruuiorum Nosocomium: Vbi iuuenes paulò ante infrænes, perque desidiam, atque licentiam educati, pallijs, atque ensibus positis, visendâ sedulitate, ferendis cibis, sternendis lectis, purgando pauimento, consolandis iacentibus, ministeria seruorum obibant, stupentibus ægris, eos, quibus tributum penderent, quorumque ferociam, vsque adeo nuper horrebant, iam sibi tam comiter famulari. Non segniùs in suâ socij ceteri parte muneris desudabant. Adibat Rector singulis hebdomadis tres literarum præcipuos ludos, exercebatque ibi pueros tum pijs cantiunculis, tum mutuis interrogationibus de christianâ doctrinâ. Illi die sabbati cunctis è scholis separatim agmine, cum suâ cruce, per vrbis vias elementa fidei pio canentes modo, ad Collegium ventitabant. Sicubi diuersæ scholæ sibi occurrerent, inuicem magnâ voce salutabant: Laus Iesu Christo, Fratres. Postquam in templum conuenerant, suo vnaquaque classe loco constitutâ, appositisque modestiæ custodibus, concertatione, cantuque exercebantur, additâ ad extremum accommodatâ ætati commonitione. Nulla, postquam pias cantiones edocti sunt pueri, profanarum cantilenarum, quibus antea noctes, diesque domus, & viæ strepebant, longo tempore audita fertur: & magnum cunctis in domibus ab horum innocentium pietate allatum præsidium est. Quippe puro pectore, pijs monitis exceptis, non docebant modò, quæ didicerant; sed etiam obiurgabant domesticos, si vel rixantes, vel iurantes, vel petulanter loquentes audissent. Hunc in modum Bracamontius teneram Hispanorum puerorum formans indolem, haud minore studio ad iuuandos Peruuos insistebat. Ad tria millia conueniebant; cùmque fœminæ templum occupassent, area viris complebatur: statuebaturque ita suggestum, vt doceri vtrique possent. Atque hi quoquè singulis diebus dominicis per compita vrbis instructo ordine cum catechismi cantu deducebantur. Præibant eorum pueri cum Cruce, tum adulti subibant. Reducti in Collegij templum Hispanicè, ac Peruuicè docebantur. Addiderant enim Societati se quidam Peruuicè scientes: atque hi non nullos præcipuo studio domi pueros erudierant, vt mirâ cum voluptate à popularibus suis audirentur. Eodem tempore Pater Ludouicus Lopius catechismo Aethyopum seruorum occupatus, plus bis mille per vrbem item cantantes ducebat, prælatam Crucem sequentes: qui si in Peruuorum agmen incurrerent; salutabant eos vocibus magnis, viciſſimque ab ijs salutabantur, qua supra demonstratum est formulâ, Laus Iesu Christo: inque templum princeps initiò ductos (nam deinde duci ad Collegium cœpti) catechesi, atque conciunculâ christiano modo fingebat. Et sanè ex his catechismis longè non solùm operam, sed & opinionem superabat prouentus. Solebant ante Peruui iuxtà, Aethyopesque, per intemperantiam, atque ebrietatem, quibus perditè dediti sunt, in saltationibus impudi-

331 Variarum gentium vitia varia.

332 P. Portilli occupationes.

333 Iuuenum ardor in Nosocomiorum ministerijs.

334 P. Bracamontij labores.

335 Puerorum bene instructorũ fructus.

336 Catechismi celebritas.

337 Patris Ludouici Lopij industriæ fructus.

cis

cis traducere dies festos: à quibus vitijs, ac lusibus, tam facilè ad cathechismum vertebantur; vt ad vnum Patris conspectum, intermisso tripudio, turmatim ad signa Crucis conglobarentur. Sæpè etiam, ante serui leui de causâ fugiebant in montes, vel se ipsi inter se diuexabant. Qui postea, ingenuo Patrum erga se amore perspecto, si quid vel timerent ab dominis, vel à conseruis desiderarent; eos disceptatores, deprecatoresque interponebant. Atque adeo, qui iam fugissent, præceptâ spe veniæ, meliorisque tractationis, è syluis, ac montibus ad dominos vltro redibant. Hæc dum Ludouicus curat, Pater Michaël Fontius circiter quadraginta nobilibus adolescentibus grammaticam explicabat: ceteris, qui se plurimi offerebant, exclusis: quòd ab ceteris curis otium magistro non relinquebatur, maximè in instituendis domi Tyronibus occupato. Vbi enim tantum Societatis celebratur vbique nomen, nouitate quoquè, vt assolet, conciliante gratiam: & opera tam publicè, priuatimque est salutaris, multos insignes viros eiusdem instituti cupido cœpit. Præcipui fuere Ioannes Toscanus, vir ætatis, atque auctoritatis venerandæ, principis Ecclesiæ Decanus, qui oblatum sibi Episcopatum repudiarat: Petrus Mexia inter Senatores regios primarius: Franciscus Lopius Regij consilij Secretarius: Antonius Consaluius in aulâ demortui Proregis magnæ existimationis: alijque ex omni fermè hominum genere: ingens ad incrementa rerum momentum: quibus instituendis attributâ secretâ ædium parte, eâ curâ dabat operam Fontius, qua fundamenta oportebat poni. Talia cùm viderent, immenso boni omnes gaudio complebantur: sed Antistes ante omnes Hieronymus Loaysa sacro Prædicatorum ex ordine, doctrinâ, virtuteque nobilis, primus Peruuiæ iam tum ante Societatem natam Archiepiscopus. Qui cùm eam recentem, vt prorsus incognitam, Peruuiæ aditu arcuisset; iam palàm se errore deceptum profitens, vehementer aiebat formidare, ne pœnas Deo, ob eam iniectam moram, persolueret. Quæ præterea de ipsâmet Societate, deque vtilitate per eam publicè allatâ deprædicaret; quia supra modesti scriptoris materiam sunt, nihil est quòd scribantur. Hinc excitati Antistites alij, atque in primis Popaianensis, qui iam dudum instabat, tum Quitensis, Chilensisque magnis precibus aliquem Sociorum numerum postulabant: nec vllum, quamuis maximum, vel se recusaturos, vel paratæ messi fore parem aiebant. Quo magis nouo Sociorum auxilio cumulata gaudia sunt, quòd, instante Rege, qui ab suis indè cognouerat nihil fore validius ad Peruuiam pacatè obtinendam, quàm de Societate adesse quamplurimos; anno, quem iam exordimur, submissum est.

338 Patris Michaëlis Fontij cooperatio.

339 Adiuncti Societati in Peruuia viri egregij.

340 Hieronymus Loaysa Peruuiæ Antistes Societatem æstimat, ac laudat.

341 Alij Antistites Societatē desiderant, ac petunt.

Digitized by Google

HISTORIAE SOCIETATIS IESV
LIBER QVINTVS.

1 Prouinciales noui.

INITIO anni, Prouincialium veterum peracto triennio, noui iam ante designati munus inierunt, in Castellanâ prouinciâ Aegidius Consaluius, in Toletanâ Emmanuel Lopius, in Aragoniâ Antonius Cordesius, in Boeticâ Ioannes Cannas, in Siciliâ Ioannes Montoia, qui eam Prouinciam recognouerat Visitator: cùm Paulus Achilles, qui Prouincialis designatus erat, seriò id munus conscientiâ, vt aiebat, imparis facultatis, sed pariter modestiæ studio recusasset. Superiori Germaniæ Paulus Hoffæus ordinariâ potestate traditus, qui iam plus anno Canisij vices obibat, vt is confutandis Hæreticorum Centurijs, quod Pontifex ipse nominatim opus iniunxerat, totus vacaret. De ceterarum prouinciarum Præpositis nihil mutatum. In Longobardiam Petrus Ribadeneria Visitator missus: in Galliam Euerardus Mercurianus, qui Aquitaniam simul, & Franciam inspectaret. Namque Natalis per tumultus bellicos, quòdque Romam properare iubebatur, non nisi leuiter Gallicarum Prouinciarum res cognouerat: quæ tamen haud modicam poscebant curam, præsertim Aquitania, cùm Præpositus Augerius iam diu publicæ pietatis causâ peregrinaretur. Boeticam quoquè, cùm haud totam visendi Bustamantio fuisset copia; Ioannes Suarius peruisit. Quippe Borgia domicilium nullum, ne dum Prouinciam, volebat reliquum fieri, quod non & ordinarij Prouinciarum Curatores, & certi ab se extra ordinem legati Spectatores adirent, ex quibus ipse diligenter de statu rerum edoceretur. Et quoniam adhortari singulos, atque instituere coram ipse pro voto nequibat; id epistolâ, traditum ab Apostolis, alijsque sanctis viris, ac propriè à Sancto Patre Ignatio morem sequutus, præstitit. Cuius sententia ex autographo hispano est talis.

2 Canisius contra Centuriatores scribit.

3 Visitatores.

4 Borgiæ cura in Societate inspectanda.

5 Eius epistola pastoralis.

Vehementer, inquit, Procuratorum Patrum aduentu lætatus in Domino sum, recognoscens quàm benignè conseruat Diuina Maiestas, augetque suæ huius vineæ fructum. Quæ, quamuis nouella, extendit iam palmites suos vsque ad mare: quòque latiùs propagatur; eò manifestius fit grano sinapis Euangelico similem esse, quando tam paruâ ex origine iam tanta succreuit arbor per Domini opem: qui respicit famulos suos ita clementer, non modò, vt quæcumque faciunt, prosperentur; sed & successus longè spem, quam initia pollicebantur, exuperet: & nostra sæpè nobis incogitantia salutaris magistra fiat, & insectationes grauissimæ proficiant in alimenta virtutum. Itaque gratias sine intermissione agentes, & laudis hostiam immolantes summæ bonitati, tum quòd vineam talem hoc tempore, atque ad huiusmodi fructus conseuit, tum quòd nouis eam rigare donis non intermittit, incrementi magnitudine misericordiæ in eâ conserendâ, atque rigandâ liberalitatem testante, precemur, vt sit splendor Domini Dei nostri super nos, & opera manuum nostrarum ipse dirigat. Verùm, quia ferè ita euenit, vt zizania cum tritico simul existant; verendumque est, ne quantò est lætior bonæ segetis vigor, tantò acriùs inuidos inimici hominis vrat oculos, & ad nocendum improbitatem extimulet; eoque magis nos vigilemus necesse est, ne teterrimo seminatori, qui nunquam consopitur, ad bonas fruges, agrumque perdendum aditus vnquam pateat; visum est mihi nonnulla, pro mei muneris, & caritatis officio, admonere, ne sceleris arguar, si tacuero. Nam vt in præsens adeo necessaria non sint; forsitan & hæc olim iuuabit meminisse. Cælestia quidem dona ita recipi conuenit, vt quantò sunt illa maiora; maior tantò sit metus, ne inueniamur ingrati. Beatus homo, qui semper est pauidus. Ad hæc iacula præ-

6 Benignitas Dei erga Societatem.

7 Vigilantia necessaria.

uisa

uisa minus ferunt. Primum itaque illud sit, vt in communicanda Societate constitutionum mens, ac spiritus conseruetur. Nam si hac in re diuersa ab Instituto nostro habuerit locum opinio; ea euertendæ familiæ porta erit. Fac enim doctrinæ hominum tantùm, & naturæ ornamenta spectentur, parum habitâ ratione vocationis, ac spiritus; tempus erit, cùm multum literarum habeamus, pietatis nihil. Indè ambitio, indè superbia immigrabunt: nec erit, vndè coërceantur. Eodem modo si pecunia petitori, genuſue suffragetur; erit post paulò Societas pecuniæ diues, inops virtutum. Scribatur ergo præceptum hoc in capite libri, ne quando, quod ratio præuidet, doceat vsus. Atque vtinam ipso quoquè experimento nunquam didicissemus. Iam verò, quos re verâ Deus vocet, vbi susceperimus, eorum necesse est vocationem fouere: & tanquam probas, veraſque stirpes in terrâ defodere sanctæ humilitatis, ac domus probationis disciplinâ excolere. Siquidem ex bono nouitio fit scholasticus bonus. Huius curæ neglectu idem euenit, quod in ædificijs si careant fundamento: quibus collabentibus, perit impensa: neque iam pecunia, neque domus supereſt. Festinata nouitiorum productio perniciem ingentem habet, quam & processus temporis in dies maiorem aperit. Cui rei si nos indormiamus; haud dormitabit zizaniorum sator. Et sanè quis non rectè positum credat, quod formando Dominicæ vineæ cultori tempus impenditur: cùm Dominus ipse, qui summum sapientiæ, ex quo primo conceptus erat momento, possederat; tamen ostensurus quid perfectionis id munus requirat, ante trigesimum ætatis annum prodire ad docendum noluerit? Eo etiam valent experimenta, vt vnusquisque tentet se, & cupiditates edomet. Nam ante eas domitas ad agendum cum Aegyptijs qui redeat; certior vadet cladis, quàm victoriæ. Comminatus est Mosi necem Deus, cùm ante circumcisos filios Aegyptum adiret: nimirum quòd eò loci non perpurgatâ carne versari, periculosius longè; quàm fructuosius sit. Nouitius, qui probationis tempore, instar formicæ, fruges æstate in hyemem non reponit; laborabit cùm hyems ingruerit. Domus probationis Bethleem est nouitijs, hoc est domus panis. Ibi buccellatum verbi diuini, & cetera nauigationi subsidia, ad portum vsque cælestis Hierusalem, comparantur. Eam ob rem nouitiorum, qui considerati sunt, haud sanè volentes ab nouitiatu euocantur: conscij haud satis instructos se commeatu virtutum. Contraque propropera ingenia declarant, nec plenè cognitam sibi penuriam suam, nec grauitatem expeditionis, quam ita imparati suscipiunt. Istiusmodi (qui vtinam nulli sint) monitos volo vel in primo gradu, congressuque, qui est transitus ad Collegia, negotij plurimum habituros, nisi ante literas simplicitatem didicerint: quin scientia inflat: & indè existimatio sui, propriæ amor sententiæ, opinionum dissidia: quodque est grauius, etiam caritatis fraternæ labes nascitur. Væ illi, qui hoc in primo conflictu cæcus suorum, delicta tractat aliena: væ item illi, qui literarum studijs animum sic immergit; vt interualla non eximat, per quæ auditis è disciplinis aliquod animæ lucrum seponat. Quod quidem ex omni re capitur, si fixum in omni re amorem in Domino habeamus, à quo & scientia, & lumen intelligentiæ deriuatur: quique nos alloquitur, & docet. Nec verò scientiæ nobis sequendæ alia esse debet causa, quàm, vt amplitudine eius maiestatis, sapientiâque, & bonitate magis cognitâ, inhæreamus illi amantiùs, atque inseruiamus perfectiùs. Quod studium si cui videatur arduum; exerceat id parumper cum aliquo labore: ac statim procliue deprehendet. Nam tandem, quamuis alia Marthæ sit, alia Mariæ vita; sorores sunt tamen. Ita pietatis studia, & literarum germana sunt: quamuis interdum exercitationes habeant discrepantes. Quàm certè nec pietas literis, neque hæ pietati officiant (qui serio velit proficere) spectabile, vt aliarum rerum, exemplum reliquit sanctæ memoriæ parens noster Lainius; qui tantum sapientiæ, cum pietate tantâ, solidisque humilitatis, & caritatis virtutibus vsque adeo coputauit. Propterea rursus illi malum denuntio, qui quantò amplius se literis dedit; non tantò clariùs apud animum suum ratione perduxit ad liquidum, quàm parùm possit, quàm parùm norit, quàmque dignus contemptione sit: cùm philosophia non christiana solùm, sed profana etiam in eâ

8 Nouitij quomodo delegendi.

9 Quomodo formandi.

10 Ex bono nouitio scholasticus bonus.

11 Domus probationis instar Bethleem,

12 Scholastici quomodo in Collegijs agendum.

13 Lainius exemplum domesticum germanitatis literarum, & pietatis.

Digitized by Google

8 cognitione fundetur, vt studiosus sapientiæ sit ipsum norit. Itaque qui non sibi ipsi deiiciendo, verùm extollendo inaniter studeat; rectè eum dicas, quod legit, non intelligere: & antequam ad scholam accederet, plus sciuisse. Ex omnibus his apparet, quàm sit necesse luculentum in probationis domo, priusquam ad Collegia transeatur, apparatum fecisse virtutum. Nam de scholastico arenæ innixo quid speres, nisi vt ambitionis, iactationisque ventis incidentibus corruat? Indè & æger animus, & inquies pacem Domini, qua caret intus, & foris turbat. Indè querimoniæ, atque etiam oblocutiones, & studia nationum. Neque hæc solùm aduersùs æquales; verùm & aduersùs superiores audent, de curationum, & graduum, ac rerum id genus assignationibus conquerentes: planè ostendentes ignorare se funditus professionis vocabulum, si fortè honoris eam studio, vel fugâ laboris appetunt. Nam similiter vt hausturn pharmacum, nisi excitetur ad exerendam vim suam; ita professio nocet magis, quàm prodest, nisi ad id, propter quod suscipitur, euocetur: quod est, vt plus laboretur in Domini vineâ, impensiùs obedientiæ, humilitati, contemptioni sui, proximorum rationibus seruiatur, & clariora coram hominibus exempla luceant. Vos enim estis lux mundi, dicit Dominus ijs, qui sequi se profitentur. Ergo quod instituerant dicere, manifestum fit, quò scholasticus bonus sit; oportere bonum esse nouitium: itemque professus, vt sit bonus; oportere, & nouitium, & scholasticum bonum fuisse: quod per Domini opem fiet, si prima Constitutionum pars in cooptandis Tyronibus: in Tyrocinio tertia: in Collegijs quarta seruetur: ad quæ vos loca reijcio: precans vehementer omnes in Domino, vt nequaquam satis habeant Constitutiones legere, & intelligere, ordinemque earum, ac spiritum admirari; verùm & pro se quisque ad opus referre studeant. Hinc enim prouentus, & progressus spiritualis, quem optamus, efflorescet. Hactenus exararam, quo tempore peruenerunt Romam Procuratores. Ita deinde longinquo sum morbo attritus; vt cùm vellem esse longior (libenter enim scribo, vt vel sic Prouincias visam) ægrè hanc rerum grauiorum summam adijciam, Diuinam obsecrans Maiestatem, vt & mihi donet, qui scribo, & ijs, qui audient, legentue, ne simus eorum de numero, qui ad iter faciendum cùm omnia comparârint, & viatorium instrumentum assumpserint; nunquam domo efferunt pedem. Peregrini sumus omnes: iamque votis, tanquam ocreis, & calcaribus instructi, alienum foret procedendi curam; quoad veniamus ad montem Dei Oreb, tanquam domi desidentes, omittere. Sit ergo primum compendij huius monitum illud ex Constitutionum decimâ parte, dum de conseruatione, & augmento Societatis agunt. Quæ præsidia instrumentum cum Deo coniungunt, aptèque temperant, vt à diuinâ manu rectè gubernetur; efficaciora esse, quàm quæ idem erga homines aptant. Cuiusmodi sunt probitas, ac virtus, & præcipuè caritas, & pura mens diuini seruitij, & familiaritas cum Deo in exercitationibus pijs, & zelus sincerus animarum ad gloriam procreatoris, ac redemptoris earum, quouis alio emolumento posthabito. Verba profectò cara, & consideranda nobis, vt parentis, qui tam amanter scripta reliquit filijs suis: Quòd si rectè animaduertimus, quòd his præsidijs, quæ administrum cum Deo conserunt, cumque eius spiritu per caritatem copulatos nos tenent, minùs vtamur; hinc vniuersa pernicies oritur, hinc dissidia, hinc difficultates, turbæque omnes Religionum. Arescente terrâ, & flos arboris exarescit, & fructus. Ita nimirum, quòd arida nostra sit anima in oratione, & alijs muneribus spiritus, spirituales flores, fructusque langueant: Quòd minùs exerceamur in meditatione, & imitatione Christi crucifixi; subrepit patiendi torpor, atque impatientia. Quòd in oratione non ita frequenter ad cognoscendos nos ipsos, & humanam vilitatem mentem intendimus; subit existimatio nostri, aliorum contemptio. Mirum quantum virium est ad labores in Cruce Christi. Virga Moysi profligabat Aegyptios: & Christi Crux seculares non euertet cupiditates? Quæ si viuunt in nobis, indè profectò est, quòd vita nostra in Cruce non est. Quis in Cruce viuat, & careat cælesti consolatione? Nam si deriuantur ad nos consolationes, per eam deriuantur: si quid amari ad nos peruadit, in ea dulcescit. Contra habitatores Crucis, quan-

14 Professorum quod proprié munus.

15 Vtendum oblatis ad proficiendum præsidijs.

16 Pluris faciendæ quæ cum Deo coniungunt.

17 Meditatio Crucis quam efficax.

Digitized by Google

quandiu quidem in eâ sedem habebunt, quis pugnabit? Et quis separabit à dilectione Christi? Maneat ergo, quòd inquieti grauibus tentationibus agitantur, remedioque defecti succumbant; indè esse, quòd quantùm in se est, quæ iungunt Ministrum cum Deo, adiumenta non adhibent. Perditio tua Israël: in me tantummodò auxilium tuum. Vna hæc præceptio decimæ partis, quomodo ibi scribitur, obseruetur, & satis erit, quò sine dissensione viuamus, idemque sapiamus omnes. Neque erit cui moueat querelam vestitus: cui grauis sit victus: quinad munus musset: quia caritas benigna est, non inflatur, nec agit perperam, nec quærit, quæ sua sunt. De sanctâ obedientiâ, quæ velut destinatum est, & gubernaculum totius Societatis, & princeps eius propugnaculum; cùm sanctæ memoriæ Noster Pater Ignatius tam salutarem, atque mirum epistolam scripserit, cui nec detrahi quicquam, nec addi potest; ad eam omnes reijciens, tantùm dico: Hoc fac, & viues: & verus obedientiæ filius eris. Sanctam paupertatem idem Sanctus Pater parte Constitutionum decimâ pronuntiat esse tanquam murum Religionum, quæ conseruat eas in recto statu, ac disciplinâ, & ab hostibus multis defendit. Quare videndum est plurimùm, ne murus hic, quo defendimur, labem faciat: neu per studium fundandi Collegia, vel iuuandi domos, aut aliam honestam speciem, inuadat solicitudo nimia, quæ non solùm extraneos offendit, verùm & angit domesticos. Solicitudinem immoderatam sancta Euangelia reprehendunt. Caueatur ergo ne cuniculos Diabolus agat, per quos sanctâ paupertate extrusâ, cupiditatem inferat, quæ est venenum Religionum. Non id quidem aio, vt in rebus prouidendis, quas Collegiorum, domorumque vsus postulat, iusta ratio negligatur. Ceterùm id, quod sæpiùs animaduerti, significare iuuat, euenisse non semel, vt, cùm multæ, variæque ad fundanda Collegia tentatæ viæ essent, ex quibus plus molestiæ ad homines, quàm probabilis exempli redibat, vbi deinde abdicata est humana fiducia, eoque contenti fuimus, vt in Collegijs haud plures, quàm qui non magno negotio possent, alerentur; breui diuina prouidentia vijs inopinatis plus vno decurrit anno, quàm compluriumante laboribus conquisitum esset. Adeo impedica studia retardant negotia magis, quàm promouent: contraque prudentia, & quies in silentio, ac spe longè plus, & sine cuiusquam offensione proficiunt. Denique nobis, dum verè nos pauperum modo gerimus, vberius auxilium, & fauor Domini præsto est: Quia tibi, inquit, derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor! Præterea, quoniam paschalibus his diebus excitat nos Apostolus dicens: Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo; meminerimus Patres, Fratresque carissimi in Christo, nos per suscepta vota mortuos esse: quamque viuimus vitam, iam minimè nostram esse, sed eius, qui, vt nos viueremus, est mortuus. Æquum proinde sit, vt absconditam vitam habeamus in illo; quia in malâ custodiâ est, si custoditur in nobis. Mortuum verò quempiam esse documento est, si non videt, non respondet, non expostulat, non sentit. Itaque Religiosus, qui oculos habeat, quibus aliena facta diiudicet, qui iussa obedientiæ repugnanter acciplat, & commoueatur cùm de suis admonetur erratis; quisquis eiusmodi est; profectò non est mortuus, sed viuit in perturbationibus suis: oblitus à primo interrogatum, num corrigi se, indicarique passurus esset. Quod adnotare placuit, quia sic accepi, Societatis initio magnâ simplicitate, & candore hac in re vsos Patres: cùm correctio ita onerosa non esset; vt vehementer etiam caritatem, & gratiam conciliaret: idque optimo sanè iure. Nam si vulgò homines, quibus fortè labes ora deformet, grati sunt monitoribus; quantò decet se gratiorem is præbeat, qui de maculâ admoneatur, quæ in animâ insideat. Quòd si pro gratiâ perturbatio succedit, abalienatio, & dissidium; iam alterum è duobus reliquum erit, vt vel correctionis neglectu (dum ægrum adeo difficilem quiuis attrectare vitat) incurati morbi relideant: vel domus, & collegium fiant lacuna fellis. Nec verò simplicitatem sanctam, & humilitatem obliuisci debemus: Cum simplicibus enim sermocinatio Dei: vt mirum proinde non sit, si abfit Dei communicatio, vndè simplicitas exulet. Super hæc in lege gratiæ, vt vetita est circumcisio carnis; ita commendata est circumcisio cordis. Alioquin

18 De obedientia Santi Ignatij epistola perfecta.

19 Paupertas Religionis murus.

20 Eadem quæstuosa.

21 Abscondenda vita in Christo.

22 Quæ signa mortis, quæ in Christo vitam abscondit.

23 Correctio quâ bene accipienda.

pro-

24 Mortificationis studium.

propriam voluntatem qui non abnegarit, & ad Redemptorem sequendum suam non sustulerit crucem; ei proposita ea pœna est, vt discipulus Christi non sit. Similiter aio, vetitas in Societate iustis de causis mortificationes publicas esse, quæ Præsidum iniussu suscipiantur: at suæ cuique voluntatis mortificatio commendata est, eâ lege, vt non sit eius vera progenies, qui perturbationes suas non edomuerit. Enimverò qui voluntatem suam indulgenter habet, ignorat quid ea supplicij commerita sit: quæ Procreatorem suum cùm ausa sit violare; id scilicet pœnæ meretur, vt nihil eorum, quæ amat, vnquam fiat. Huius rei negligentia tam erit noxia Societati, quàm est putatio prætermissa vineæ: quæ cassa frugum in pampinos luxuriat, & celerrimè defetiscitur. Qui commoditates immodicè suas affectet, is verendum est, ne in vineâ Societatis pro vuis sarmenta ferat: quæ deinde arida ad nihil valeant vltra, nisi vt in ignem mittantur. Ceterùm amor sui non præcisus etiam aliud malum creat nihilò metuendum minùs. Namque cor impurum, & mortificatione non perpurgatum obscuram exhalat nebulam, quæ impedit, tollitque Domini præsentiam in animâ. Equidem vbi Patris Ignatij sanctæ memoriæ, Patrumque ceterorum primigeniæ Societatis recordor, ita versantium coram Deo, itaque agentium, atque deliberantium, tanquam præsentes diuino conspectui adessent; accendor cupiditate, ne culpâ nostrâ amittatur hoc donum, quo nascentem iam tum familiam Deus initiauit. Nam si populus Israëliticus tam admirabilem, licet in columnâ, ducem nactus, tot, tantisque in solitudine peragrandâ conflictatus periculis, & malis est; quid ijs eueniet, qui per hanc vitæ solitudinem cælesti lumine destituti peregrinantur? Nisi enim in lumine Dei non cernitur lumen. Ergo diligenter ad cordis nostri mortificationem intenti cuncta opera nostra coram Deo perficiamus, vt possimus cum Propheta dicere: Propter hoc lætatum est cor meum, & caro mea requiescet in spe. Quod dicere nequit, qui præsentiam Dei negligenter exquirit. (Quid verò tum mirum, si neque lætatur cor eius, neque caro quiescit?) quia hoc donum non negligentibus, sed laboriosè appetentibus datur. Iam, vt cum primis extrema coniungam, vt lætabar initiò videns nostram hanc vineam extendere palmites suos vsque ad mare; ita nunc addendum videtur, tametsi illa satoris, cultorisque Dei, & incrementum dantis ope iam edidit, & flores, & pampinos, & abundat vuis, deesse tamen id, quod præcipuè propositum est, vt vinum ferat. Ad id autem premi vuas, calcarique necesse est: aliter non exprimitur vinum. Hoc nobis restat, carissimi Patres, Fratresque, vt gaudeamus conculcari nos, abijcique, & despici, quò mustum consolationis, & optatæ dulcedinis fluat. Metuendum est, ne sint, qui laborent, & vuæ fiant, & inhæreant viti: verùm simul maturitas, qua pedibus subijciantur, aduenerit; vinum nequaquam fundant. Meminerimus ergo de Christo Domino dici: Torcular calcaui solus. Et erit, qui premi refugiat, cùm videat Christum in torculari positum, vt nobis illud præbeat vinum, de quo dixit: Amodò iam non bibam ex hoc genimine vitis, donec bibam illud nouum in regno Patris mei? Hæc monuerim, & inhærere memoriæ velim, ne quis vel ex honore gestiat, vel ex contemptione ægrescat. Nam si inanis hæc aura non proteritur pedibus, ipsi nos proteremur ab inimicis, degenerantes à vero Christi discipulatu. Denique summa hæc sit: recordemur Apostolicam vocem: Videte, Fratres, vocationem vestram. Qui cupit apud animum suum confundi, & erubescere, seseque despicere, huc oculos intendat: intueatur permultum illud, quod vocationi suæ debet, atque pusillum, quod reddit, & sine dubio erubescet. Quem ambitio, aut existimatio sui pulsat; animaduertat, quàm alienum à vocatione id sit: &, nisi planè mens excidit, concidet extemplò tentatio, & fastus. Postremò quæ quisque dicit, facitve; videat num digna sint, quæ dicat, faciatque vir, qui Societati Iesu nomen dederit. Ad hanc vniuersa regulam exigat: tumque in sermone modestus, decorus in consuetudine, spectandus in exemplis, prudens in actione, & sanctus, in animarum medelis potens, in duris pro Christo, sanctâque Ecclesiâ tolerandis alacer: denique (quales Constitutiones informant) sibi saluti, ceteris adiumento, operariusque erit eiusmodi, de quo dicatur: dignus est mercede suâ. Mit-

25 Versandũ coram Deo.

26 Vua calcatur, vt vinum fundat.

27 Cõsiderandũ, quid postulet à nobis vocatio.

tat

tat Deus ad hanc suam vineam operarios huius notæ tam multos; vt non solùm per Europam, sed & per Africam, & Asiam, & Indias sparsi Christum vbique disseminent: fiatque vnum ouile, & vnus Pastor. Bonus noster, ac verus Pastor Christus Iesus, qui nos ad hoc vocauit, vt suæ essemus oues, det nobis vocem suam audire, ac sequi: vt hâc illum per speciem, in cælo de facie cognoscamus. Et quoniam, Patres carissimi, vt ex meâ valetudine coniectare est, tempus resolutionis meæ instat; precor ex omnibus in caritate, vt me in sacrificijs, & precationibus vestris commendatum habeatis: vt exiguo hoc lucis, quod supereſt, cognoscam vocationem meam, & ad illam reuocem, dirigamque actiones meas: neque comparem ad migrandum ad Dominum in sanctitate, & iustitiâ coram ipso omnibus diebus meis. Idem ego cunctæ Societati, pro eo ac debeo, & eam amo, precor quotidie, nec precari desistam. Romæ Aprili mense, salutis anno Millesimo quingentesimo sexagesimonono.

28 Borgiæ pietas.

His scriptis literis Borgia, diutinâ octo mensium febri periculosè exercitus, nec dum explicitus; tertio Nonas Maias, nemine, nisi ipso, rem satis probante, quem solùm fortè non latebat, quid ageret; Lauretum ex voto, de plurimis, vt ipse loquitur, inter morbum à Diuinâ Matre beneficijs acceptis grates acturus, discessit: ægrè adductus, vt lecticâ veheretur, quam Cardinalis Patiecus per vim prope obtrusit: quanquam & eam Pater conductam ex meritorijs voluit esse, non qua vtebatur ipse Cardinalis. Adeo sanctæ humilitatis cunctis in rebus erat tenax. Accidit autem quò propiùs ad sanctam ædem accedebat, vt eo magis attenuatâ febri, & à trigesimo ferè lapide omnino consumptâ; summum pariter animi solatium, & corporis valetudinem, salutari Virginis patrocinio, impetraret. Cæterùm, quod consueuit in his, qui rectè diuinis donis vtuntur, effecit in beato viro corporis languor, vt animus robur acquireret, & abscedens ingentem relinqueret proficiendi ardorem, existimanti spatium sibi diuinâ benignitate concessum, quo anteactam vitam corrigeret. Itaque Romam reuersus, tanquam recens stadium ingrederetur, nouum ad omnem virtutem impetum redintegrauit: egitque coram cum Assistentibus, cumque præcipuis Patrum per literas (hanc enim pariter necessitatem impositam sibi reputabat) quemadmodum vniuersis, & singulis creditæ sibi cohortis animos, & vires adderet ad militiam supernæ vocationis impensiore studio persequendam. Subinde, tum vt quantò remotior à mortalium frequentiâ, tantò propior immortalium cœtibus ageret: tum cæli experiundi causâ, consilio, hortatuque Medicorum, & Patrum, qui videbant quanti eius incolumitas publicè interesset; vnà cum Assistentibus, & ceteris publici muneris administris in Tusculanum secessit: & ibi non sine aliquo quidem incidentium negotiorum incommodo, propter secessum ab Vrbe, nec commodo magno valetudinis comitum, ætatem sanctissimè, & validus satis peregit. Benedictus Palmius conciones coram Pontifice cùm toto anno continuasset; institerunt Neapolitani per aliquot Cardinales, maximè per Aragonium, vt in primariâ ipsis ædè Annuntiationi Deiparæ sacrâ, per magnum ieiunium, verba faceret: quod cùm Pontifex concessisset; eius loco Salmeronem haud sanè volentem Neapoli ad se accersiuit. Is conciones Dominicâ sexagesimæ exorsus ad Pascha vsque Cardinalium, Principumque aliorum, ac Præsulum frequentiâ magnâ, & admiratione perduxit. Tum & valetudinis causâ, quam intregerat, & otij literarij (nam & ipsum Pontifex cupiebat aduersùs Hæreticos stylum sumere) missionem bonam accepit. Borgia Franciscum Toletum Theologiæ in Collegio Romano clarum interpretem, Pontificium oratorem substituit: tum vt Palmium ad Assistentis expeditum haberet munera: tum sperans Toletum pro eo doctrinæ, quo pollebat nomine, Carranzæ Toletani Archiepiscopi sibi amicissimi, &, vt putabat, planè innocentis, quæ disceptabatur, causam adiuturum. Visus erat non paucis, vltra conuenientem eo loco verecundiam, vitia Palmius castigasse vehementer, ac liberè: nec abfuit suspicio propterea fuisse summotum: cùm illum item constaret relictum à Pontifice in mediâ concione de Conceptâ Deiparâ disputantem. Sed (quanquàm fortasse Borgiæ ea quoquè fuit causa hominis liberandi, ne qua Societati conflaretur

29 Lauretum adit æger.

30 Borgiæ humilitas.

31 Conualescit, in via.

32 Profuit ex morbo.

33 Secedit in Tusculanum.

34 Palmius Neapolim Cõcionaturus mittitur.

35 Salmeron Romã venit Pontifici dicturus.

36 Huic succedit Franciscus Toletus.

inui-

inuidia) tamen creditur à Pontifice postea repetitus. Nam & statim de Conceptæ Virginis disputatione satisfactum sibi professus est, aures suas accusans, quas verba quædam dicentis fugissent: & de libertate illâ sibi loquentibus, respondebat: Hanc nos volumus concionatoribus nostris fiduciam esse. Idcirco aduocauimus, vt extra dissimulationem nos, & vos de officio nostro comonefaciat. Quin adeo acerrimam de ambitione concionem ita probauit; vt statim diploma aduersùs ambientes Summum Pontificatum ediderit. Neapolitani Palmium quàm cupidè aduocarant; tanto, & studio, & profectu audierunt. Auxit hominis opinionem viua vox. Fœminarum luxum repressit: inueteratam consuetudinem sustulit, qua Christi Domini corporis per vrbem circumlatio, histrionalibus spectaculis, & bacchantium quadam licentiâ temerabatur. Auxilia egregia egestati multitudinis, & pijs contubernijs collegit: Sacerdotibus quoquè templi, apud quos dicebat, stipis incrementa, vndè sumptus decorè tolerarent, impetrauit. Denique multa rectè constituit: multa iam rectè constituta firmauit, & perpoliuit. Toletus, alterâ secundùm ferias Paschales dominicâ, suarum initia concionum fecit: quas rarâ felicitate non apud Pium modò, sed & apud Gregorium, Xistum, & reliquos deinceps Pontifices per annos amplius duos, & viginti, quoad Clemens Octauus Cardinalem creauit, famâ ingenti, commodoque publico persequutus, ex eodem suggestu, ad consessum, & coronam eandem, hoc est ad humanæ, diuinæque sapientiæ apicem de rebus ijsdem disseruit, nunquam facundâ docti sui pectoris venâ, nunquam audientium admiratione vel exhaustâ vel imminutâ. Qui adhuc eo fuerant perfuncti munere, cùm ad domum professorum sedem haberent, quo die habituri concionem erant, eo tantùm degebant in Vaticano. Verùm Toletum Pontifex, vt in multos, quos destinabat, vsus promptum haberet, migrare in pontificias ædes iussit. Grauem hæc res Patri Generali curam iniecit, metuenti, ne exemplum subterfugiendæ religiosæ disciplinæ esset: neve rima aperiretur, per quam olim honores irreperent. Ergo à Pontifice vehementer institit, vt sineret eum in Collegio diuersari: nec perstitit ille prorsus inexorabilis. Nihil se pro summo iure, & potestate facturum dixit. Tum Borgia, cùm videret Pontificem, quanquàm abstineret imperio, molestè tamen laturum, si aliter atque ipse vellet statueretur; bonâ spe sumptâ, simulque ratus ad Collegij Romani, & Germanici quietem pertinere, si tantisper Toletus, cuius auctoritas interdum Rectoribus grauis erat, remoueretur, vt is ad aliquod tempus in Vaticanum concederet; duobus adiectis è Societate comitibus, permisit. Idem sub tempus sanctissimus Dominus, cùm Pœnitentiariorum Collegium, dissoluto vetere, nouum instituisset, cui Cardinalem Alciatum Borromæi loco præfecit, vellętque consultationibus duos interesse, alterum Pontificij iuris, alterum Theologiæ consultum; Theologi locum Doctori Toleto tradidit: Iuris consulti Martino Nauarro Azpilcuetæ. Ad hæc minores Pœnitentiarios Sancti Petri de Societate iussit esse, vti anno proximo, cùm ea suscepta est procuratio, referemus. Item aliquot notæ sapientiæ Cardinales, atque Theologos corrigendæ Bibliorum editioni cùm designasset; duo loca Theologis nostris attribuit: atque Emmanuel Sà, & Petrus Parra à Patre Generali nominati, magnâ cum collegarum approbatione, ei negotio interfuerunt. Ad hæc auxilia contra Hugonottos in Galliam mittens adiecit è Nostris homines, qui & ægrotorum valetudini, & totius exercitus animis inseruirent: lectique sunt tres sacerdotes, Curtius Amodæus, Rodulfus Florius, & Franciscus à Sancto Germano, cum duobus laicis Lælio Sanguineo, & Mario Gentili: quos amplâ potestate, & indulgentijs, & necessario itineri apparatu ornatos Vere extremo dimisit. Nec multo post Christophorum Rodericium Prouincialem Romanum, & Michaëlem Spem Sacerdotes, cum duobus fratribus Francisco Brione, & Alfonso Brauo Ludouici Requesensis Præceptoris Castellæ Maximi rogatu adiunxit classi: quam is sub Ioannis Austriaci auspicijs Granatensium turbarum causâ in Hispaniam deducebat. Denique Cardinali Innocentio Montensi, quem in Montem Cassinum semouerat, multorum Cardinalium postulatu curator pietatis, ac rector Iosephus Cortesonus vnà cum comite datus est. Collegia

37 Pontifex probat libertatem in suo Concionatore.

38 Fructus concionum Palmij Neapoi.

39 Toletus in pontificias ædes migrat.

40 Pœnitentiariorum Sancti Petri Collegium Societati traditur.

41 Emmanuel Sà & Petrus Parra corrigendæ Bibliorum editioni designâtur.

42 Missi Patres cũ exercitu Pontificio in Gallias.

43 Missi cum Hispana classe.

per

per Italiam, atque Siciliam multa cùm peterentur, nulla hoc anno suscepta. Petebant in Siciliâ Nethini, Agrigentini, Herbitenses, Politunenses, Drepanitani, Lentini. Per Italiam Dux Vrbinas Pisaurum: Atrienfis instinctu maximè filij sui Rodulfi Aquauiuæ Atriam: Comes Camillus Gonzaga Nouellariam aduocabant. Tum Asculum, Ancona, Spoletum vetera vrgebant vota. Sed interim Spoletini quamstudiosissimè contenderunt, missis Romam de nobilitate Legatis duobus, & hinc Socijs totidem impetratis ad capiendum locum: sed cùm qui locus placuerat, impetrare Ciuitas non potuisset; occasio, & conatus euanuit. Pari studio Brutij Interamnates Legatos in Vrbem de suis miserunt. Societatem non nisi de famâ cognorant, cùm consilio publico decreuere aduocandam. Paucis post diebus dum res, cùm maximè calet, Ioannes Victoria, qui vt Apostolico ritu pagos, & oppida peragrabat, laboriosè iuxtà, ac fructuosè Asculanam simul vrbem, ac diœcesim proximè obierat, Interamnam peruénit: quem vt populus vidit, tanquam diuinitus ad Collegium inchoandum missum excepit. Ille dum res cum Præposito agitur, satis habuit ad pietatem instaurandam propensâ illâ beneuolentiâ, & docilitate vti. Bergomates item Collegium, sed Episcopus maximè postulabat. Incenderat ibi studia Carolus Pharaonius, qui cùm Patauij Theologicas scholas haberet, tantisper vt cælestia verba Bergomatibus ministraret, ad populare suggestum ab scholasticâ sellâ transierat. Romæ interim primaria domus probationis ad Sancti Andreæ constituta est: eò cum plerisque Nouitiorum Alfonso Ruitio translato, paucis apud Professos sub Iulij Mancinelli curâ relictis. Huic domui, tanquam membrum, subiunctum est domicilium Tusculanum. Namque cùm è scholis per discentium infrequentiam minimè extaret pretium operæ; redditâ Ciuitati, quam nomine earum attribuerat pecuniâ annuâ, Prouincialium, & Professorum, ad quos pertinet consensu, nomen Collegij sublatum est, relictis ad animas Oppidanorum iuuandas duobus Sacerdotibus: itemque aliquot domestici vsus adiutoribus, qui exciperent, curarentque missos ab Vrbe conualescentes. Existimarat Borgia eam sedem (nam & vineæ aliquantum possidebat) domui Probationis, quam percupiebat radices agere, fructui nonnulli futuram: sed postea cùm animaduersum esset secus euenire; ad Romanum Collegium, cui ex tantâ iuuentute inter studiorum labores nunc fessis, nunc valetudinarijs recreandis necessaria erat, cum vtriusque familiæ commodo traducta est. In Collegio verò ipso, cùm Sodalitas sub Magnæ Matris clientelâ condita feliciùs in dies ad literarum, morumque opem proueniret; quò id auxilij latiùs funderetur, alter eius generis conditus cœtus est, discretusque à priore sodalium ætate: vt in alterum maiores duodevigesimo anno, in alterum minores conscriberentur. Præterea ad literarias tum Humanitatis, tum Philosophiæ, atque Theologiæ exercitationes instituta ex his sodalibus Academia, & Cardinalis Augustani patrocinio commendata. Quanquàm postea salubriùs ad disciplinam Collegij visum est ab externis patrocinijs abstinere. Inter hæc nihilominus attentâ curâ conseruandis collegarum, consummandisque virtutibus studebatur, per interualla præsertim longiorum ab studijs vacationum. Quo in genere salutare præbuerunt exemplum Neapolitanum, & Mamertinum Collegia. Quippe ferias Autumnales ex asse totas, duos ferè menses in Tyrocinij quandam instaurationem contulerunt. Ad matutinam commentationem vespertinam adijciebant. Cohortationes alternis diebus, & collationes de more habebantur. In durandâ mollicie, in frangendâ contumaciâ naturæ per aspera, per abiecta vulgo experimenta toti erant: pulchriores eò victoriæ reportabantur, quòd Tyronum studia, & arma veterani vsu tractabant. Ceterùm salutarem illam Sodalitatum, & Academiarum industriam iam passim Prouinciæ, sed alibi aliter imitabantur. De conditâ sub id tempus in Monte Regali Subalpinorum Sodalitate, itemque in Siciliâ Panormi, cui Academia nomen vocatum, satis constat. In Collegijs autem Mamertino, & Catanensi ab superiore iam anno cæpta consuetudo vigebat, vt secundùm vespertinas scholas, quos præcipua duceret pietas, pariter conuenirent in templum, nixique genibus ante Dominum in Sacramento præ-

44 Quæ Ciuitates in Sicilia, & in Italia peterent Collegia per id tempus.

45 Domus Probationis Romana ad Sancti Andreæ collocatur.

46 E Tusculano scholæ remotæ.

47 Ea sedes primò domui probationis, deinde Collegio Romano subiuncta.

48 Secunda Congregatio primaria in Collegio Romano condita.

49 Academia instituta.

50 Cura perfectionis in Collegio tũ Neapolitano tũ Mamertino.

51 Congregationes iam passim introducũtur.

Digitized by Google

to præsentem, agitandis mente diuinis, & precibus faciendis per horæ dimidium, nec pauci horam ipsam immorarentur. Quod adolescentes, puerique religiosissimi, velut quidam cælestes ephebi, tam pulcro faciebant exemplo; vt ex alienis quoquè gymnasijs discentes, & promiscuorum Ciuium multi, eâ pellecti specie, conuenirent, & meditationem consociarent, & preces. Porrò cetera vitæ actio tali erat quotidianæ palestræ conueniens: digressosque à diuino colloquio, haustus indè quidam fulgor diuinitatis, & bonus Christi odor prosequebatur. Octauo quoque die per homologesim repoliti diuinas epulas regustabant. Leuandæ mendicorum inopiæ singulari studio prouidebant: vt meliores proximos quosque efficerent, nitebantur: tum animo sensim ad celsiora erecto, diuinorumque munerum capaciores effecti, perfectionis studio prope omnes incendebantur. Itaque exiguo interuallo duodequinquaginta numero è Mamertinis in alia alij sese cœnobia condiderunt. Cæterùm, vt deinceps (quando iam res huc abstulit) reliqua Siciliæ pertexamus; multis ibi modis hoc anno vtilitati publicæ inseruitum: nec in postremis numeranda per totum regnum peregrinatio Sociorum duodecim. Marchio enim Piscariæ Prorex cogniturus Insulæ statum, cùm iussisset oppidatim, pagatimque describi totam, ac facultates quoquè censeri singulorum, & explorari quemadmodum leges vigerent, & num inopes vspiam per iniuriam premerentur; viris principibus, quos ei negotio præfecerat, in his, quæ conscientiam attingerent, adesse consilio quempiam de Societate voluit. Ergo frustrà sæpè conatis Patribus id prouinciæ genus, vt professioni parùm aptum, excutere; tandem Panormo Gregorius Peralta, & Ioannes Lucas Ferla: Messanâ Pantaleo Rodinus, & Antonius Bononia: Syracusis Nicolaus Faranda, & Alfonsus Villalobus, omnes præter Ioannem Lucam Sacerdotes, cum suo quisque comite missi. Hi pro se quisque memores instituti, necessitate peregrinationis in occasionem versâ caritatis; nullum vsquam prætermiserunt, vsitatâ Societati solertiâ, de cunctis benè merendi locum: effeceruntque, vt pro simplici, quæ metuebatur, inuidiâ, gemina cum à Principibus, tum à populo gratia referretur. Eo de numero Antonius, qua erat præstantiin Deum pietate, & in salutem animarum ardore, dum in omne se genus laborum, annis quoquè florentibus, alacer immittit; morbo collecto, Messanamque relatus, ad vitam potiorem permunitus diuinis piè decessit. Mamertinus patriâ, ornatior virtute quàm literis. Sed difficilè dictu est, in propinquos Messanæ vicos identidem catechistæ, hortatoresque submissi, quantùm reipublicæ commodarint. Quippe gens agrestis, feroxque naturâ, ad hæc religionis, ac bonarum rerum inscitiâ efferatior, haud suo magis, quàm publico bono mitigabatur: eâ præsertim tempestate, qua grassatorum furor in modum teterrimæ tempestatis omnia peruastabat. Monstra hominum ampliùs sexaginta ex ijs, qui vel ob æs alienum, aut patratas cædes, aut fœda flagitia in proximas se solitudines eiecerant, in vnum coacti, & in apertum latrocinium progressi; non modò rerum aliarum, sed & puerorum, ac fœminarum rapinis, virorum cædibus, omnium exquisitis cruciatibus, vastitatem agris, solitudinem vicis, terrorem oppidis eum attulerant; vix vt quisquam è limine efferre pedem auderet. Ipsosmet constabat professos, per vnum mensem Maium, ampliùs ducentos homines ab se per supplicia inaudita mactatos. Præerat sanguinariæ cohorti quidam, veluti dux, qui obscurissimus ortu, specie quadam fortitudinis in alienos, & iustæ moderationis in suos annorum duodeuigenti miserrimâ felicitate id nominis, & beneuolentiæ erat consequutus; vt eximijs adæquaretur imperatoribus. Et quicquid vsquam non in Siciliâ modò, sed inter Cretenses, & in Venetis, & in Calabris (quibus omnibus locis fuerat) ceterâque Italiâ prædonum esset; certatim sibi pro duce eum & poscerent, & haberent. Miserabantur calamitatem funestissimam Mamertini Patres: quòque minùs in se humanæ opis, atque adeo perparùm etiam in Ciuitate aduersùs adeo robustam luem videbant esse; hoc impensiùs omni piaculorum genere requirebant è cælo. Iacobus Suarius Colle-

52 Spirituales Sodalium exercitationes.

53 Missiones per Siciliam.

54 P. Antonius Bononia moritur.

55 Latronum grassationes in Sicilia.

56 Insignis conuersio latronis principis.

Digitized by Google

Collegij Rector, dum omnia secum versat, in eam quoquè incidit mentem, vt Sociorum par, quasi pro salute publicâ deuotos, furtim mittere exoptaret, si fortè (rem Christo neque arduam, neque inusitatam) lupos agni domarent. Nam & periculosa in magnis malis tentanda remedia. Ecce autem in hac curâ, hisque votis defixo, ab ipsomet Prædonum principe missus internuntius, narrat cupere eum Sociorum alicuius congressum. Missio confestim per tenebras noctis fratre Sebastiano Cabarasio, ei facinorum dux remotis arbitris ait; si Patres effecerint, vt inimicitiæ, quæ sibi cum viro nobili intercedebant, tollantur; aliò se cum suorum plurimis migraturum. Rector, quod petebatur, magnâ ex parte Christo præside consequutus; per eundem fratrem admonet, respiciat tandem sese: suspiciat cælum: Patri satis non esse, vt loca, sed vt vitam mutet. Qualem se Diabolo satellitem præbuit; talem Christo militem præstet: secedat aliquam religiosorum in arcem: sitque latronum pulcro illo de genere, quorum exempla tam multa inuitant, qui bonam cælo vim intulerunt. Hanc indole, hanc operâ eius dignam prædam, rapiat æternitatem. Visus est non surdis auribus audire, spatioque dierum octo ad cogitandum sumpto, quo tempore, & apud Deum precibus res in Collegio vrgebatur. Vbi rursus frater accessit; ille obuiam longè aliter à principe latronum occurrit, rosarium, & imaginem Deiparæ, quam superiore congressu à fratre acceperat, manu tenens, vultu in terram demisso, ita plenus lacrymarum, & æstuante præ scelerum dolore pectore; vt vox colloqui conantis intercluderetur: & mox quidam latronum militariter fratrem ita compellaret: Quid tibi negotij nobiscum est? Quam telam ordiris, qui Principem nostrum ex latronum ductore concionatorem fecisti? Demum condicitur dies, & locus, quo superioris vitæ venenum confessione euomat: idque vberrimas inter lacrymas exequutus, cum altero eiusdem consilij socio, per eundem Suarium impetrato ad Capucinos aditu, cultuque eorum indutus, in aliud regnum, ad perimendam longâ illâ, salubrique morte mortem æternam, & serendam vitam discessit. Sublato duce, dissipatisque prædonibus, respirarunt circa mortales. Prorex, cui ea in primis causa fuerat per æstatem veniendi Messanam, atque aureos mille, vnàque exules quinque restituendi copiam spoponderat, qui hominis ad se caput attulisset; vbi mactatum Deo cognouit; summæ eius bonitati gratias egit. Dum Prorex Messanæ fuit magno apparatu, plausuque populi editum drama Christus Iudex, Stephani Tuccij opus: quo conciliatum gymnasio nomen, & incensi etiam discipulorum animi præmiorum illecebrâ: quæ proposito literarum certamine diuisa victoribus, adhibitis iudicibus, præter quosdam de Socijs, aliquot Ciuium doctis, pijsque, inter quos etiam Abbas Maurolysus fuit Mathematicus inter primos nobilis. Idem sperabatur Panormi successus è spectaculo tragico, quo Virginis, Martyrisque Catharinæ inclytum edebatur certamen: illo ipso poëmate, quod habitum Romæ vernaculo versu ad illustrissimum consessum tertio ab hinc anno prodidimus. Sed exitus aliò prius vertit, vt nouum documentum frequenti vsu testatam rem affirmaret, quàm ex leui causâ non leuia incommoda sæpè nascantur. Anniuersario Diui Francisci Assisinatis solenni, cùm res proludendi gratiâ, tantùm quibusdam actorum propinquis, alijsque è nobilitate, ac Prorege ipso familiari comitate spectantibus, ageretur; Ioannes Bezerra Quæsitorum alter interuenit: atque fores têmpli, vt admitteretur pulsans, per ianitoris imprudentiam rati seu pueros, seu quempiam è perstrepente, vt vbique fit, & aliàs ibi factum erat, plebeculâ esse, admissus non est. Homo alioqui minimè intensus, & qui nominatim in editionis publicæ diem inuitatus erat, tamen ita excanduit; vt humanum errorem pro voluntariâ cuntumeliâ accipiens, abierit ingeminans (quod subinde rescitum est) faxo vt huius noxæ placulum alteri vitæ ne debeant: nec postridie Paulum Achillem ad satisfaciendum profectum admiserit. Interim tertius ex eo die dies publico spectaculo destinatus illuxit. Referto iam spectatoribus templo, præcipuâque nobilitate confidente, Prorege mox adfuturo cum comitatu, reliquum nihil erat, nisi vt demisso velo prodirent actores: cùm eo momento adest

57 Missus ad eum Sebastianus Cabarasius.

58 Fit Capucinus

59 Messanæ datũ drama Stephani Tuccij.

60 Turbo quidam Panormi ex re leui.

Digitized by Google

à Bezerrâ formidabile iussum sub graui anathemate, si ea fabula, quoniam ad sacra pertineret, inuisa Quæsitoribus ederetur. Nihil repugnandum visum est. Elusâ expectatione multitudo dimittitur: vrbs sermonum impletur: defertur ad Bezerram fabula: Theologis Prædicatorum ex ordine dijudicanda traditur. Nec prope his minor de contumeliâ agitatur: pernegantibus Patribus quicquam ab se sponte peccatum: illo testem citante, qui confirmabat à Sociorum quodam fores pulsantem sese conspectum, & cognitum. Quæ maximè controuersia alteram profligabat: cùm quò maiorem contumeliæ (vt vocabat) læsus dolorem proderet; eò clariùs appareret, indè Sanctam Catharinam plecti: quæ nihil fuisset negotij habitura, si fores Bezerræ patuissent. Rector Collegij Paulus Achilles cùm fabulam nosset Romæ in tantâ celebritate actam, consimilesque alias, Quæsitoribus ijsdem Panormi inconsultis, sed spectantibus editas: qui, si quid tale offerretur, Patribus cognoscendum tradebant; vt erat leniſsimus, & sanctus, perdolebat se non diuinasse huius videndæ cupidinem Bezerræ subituram: nihilòque magis de Collegij, quàm de Quæsitoris existimatione solicitus; assiduas pro eo preces faciebat, & domesticis de caritate, modestiâque seruandâ admonitis indicebat. Poëma interim diligenter expendebatur: censoribusque theologis cuncta probantibus; Bezerra ipse nominatim duo notabat. Primum quod Sancta Catharina, cùm ad rotam admoueretur, pronuntiabat se lætam ad Martyrium proficiſci, quòd paratam sibi Deus haberet in cælo sedem, & coronam gloriæ pro terrestri regno, quod Martyrio posthabebat. Id aiebat Bezerra cum fidei orthodoxæ dogmate illo pugnare, quod edoceat, mortalium nemini certò esse compertum, vtrum odio, an amore dignus sit. Deinde Sanctam Catharinam, quòd in scenâ cum philosophis disputaret, aiebat contra Iulij Tertij decretum facere, quo de religione disputationes coram laicis interdicuntur. Hæc, vt erant quæsita per meram calumniam; ita Patres clarissimè refutabant. Nam de certâ Dei gratiâ, quod ordinariâ Dei lege ignotum est, id nihil absurdi esse demonstrabant, singulari extra ordinem beneficio quibusdam (cùm de tam multis narrent Historiæ) concessum existimare. Quòd autem Sancta Martyr Catharina de sese prædicabat; id non modò in eius vitâ legi, sed etiam in Missæ ingressu, qua tum Diuam Ecclesia honorabat, diſertiſsimè celebrari. Pontificium verò decretum disputationes vetare, non simulacra: & disputationes cum Hæreticis, non cum Philosophis, qui reuincti, edoctique & Christiani fiebant, & Martyres. Ad hæc eandem illam disputationem in vitâ Sanctæ Catharinæ omnium ferè maternis nationum linguis vulgatam esse, terique manibus, omnium magno bono: vt quæ offenderet Deos gentium Dæmonia esse, ac Deum verum, Deum vnum esse in personarum trinitate. Denique cùm res clarissima nullum dubitationi locum relinqueret; potestas facta est edendæ tragœdiæ. Quater reposita est, multis semper cum lacrymis spectatorum. Ter Prorex palàm spectauit: fassus, si conspicuo minùs loco fuisset, se multùm fuisse lacrymaturum, & sæpiùs affuturum, si sæpiùs ederetur. Bezerra quoquè interfuit, nec sine approbatione spectauit. Qui, vbi resedit animi commotio, & quid tragœdiarum extra orchestram excitasset, animaduertit; totum Patribus priſtinæ fructum amicitiæ reddidit. Hinc tamen, alijsque talibus eodem in genere molestijs confirmatus in sententiâ est Præpositus Generalis, vt actiones paulò celebriores non nisi maturo consilio, perque rarò haberi vellet. Hac æstate Romæ cùm Professorum ædis pars summa Farnesianæ Basilicæ fundamentis occuparetur, sacræ Sancti Ignatij reliquiæ ipso migrationis eius anniuersario die, maximâ cum pietate, minimâ cum pompâ translatæ sunt. Veneranda Petri Fabri vel non reperta (damnum enimverò ingens) vel non cognita ossa. Placuit Deiparæ quoquè, quæ Aedi nomen dederat, in pariete pictam effigiem asseruari, in Basilicâ posteà reponendam. Eaque est, quæ hac tempestate in Sacello, sub ipsius Deiparæ nomine, magnificè, & eleganter exculto visitur. Ceterùm Sancti Ignatij sub idem tempus cœpta gloria prodigijs illustrari. Permulti sanè dolebant, inter tanta Familiæ incrementa Parentem penè obliteratum latére. Non deerant, qui nesciam modi

61 In dramatæ de Martyrio Sanctæ Catharinæ quædam notata.

62 Editur tandem magna approbatione.

63 Corporis Sancti Ignatij trâslatio.

mode-

modestiam, tantùmque non ingratam socordiam filiorum in proferendâ tanti Patris sanctitate damnarent. Excitati ergo sunt aliquantum, eatenusque progressi; vt & vitam viri conscriberent, quam paulo post Ribadeneria primùm vulgauit, & effigiem ex typo in æreâ lamellâ excisò ederent. Ceterùm dum lentiora sunt hominum studia, memor Deus promissi, quo honorantes se honoraturum confirmauit; ipsos Dæmones gloriæ famuli, per quem tantùm vbique honorabatur, primos esse præcones voluit: veteri nimirum suo illo more, quo à primis Ecclesiæ temporibus Martyrum quoquè celebrandis nominibus, eadem monstra seruire adegit. Erat Senis nota probitate Virgo ancilla nobilis domus, Iacoba à Prato nomine, quam longo tempore tenebricosi satellites multis, dirisque exagitabant modis. Minimè dubia, & obscura res erat. Nam spectandos se non exercitæ solùm Virgini, sed alijs quoquè præbebant: & sæpè verberibus vsque eò contundebant misellam; vt decumbere complures dies cogeretur: tumidæque vibices, & liuentia plagarum vestigia oculis, & manibus tenerentur. Ad hæc in conclaui, quo nemini omnino mortalium patuisse constabat aditum, validissimâ reste ambabus post tergum manibus vincta inueniebatur. De supellectili etiam, & reculis eius in arcâ reconditis, alia, atque alia subinde Mali tollebant: postque interpositos aliquot dies, ingenti cum fremitu, eodem loco reponebant. Igitur hanc illustrandæ Sancti Ignatij gloriæ inter primas materiam Sapientia æterna legit. Aliquot enim prædictarum imaginum Senas perlatis, cùm earum alterâ Christi famula sese muniuisset, alteram in arcâ posuisset; prorsus infracta vis Dæmonum est. In conspectum etiamnum sese dabant variis formis: sed furor omnis effundebatur in probra, & execrationem venerandæ imaginis: cuius & oblatæ conspectum cum horrore refugiebant: ipsam Virginem adire propiùs, iniuriâue quamuis leui contingere non audebant. Persimili modo circum arcam strepebant tumultuosissimè, vt fragorem domestici exaudirent: sed mouere loco nil poterant. Vt verò certiùs diuini virtus tegumenti pateret; euénit, vt post aliquantum tranquillitatis fæmina, non illatâ secum Sancti effigie, seu fiduciâ peractæ victoriæ, seu curiosa experimenti, ad nocturnam quietem concederet. At ita inermem, immunitamque tortores vbi deprehenderunt; quàm antea nunquam, rabidè ceciderunt. Et illa, malo edocta, nullo deinceps tempore fidum ab se munimentum abesse sustinuit, eoque vim inimicam semper efficacissimè arcuit. Harum rerum fidem publici Scribæ consignatam literis Alfonsus Scariglia Senensis Collegij Rector in Vrbem misit. Quæsierit fortasse quispiam, quid ita non & statim, ac penitus liberata Virgo sit? Vtcumque alij sentiant: credidérim equidem diuinæ illud sapientiæ placuisse temperamentum, tum ad Patroni gloriam, tum ad clientis vtilitatem: vt miraculum prope quotidianum, quantò diuturnius, atque frequentius, tantò esset illustrius: & Virginis pietas crescendi semper ex attentâ custodiâ, nunquam intepescendi locum ex securitate inueniret. Conuenientissima certè Ignatio, & scilicet gratissima esse prodigia, quæ maximè prosint animis, dubitare non licet.

64 Eiusdem vita describitur.

65 Editur effigies cuius & Dæmones vim exhorrent.

66 Iacoba à Prato vt vexaretur à Dæmonibus.

67 Sancti Ignatij imagine Dæmones coërcentur.

Ferrariæ huius anni æstate ita vulgati sunt morbi; vt eodem tempore ad hominum dena millia miserum in modum iacérent. Is fuit Collegij præclarus & caritatis, & patientiæ campus. Non enim solùm quocumque accersérentur adibant, ægrotantium noxas absoluturi; sed & remedia corporibus suggerebant, extundente misericordiam miseriæ magnitudine: cùm alicubi, nullo reliquo qui adiuuaret; cunctam domum afflictam, alioque in alijs angulis prostratos, ac destitutos viderent. Illud verò pignus ipsi diuinæ clementiæ acceperunt, quòd tot in laboribus, tam latè fuso malo, quamuis in assiduo morbidorum vsu, nemo tamen eorum, vel leuiter, morbo tentatus est. Bononiæ Gabriel Cardinalis Paleottus, cùm Seminarium instituens impetrare à Borgiâ nequiuisset, vt vniuersam eius procurationem Bononienses Socij susciperent; illud tamen curauit, vt domicilium proximum Collegio esset: adolescentuli gymnasium Collegij frequentarent, literasque, & pietatem indè peterent: domesticæ

68 Ferrarienſibus ægris succursum.

69 Seminarium Clericorum Bononiæ Nostris commendatur.

quoquè Seminarij procurationi non nisi, quos Franciscus Palmius probauisset, præfecit. Initium mense Iunio, haud sine apparatu, item Collegij industriâ factum. Ab templo principe, post luculentam Rhetoris nostri orationem, prima sacri plantarij semina adolescentes in templum Collegij deducti. Præibat lectus puerorum chorus, ornatu tali; vt cunctos gradatim Ecclesiæ ordines ab Ostiario ad Episcopum amictu, & insignibus in conspectum darent: interpositis alijs, qui in Angelorum conformati speciem, sua cuique ordini aureo præfixa hastili insignia præferebant, adiecto titulo vncialibus literis: quæ & cuiusque ordinis, & insignium vocabula loquebantur. Succedebant, post Matricis Ecclesiæ Crucem, modestiâ singulari, Seminaritæ violaceo vestitu: tum Clerus, Canonicique, & Cardinalis, ac Prætor, vniuersique siue sacræ, siue humanæ Reipublicæ Administri, cum densâ, primâque nobilitate. Simul ventum ad Sanctæ Luciæ; in parato pueri theatro collocati, Doryphorique Angeli, ad ingressum Cardinalis, atque Prætoris, singula apta ijs, quæ quisque gestabant argumentis dystica pronuntiarunt. Tum accommodata rei acta tabella peruenustè. Secundùm quam, cùm Cardinalis ad aram maximam consedisset; accesserunt Seminaritæ bini, & obedientiam Pastori suo professi: indè domum inducti, eam ipsam, quam Collegium de Gozadinis emerat. Hoc primum Seminario domicilium fuit, quoad in ædes suas, viâ duntaxat à Collegio discretas, vertente anno migrauit. Diœcesim Sarzanensem, Episcopi Saulij rogatu, & magnam partem ductu, visit Gaspar Loartes. Per aspera quoquè iuga, & prope inuias rupes profectus est minimè tolerando labore, nisi præuius cum Cruce Iesus, & animarum dulcedo leniuisset: sed indè maximè recreabatur, quòd paratiora, quàm in vrbibus, pietati pectora inueniret.

70 Quo apparatu prima sumpsit exordia.

71 Patris Gasparis Loarris missio per Sarzanensem diœcesim

Augustâ Taurinorum Collegij Rector Achilles Gagliardus in Oppidum Lucernam, eiusque vallem: Pinerolium Ioannes Martinius adiere, superante omnino & laborem, & fidem successu. Tanta ab Hæreticis imminebant pericula: tam non magno negotio, si propugnatores adessent, depellebantur. Mediolanensibus Socijs, quam vellent amplam, suggerebat materiam Sanctus Cardinalis; qui, vt omnia suo illo ingenti ardore expolire, restituere, ad normam dirigere conabatur; ita fermè ad omnia illorum vtebatur industriâ. In Concilio prouinciali etiam ad conciones cum latinas, tum vernaculas adhibuit. Sed illud planè arduum dictu, at pronum intellectu est, quantum effectum sit summorum inter se capitum fouendis studijs, prohibendisque dissidijs. Namque cùm Sanctus Carolus plurimum Societati (ita rem comparauerat Deus) itemque Dux Albuquercius, qui & confessarium ex eâ habebat, tribueret; in difficillimis temporibus, quæ hoc anno maximè inciderunt (tum propter Pontificij diplomatis, quod in Cænâ Domini edi solet, promulgationem: tum propter contumaciam Canonicorum ab Scalâ) vtraque pars velut sequestram illam, & conciliatricem interponebat. Valuit ad hæc Petri Ribadeneriæ sub annum extremum auctoritas. Sed illi, dum Longobardiam Prouinciam inspicit, plurimum negotij Brixiæ fuit. Supra est memoratum quanto Ciuitatis, quantoque Sodalitatis eius, quæ Societati se totam inseruit, susceptum id Collegium consensu, & gaudio sit, Sed breui communem gratulationem, Diaboli, vt mos eius est, perturbauit inuidia. Foris primùm, dein etiam domi turbæ. Fons ille existimatus est, quòd quidam veriti, ne ædes Sancti Antonij, quas Religiosis ipsi alijs animo destinabant, Societati in perpetuum attribuerentur. Id nullâ ratione commodiùs impediturus rebantur, quàm si effecissent, vt initus cum Sodalitate illâ nexus dirimeretur. Id autem continuò futurum, si sanctissimæ Sodalitati probrum aliquod, & infamia afficta esset. Nimirum tanquam hostiles inter se hominum prouidere solent exercitus, si quæ alteri parti parentur auxilia, vt ne sinant in vnum coniungi; ita tenebrarum vaferrimus rector, ex illâ consociatione quantum Christi partibus accederet firmamenti prospiciens, nihil non moliebatur, ne solidè coalesceret. Ergo aduersùs Angelum Paradisium, & alios quosdam parùm decori sermones, planè autem probrosiùs aduersùs vnum Sacerdotum, cooriuntur, fæmi-

72 Patrum Achillis Gagliardi & Ioannis Martinij aliq; missiones.

73 Mediolani publicæ tráquillitati consulti

74 Brixiensis procella.

fœminam ab eo solicitatam. Qui rumor, quanquam falsus, cùm increbesceret, atque adeo de industriâ vt vsque magis increbesceret; tantum eorum, qui excitarant, aduersùs innocentem exarsit odium; vt tutus nec foris, nec domi esset. Inuentique duo sunt, qui, per simulationem reddendi literas, euocatum sub noctem ad ianuam ferro confecre conarentur. Porrò, quo testatior infamia esset; ex ipsis Nosocomij procuratoribus quidam (nam præstantiores ab innocentiâ acerrimè stabant) quæstionem suspiciosissimè exercebant: testes citabant, interrogabant, & criminationum volumina implebantur. Interrogatique quid ita pedem in rem non suæ iurisdictionis inferrent; responderunt nihil se nisi causam instruere, quam ad Episcopum diiudicandam deferrent. Suspicio non neminis fuit (vt erant tum tempora) ab clandestino quopiam Hæretico totam fraudem compositam: adeo vltra ius, fasque omnia gerebantur. Infamia certè, quod est eius ingenium, latissimè, & incremento maximo fundebatur. Non modò Senis, & in alijs Italiæ vrbibus; sed & in Germaniâ cum alibi, tum Oeniponti vulgatur, non iam quempiam vnum de Clericorum Sodalitate Brixiensi, sed aliquot de Societate Iesuitarum Brixiæ in Cœnobium Virginum irrupisse. Quæ maximè causa fecit, vt Patrum voluntate cognoscendam sibi causam Antistes sumeret. Qui, habitâ diligenti quæstione, & inspectis aduersariorum actis; sententiam in hæc verba ad verbum tulit.

75 Calumniæ inflictæ.

Dominicus Bollanus Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Brixiæ, Dux, Marchio, & Comes, Vniuersis, & singulis præsentes literas inspecturis salutem in Domino.

CVm ante aliquot annos nonnulli probatæ vitæ, & doctrinæ Sacerdotes, propriâ pietate, & christianæ religionis zelo commoti, in hac vrbe conuenissent, & quoddam Clericorum veluti Seminarium, & Collegium nostrâ primùm auctoritate, nec non Sedis Apostolicæ postmodùm approbatione accedente, in Ecclesiâ Diui Antonij, à Gubernatoribus maioris Hospitalis huius vrbis illis concessâ, instituissent, magnâ cum piorum hominum ædificatione simul viuentes, & sua in commune conferentes, ac bonorum morum, & doctrinæ informationi in ciuitate, & diœcesi nostrâ cum multorum fructu incumbentes, diuinaque fideliter administrantes: nec non prædicto Hospitali benè, & diligenter in spiritualibus inseruientes, vt à pluribus eiusdem Hospitalis Gubernatoribus certâ relatione percepimus. Ij omnes partim Sacerdotes, partim inferiorum ordinum Ministri, superioribus diebus cupientes in Domino certiorem benè viuendi regulam, & perfectiorem religionis statum nanciscì; magno ipsorum omnium consensu, & nostro cum gaudio, piæ Iesu Societati, ac Religioni se iunxerunt, atque in eius Generalis Præpositi obedientiam, Domino, vt credimus, inspirante, se dederunt. Quo tempore antiquus humanæ salutis hostis fortasse prospiciens ex huiusmodi suscepto instituto vberiorem animarum fructum in hac vrbe prouenturum; maiores & ipse insidias præparauit: ac, vt est ab initio calumniator, incertas quasdam in nonnullos ex prædictis Sacerdotibus voces excitauit; quæ multorum animos commouentes, nobiles aliquot huius vrbis viros præfati Hospitalis Gubernatores induxerunt ad se diligentius de illorum vitâ informandum. Quæ res non tam aduersùs duos, aut tres (tot quippe erant, ad quos res tota spectabat) quàm aduersùs præfatum Collegium, materiam multis præbuit obloquendi. Quod quidem Collegium, cùm paucis ante diebus Societati Iesu vnitum esset, vt dictum est; indè arripuit Diabolus occasionem huius tam sanctæ Religionis nomen in multis christiani orbis partibus, prout multorum literis didicimus, inuadendi, falsisque criminibus non sine scandalo, & animarum iacturâ impetendi. Quod nos summo cum cordis dolore cernentes, vt huiusmo-

76 Literæ Episcopi de Collegij innocentia.

Digitized by Google

di Satanæ insidias det egeremus; prædictas informationes, prout apud ipsos dicti Hospitalis Gubernatores, velut pro negotio suo priuatim inquirentes, absque vllo prædictorum Sacerdotum interuentu scriptæ fuerant, nobis tradi fecimus, easque legimus quantâ potuimus diligentiâ, perquirentes si quid esset tandem, quod saltem ad legitimè aduersùs aliquem de prædictis Sacerdotibus procedendum iurè mouere nos posset. Quale nihil cùm inuenissemus, ne falsis rumoribus seruorum Dei fama periclitetur, neue pusilli scandalum patiantur; de prædictis omnibus, & dictorum fratrum nostrorum, & consacerdotum innocenti, & immaculatâ vitâ, totiusque prædicti Collegij nunc primùm Societati Iesu vniti integrirate, quantùm nos iamdiu nouimus, fidem facere decreuimus, facimusque præsentibus literis subscriptione, sigilloque nostro communitis. Sic illos Deus in suo sancto seruitio confirmet, ac roboret: præsertim verò ipsam Iesu Societatem toto corde, & totis caritatis visceribus amplexamur, non minimum huic gregi nostro commodum quorumdam eius Sacerdotum operâ accessisse videntes: qua & nos maiorem ex eâ in dies fructum sperantes, in lectionibus, & prædicationibus, quibus noster hic populus frequens interest, libentissimè vtimur. Datum Brixiæ in nostro Episcopali Palatio die vigesimaprimâ Iunij anno Millesimo quingentesimo sexagesimooctauo.

Hactenus superiore anno res gesta. Testimonium Episcopi rite consignatum, Brixiæque vulgatum, & post infamiæ dimissum vestigia paulatim innocentiam illustrauit. Eâ re sedatis magnam partem turbis externis, domesticæ, quarum semina adulta erant, maturuerunt. Inter inuidiæ popularis æstum, cùm Angelus Paradisius longo vsu multorum contraxisset offensam; existimarunt Sodales consultum ad leuandum incendium fore, si tantisper oculis se Ciuium subduxisset: & Patauium secessit. Is vitam per omnem & libertati, & rectioni assuetus, vbi domus, vt ad reliqui ordinis formam componeretur, Pauli Candij, qui deinde Ioannem Baptistam Perusçum successorem habuit, demandata curæ est; more imbecillitatis humanæ ægrè cœpit ferre in ordinem se se redactum. Quòd verò summotus Patauium esset, nullâ concoquere ratione poterat; id prorsus ingratè factum quiritans ab his, quos ipse enutriuisset: nec ferendum ab Societate vnquam fuisse, vt tantâ cum iniuriâ parentem filij ablegarent. Denique ferre cùm Brixiæ desiderium non valeret, & ad redintegrandam existimationem pertinere suam clamaret, vt restitueretur, redire quidem permissus est, sed nihilò plus solidæ, stabilisque quietis, quàm auexisset animo reportauit. Per valetudinis causam plerisque communis vitæ solui legibus postulabat: quod homini vsque eo merito concessum haud grauatè fuisset, si quicquam pacare priuatum potuisset: nec quædam exempli non permittendi (vt priuatos in vsus pecuniam penes se) postulasset. Hoc statu Ribadeneria res offendit. Cùmque, Patre Generali consulto, visum esset ex re partis vtriusque fore, vt ab Societate segregaretur; bona petenti missio data est. Tum omni ex parte Collegio tranquillitas restituta: altissimoque Dei consilio, qui tam multos Societati, seque ipsum bis dederat; eius expers ad vltimum fuit: quanquàm nunquam studio, & caritate seiunctus est. Duo præterea Sacerdotes ex his, qui primò nomina in consociationem subscripserant, sententiam mutauerunt: quorum alter is fuit, in quem grauissimæ obtrectationes extiterant: ceteri omnes constantiam egregiè tenuerunt. Catacense quoquè proximis annis non nihil iactatum est Collegium, quanquàm priuatâ magis ab vno Procerum vexatione, vt receptum inter nos filium ad patrimonium abdicandum compelleret, quàm communi vllâ inuidiâ. Sed Ioſephi Blondi in primis, qui idem Rector erat, concciones ita sedarunt, conciliaruntque Ciuium animos; vt nouum, amplumque templum exædificandum collatâ stipe vltro susceperint: idque tanto apporperarint studio; vt cùm Sancti Ioannis Baptistæ peruigilio Episcopo rite auspicante cœpta ædificatio esset; decimoquarto Kalendas Decembres in parte ad tectum perductâ, sacrosanctum Christi corpus collocatum sit, & tractari diuina cœpta. Templi quoquè Sancti Fidelis amplificationem Mediolani Sanctus Cardinalis magnâ ceremoniâ inchoauit. Hic per Italiam, atque Siciliam status rerum

77 Domesticę turbæ per Angelum Paradisiũ.

78 Is è Societate dimittitur.

79 Catacẽse Collegium à viro nobili vexatũ.

rum nostrarum erat: cùm inter longinquas Prouincias non vnius (vti rerum humanarum instabilitas fert) generis, ac modi esset.

80 Hæretici nobilis conuersio.

Præclarissimæ apud Viennam Austriacam gestæ res. Inter multos ab errore deductos digna memoratu Hæretici satis docti ad resipiscendum occasio. Cùm octo annos partim Tubingæ, partim Argentinæ Schmidelini auditor fuisset, jamque Superintendentis, summâ inter ipsos insanæ sapientiæ assecla dignitate esset ornandus; Viennam venit Citrhæum, Camerarium, alioqui Lutheranæ factionis principes inspecturus. Ijs non repertis, vtendum occasione putauit, vt Collegium Iesuitarum, in quos Schmidelinum Magistrum tertio quoquè verbo contumeliosissimè inuehentem audierat, ante discessum videret. Venit ergo ad Collegium. Excipitur à Patribus humanitate catholicâ, religiosâ modestiâ, comitate sapienti: & idoneus Sacerdos apponitur, qui sermones cum hospite de Euangelio veritatis conferat. Mirari ille principiò nouam doctrinam: tum obiectare si quid habebat: deinde, vbi animaduertit consentanea dici, & consideranda; Schmidelino succensere Magistro, quòd earum rerum mentionem nusquam feciſſet. In summa ingenuus vir, diuinâ scilicet præeunte luce, manuque, paulò post publicè in magnâ studiosorum coronâ hæresim, in qua adoleuerat, quam gloriabatur ex tanti doctoris fontibus hausisse, quam declamationibus propugnauerat, execratus est: vitæque totius commissa ad Sacerdotis pedes magno cum doloris sensu deposuit: haud modicâ felicitate doctoribus veritatis inuentis, dum ministros quærit errorum. Insignis etiam fuit Matronæ cum primis nobilis pœnitentia. Hanc Hæretici non ita multis ante temporibus, & præcipuè concionatricula quædam Lutherana vsque eo infatuauerant, vt eius pertinacia obstinationem & hæreticæ, & feminæ superaret. Vir eius Dynasta nobilis, post admotas complures incassùm machinas, etiam diuortium frustrà comminatus; ad doctorem Martinum Eysengrenium concionatorem Cæsareum deduxit: cuius tandem oratione cum diuinâ ope loco mota traditur Patribus penitus reducenda in viam, & ad pœnitentiam præparanda. Quod vbi est factum, strenuè etiam adiuuante viro, qui ad suam ditionem reditum maturabat, cùm vnà simul adessent vir, vxor, & Sacerdos, qui eam instituerat; incidit fortè mentio de vsuris. Arrigit ad eum sonitum continuò aures senex: facilèque suspicionem mouit Sacerdoti nequaquam ab viri rationibus abhorrere sermonem. Eo igitur studiosiùs, acriùsque rem tractat. Senex apertè earum propugnationem suscipit. Certatur, clamaturque vsque ad rauim. Res erat iucunda. Nam vxor, quæ paulò ante summas viri preces, vt Catholicam Religionem respiceret, auersabatur; viro iam preces admouebat, vt ab iniquo lucro recederet: conteſtans malle se pane vitam, ac gelidâ tolerare; quàm contaminatis iniquitate fructibus gaudere. His vxoris precibus, & productis à Sacerdote argumentis, tandem dat manus senex: posteroque die vterque per sacram exomologesim liberatâ conscientiâ, statim ab confeſſione mutuos in amplexus iuerunt, inuicem gratulantes, suamque alter alteri acceptam salutem cum verbis officiosissimis, tum vero studio referentes. Et profectò, vt cetera non comparentur, nescias vtrum tenaciores hæresis, an auaritia nectat cathenas. His, aliisque, quarum hæ specimen sunt, Hæretici affecti cladibus, illuc toti veteribus artibus, nouis conatibus incumbebant, vt Iesuitarum tela, detractâ viris auctoritate, hebetarent. Ad conciones magnus sæpè pseudoprophetarum cuneus accedebat, cum suis quisque pugillaribus, si quem fortè capere in sermone possent. Verùm vbi solidè, ac disertè, cumque populi totius plausu catholica stabiliri dogmata, suaque refutari audiebant somnia; pudore, quamuis inuictam, subigente frontem, templo exibant multam habentes inter se quæstionem. Promulgarunt etiam typis inſulſam fabellam, quod de Caluino fertur, idem ab Iesuitâ factum fingentes; vt Matthæum quendam simulantem se mortuum, dum excitare tentat, occiderit. Sed maiora pericula ab gladijs, quàm ab calamis impendebant. Tumebat malum, nihilque magis formidabatur, quàm ne quid Genſeanis, & Hugonotticis furoribus simile oriretur. Ipsum quidem Collegium con-

81 Matronæ, & Baronis eiusviri insignis pœnitentia.

82 Hæreticorum infidiæ aduersus Patres Viennenses.

constat hebdomadâ maiore, dum Patres in Domini honorando sepulcro, quod magnificè exornarant, toti sunt, & Nuntius Apostolicus, Episcopus Agrienſis, Cancellarius Boëmiæ, duo Legati Hispaniæ, Legatus Poloniæ, Legatus Venetus, Ferrarienſis, Florentinus, Genuenſis, Mantuanus, & plerique de excelso, quod appellant, regimine interessent, quos omnes impij, vt vnâ strage culmina religionis deijcerent, mactatos volebant, discrimen vltimum adijsse. Sed, Deo suos tegente, ac tantum prohibente nefas, iniecto coniuratis metu, viris fortibus magis carnifices, quàm ipsi carnificibus defuerunt. Ita Prouincialis Magius se, & alios Dei famulos in quemuis paratos casum fuisse testatur. Inter hæc pariter, cum periculis vt intenderetur industria; super conciones per varia vrbis templa fermè septenas, binasque in Collegio tempore eodem Germanicam, atque Italicam; addita est in peramplo Gymnasio Latina, ad quam doctissimi quique conueniebant. At secundùm meridiem vulgaris in templo catechesis introducta. Vnaquaque Domini luce catechistes Sacerdos in suggestum cum vno, alteroue puero conscendebat: & inuocatâ cum omni populo Sancti Spiritus ope; de superiore loco puer, præmisso salutiferæ Crucis signo, orationem Dominicam elatâ voce inchoabat. Illum veluti præcentorem sequebatur turba puerorum, ac puellarum, qui suis distincti locis, & subleuatis in cælum manibus stabant in pauimento. Precatione Domini, & salutatione Deiparæ decantatâ, vna puellarum è scabello Symbolum Apostolorum eodem modulo præibat in cantum. Tum in sellas è diuerso constitutas duo pueri euadebant, doctisque, ac breuibus quæstiunculis è catechismo Romano petitis, mirificè auditores edocebant, & oblectabant. Eam disputationem rursus precationum, quas diximus, symbolique, & decalogi decantatio excipiebat: clausulam postremò aliquid enucleatiùs tractans apponebat Sacerdos. Multiplex indè commoditas, sed præcipuè triplex referebatur: primùm, vt homines è vulgo, qui plurimi accurrebant auditum, id tempus, quo commessationibus, & compotationibus abuti mos erat, innocenter, & piè collocarent: deinde vt pueri, ac puellæ, quæ vel mendosè à parentibus, vel nullo modo docebantur, imò & ipsi parentes rectè discerent christiana rudimenta: postremò, vt frequentaretur precandi vsus, vulgareturque per domos. Namque simili modo domi circa mensam statutos parulos eandem elementorum fidei, & precationum iterare cantilenam iubebant. In Collegio primâ Quadragesimâ Theologicæ doctrinæ schola longo interuallo repetita. Adalbertus Bauschius repetijt: idem, qui in Academiâ alteram scholam habebat: vbi, cùm & Decanum ageret, tum alia fortiter ad religionis munimentum gessit, tum obstitit ne volumina parùm pietati congruentia, quæ magno numero offerebantur, in lucem prodirent: tum denique effecit, vt qui doctrinæ publicis donarentur insignibus, ex diplomate Pij Quarti, Catholicum Symbolum profiterentur. Reducta etiam veneratio sacri Chrismatis, quod procax Hæreticorum impietas in contemptum vocabat. Cùm enim de eo Concionator ad populum ardenter, ac doctè semel, iterumque disseruisset; incensi eius cupiditate tam multi sunt; vt cum Patrum rogatu Episcopus Volaterranus Florentinorum ad Cæsarem Legatus, quem Pontificius Legatus Commendonus paulò ante ibidem consecrarat, in Collegij templo id impertiret (iamdiu enim Episcopo Vienna suo carebat) vnus dies confluentium consignando numero satis non fuerit. Consimilia Pragensis Collegij studia, nec facta minùs prospera erant. Sacratiore quaque feriâ quaterni personabant cæli tubicines, bini Germanico, tertius Boëmico, postremus Italicò sono. Italis propria iam condita in Collegio ædicula erat, ad quam conuenirent. Nec facilè vsque adeo manifestum pretium operæ factum est. Namque cùm essent Itali frequentes; Pragæ præsertim, negotiandi studio: & variorum generum fabri, opificesque; sensim per cultorum inopiam moribus, deinde etiam religione in accolarum prauitatem degenerabant. Iam verò ita feliciter opus processerat, ita suum studiosè sacellum, & sacra, & concionem celebrabant; vt non modò religionem bonam, sed etiam benè tenerent. Ex alijs gentibus multi ad Ecclesiam reuocati: & quidem

83 Viennēsis Collegij labores multiplices.

84 Doctrinæ Christianæ tradendæ ratio.

85 Eiusdem vtilitas.

86 Adalberti Bauschij laboriosa sapientia.

87 Pragensis Collegij salubris industria.

dem per vnam Iobelæi occasionem, quod pro difficultatibus Galliæ promulgarum vbique saluberrimum accidisse comperio; Lutherani sex & viginti, Hussitæ triginta quatuor, Picardus vnus excitati. Ab longo propter sæuientem luem literarum iustitio, cùm ineunte anno patefactum gymnasium est, tanta fuit omnium, etiam Hussitarum lætitia; vt vel longè positi certatim per literas gratularentur; &, velut ex agro post requietem, indè lætior annona prouenit: non ipsis modò pueris haurientibus auidè pietatem; sed in parentes quoquè suos, domesticosque alios blandè transmittentibus. Sed hæc, & alia eiusmodi, quanquam præstantissima, & relatu digna, quoniam, & singulis fermè annis, & Collegijs omnibus sunt communia, nec vacat diligentiùs persequi; satis tantùm sit subinde ad ea æstimanda prudentiam excitare lectorum. Certè Collegij Olomucensis ita celebrabatur in docendo felicitas; vt Hæretici quoquè suos liberos ei committerent. Hîc quarto Nonas Octobris in Sancti Francisci solennijs, lecto ab Antistite, & Collegis die, vt præcipuo quodam Sancti Francisci patrocinio noua familia foueretur; in ædes Collegium suas migrauit. Id cænobium Fratrum Minorum fuerat, quod, ipsis compensatione acceptâ volentibus, & confirmante Pontifice, Episcopus Collegio dedicatum, curâque, & impensâ suâ restauratum aptè nostris moribus conformarat. Haud sine publicâ, piâque ceremoniâ gesta res est. Episcopus cùm sacrum ob eam rem splendidè fecisset, pulcherrimum calicem, totumque sacerdotalem apparatum, quibus nouis vsus est, itemque alia sacerdotalia indumenta Collegio dono reliquit. Secundùm sacrificium, & aptam tempori homiliam; solenni ritu, ac prece domicilium totum lustrauit, ac præmuniuit. Tum ab oratore, & poëta modestè collaudatus est. Denique conuiuium ibidem, quod magnificè apparârat, in tribus seorsim conclauibus dedit. In primo Consules ipsemet, Senatoresque, & nobiles præcipuos, itemque Canonicos excepit: in altero nobilium quidam, & aulicorum epulati; in tertio cum sancta hilaritate, & gratiarum actione Collegæ refecti. Sub hæc Oppauiam abijt suæ diœceseos Oppidum, hæreticâ totum labe corruptum: quod in prisca restituere sacra cupiens; Magium Prouincialem, ac Stephanum Rimelium Concionatorem è Societate adiutores operis duxit. Stephanus in primario templo conciones exorsus, semel, atque iterum pacatè auditus est. Tertiò ad suggestum, ab præfato bona verba Episcopo, dum pergit, aditu intercluditur. Accurrit moras amoliturus Prouincialis: accurrit ipse simul Antistes. Populus furore impio percitus, vt qui penitus tartareum virus hausserat, nihilominus obstare: nec iam tumultuari solùm; sed etiam lapidibus Concionatorem, Prouincialem, Episcopum petere. Adfuit non obscurè fidei suæ propugnatoribus patrocinium Dei, qui cunctos tanto in discrimine seruauit incolumes. Illi autem, ne omni ex parte impiorum furori cederet piorum constantia; in alio eiusdem Oppidi templo, quod instituerant, peregerunt. Vbi, inter cetera, ipsa Concionatoris spectata firmitudo pectoris; qui cùm tantùm non obrutus paulò ante lapidibus fuisset; tanquam non ex eâ tempestate, sed è religiosæ cellulæ pace aduenisset; ita sedatè dixit, ac liberè, animo perinde, ac voce constanti. Vilnam Lithuaniæ caput ex votis religiosissimi Antistitis, qui (vt supra est demonstratum) amantissimè aduocabat, Balthassar Hostouinus ex Olomucensi Collegio cum aliquot missus est Socijs, qui interim, dum Collegij numerus expleretur, tanquam in statione considerent. Proprouincialis Franciscus Sunerius deduxit. Episcopus duas rhedas, quibus vsherentur, & equitem viæ ducem vsque Bransbergam cùm misisset, suum quoquè obuiam equitatum misit. Sed Sunerius cùm contra tenderet, vt & soli, & pedites vrbem inirent; hoc solùm impetrare potuit, vt equitatus modestiam religiosam ne onèraret. Itaque eo regresso, sine comitatu quidem, sed vrbanis omnibus ad fores, ac fenestras effusis, Vilnam intrarunt. Verùm qua gratulatione quibus lacrymis ab studiosissimo Antistite, qui vitam nonnisi in eum diem prorogatam sibi cupierat, excepti sint; nequicquam exequi coner. Secundâ sacri Aduentus Dominicâ, quæ in Nonas Decembres incidit, Magdalena, & Helena Reginæ Ferdinandi Cæsaris filiæ, quæ in magnâ vitæ sanctimoniâ perpe-

88 Olomucensis Collegij incrementa.

89 Episcopi in Societatem benignitas ac liberalitas.

90 Oppauiensem diœcesim visentem Episcopum Patres Magius ac Rimelius comitantur.

91 Eius Oppidi Hæreticorũ ferox pertinacia.

92 Vilnense Collegium cæptũ.

93 P. Balthassar Hostouinus eò missus.

94 Nostri magna gratulatione excepti.

Digitized by Google

95 Hallensis Collegij origo.

perpetuæ se dedicarant integritati, Oeniponto Halam commigrarunt. Quæ, cùm adduci nullâ ratione possent, vt Societatis, sub cuius adoleuerant disciplinâ, carere operâ vellent; cunctis opibus contenderunt, vt & illam ad se Halam aduocarent. Ergo Socios aliquot Prouincialis Hoffæus ad ineundam possessionem ædium, quas ad id Reginæ comparauerant, deduxit. Ita Collegij initium factum est Halæ: cui Reginæ domum, ac templum, quo ipsæ interim vtebantur, post suum obitum possidendum donarunt. Tyrocinium Monachij ordinatum, Patrique Bonauenturæ Paradinio ab Vrbe missio traditum est regendum. Dilingâ distat duabus leucis ditio quædam, quam Bissingensem nominant. Eam ab Hæreticis per annos circiter quinque & viginti occupatam cùm emisset Conradus Bemmelbergius, vir egregiè catholicus, nec suæ modò, sed & alienæ cupidus salutis, præsertim eorum, quorum si negligeret, suam minimè obtineret; eò præcipuè curam intendit, vt restitueret Saluatori. Eam ob rem cùm Patris Canisij eo tempore Prouincialis iussu Ioannem Rabesteum Collegij Hieronymiani Dilingæ Rectorem (ipsi Regentem vocant) acciuisset; is & oris docti facundiâ, & (quod multò est facundius) vitæ innocentis exemplo, adhæc promptâ cuiuis benignitate, & comitate plus quadringentos permouit, qui execrati publicè sectas, permansuros se in Romanæ Ecclesiæ fide iurarunt: paulòque post pertinacioribus quoquè expugnatis, prope ad vnum, omnes pietatem catholicam receperunt. Sed hîc quoquè turbandus est lugubri narratione rerum lætarum cursus: vt nec insolenter tot victorijs, tanquam incruentæ prorsus nobis acciderint, gloriemur: nec vnquam callidissimis hostibus nuda sancto Dei timore latera ostendamus. Oeniponto, vbi concionatorem ordinarium apud Archiducem Ferdinandum agebat, Antonius Klesselius ab Societate, & Catholicâ religione profugus furtim se ad Hæreticos proripuit. Is Dilingæ, vnà cum Eduardo Thorn, ac Simone Emrio olim versatus, vehementer de orthodoxâ fide dubius cùm vacillaret; miraculo quodam (vt ipsemet commemorauit) in gradum sanæ mentis repositus est. Eâ de causâ, quòdque aliquid literarum habebat, nec impromptus ingenio, linguâ promptus erat, edebatque constantiæ certa satis documenta; permissus est cum populo agere. Sed hominem superbum, ac leuem breui rectè facti pœnituit. Literis contra Papam insaniæ suæ testibus ad Ferdinandum Archiducem missis, eiecit se in terras Samaritarum, magno cum populi sancti dolore: illud Euangelicum re ipsâ pronuntiatum confirmans: Qui Moysem, & Prophetas (hoc est diuinæ legis auctores) non audiat, eum, ne si mortui quidem resurrexerint, creditum: quandoquidem is ab eâ religione, in qua prædicabat se miraculis confirmatum, sustinuit tam fœdè deficere. Eodem tempore Simon Emrius, qui Dilingâ superiore anno ad Natalem in Belgium missus, indè Parisios translatus fuerat, si quo modo curari posset, segregauit se â cætu bonorum. Quodque magis est miserandum, cùm in Societatem ipsam calamum stringere multa minitans statuisset, iamque epistolam exarasset adeo probrosis refertam mendacijs, vt nulla impudentior ab Hæreticis exisse diceretur; in hominem inimicum incidens Louanij repentinò occisus est. Animaduersum est hunc maximè Simonem Dilingensis auctorem calamitatis fuisse, eique & Klesselio immoderatum aduersùs impiam Arabis Auerrhois doctrinam studium nocuisse. Sed Klesselium tandem clementia diuina, quæ tenuerat ante labentem, etiam prostratum luminibus pietatis respexit, potentique manu erexit. Is, postquam Oeniponto (vt supra est demonstratum) profugit, sui miser ingenij nimium fragili, inermique cymbâ confisus, sine gubernaculo, & cynosuræ conspectu, immensum tentare diuinarum oceanum scripturarum instituit. Dùm ergo, quocunque tempestas impelleret, præceps in exitium deferretur; libros peruolutans Hæreticorum, & primos quosque eorum conueniens, diuino nimirum miserante Numine, in mediâ tenebrarum caligine radium dispicere vitalem cæpit. Nam considerans quibus se inuoluisset ambagibus, quàm inextricabilem in labyrintum mersisset, quàm omnia extra Ecclesiam incerta, abrupta, inter se pugnantia essent, quàm innumerabiles

96 Recens Monachij Tyrocinij P. Bonauenturæ Paradinius regit.

97 P. Io. Rabesteni opera Bissingæ Hæretici multi conuersi.

98 Antonius Klesselius ab Societate, & Catholicis deficit.

99 Simonis Emrij apostatæ exitus luctuosus.

100 Klesselio Hæreticorũ discrepantia auxilio est ad resipiscendum.

Digitized by Google

les in opiniones distracti Hæretici, superbè vnoquoque de cogitationum suarum ludibrijs fabricante sibi religionem, eodemque mox negante, quod paulò ante affirmauerat, secumque pugnante: quemadmodum filius prodigus memoriâ repetens quas copias in domo patris sui, quas delicias reliquisset, easque cum miserrimo rerum suarum statu præsenti comparans; epistolam, vt ipsamet docet, cum insigni doloris sensu, ad Collegij Pragensis Rectorem Henricum Blyssemium scripsit, quæ ad verbum est talis. Quòd in hac tantâ necessitate, quæ me & Deum, & homines compellare cogit, ad Reuerentiam tuam, tanquam ad primum salutis portum confugio; illud me inter alia mouet, quòd quondam, veluti infans in Christo recens natus, à te spirituali Patre spirituali alimoniâ enutritus sum. Quare magnopere confido eius auxilio me renasci posse, cuius olim diligentiâ, atque studio & natus in Domino, & educatus sui. Nec verò opus esse arbitror multis explicare, quæ me tam vehementer vrgeat necessitas, quæ tantoperè premant angustiæ, vt diuinum, humanumque auxilium implorare compellar: cùm procul dubio non te lateat, quin infeliciter ego prodigus ille filius (fatebor enim verum) ex ædibus paternis, contra pientissimi parentis voluntatem, tredecim ab hinc mensibus discesserim. O infaustum illum diem, qui hoc monstrum edidit. Non addam exaggerando reliqua, quæ in Historiâ Euangelicâ sequuntur, cùm res suâ ipsius mole conscientiæ plusquam plurimùm grauet, & solummodò non opprimat. Hanc potius, mi Pater, vocem supplicem accipe: Peccaui, Pater, in cælum, & coram te: nec iam sum dignus vocari filius tuus. Pœnitet ex animo Serenissimum Principem offendisse: pœnitet Societatem vulnerasse: pœnitet Ecclesiæ Dei scandalum magnum exhibuisse: pœnitet denique Hæreticorum libros & legisse, & vidisse vnquam. Testor sanctam, & indiuiduam Trinitatem scrutantem corda, & renes, me sincerè loqui. Scio enim non absque meo ingenti damno edoctum quid sit versari in Babylone, vbi omnem conscientiam in rerum diuinarum cognitione inuestigandâ, haud secus quàm nauim in mediâ tempestate amisso clauo, fluctuari necesse est: vbi, veluti in labyrintho, nullus exitus inueniri potest: vbi ipsimet infelicissimi Ciues in mille factiones dissecti, mutuis vulneribus sese miserabiliter conficiunt: vbi denique quot capita, totidem sunt sententiæ. Non referam alia innumera, quæ me mouent, vt, exemplo columbæ sanctissimi Noë, ad arcam Dei Ecclesiam redire summis votis contendam: quandoquidem extra eam nullus portus, nulla appareat statio. Itaque agnitione culpæ, tanquam cælesti fulmine percussus, ad te, Pater Henrice, Ananiam meum, confugio, consilium componendi hoc tam funestum negotium obnixè flagitans. Fortè Reuerentiæ tuæ videbitur, vt rem referam, vel ipsemet proficiscar ad Patres eius Prouinciæ, ex qua discessi. Verùm cùm multis de causis tanta nondum ausim, & te intercessore omnia feliciùs transigenda sperem; oro te, per Iesu Christi viscera, & per piam Patris Ignatij memoriam, ne me in his angustijs deseras: sed ad Patres siue Romanos, siue Petrum Canisium, & Paulum Hoffæum, qui me discedente in Prouinciâ superioris Germaniæ primi fuere, quamcitissimè scribas, hunc meum animum exponas, & quid faciendum sit ab ipsis rescias: simulque meo nomine roges, ne se difficiles hac in parte præbeant. Ad hoc impetrandum plurimùm conferre spero, quòd apud Sectarios nec conditionem vllam susceperim, nec suggestum publicum aliquando conscenderim. Re cognitâ Patres Romani multùm lætati, pium raptæ ouis ex lupi inferni faucibus extrahendæ negotium eidem Blyssemio commendant. Eius accitu venit Pragâ Antonius, publicè damnat errores, ex formulâ Pij Quarti profitetur catholicismum, noxas apud Blyssemium exponit: tum rite absolutus, à Præposito quoque Generali veniam per literas poscit: quarum caput totidem apicibus tale est. Benedictus Deus, & Pater Domini Nostri Iesu Christi, qui secundùm misericordiam suam magnam regenerauit nos in spem viuam. Placuit, Reuerende admodùm in Christo Pater, ab hac exordiri sententiâ, quòd ingenti Dei beneficio iam à mortuis excitatus, & quasi denuo renatus sim. Hodie enim coram Nuntio Apostolico, Reuerendissimo

101 Kleselij Epistola ad Patrem Rectorem Pragensem.

102 Eiusdem pœnitentiæ signa

103 Reconciliatur Ecclesiæ.

104 Veniam à Borgia per literas petit.

Archie-

Digitized by Google

Archiepiscopo, & alijs viris catholicis hæresim abiuraui, & Ecclesiæ Catholicæ restitutus sum. Quare Domino Deo, quantas possum, ago gratias, qui me, pro suâ infinitâ bonitate, de profundo inferni extraxit, & supra firmam petram collocauit. A tuâ verò Reuerendâ Paternitate, & à totâ Societate in primis supplex veniam peto, quòd tam pernicioso exemplo, scandalo, & offensioni fuerim: promittens me omnibus modis, quibus potero, maculam hanc, qua sanctam Societatem conspersi, abstersurum. Deinde verò infinitas quoquè gratias ago Reuerendæ Paternitati vestræ, & toti Societati, quòd & precibus, & alijs plurimis caritatis officijs in hac miserrimâ calamitate meâ adiutus sum. Vtinam possem tantis beneficijs pro dignitate gratus existere. Reliquâ epistolâ, quanquàm obedientem se fore spondebat; declarabat tamen grauem admodum sibi reditum ad Societatem fore. Itaque, quoniam solennibus nec dum votis obligatus erat, & tantâ se infamiâ macularat, & acre, ac refractarium ingenium vel commodaturum ampliùs, vel minùs incommodaturum publicè, si religiosis nexibus liber ageret, apparebat; suas sibi res habere permissus est. Qui religionis damnum vt resarciret; non contentus execratione publicâ exitialium opinionum; libellum in earum detestationem, & commendationem Catholicæ sapientiæ scripsit, & vulgauit: eandemque deinceps strenuè defendens, ac prædicans, ad senectam vsque perseuerauit.

105 Extra Societatem eum degere satiùs iudicatur.

106 Rhenanæ Prouinciæ res.

Rhenana Prouincia superioris anni statum obtinuit in Scholasticorum domesticorum partitione: vt, qui studijs humanitatis, & rhetoricæ expoliebantur, Herbipoli: qui naturalibus, quique cælestibus disciplinis, Moguntiæ essent. Nouitij coacti Treuiros sub Osualdi Redlingij institutionem. Hîc etiam restituta philosophia, quam pestilentia, & bellum ante biennium dissiparat. Totam verò Ciuitatem iam reflorescentem inter Paschalem lætitiam Antistitis Iacobi ab Els consecratio exhilarauit. Cum ingenti res dignitate, ac maiestate gesta, nec minore magnificentiâ: epulo cunctis Ecclesiasticis, & Senatoribus dato: diuiso pro more patriæ Ciuibus vino: erogatâ largè tenuissimis stipe: sed omnia ipsa anteuénit Antistitis pietas: qui quò diuinum spiritum per cælestes ritus copiosiùs hauriret; diuturno se cilicio, ieiunio, pœnisque alijs, solitudine, consideratione, & precibus ex Sancti Ignatij præceptis, demum pridiano non suo tantùm, sed & omnium Religiosorum ieiunio, ac precatu capacem fecerat. Continuò ad regendam disciplinam aggressus, conuentu maximo conuocato, post solenne de Sancto Spiritu sacrum, in suggestum ascendere Patrem Ioannem Berchelium iussit. Is, vt egregiè præmeditatus erat, luculentam orationem habuit. De redemptione pallij Archiepiscopalis non pauca præfatus; ad corruptelam transijt deplorandam & rituum sacrorum, & dogmatum: cùmque necessitatem ea restituendi tractasset; viam expeditam ostendit, si quæ in vnum coniuncti Christianarum gentium sapientiâ, & sanctitate primi quique Patres per duodeuiginti annorum curam modico libello comprehendissent, inducerentur in mores. Hanc ad Pastores Ecclesiæ pertinere curam. Quòd si sua quisque pro virili parte defungeretur, iam in effectu fore omnia. Ipse verò ante alios Princeps in eum se se locum reputaret euectum, vt euelleret, ac plantaret, destrueret, & ædificaret. Mente parumper intueretur quantum animarum (ipse Princeps vti libertate iusserat) ex sese penderet: quarum si qua per incuriam speculatoris periret; sanguinis eius, & sanguinis Iesu Christi redditurus ipse rationem esset. Proinde obligatam Deo, Pontifici maximo, Ecclesiæ suæ fidem meminisset. Quæ cùm grauiter disputasset; subiecit: Talia nimirum cum animo suo perpendentem Antistitem, consilium cæpisse Tridentini Concilij promulgandi: eiusque rei commoditatibus indicatis finem dicendi fecit. Tum Præsulum vnus; orationis summâ collectâ, ostendit, iubere omnino Excelsissimum Dominum Sanctissimas Concilij Tridentini seruari leges. Itaque secundùm illas in posterum causæ, & controuersiæ iudicarentur: ac nominatim decreta de cooptandis ad sacros ordines, deque clandestinis Matrimonijs (quæ continuò ex magno, præclaroque volumine, quod Pius Quartus ad priorem Archiepiscopum per Canisium

107 Osualdus Redlingius Tyronum magister.

108 Antistes Iacobus ab Els cũ lætitia, ac pietate consecratur.

109 P. Io. Berchelius Religionis ac morum correctionẽ è suggestu commẽdat.

110 Suum Antistiti munus inculcat.

111 Concilij Tridentini Treuiris promulgatur.

Digitized by Google

sium miserat, clarâ voce recitata sunt) præcipuâ curâ obseruarentur. Ad extremum suum cuique de conuentu Concilij exemplum donatum est. Nam edi typis minore formâ, egregièque compingi, ornarique ob eam rem Princeps iusserat. Fuitque munusculum opportunitate gratum, liberalitate iucundum, simul afferens ad officium explendum & facultatem, & stimulum. Sub ea, diœceseos inspectionem prudenti temperamento salubrem instituit, eo nomine, vt cognosceretur quæ quibus locis difficilia seruatu essent. Itaque cùm pleraque non magno negotio in mores inducerentur; in alijs iubebantur Pastores, quique alij repugnarent, difficultates, quas Antistes cognosceret, scripto complecti. Diuisâ in duas partes diœcesi, inferiorem circa Confluentiam, superiorem circa Treuiros. In hanc obstiti non potuit, quin cum Decano Vesalienſi Hermannus Thyræus Rector Collegij mitteretur. In Herbipolitanam diœcesim cœptæ anno superiore excursiones latiùs explicatæ. Ipse enim præibat Episcopus. Rector Collegij Georgius Baderus, præter domesticam solicitudinem, Eiffelstadium, non procul Herbipoli, singulis hebdomadis itabat: parochique, & concionatoris ita vices supplebat; vt optimi quique cuperent nunquam eiusmodi curam omitti. Sed palma Apostolicarum peregrinationum penes Christianum Haluerium erat. Ochsenfurtum ille, & Murstadium, aliaque Franconiæ oppida, & vicos percursans, alloquendo plebem, erudiendo parochos, omnes incendens ardore suo, ingentes Christo Domino prædas, ex inferni lupi raptas faucibus, referebat. Coloniæ etiam num Collegij magis communis, ac popularis, quàm religiosi forma sustinebatur. Hoc tamen anno in ædium partem religiosis vsibus aptiorem translatum est, & ab contubernio Conuictorum omnino seiunctum. Haud facilè dixerim an aliud vsquam Collegium lentioribus adoleuerit incrementis, idemque & patriæ, & societati maiora per incommoda plus commodarit. Notatu dignum est, hoc primùm anno, qui sextus super vigesimum ab eius exortu numerabatur, perpetui census aliquid possedisse. Sed & ipsa notabilis summa est: duodequinquageni fuerunt Caroleni, quos Pater Henricus Dionysius in patrimonij sui distributione addixit. Interim ad aggrauandam infamiâ inopiam, excitarat Satan hominem improbum, qui, simulatis nominibus, ingentem sibi pecuniam deberi ab Patribus contendebat. Iamque totam vrbem fœdissimo rumore complerat, Iesuitas, concionatores pariter, & infitiatores mirificos celebrare publicè eleemosynas, exercere priuatim rapinas: se miserum viuum ab ijs, videntemque spoliatum. Quæ, quanquàm apud æquos partium æstimatores fidem non inueniebant; tamen apud leuem, & credulam multitudinem non poterant non suspicioſa, & Religiosorum auctoritati non damnosa esse. Patres, dum vias resarciendæ infamiæ non negligunt alias; adfuit pijs supplicum votis humanorum cordium versator Deus: & ita fodit conscientiam, ita mentem, linguamque conuertit auari obtrectatoris; vt suâ sponte dicta recantans, damnarit sese, & ipsos absoluerit. Quo sanè mali remedio nec inueniri erat ad populum glorioſius, nec religiosis optatius, nec nocenti salubrius: cùm efficacissimè idem Ciues errore, Religiosos infamiâ, criminatorem crimine liberaret. Tornaci domus empta, vbi Tyronum palæstra instituenda propriam sedem haberet. Cameracense quoquè Collegium, cùm adhuc sui nihil solo fixum possideret, tectum, & aliquid annui reditus, priuatâ Ciuium liberalitate, adeptum est. Louanienſe haud modicè illustrari cœptum Roberti Bellarmini concionibus primò, deinde Theologicis scholis. Is, post decursum philosophicum Romæ stadium, cùm annum vnum Florentiæ, tres in Monte Regali apud Subalpinos Humanitatem, & Rhetoricam, ingenti cum omnium approbatione, docuisset, interimque religiosis diebus ad populum verba fecisset, ac postea Patauij sesquiannum, nequaquam concionibus intermissis, dedisset operam Theologiæ; Louanium huius anni Vere missus est: vt interim dum studia Theologica persequeretur, Latinis concionibus, quemadmodum olim Franciscus Strada, ac deinde Petrus Ribadeneria fecerant, Academicos adiuuaret. In templo igitur Sancto Michaëli sacro, octauo Kalendas sextiles beati Iacobi festo die, di-

112 P. Hermannus Tyræus Treuirensem diœcesim excurrit.

113 P. Georgius Baderus in Herbipolitanis missionibus adlaborat.

114 P. Christianus Haluerius in ijsdem egregiè se gerit.

115 Coloniensis Collegij incremẽta.

116 P. Henrici Dionysij in idem Collegium pecuniarũ adiumentum.

117 Ingens in Patres iniecta calũnia, moxque disiecta.

118 In Belgio Tornaci Tyrocinium instituitur.

119 Robertus Bellarminus Louanij concionatur, & docet.

Digitized by Google

cere exorsus est haud dum Sacerdos: sed paulò post Gandaui ab Cornelio Ianſenio inclytâ doctrinâ viro initiatus est. Illud animaduerti, cùm de eo mittendo ageretur, ac Longobardiæ Patres ægrè se tantæ non spei modò, sed præsentis opis iuuene spoliarent, ac medici quoquè non nihil dubitarent de valetudine; Patrem Borgiam perstitisse in sententiâ, vt iret, ac, tanquam vaticinaretur, præclara semper de illius profectionis exitu promisisse. Ipse verò Robertus cùm cognouisset Patauinos Patres, vt Collegio suo prospicerent, quòd quem sufficerent Ecclesiasten non habebant; per alias, atque alias moras Præpositi Generalis sententiam retardare; ad ipsum Præpositum scripsit: Siquidem vellet se proficisci; literas ad se huius mandati nuntias daret, se viam obedientiæ inuenturum. Atque ita est factum. Adeo sinceri studiosus erat obsequij. Vbi verò peruenit in Belgium, tacitâ quadam animi præsensione, qua ferè nunquam fallebatur, septem annos Louanij se futurum dixit: quemadmodum triennium in Monte Regali ante fore prædixerat: ac neutrobique est falsus: nec in alijs postea prædictionibus, quæ suo loco prodentur. Audomarensis Antistes Collegij ab se fundati reditus auxit: & scholarum absoluto ædificio, templi iecit fundamenta.

120 Discessus eius ægrè fertur.

121 Obedientia eiusdem.

122 Prædictionum euentus.

123 Audomarensis Collegij progressus.

Galliæ, si vllus memorandus hic annus fuit, tum alijs minoribus, tum ob insignes duas de Hæreticis rèportatas victorias. Prior tertio Idus Martias ad Clarentiam amnem parta, vbi & Condensis Princeps, funesta incendij Gallici fax, occidit: altera quinto Nonas Octobres prope Pictauos inter duo flumina, quæ paulò post confluentia quinque circiter leucarum quasi Insulam efficiunt. Vtrique adfuere, & quicquid in ipsis fuit, religiosi auxilij contulerunt homines Societatis. Certè Borgia Generalis, post alia multa ad Deum placamina, vno mense ante posteriorem victoriam, mille Hostias Societati edixerat. Itaque dum illæ maximè imolantur, prosperè pugnatum est. Ad hæc Edmundus Augerius cùm initio anni Lugdunum veniſſet simul publicarum rerum causâ missus ab Henrico Regis fratre, simulque ob priuata Societatis negotia, vt Procuratorem reuersum ab Vrbe Ludouicum Codrettum conueniret; vtrisque sedulò procuratis, longo, ac periculoso itinere ad exercitum reuersus, dici vix potest quantâ ab Henrico exceptus voluptate, & gratulatione sit. In pago, cui nomen Ruffech, quarto ab Engolismâ milliario tum præcipua exercitus pars habebat castra. Neque ei solùm, sed etiam Ducibus Montepensério, Guisio, Ioiosæ, alijsque percarus, summæque auctoritatis Edmundus erat. Ibi, quòd barbara perduellium impietas ædes sacras euerterat, conuocatis in peramplas ædes ad forum sitas militibus, & nobilibus post insignem concionem, quasi Indicæ vastitatis, vel exorientis Ecclesiæ facies repræsentaretur, rem diuinam fecit: eò maiore hominum frequentiâ, quòd vnusquisque militum, vti iussus erat, hospitem, apud quem diuersabatur, adduxerat. Nec interim segniùs in Ciuitatibus pro victoriâ contendebant Socij, perpetuis in dicendis precibus, habendis concionibus, instituendis supplicationibus. Billomæi Patres, apud quos Prouincialis Oliuerius in Quadragesimâ diuini verbi semen multiplici respondens fruge spargebat: alias, atque alias supplicationes, sed vnam celeberrimam instituerunt, in qua Sancti Irenæi patroni vrbis, quod nunquam ab triginta annis factum erat, sacræ Reliquiæ circumlatæ. In hac, cùm & Consules, & Canonici contulissent operam; omnis generis hominum spectata est & frequentia, & pietas singularis. Præcedebant scholastici terni cælestium singillatim inuocantes opem è solenni nomenclaturâ: sacræ Reliquiæ, & Canonici medium tenebant: secundùm Canonicos succedebant Collegij Patres (nihil enim rebantur se contra morem ordinis tempore tali committere) dein popularis multitudo seiunctim à Matronis, Virgines passis capillis, velo superiecto, nudis pedibus, pium quippiam sermone patrio succinentes. Has cingebat vtrinque honestarum ordo Viduarum eodem cultu incedentium: ac ne quid turbæ incideret, vtrumque latus armati sepiebant. Tum viri ab adolescentibus discreti. Suo quique pro dignitatis modo incedebant ordine tædam manibus incensam ferentes: Deinde pauperes octodecim, quos Claromontanus Antistes alendos, instituendosque Societati testa-

124 Catholicorum victoriæ in Gallia de Hæreticis.

125 Edmundus Augerius Galliæ Primoribus carus.

126 Billomæorum piæ supplicationes.

mento

mento commisit. Nudis ibant pedibus, linteis amicti candidis, nudo capite: ardentes faces, & insignia Patroni gestabant. Hoc autem in longissimo, & præclaro agmine nihil erat spectabilius, quàm modestia, pietasque, & animi commotio singulorum, deiecti vultus, immoti oculi, incessus grauis, totus animus ad propitiandum Deum collectus. Paulò minore apparatu eo ipso die, quo Condæus deletus, cæsusque est, iterum supplicatum: vt non mirum sit miseratum è cælo Deum tantam religiosissimi populi pietatem. Longum esset, quæ alibi his similia curarentur, exequi. At Edmundus in castris tantùm priuatis, publicisque apud Duces, militesque sermonibus, ad rem fortiter gerendam, contulit; vt partæ ad tertium Idus Martias victoriæ nonnulla pars meritò illi tribueretur: quam videbatur etiam prædixisse. Nam quo die ad Iarnacium feliciter pugnatum est, peracto rite sacro, præbitâque Regis Fratri Henrico, & Duci Montepenserio, alijsque nobilium, qui perfrequentes intererant, diuinissimâ Eucharistiâ; dum Henricum ipsum loricam se induentem iuuat, & fibulas thoracis ipse met nectit, magno eum ardore ad viriliter pro Deo, proque religione certandum adhortans: Ito, inquit, bono animo: haud dubiè victor redibis. Cæso præclarâ eâ clade Ludouico Borbonio Condensi Principe, perduellium copiarum summa, penes Admiralium Gasparem Colignium mansit: qui dum vndique contrahere auxilia, & nouas reparare conatur vires; catholici quoquè Principes ad debellandum intenti, confirmandis opibus suis insistunt. Tum Pius Pontifex vrgendum maximè, & pessimum stirpitus excidendum semen ratus, auxilia misit, quibus Sfortiam Sanctæ Floræ Comitem præfecit. Cum his copijs eos de Societate, quos supra nominauimus, voluit proficisci, qui tum ægros curarent, tum vniuersis diuini verbi præconio, sacrosanctisque mysterijs præsto essent. Exercitus primò Vlpianum conuénit. Hîc primùm, dein alibi ita Socij instituére eum diligenter, ita se ipse docilem præbuit; vt nec ludi, nec dicta impia, nec rixæ, nec fermè vlla, quæ solent militarium esse hominum vitia, inter eos inuenirentur: maximaque pars, antequam Alpes transirent, tum leuauerunt confessione animas, tum recepto cælesti pane roborauerunt: perque ipsam Galliam principiò eam modestiam præstiterunt; vt præclaram incolis admirandi materiam darent. Verùm sub ingressum in terras bello infestas, cùm omnia reperissent vasta, augente etiam æstiuo tempore ærumnas; & illa disciplinæ pulcherrima forma non leuiter obscurata est: cùm id quisque ad vitam tolerandam haberet, quod aliunde quoquomodo corrasisset: & quamplurimi ex inopiâ, & cerasorum, fabarum recentium, & id genus parùm salubrium alimentorum immodico vsu grauiter ægrotarunt, & multi confecti. Quò propiùs ad regia castra venerunt; eò magis vtrumque sensim malum leuatum, egregiè suo munere præfectis fungentibus: qui non modò stipendia in tempore, sed etiam auctiora pependerunt. Ita enim iusserat Pontifex, optimè gnarus ab exercitu esuriente nec morum disciplinam, nec ad pugnandum alacritatem exigi posse. In Turonensi suburbio institutum Nosocomium est, vbi magno labore Patres septingentis initiò circiter ægrotis & diuina præbuerunt; & humana subsidia. Interim Augerius post Iarnacianam victoriam Lemouicum ab castris tantisper & publicas ob res, & valetudinis causâ digressus, ibidemque maiore hebdomadâ concionatus; Hæreticorum trecentos sexaginta ad Catholicos reuocauit, & cœnobium Virginum instituit, rebus curatis omnibus, vndè vicenæ quinæ alerentur. Atque, vt non præsentibus modò, sed etiam absentibus leuamento esset; ad Tolosates Ciues, quorum non modò religionem in Deum, sed etiam humanitatem erga se meritò curæ habebat: gallicè scriptum libellum misit: vt quos diuturni belli calamitatibus defatigatos, afflictosque acceperat, solaretur. Illi libellum ediderunt. Titulus erat: Spirituale saccarum ad condiendam bellorum præsentium amaritiem. Eodem tempore Pater Bartholomæus Guerandus Catholica sacra instaurauit Isidori. Ea Ciuitas receptaculum fuerat Hæreticorum Aruerniæ: synagogamque satanæ habuerat, & Caluiniani verbi ministros: sed superiore anno Catholicum præsidium in Hæreticorum fanum iustas iras exprom-

127 Augerij insignes in Castris labores.

128 Romanorũ Sociorum curæ in Pontificio exercitu.

129 Augerius Lemouici multos Hæreticos Ecclesiæ restituit

130 Cœnobium Virginũ instituit.

131 Vtilem Catholicis libellum conscribit.

132 P. Guerandus sacra catholica Isidori reparat.

Digitized by Google

pserat. Vbi primùm eò Bartholomæus venit; Hæretici adfuturos se disputanti, si modestè ageret, promiserunt: sed non stetere promissis. Tum Bartholomæus liberè inanium Theologastrorum proferre in medium exorsus nugas; illustrare dolos, rationum figmenta diffingere, multos profugorum ad castra Dei retraxit, Fidelium roborauit constantiam: denique non pauços ita concussit; vt cùm paulò ante nihil certius errore suo arbitrarentur; iam inciperent (qui primus gradus benè sentiendi est) dubitare. Princeps illud operæ pretium fecit, quòd edicto à Prouinciæ Præfecto impetrato, vt suos Hæretici liberos ad baptismum deferrent; tantus eorum numerus adfuit, vt Annuntiationis Deiparæ sacro die Sacerdotes tres ab meridie ad clausum vsque diem baptizandi labor tenuerit. Et, quoniam res magnâ celebritate gerebatur; homines, qui priscas Ecclesiæ ceremonias oderunt; non modò suos certatim ad sacrum fontem offerebant liberos, sed & afferebant sumptuosè, ac splendidè exornatos. Ad hæc catechismo post meridiem explicando plurimùm profecit: & bis quaque hebdomadâ Sacerdotibus, virisque religiosis priuatim instituendis. Menstruam quoquè synaxim in primum cuiusque mensis Dominicum Diem induxit, designatis ex acrioribus quibusdam, qui posthac ceteros incitarent. Postremò tres ludimagistros, & bibliopolam fatores errorum eiecit. Nec segniùs eodem vere, nec minore

133 P. Annibalis Codretti conciones Auscj.

successu Auscitanos Annibal Codrettus excoluit. Auscum vndecim ab Tolosâ leucis distat, vrbs Archiepiscopali sede nobilis. Præsulem tum habebat Hippolytum Estensem Cardinalem, cuius Vicarius Gerardinus, imminente solenni quadragenarum concionum tempore, concionatore ex improuiso destitutus, ad Tolosanos Patres confúgit. Ergo quanquàm non sine Collegij, & Ciuitatis incommodo, vberiore tamen communis boni propositâ spe, ipsemet Annibal Collegij Rector profectus; tum quotidianis sermonibus, tum doctâ catecheſi diebus

134 P. Petrus Christinus in Oppido S. Spiritus Hæreticos dedocet.

alternis, expectationem, qua exceptus est maximâ, longè superauit. In Oppido Sancti Spiritus prope Auenionem Petrus Christinus non modò multos è vulgo, sed etiam doctos, & eloquentes ad meliora conuertit. Quorum non nullis haud satis fuit recantare publicè insanas opiniones; sed insuper è superiore loco ad concionem ardore animi ingenti insectari hæresum fallacias, & sanctæ Romanæ Fidei prædicare veritatem coeperunt. Quo tempore in Lugdunense Collegium leuis exorta, facileque excussa procella est. Cùm maximè incerta esset plerorumque religio, altâque Hæreticorum simulatione abditæ voluntates, quò teneræ ætati prospiceretur, Præses (quem vocant iustitiæ) edixit, vt quotquot in Ciuitate pædagogi essent, commissos sibi quisque pueros literarum, & catechismi causâ ad Collegium Societatis ductarent. Ea res pædagogorum animos,

135 In Lugdunense Collegiũ procella.

cùm scilicet (vt verosimile est & Hæretici instigarent, nisi totam ipsi accusationem confinxerint) haud leuiter pupugit. Ad querimonias, & calumnias versi, apud regium Aduocatum, ac Præsidem expostulant, Iesuitas velle dominari solos in vrbe: nil sibi non modò dignitatis, sed ne vtilitatis quidem relinqui: & tamen apud eos docere homines, qui docendi ipsi essent: nec sedem opportunam esse, in quam ex totâ vrbe pueri compellantur: postremò discentium classes inutiliter, & perperàm distributas. Talia querelarum capita scripto cùm tradidissent; iudicij Præses Patrem Guilielmum Crittonium Collegij Rectorem, cum vno, alteroque Sociorum, pariterque expostulatores accersijt. Adfuere duo & triginta puerorum ductores: qui iussi causam agere, coramque Patribus querelas exponere; seù conscientiâ coërciti, seu diuinitus stupore iniecto, seu maioris damni metu deterriti, pars etiam quòd prorsus ignara libelli esset, ne hiscere quidem ausi sunt. Ad extremum, dum in angulos alij se abdunt, fugam non nemo tentat: quidam apertè Collegij institutionem, doctrinam, & diligentiam laudant: singuli viritim interrogati, nunquid aduersùs Societatem, aut eius disciplinam haberent; nemo vnus inuentus, qui non publicè profiteretur nil sibi

136 B. Guilielmus Crittonius aduersarios à calumnijs vindicat.

esse, de quo iurè posset expostulare. Tum Pater Rector ad ea, quæ libello comprehensa erant, responsendi veniâ à Præside impetratâ: Ad id, inquit, quod primum omnium conqueruntur, dominari nos velle solos; non est quòd ego

respon-

respondeam. Vestri vos edicti rationem reddite. Nos libenter hoc quicquid auxistis laborum, pro sacrorum incolumitate susscipimus: illud pro certo habentes vtrum quid cuipiam ex vestro edicto vel decoris, vel emolumenti decedat; à vobis, ad quos pertinebat, satis prouisum. Nil à nobis tale optatum pro me ego sum testis: num fortè nostro petitum sit nomine conscientia vestra testetur. Eodem modo cùm angustiæ classium, vel situs Collegij reprehenditur; non factum aliquod nostrum, sed Consulum, ac publicum Ciuitatis accusatur. Nos ibi degimus, vbi vos collocastis: vtimur eo Gymnasio, quod vos tradidistis: ibi vestros instituimus liberos, vbi doceri vos vultis. Hæc Rector cùm dixisset, quæ videbantur propriè ad ipsum spectare; Pioneus, qui regendis studijs præerat, de distributione classium, totâque œconomiâ, & ratione docendi, quanquam ex tempore, tam luculentam, ornatamque habuit orationem; vt non diluerit modò calumnias; sed Præsidem, ac Senatum omnem in admirationem rapuerit. Vbi ille finem dicendi fecit, Præses encomium Societatis instituit, commendans eius institutum, commemorans vtilitatem, atque adeo talibus temporibus necessitatem demonstrans. Ad vltimum, cùm ad Patres conuersus seruire, quemadmodum faciebant, plurimorum commodis sine vllo obtrectatorum metu iussisset; grauiter expostulatores increpuit, additis minis, si quid in posterum commouerent. Id cùm Martio mense contigisset, ex eo tempore tranquillitas Collegio fuit. Parisijs consopitæ iam cum Academicis erant controuersiæ: qui, quanquàm decretum ediderant, quo Collegij nostri auditores omnibus Academiæ priuilegijs, & gradibus honorum priuabant; nihil tamen ea res, aut auditorum minuebat frequentiam, aut Ciuium gratiam deterebat. Ab ipsomet Rege Kalendis Augusti, quo die in frequenti Senatu honestissima de religione catholicâ decreta facta sunt, præclarum nos quoquè in eâ luce hominum approbationis, & beneuolentiæ pignus accepimus. Per Cardinalem Lotharingum exposuit dudum cognitum sibi grauia detrimenta, quæ Societas, dum piorum testamentis legatas eleemosynas per infinitas lites repetere cogitur, toleraret. Et quoniam aduersarij opponerent nequaquam legitima eius Collegia esse, ac proinde irrita, & caduca, quæ illis obuenirent legata; idcirco se voluisse, quod tum faceret, coram Senatu auctoritate regiâ, quam quæ optimo iure legitima ea esse & capacia legatorum, tum quibus ad hanc diem donata essent, tum quibus in posterum donarentur, declarare, atque decernere. Simulque seuerè ipsi præcipere Senatui, vt omni posthac eius generis exceptione posthabitâ intentatas Societati lites quamprimùm decideret. Respondit primus Præses, quod Maiestas regia iuberet, Senatum studiosè facturum. Hoc iudicium regium, vti fuit, ita habitum est nomini nostro perhonorificum. Ipsi quoquè Parisiensi Collegio Legatum ab optimo Senatore Albonio sanè optimum accessit. Ceterùm commotiunculam Lugdunensem Auenionensis tempestas excepit. Sub anni huius initium Antonius Possevinus Collegij Rector simul professionem solennem editurus (cùm edere optasset susscipiente Borgiâ) simul quædam cum eodem deseque, & Societate acturus veniâ impetratâ, Romam venerat. Per eam occasionem Cardinalis Armeniacus, qui in administratione Auenionensi, & Venascini Comitatus Borbonij collega erat, ipsique primarij Ciues Auenionenses abeunti mandata ad Summum Pontificem addiderunt, vt Beatissimus Pater Auenionem, & Comitatum Venascinum, quemadmodum pro loco, ac tempore indigebant, ita respicere singulari indulgentiâ, tueriquepræcipuo patrocinio vellet. Quæ Possevinus fide optimâ, & summo studio exegit. His gestis, professione editâ, scripto etiam interim libello ad militem christianum formandum: quia tum Pontifex, quas in Galliam mitteret, copias conscribebat, cum Assistente Euerardo, qui mittebatur Visitator, retro iter ingreditur primâ æstate: idemque sub tempus Pontificiæ quædam perferuntur Auenionem literæ, in quibus de Cleri disciplinâ restituendâ, & regendis moribus agebatur: ac nescio quid etiam de quæstionibus violatæ religionis significabatur. Ansâ indè arreptâ nouarum studiosi rerum, quibus illa Collegij fida, vigilque custodia erat supramo-

137 Pioneus studiorum præses Societatis scholas luculenta oratione defendit.

138 Rex Galliæ Societati legata testamentis rata iubet esse.

139 In Auenione Collegii grauis tempestas.

dum grauis; omnia in maius attollere, per vrbem tumultuosè spargere, concitare plebem. Eam nimirum adeundæ Romæ Posseuino causam fuisse; vt in Comitatum Venascinum Inquisitionem Hispanico ritu introduceret: vt honestissimas quatuor Sodalitates se se flagellantium abderet: denique, vt si cui Auenionensium religio noua non displicuisset, eos index Pontifici ad exitium proderet. Iactabatur pro certissimo argumento verbum, quod excidisse olim concionanti aiebant: Haud modicè Auenionis è re fore, si quo modo Quæsitores fidei nanciscerentur. Tempus præterea congruebat, quo & fuerat ille Romæ, & à Summo Pontifice datæ, quas diximus, erant literæ: denique adscriptum ferebant,

140 Plebis tumultus. vt Antistes, ad transigenda omnia, Societatis operâ vteretur. His inter plebem gliscentibus; conuentus edicitur ad nouos Consules designandos in diem quartumdecimum ante Kalendas Iulias. Eo die, cùm innumerabilis confluxisset ad Prætorium populus, fieri non potuit, quin promiscuè, cui libitum esset, irrumperet latè: aream reliqua multitudo compleràt. Hîc magnis, & inconditis vocibus de Posseuino conqueri, ingratissimum vociferari, perfidum, proditorem, & Collegium è vestigio diripiendum. Nec dubium fuit, quin si hominem in vecordi illo furentium animorum impetu nacti essent, in frusta discerpturi fuerint. Ad Collegium agmine, & clamore infesto itum est. Sed famulos suos Deus seruauit: qui, circumstrepente procellâ, cùm fores occlusissent; ad pacem ab eo exposcendam, cui vt maris, atque ventorum, ita populi furor obedit, sese receperunt, perque horas quinque perseuerarunt. Detonuit ergo sine fulmine popularis fragor. Verùm Senatus siue etiam ipse inductus, siue (quod dein affirmabat, & propius vero erat) vt exasperatos vulgi animos per indulgentiam mitigaret; inaudito reo consultum edidit, quo & donatam paulò ante tanto consensu domum, & reditus, & quicquid vnquam beneficij in Collegium contulisset, quantùm ipsi fas esset, irrita esse iubebat, ac penitus reuocabat: Summo enimuero cum dolore bonorum, & maximè Armeniaci Cardinalis; qui de Posseuini innocentiâ nihil dubitans: &, si quid esset ab vno commissum, satis gnarus Ordinem iniquè damnari, pristinamque beneuolentiam constantiâ in dubijs rerum adprobans; continuò ad Collegium mœstos consolaturus accessit, spondens fore, vt ortam ex errore procellam lux veritatis breui discuteret. Idem Archiepiscopus, idem Consules beneuolentiæ officium præstiterunt, iubentes animo bono cœptis insistere: Ciuitatem nihilominus benignam habituros. Adiecit Cardinalis per totam vrbem edictum vltimi supplicij, siquis quem de Collegio dicto, factoue læderet. Iam Augustam Taurinorum cum Euerardo venerat Posseuinus: de eo tumultu fit certior; indoluit Sociorum ærumnis: Diaboli fraudes detestatus est. Ceterùm pro testimonio conscientiæ, & fiduciâ Dei affatim securus, ac lætus egit. Subinde dum Tolosam, & Castra regia petit Augerius, ex itinere Auenionem venit. Postque habitas triduò (non enim diutius hæsit) magno nomine in Collegij æde conciones quinque; de Cardinalis Armeniaci consensu, Senatu vniuerso, & aliis è primoribus conuocatis, ita locutus est. Si nostra, qui sub Crucis militamus signo, spectetur causa; præclarè nobiscum agitur, Ciues, dum digni efficimur, qui propter iustitiam aliquid patiamur: habemusque potius ijs gratiam, qui nos ad supplicium, ac cædem deposcunt, quàm vt vllâ ex parte succenseamus. Illud dolemus vehementer per nostrum nomen religionem peti. Vident aduersarij nihil nobis pensi esse vel vitam, vel existimationem, dum eorum impijs conatibus pro virili obsistamus. Intelligunt dum Auenione pusilla hæc statio erit; nunquam defuturam vigilem, fidamque custodiam, quæ pro Romanâ, orthodoxâque fide excubet dies, ac noctes. Idcirco versant se, fraudesque comminiscuntur, quibus vel nos de statione deijciant, vel ignominiâ notent: vt, quos tutari conamur, ijs inuisi, & execrandi, ne dum inutiles simus. Quid igitur consilij capiamus? Nimirum danda est aduersarijs lætitiæ optatæ materia. Dissimulare non possum, multa extare honestissimæ huius, ac religiosissimæ Ciuitatis erga Ordinem nostrum merita. Nosque, si quid est in nobis obsequij, cùm mortalibus omnibus debeamus, præcipuâ dependere

141 Sociorum precibus compescitur.

142 Cardinalis Armeniaci beneuolentia erga Nostros.

143 Augerij verba ad Senatum Auenionensé.

volun-

Digitized by Google

voluntate vobis. Ceterùm, vt nunc status est rerum, cum vestrâ gratiâ, Socios hinc abducam. Nam quid eo loci moremur, vbi & domus, quam dederatis, & vectigal ademptum est. Leuius est præcipere, quàm expectare exilium: minus flagitiosum proficisci, quàm pelli. Nec verò Dei fert causa, cùm tot ad se vndique auxilium vrbes accersant; vt hîc, inter assidua capitis discrimina, tempus in cassum terramus. Quæ namque profectus reliqua spes est, apud quos & tecto, & victu, hoc est vitâ indigni habemur? Erit, Deo aspirante, vbi & tutiùs, & fructuosiùs labores nostri ponantur: nec defutura vobis diuina speramus auxilia, quæ nos quoquè, quando à præsentibus non placet excipere, absentes quæcumque poterimus, sacrificijs, ac precibus afferemus. Hæc cùm dixisset, ingemuit & Senatus, & Cardinalis: conclamantque haud passuros se vnquam eo præsidio, quod tanto accersiuissent studio, spoliari Ciuitatem. Edmundus rursus, ac tertiò instare: abducere omnino velle. Idque tam verè, ac vehementer; vt Cardinalis magnopere vereretur, ne, quoniam perturbatorum animi nondum planè quierant; exclamaret aliquis recipi conditionem, & seditio grauior oriretur. Ad extremum Prouincialis illud petere instituit, vt exploraretur res diligentiùs: & cum in auctores sermonum, tum in Posseuinum inquireretur: vt, si cui affinis culpæ deprehensus esset, meritas daret pœnas. Res ad Pontificem, ante vllum ab Societate indicium, Auenione scripta est à viris bonis, magnopere monentibus in eâ criminatione plus subesse veneni, ac pestis, quàm primâ facie appareret: Quippe in eâ fece temporum, cùm Iesuitarum tam vtilis totâ Galliâ, atque adeo necessaria opera esset; Diabolum, eiusque satellites per hanc fraudem eò grassari, vt, cùm in inuidiam apud Catholicos quoquè eos vocarint, destitutum tantâ parte tutelæ Catholicum gregem impuniùs mactent, ac perdant. Non fefellere Pium Quintum fraudes, qui longo vsu Hæreticorum ingenia percallebat. Itaque ad suum in Galliâ Nuntium Calatinum Antistitem, ad Cardinalem Armeniacum, ad Archiepiscopum, & Ciuitatem Auenionensem seorsim dat literas, cum præclaro innocentiæ, virtutisque Posseuini testimonio: iubens eos hominem pium, & in vineâ Domini diligenter pro suâ parte laborantem, ab inuidiâ falsi criminis vindicare, & supplicium de calumniatoribus sumere. Literarum, quas ad Nuntium dedit exemplum inscriptum est.

144 De Posseuini innocentia testimonium.

Pius Papa V.

VEnerabilis Frater, salutem, & Apostolicam benedictionem. Quidam peruersitatis filij, suggerente Diabolo christiani nominis hoste, superioribus diebus improbissimum rumorem Auenione fusè dissipauerunt, Antonium Posseuinum Iesuitam in sermonibus, quos dum hîc esset, varijs de rebus ad religionem pertinentibus nobiscum habuisset, duo nobis persuadere conatum fuisse. Primum, vt in Auenionensi Ciuitate noua Inquisitionis hæreticæ prauitatis ratio, ad Hispaniæ modum, introduceretur. Alterum, vt Sodalitates illius Ciuitatis, quas vocant disciplinantium, abderentur. Tertium adiecerunt eundem nobis multos de hæresi suspectos indicasse. Quæ omnia falsa, & ad perniciosissimam hominum libidinem, ad excitandos tumultus conficta, non satis habuerunt Auenione in vulgus proferre; sed & eadem per totam ferè Galliam, & aulam quoquè regiam, vt accepimus, sparserunt: hominemque pium, nec minùs vitæ sanctitate, quàm doctrinâ præstantem eò redegerunt, vt aliquibus istius regni Ciuitatibus satis tutò se committere non possit. Quo quidem nos & hominis incommodo, & rei indignitate permoti; non solùm, vt, quantum in nobis est, ab huiusmodi illum infamiâ liberaremus; sed etiam, vt veritati testimonium, pro nostro pastorali officio, perhiberemus; has ad te nostras literas dandas existimauimus: quibus fraternitati tuæ significaremus, tantùm abesse, vt prædictus Antonius Posseuinus quicquam earum rerum, quæ sibi ab hominibus vel Hæreticis, vel inuidiosis, vel seditiosis, improbis certè, obijciuntur, nobis persuadere cona-

145 Pontificis liber de Posseuini innocentia.

conatus sit; vt pro certo habeamus, illum de his rebus ne cogitasse quidem, nedum nobiscum aliquid egisse. Quod non solùm ad dilectum filium nostrum Georgium Cardinalem Armeniacum, Cardinalis Borbonij in Legatione Auenionensi collegam scripsimus; sed etiam ad ipsos Auenionenses Consules, cùm eorum literis eâdem de re ad nos scriptis responderemus: eosque, & ipsum Cardinalem ad inquirendos eiusdem falsi rumoris auctores, puniendosque hortati sumus. Hæc ad te scribere voluimus, vt, cùm à nobis id, quod verum est, didicisses; calumniatorum falsitatem tutius redarguere, hominemque pium, & in vineâ Domini diligenter pro suâ parte laborantem ab inuidiâ falsi criminis vindicare nostrarum literarum testimonio possis. Quod te, quantùm in te est, facere volumus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die vndecimâ Septembris, Anno Millesimo quingentesimo sexagesimonono.

T. Aldobrandinus.

Fuit quoquè ingenuus Inquisitor Berardus è Dominicanâ familiâ vir pietate, atque doctrinâ venerandus: qui reuersus Româ Auenionem, candidè aperuit, quibus de rebus scripserat Pontifex, earum se suasorem fuisse. His rebus, & fugâ etiam eius, qui præcipuus concitator turbarum fuerat, vulgò cognitis; tempestas elanguit. Moxque ita illustrata est veritas, ita populi æquè, ac Senatus placati animi; vt Consultum die duodeuigesimo Iunij per seditionem expressum, die Nouembris item duodeuigesimo, magno cum omnium gaudio, antiquatum sit: & vetera Collegio beneficia, ac decora restituta: & ab Senatu, ab Cardinali, ab ipsis Consulibus rogaretur Posseuinus, vt cum altero Consulum in Regis Curiam, ad promouendam apud Cardinalem Borbonium communem Ciuitatis causam, pergeret. Qui, vt religiosum virum decebat, non oblitus modò iniuriarum, sed & caritate, quam iniuria ventilarat, ardentior; Patris Euerardi missu, simul quædam apud Regem pro Societate curaturus, perlibenter tetendit. Sed nimirum Deus, qui vitam hominum, nobis nec sentientibus, quasi fabulam summo ingenio textam dispensat, mirisque implicat modis, & explicat, indè promens lucra, vndè detrimenta formidabantur; opportunum subsidium Socijs ad Turonem cum Pontificio exercitu laborantibus comparabat. Illum caritatis manipulum, ob grauissimas super communia incommoda exhaustas in curatione militum, animis inuictis, ærumnas, cedente tandem lassitudini corpore, morbus vehemens vniuersum afflixerat. Principiò quidem vni Lælio Sanguineo, inter iacentes ceteros, integra valetudo durabat: nec fieri poterat, quin in commune damnum euaderet ægrotatio eorum, ex quibus ægrotorum omne leuamentum pendebat. Lælius tamen ita præsto erat Socijs; vt & Sociorum vices apud destitutos milites, supra vnius viri vires, expleret: administros regens, ac stimulans, inuisens, & consolans afflictos, morientium animos Deo solenni prece commendans, mortuorum ad sepulturam deducens corpora, quoad tandem intolerando labori etiam ipse succubuit. Tumque, cùm omnes iacerent, solùm Curtius leuari nonnihil inciperet, & ceteras incommoditates etiam linguæ Gallicæ insciti aggrauaret, Posseuinus interuénit. Eius piâ sedulitate ceteris paulatim recreatis; vt maximè cælo maturum, placuit cælesti Imperatori Lælium euocare. Nono Kalendas Octobris, non sine decessus sui præcognitione, Sacramentis Ecclesiæ communitus emigrauit, magno sui æquè militibus, atque Socijs relicto desiderio, præclaràque præstantissimarum virtutum memoriâ. Hic Romanus genere nobili diuturnas gesserat inimicitias cum Paulo Sanguineo, qui ei parentem occiderat. Verùm inimicitijs tandem Christo Domino condonatis, quarto ante anno in Societatem admissus, præter ea, quæ domi christianæ generositatis exempla edidit; nouitius cum Patre Generali ad Pontificem admissus, eum vt parentis interfectori maleficium condonaret, seriò & pluribus rogauit: quæ & Pontifici, & Vrbi toti summè probata est virtus. Sepultus est Turonibus in paræcia, quæ Sancti Petri de Boile nominatur. Iam tota belli vis ad Pictauium incubuerat, quod Hæretici arctâ obsidione premebant. Quo Ducis Guisij, & auxiliaribus Pontificijs copijs liberato Octobri ineunte, collectis vndique

146 Restituitur Collegiũ Auenionense in pristinam caritatẽ, & dignitatem.

147 Sociorum labores in Pontificio exercitu.

148 Lælij Sanguinei strenua caritas,

149 Eiusdem pia mors & virtutes.

Digitized by Google

dique viribus vterque exercitus in mutuum conſpectum venit. Interim cum alibi, tum præcipuè Turonibus, vbi Regia erat, propoſitâ publicè Sacroſanctâ Euchariſtiâ, perpetuæ ad eam, concurſu iuxtà Principum, atque populi, fieri preces, deque eius honore frequentes haberi conciones: in quibus, ante alios omnes, & aſſiduè deſudabat, & probatiſſimè Poſſeuinus. Eiuſdem & illud breue, & obiter, ſed fœcundum æternitatis opus fuit. Fortè interuénit ſupplicio militis è cuſtodiâ regiâ, qui inſerto in laqueum collo, reuinctâque ad trabem reſte, iam iam deijciendus de gradibus erat: cùm Poſſeuinus conſpicatus totum ſanguine circa collum, ac pectus ſordentem, cauſam ſciſcitatus, inclamauit: promptâque illâ animi ſui fiduciâ vetuit carnificem agere. Vbi ducturus ad patibulum carnifex adfuit, raptum ab latere eius pugionem, furiatus deſperatione miles in iugulum ſibi adegerat. Sed perpetrare cædem prohibitus, ægrè animam retinens, fluenti ſuper cetera miſerandus cruore, hoc feſtinantiùs ductus erat. Poſſeuinus ſcalis conſcenſis, & miſerum ad animæ curam hortatus, ibidem, quantùm locus ferebat, noxas magno dolore confeſſum abſoluit. Ille non eâ re contentus, etiam ſæpius teſtari voluit (quod, cùm vocem tollere vulnus non ſineret, per ipſum confeſſarium egit) ſe catholicum mori, & preces pro ſe circumſtantis multitudinis, nominatim ad Deiparam, poſtulauit. Tum piaculare manu roſarium, ab eodem traditum Poſſeuino, tenens, cum bona ſpe vitæ immortalis mortalem amiſit. Laudauit cuncta Ciuitas religioſæ induſtriam caritatis. Et Poſſeuinus neutiquam occaſioni defuit, quin cum ijs, ad quos pertinebat, verecundè expoſtulabundus ageret, ne vnà cum corporibus, ita incuratæ noxiorum animæ proijcerentur. Inter hæc dum adeo Catholicorum, non per Galliam modò, ſed per Italiam, & alias Prouincias feruent preces; pijs armis, cauſæque ſuæ Chriſtus adfuit: quintoque Nonas Octobres nobilis ſub Monteconturum parta victoria eſt. In eâ, præter alia multa ab alijs, viginti quinque vexilla (duo quidam adijciunt) ab Italo milite capta, Romamque ad Pontificem deportata, vſque ad annum ſalutis milleſimum ſexcenteſimum ſextum, quo anno, dum hæc ſcriberentur, æuo putreſcentia ſublata ſunt, in Lateranenſi Baſilicâ ſupra principes valuas interiùs affixa pependerunt. Inter has & pacis, & belli viciſſitudines, cùm, Deo aſpirante, conſtaret vbique Societatis opera; Cardinalis Borbonius Rothomagi omnino ſtatuit fundare Collegium. Eam ob rem ſuâ ſponte die Sanctis omnibus ſacro, aduocato Poſſeuino, quem & ad conciones per ſacrum Aduentum habendas eò miſit, bis mille Francorum vectigal ad primordia iacienda donauit, fruſtrà non paucis renitentibus. Multaque alia ab eo, & ab Rege Societati commoda impertita. Eidem Burdegalenſes ſuum Collegium penitus permiſerunt: Cùm Apamienſes, aliæque multæ Ciuitates (quarum nulli in præſens, præ operarum inopiâ, ſatisfactum eſt) haud ſtudio minore certarent.

150 Publicæ ad Euchariſtiâ preces.

151 Poſſeuini induſtria ad lucrandâ perditi rei animam.

152 Montesconturana victoria.

153 Rothomagêſe Collegium, & Burdigalenſe, & alia deſignâtur.

Nec defuerunt hoc eodem tempore in Hiſpaniâ (vt eſt turbulenta ſemper impietas) tumultus ab pſeudochriſtianis. Vndè factum, vt Granatæ domicilium, quod Societas habebat in Albaizino, diſſolueretur: Neophytis, quorum causâ inſtitutum erat, aliò traductis. Cuius rei narratio ſi ſtrictim ab origine primâ repetatur, ad multa præluxerit. Anno ſalutis humanæ milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſecundo, cùm Granatenſe regnum penitus in ditionem venit Ferdinandi (eius, qui primus ob eam maximè rem, vnà cum Iſabellâ coniuge, Catholici Regis cognomento ornatus eſt; & ſub cuius auſpicijs Chriſtophorus Columbus nouum Orbem aperuit) qui Granatam incolebant Mahometani, ibidem ex conditionibus manſerunt. Paulò deinde poſt defectionem molitos Rex ad Chriſtianos tranſire cultus, vel abire in Africam, & Hiſpaniam liberare iuſſit. Multi profecti; multi hæſerunt ſuſcepto baptiſmate. Ex eo tempore, quanquàm ſedatiùs obtemperarunt, nunquam tamen non ſuſpecta religio plurimorum fuit. Ad chriſtiana templa perægrè compellebantur. Pertinaciter Arabicum amictum, & ſermonem obtinebant: aliaque ſubinde certiora prodebant documenta impietatis. Ex hoc genere permulti in eâ Granatenſis

154 Hiſpanici tumultus.

155 Ferdinandus Catholicus primò dictus.

156 Granatenſium Neophytorum rebellio.

Digitized by Google

157 Albayziniorum Neophytorum salutem curat Petrus Guerrerus Antistes.

tensis vrbis parte, quæ Albayzinum dicitur, habitabant. Quorum de religione Petrus Guerrerus Antistes optimus, vt suo loco proditum est à nobis, solicitus, saltem vt succrescens soboles paulatim Christianos ex animo sensus, ac mores imbiberet; aliquot de Societate ibidem collocauit. Qui, cùm ad hanc diem rem egregiè prouexissent; eò iam peruenerant, vt vberrimam breui affore messem sperarent. Nouem circiter eo loco Sociorum degebant: quibus præerat Pater Ioannes Albototus, vir, in quo nihil cuipiam, nisi, sicui fortè stirps ex eâdem gente, displicuit. Quanquàm supergressæ communem modum virtuti degener origo, vt frutex spinosus rosæ, magis admirationem cumulat, quàm minuit auctoritatem. Ipsemet Auellaneda Prouincialis anno superiore Granatam cùm veniisset, rem seriò aggressus, tum conciones per se ipse in Albayzino habuit multas, tum sæpè confessiones multorum audijt, tum demum instituit, vt ex Collegio diebus festis seni, septeniuè Socijs auxilio adirent: vndè fiebat, vt multæ sacrarum ædium tubis cælestibus personarent. Ad hæc præcipuum quemque ex eâ natione sapienter arreptum, blandèque conciliatum priuatim instituebant: adductumque, vt si quid dubitaret, fidenter expromeret; diluebant dubitationes ad eum modum, quo in Iaponiâ, alibiue inter Ethnicos fieri consueuit. Quo studio haud pauci commoti, de peccatis confessi, non modò reliquos è domesticis suis ad confessionem deducebant; sed etiam (quod in auidissimâ lucri natione maximo argumento erat verè agi) illata per fraudem damna resarciebant. Exorsus erat postremò Antistes Sodalitatem opportunis colligatam legibus de audiendo catechismo, & sacrosanctis mysterijs frequentandis: dederantque in eam nomen ampliùs viginti de primis: numerus pro vetustate malitiæ hominum, & nouitate Sodalitij nequaquam negligendus. Ceterùm, quoniam Archiepiscopus idem existimabat, & Concilium Prouinciale consenserat, superstitionem vsque eò inueteratam, penitusque infixam nunquam radicitus auulsum iri, nisi vndique fibræ omnes succiderentur, & quæcumque fouere eam, vel reuocare in memoriam possent, abolerentur; eius simul, & Petri Dezæ Prætoris regij postulatu, edixit Rex, vt, quæ inter ipsos balnea erant, ad vnum euerterentur: vestimenta, quæ fœminæ potissimùm patrijs moribus retinebant, in Hispanicum ritum mutarent: denique & Arabico sermone obliterato Hispanicè loquerentur, aliaque in modum eundem. Secundissimo res videbatur ire cursu, ac Prætor ipse Regis dono tenuioribus multum iam vestis, ad habitum nouum, donarat, Patre Albototo distributore: & id agebat, rogato per literas vehementer Borgiâ, vt Sancti Michaëlis Collegium iam dudum educationi Mauricorum destinatum, pueris eorum quamplurimis compleretur, & Societas in disciplinam acciperet. Sed Diabolus (cui solenne est optimè factorum consilijs ad pessimorum facinorum occasionem abuti) rem totam peruertit. Mahometicarum studiosi fabularum callidè peruiderunt nouas leges ad sectæ excidium pertinere: indè clanculum concitare popularium animos, atque conspirationem moliri. Destinatam primò ferunt opprimendis Christianis anno superiore noctem feriæ quintæ maioris hebdomadæ: indè rem translatam in noctem Domini natalem, quam Hispani meritò bonam appellant. Tempora nimirum captabant, per quæ maximè feriatos, incautosque Christianos aggrederentur, ignari tum maximè excubare Deum: nec Saluatorem passurum, vt salutis monumenta piè colentibus in perniciem verterent. Præcipui coniuratorum in regione montanâ, & asperâ, quam Alpuxarram vocant, agebant. Indè Dux assumptus Hernandus Valor, ex natali pago cognomen factum. Is titulum sibi Alpuxarræ Rex adsciuit. Ita conuenit, vt nocte bonâ vis armatorum ingens (clanculum enim arma compararant) ex Alpuxarrâ in Abayzinum contenderent, Albayziniſque adiunctis, Granatam vrbem aggrederentur. Et eâ quidem nocte permulti Pagi rebellarunt. Sed qui iter Granatam ex Alpuxarrâ intenderant (ita suos protegente fideles Christo) inter valles magnitudo niuium intercluſit. Cognita res orto die Granatæ est: sed tam propemodum neglecta; vt, proximâ nocte in lucem iam inclinatâ, ex valentissimis Alpuxarranis, qui niues penetrarant, manus non magna,

158 P. Ioannis Albototi virtus spectabiliorem reddit originē.

159 Auellanedæ Prouincialis in Albayzino labores, ac directiones.

160 Sodalitas ab Antistite instituta.

161 Occasio tumultus & rebellionis.

162 Alpuxarranire belles.

Digitized by Google

magna, aliquot præterea aliunde aggregatis, numero omnes circiter centum, in Albayzinum venire non dubitarint. Præcipua suburbij lustrarunt, libertatem, & Mahometum alternis vocibus proclamantes. Ad domicilium quoquè peruenerunt Patrum, atque deiectâ cruce, & aliquot magnis ictibus percussâ ianuâ, cum Albototum, quem proditorem nominabant, feroci clamore depoposciſſent, abierunt, vltra nil ſinente Deo moliri. Albayzinorum perpaucos ad defectionem mouerunt, fortaſſe, quòd neque ad ſtatum tempus, nec editis, quæ conueneranr, ſignis, adhæc perpauci veniſſent. Opinio fuit etiam cum Africanis initam ante coniurationem. Certè magnus circum populorum numerus continuò ad ſpem & prædæ, & dominationis erectus defecit. Agebant videlicet furore cæcos ad pœnam nefaria ſacrilegia ſimulatæ tandiu, ludibrioque habitæ religionis. Vt bellum exorſi, cùm rapinæ nullum genus, nullum crudelitatis omitterent, maximèque in templa, ac diuinas res, in parochos, & alios Deo ſacros viros furerent, vnà in re humanitatis meminerant: fœminarum generi, & impubi ætati parcebant, eo conſilio (quod & diſertè profeſſi ſunt, & poſtulauerunt) vt Hiſpani viciſſim fœminas, & pueros eorum miſerarentur. Adeo inexpugnabilis eſt neceſſitudo naturæ, & ſanguinis: vt qui aduersùm ſe per omnia dira exempla ſtimulatum vltro ibant hoſtium iras; eodem tempore demereri ſuis eorundem pacem curarent. Aduersùs armatam impietatem arma primò tulerunt diuersâ regione Marchiones Mondexarius, & Valeſius, ille Granatenſi, hic Murciano regno vice Regis præfecti. Deinde poſt ſecunda quædam prælia pollicentibus pacem rebellibus, cùm per cunctationem regij reſponſi, & militarem diſſolutionem, malum robuſtiùs euaſiſſet; ad Ducem Sueſſanum, & Ioannem Auſtriacum ſumma rerum delata. Acceſſit & anno proximo in Boeticam ipſe Philippus Rex. Biennium prope bellum tenuit ruentibus ſe per vim, ac fraudes, maximèque aſperitate locorum, & latebris inacceſſarum rupium coniuratis, quos inuenire, quàm conficere negotium maius erat. Interim latrocinium ſanè cruentum, vt deſperati, ex occaſionibus, & inſidijs exercebant. Multos religionis causâ diriſſimè cruciatos necarunt: & in his quoſdam è gentilibus ſuis, chriſtianos verè bonos, atque conſtantes, qui maluerunt omnia ſubire tormenta, quàm ad impuriſſimum Mahometum redire. Vrbs Granata in perpetuâ ſolicitudine, nec extra periculum fuit, dum in Albayzino Maurici perſtiterunt. Ad extremum omnes indè, & alijs circa oppidis, pagiſque, qui non rebellauerant, in Caſtellam, & Regni interiora traducti, quò cauſa tumultibus nouis præcideretur. Abductis ex Albayzino Neophytis, homines quoquè Societatis, qui ibidem, vti demonſtratum eſt, ipſorum causâ conſederant, receperunt ſe ad Collegium, & hunc ſedes illa exitum habuit anno decimo poſtquam cæpta eſt. Ab huius anni exordio ad Paſcha in Caſtris Marchionis Mondexarij fuere Sacerdotes de Societate tres, Petrus Nauarrus, Iacobus Sancta Crux, & Petrus Mugnozius: duo non Sacerdotes Franciſcus Rodericius, & Ioannes Arana. Qui, quod ad opus diuinitus ducerentur, primâ ſtatim nocte didicerunt. Marchio enim in Alpuxarram ducens, cùm tribus ab Granatâ leucis conſtitiſſet in pago, cui Padul eſt nomen, Patres, quanquàm plurimùm, vt eodem loco ſubſiſterent, inuitati; leucam ampliùs proceſſerunt ad Pagum nomine Durcal: vbi præmiſſi milites circiter octingenti, reliquas Marchionis copias opperiebantur. Cohortem hanc, antequam Marchio ſuperueniret, callidè perduelles opprimere decreuerunt, & collocatis interiecti torrentis in faucibus, qui refugientes Padul versùs (ex eâ enim tantùm parte effugium patebat) exciperent; nocte intempeſtâ in Durcal irrumpunt. Vigili, antequam ſignum daret, ſublato, per inermes, & ſomno torpidos milites tanquam impune graſſantur, hos conficiunt, illos pro confectis relinquunt: haud dubiè reliquum nihil facturi; niſi repentino tubæ ſonitu, quem ab Padule fortè editum concaua vallium, vt inter anfractus, diuerſa regione reddiderunt, rati Marchionem, ſuperatis iam, quas ipſi interpoſuerant, inſidijs, adeſſe; omiſſo cæpto trepidè in tutum ſe recepiſſent. Circiter ſexaginta partim periere, partim grauiter vulnerati. Per illum errorem pla-

163 Eorumdè impetus.

164 Naturalis caritatis in proximos quâta vis.

165 Neophytorũ quorumdã cõſtantia.

166 Statio Societatis ex Albayzino remota.

167 Socij cũ exercitu miſſi.

168 Militum excidiũ à perduellibus.

Digitized by Google

placuit Deo immunem carnificinam prohibere, à quo, & Patres apparuit in vltimam morientium opem paulò ante nil tale cogitantes aduectos. Illi enim strepitu excitati inter saucios discurrere, hortari ad pœnitentiam, absoluere, quosdam & sacro oleo præmunire. Pariter discursare duo non Sacerdotes, & conquirere etiam num trahentes animam, & vel Sacerdotibus indicare, vel inter manus afferre. Hoc posito velut sacri tyrocinij rudimento, deinceps inter asperrimas rupes niue insuper, & glacie horrentes, & omnia humanæ vitæ intoleranda, incitando ad pietatem, & ad fortiter agendum milites, deterrendo à vitijs, ludos, rapinasque prohibendo, curando saucios, vel aliter ægros, sacramenta pœnitentiæ præsertim, & supremæ vnctionis ministrando, religiosis dignam stipendijs militiam militauerunt. Fuerunt deinde & in Austriaci Castris aliquandiu Patres Ioannes Legas, & Iulianus Ouiedus. Nec cessauerunt Collegæ Granatenses. Pater Ioannes Plazza ad custodiam vrbis quam qui maximè, & efficacissimè excubuit. Illi effecerunt, vt regium Nosocomium, quod intermissum erat, ad vulneratos curandos instrueretur: cùmque fœminarum miserabilis turba ex hostibus recepta Granatam adducta esset; ad earum leuandas calamitates intenti, tum alia ab alijs, tum ab Dezâ Prætore satis liberalem ad eas vestiendas impetrarunt stipem ex eâ, quam Rex in tenuiorum vestimenta Neophytorum destinarat. Contra rebelles eosdem cum classe reuocatus est in Hispaniam Ludouicus Requesensis Præceptor Castellæ maximus, ad custodienda littora, ne rebellibus auxilia submitterentur ex Africâ. Cum eo, iussu Pontificis, Christophorum Rodericium, & aliquot Socios missos initio voluminis memoratum est. Rodericius principiò statim Genuæ ex turbâ Nauticâ quatuordecim, qui ad Mahometum impiè defecerant ad Christi obsequia reuocauit, duosque præterea Mahometanos à fædo magistro abstraxit. Tum Massiliæ ad propitiandum ante omnia cæleste Numen, & animas peccatorum leuandas onere classiarios adhortatus, prope omnes diuinis mysterijs præmuniuit. Quæ res cùm salutaris semper, ac digna Christianis hominibus est; tum eo tempore opportunissima fuit. Quippe teterrima tempestas in Narbonensi freto ad diem quartumdecimum Kalendas Maias exorta, duos ferè dies, totidemque noctes desæuijt adeo immaniter, vt omnes de salute desperarent. E quatuor & viginti triremibus, quæ vnà soluerunt, solùm primaria, in qua Præceptor maximus, & Marcus Antonius Columna, alijque Procerum vehebantur, cursum aliquo modo tenens, ad minorem Balearem appulsa est. Ceteræ dissectæ, miserumque in modum laceratæ, aliæ aliò, pleræque in Sardiniam euaserunt: non nullæ funditus, vnà cum epibatis, perierunt. Dum supremus casus imminet, ceteris omnibus metu exanimatis, Pater Christophorus propemodùm agebat securus, qui tum maximè, quantum in obedientia boni sit apparuisse testificatur. Scilicet indè ortam sibi securitatem, quòd cùm nequaquam suapte sponte, neque mortalis cuiusquam compendij, commodiue causâ, sed eius duntaxat nutu, cui se tanquam internuntio, vicarioque Dei subdiderat, eò loci veniisset; non dubitaret, quin is esset futurus exitus, qui diuinæ gloriæ perquam foret aptissimus. Quantò autem ipse securior, tantò & ad consolandos, excitandosque ceteros, & ad peccata confitentium absoluenda erat paratior. Ad hæc fiduciâ maximè sacrorum, quos secum gestabat, cinerum, & Deiparæ Lauretanæ, cui certa quædam vota nuncupauit, semper ita constanter euasuros pollicebatur; vt non præuisam modò prope omnes diuinitus, sed & impetratam eius, & Sociorum precatione salutem profiterentur. In eâdem cum Christophoro triremi vehebantur ceteri Socij, præter Alfonsum Brauum. Is in triremi, quam Patronam vocabant, deprehensus, proximè ab exitio quater abfuit, semel abreptus à fluctu, ter ipsâ naui sic obrutâ, vt non nisi mirabiliter emersisse vniuersi crederent: Planè nudus in Sardiniam eiectus, in promptâ Sociorum caritate omnia reperit: sed illis non minus ipse constantiâ suâ reddidit consolationis; quàm ab eis acceperit. Adeo alacrem post pericula ad persequendum obedientiæ cursum, adeo fiduciâ diuinâ fretum, & boni apud omnes exempli viderunt. At Rodericius terrâ potitus, ante omnia, quæ seuerat inter

169 Sociorum erga milites caritas.

170 Granatæ Societatis vigilantia vtilis.

171 Christophori Rodericij profectio cum classe.

172 Tempestas maxima.

173 Obedientiæ bonum.

174 Alfonsi Brauivirtus.

Digitized by Google

inter tempestatem, vt in portu adolescerent, & frugem darent, vtque promissa Deo exoluerentur, curauit. Indè continenter Sacerdotali aure, dexterâque vbique omnibus præsto fuit: denique & ægrotorum, & sauciorum saluti prospexit, qui supra septingentos ad Malacitanum Nosocomium delati sunt. Regebat eo tempore Malacitanam Ecclesiam Pastor idem, & vir egregius Franciscus Blancus. Is in Christophoro, & Socijs raræ documenta caritatis vehementer admirans; & grandem pecuniam ad Nosocomij impensas contulit, & ad Collegium Malacam, quod diu agebat, aduocandum magis exarsit. Super hæc in eâ totâ peregrinatione, præter quotidiana, consuetaque lucra ex communibus, ac priuatis de pietate sermonibus, ex catechesi, ex morientium, ægrorumque præmunitione, atque solatio, ex collatione Sacramentorum, & aliquot etiam ex Mahometicâ fæce, quod supra significatum est, vel reuocatos ad Christum, vel vocatos; dedit operam, vt impudicæ fœminæ ad auertendam peccatorum materiam, matrimonij sanctitate colligarentur: vtque è damnatis remigibus, haud pauci, qui legibus fecerant satis, eximerentur in libertatem. Quorum multi, cùm præfinitæ sibi pœnæ tempus idoneâ fide probare non possent; corrogatis Rodericius mercedibus, hominem circummisit, qui ea testimonia conquireret, perferretque: & perlatis, tum soluti miseri sunt, tum decretus in posterum, qui damnatorum eiusmodi hominum causas gratis curaret. Denique ita omnium ordinum hominibus operam suam ipse, Socijque probarunt; vt non sine lacrymis summorum æquè, & infimorum, cum recessere, dimissi sint: testante Requesensi, quamuis Pater Rodericius, nisi quotidie ducenos ad Christum adduceret, ludi operam crederet, immensum ab eo profectum: & se omnino curaturum apud Regem, vt aliqui semper de Societate in classibus versarentur. Ceterùm Rodericius (quò & Requesensis tendebat oratio) opinabatur classiarias id genus, maritimasque peregrinationes, præsertim si prolixæ sint, non vsque quaque fructus ex remigibus ferre qui laborem æquaret: non modò quòd profligatissimum ferè, & vitijs obduratum nauticæ turbæ genus est; verùm etiam, quòd rarò offertur tempestiua cum ijs agendi facultas. Nam inter nauigationem nemini non esse vehementer in opere cuique suo sudandum: si quando cessatur; iam defatigatos, & fractos ærumnis ad quietem totos, viresque instaurandas conuerti. Quæ cùm minimè absurdè dicantur, nequaquam tamen idcirco fideles coloni, siue Domini gratiam, siue lucra sua sectentur, illam fundi partem, quòd laboriosior, ac sterilior videatur, neglexerint. Nam & illa Domino pari stat pretio: & colentium hîc horrea non alienæ fruges, sed ipsorum implent labores. Beatum enimverò negotium, vbi totum in agricolâ est. Opus illi suum & ager, & annus est. Tendat licet auara vota: non ea differt, aut ludit messis, sed ipsa sunt messis. Granatenfium pleroſque Sociorum ex militari expeditione domum reuersos grauissimæ ægrotationes, tanquam ad manubiarum cumulum, exceperunt. Vnus decessit Franciscus Rodericius, pius, nec indoctus iuuenis religiosæ militiæ, nec dum tyrocinio perfunctus. Ibidem Granatæ decimo Kalendas Quintiles Eluira Auila nobilis Matrona decessit, quæ iamdudum viro viduata Bartholo Sancio, qui ex regio consilio fuerat, itemque liberis destituta, quæ videbat Granatæ ab Collegio fieri, ea patriæ quoquè suæ cupiens, hereditatem legauit, vndè Biatiâ in vrbe (ea Baeza hodie est) Collegium conderetur. Placuit Borgiæ hereditatem adiri, ne facultas vetustæ, ac nobilis iuuandæ Ciuitatis præteriretur: datumque negotium, vt res ad Collegij institutionem præparentur. Montellæ mense Maio decessit Ioannes Auila: is, cui vulgò inditum Magistri nomen, ob excellentem pietatis doctrinam, & regendarum ad sanctitatem mentium, inter pauciſſimos conuenit. Adfuere morienti Patres. Ille quanti Ordinem hunc fecisset supremo consignaturus iudicio, sepulchrum in Montellano Collegio sibi delegit: nempe vt ij corpus haberent demortui, apud quos viui animus semper habitarat. Compertum habeo Societati se penitus traditurum fuisse, idque confirmasse Hieronymo Natali, nisi affectum corpusculum minus disciplinæ idoneum credidisset. Instituit Marchio Plegi Catharina, vt apud

175 Malacæ ægris militibus, & Classiarijs cōsultùm.

176 Franciscus Blâcus Malacæ Antistes Collegiū optat.

177 Christophori Rodericij soleris industria.

178 Classiariæ expeditionis difficultates.

179 Non abstinendùm omnino difficilibus animarum curationibus.

180 Biatiani Collegij origo.

181 Magistri Ioannis Auilæ mors

182 In Societatem coopturi desiderauerat.

Digitized by Google

Sanctam Claram, vbi filiam ea Sanctimonialem id maximè optantem habebat, condi se pateretur: at ille nunquàm de sententiâ potuit dimoueri. Ita Patres rati se non vulgare pignus adeptos, in templi sui Sacello maximo posuerunt.

183 Catharinæ Marchionis Plegi obitus.

Paulò post ipsa Marchio Catharina, quam sæpè nostri annales, vt parentem Patris Antonij Cordubæ, & Montellani Collegij, atque adeo Societatis vniuersæ, memorarunt, qua religione duxerat, vitam finiuit: approperatâ, vt creditum est, morte, assiduitate, atque solicitudine, qua Magistri Auilæ supremis laboribus noctes, ac dies adfuit. Florebat interim Montellanum Collegium, auctum etiam Tyronum parte imbecillioris ætatis, quos Hispali propter luis reuiuiscentis indicia missos, Pater Franciscus Arias instituebat. Accessit & strenuus, & sanctus vineæ Christi cultor Iacobus Lopius per ætatem ab Canarijs Insulis, tertio vertente, postquam adierat, anno reuersus. Post Episcopi Turriani funus,

184 Canarienses quantùm pro retinendo Patre Iacobo Lopio certarint.

in Canariâ magnâ cùm constitisset; adeo salutaris, caruscque. Insulanis erat, vt ad alias insulas digredi non paterentur. At literis, per quas in Hispaniam reuocabatur, perlatis, omnium comploratio consequuta est. Proepiscopus obedientiæ præcepto vetuit proficisci, maiore opinor piæ voluntatis studio, quàm legitimæ iure potestatis. Senatus vterque pro se facer, ac laicus, itemque regij Magistratus vltima suppliciorum decreuerunt, qui auehere, aut in nauim recipere aust essent. Tum communiter ad Prouincialem Bæticæ ita scribunt. Bartholomæo Turriano parente, atque pastore optimo orbatis Canarienſibus, quicquid solatij residuum fuit, in vnâ fuisse Patris Iacobi Lopij doctrinâ. Nam re verâ, postquam ille venerit, mores supra modum correctos: tantùmque profecisse, vt ad reuocationis eius nuntium vehementer omnes ingemuerint: probè intelligentes quanta cuiusque res agatur. Itaque conuicio se omnium compulsos, frequens habuisse consilium; &, quamuis Pater cum multum lacrymarum, tum obedientiæ sibi deuotam religionem opponeret; tamen omnino retinuisse, dum ipse Prouincialis, atque etiam Generalis clamores omnium ordinum, & querimoniam cognoscerent dolentium tantum sibi à Deo concessum boni, prope per iniuriam rapi. Nàm si ad Indos, & ad alias longissimè abiunctas gentes catechistas mitterent; omnino scirent necessitatem apud se leuiorem non esse; neque quicquam abse commissum, quare post alias haberi gentes deberent, & Sacerdote iam sibi tradito spoliarentur potiùs, quàm submissis aliis iuuarentur. Itaque ergo, Christi Iesu verbis, ac nomine orare se Prouincialem tantum indulgeat spatij, dum Præpositus Generalis, probè cognitâ causâ, quid fieri velit, decernat. Confidere enim iustissima vota non repulsurum, Episcopumque notum, à quo Collegium perficeretur, se propediem habituros. Hæc in Bœticam, Romamque cùm scripsissent; sedare tamen Lopium non poterant, quominus in omnes abeundi occasiones anxiè immineret. Parùm se obedientem existimabat, nisi quibuslibet seu solutis, seu ruptis compedibus auolauisset: & argumentabatur, quamlibet benigna illic arua coleret; tamen, qui auocabant, videre Præsides alibi cum maiore diuinæ laudis messe culturum. In Canarienſium pectoribus diuersa certabant studia. Inuitum retinere parùm humanum videbatur: vnicum pietatis magistrum dimittere parùm piùm. Nec videre mœrentem poterant, quem plusquam suos oculos diligebant: nec cogitare absentem, quo plusquam oculis indigebant. Pro pignore quoquè, & obside Collegij, quod Turrianus condi testamento mandauerat, custodiebant. Controuersiam vtrinque religiosam artifici æquationis temperamento composuit Deus. Namque cùm literæ neque ex Italiâ, neque ex Hispaniâ referrentur, instante iam Quadragesimâ huius anni, oblatâ opportunitate nauigij, diutius tenére, & torquere amantissimum Patrem noluerunt: prosecutique abeuntem cum ploratu, eiulatuque publico dimiserunt. Sed vbi in altum prouecta nauis est, aduersi cohorti venti, adeo grauiter, pertinaciterque obstiterunt; vt post dierum decem tristissimam iactationem, tandem in portum se, vnde soluerant, volentes, nolentes receperint. Qua re celeriter per Vrbem, Insulamque vulgatâ; quo occursu, qua gratulatione, vicis quoquè ad lætitiam exornatis, non modò vt saluberri-

185 Eius præsentia quàm vtilis Insulanis ijs.

186 Obedientia eiusdem.

187 Prouidentia diuina in eius nauigationis regressu.

mus

mus Magister, sed & tanquam diuinitus retractus propheta receptus sit, dicere non aggrediar. Et ille tacitis Deo vocibus obsecundans, per totum sacri ieiunij tempus, saginandis diuino pane officiosissimorum Ciuium animis hoc institit accuratius, quò magis videbat esurientes. Interim expectatus venit Episcopus Ioannes Azora ex Hieronymianorum generalatu lectus: Qui, cùm aliena suppleret, nec multùm desideraret auxilia, & destinata Collegio ab Turriano pecunia litibus non careret; tum demum Pater Lopius, omnium bonâ gratiâ, ingentique apud omnes in omni genere admiratione virtutis suæ relictâ, nec multorum sine lacrymis, discessit: Oceanoque iam, & ventis, & scilicet Deo fauentibus, breui in veteres Turdetanos appulsus, inde cum Socijs, quos reliquos habebat duos, pedestri itinere Montellam contendit. Aragonia Prouincia singulari voluptate iterum Prouincialem accepit Antonium Cordesium ex Lusitaniâ ab Conimbricensis Collegij rectione reuocatum. Is Collegia Sardiniæ nunquam adhuc Prouinciali conspecta primo quoque tempore visenda sibi suscipiens, secum par Sacerdotum præstans adiecit Iacobum Puellam, & Raphaëlem Peregrinum. Prouincialis interim vices in Aragoniâ Iosephus Aiola Barcinonensis Rector suppleuit. Accidit ea lustratio Sardis siue domesticis, siue extraneis iucunda, & percommoda disciplinæ. Raphaël inde Peregrinus Prouincialis Vicarius suffectus: & Balthassar Pinna, qui ad id loci rebus præfuerat, quemque nunquam pro parente desinet Sardinia venerari, Hispaniæ redditus. Maioris Balearis Collegium priuata Ciuium in dies benignitas adhuc aluerat: per id tempus eorumdem collatione niti radicibus cœpit aliquanti annui vectigalis. Barcinonæ Theologiæ curriculum institutum, & aucti reditus benignitate eximiâ honestissimæ matronæ Mariæ de Larâ. Lucronij in Castellanâ Prouinciâ, post decursum artium liberalium orbem sub Ioanne Osorio, Theologia explicari cœpta, præcisis quæstionum subtiliorum, & minus ad vsum spectantium moris. Patres Antonius Rueda, & Petrus Ximenius inchoarunt. Ipsum Collegium in angulo vici ignobilis, extruque carentis importunè sanè cùm situm esset; celebritatem haud modicam adeptum est publico Ciuitatis consensu: quæ ob eam vnam rem singulari benevolentiâ mœnibus ibi deiectis portam fecit, & ponte fossam committens, per medios priuatorum hortos viam nouam aperuit. Ad Collegij ædificationem non ciues modò, sed & circumiecti populi, ad quos identidem erudiendos, lætos æquè, & obsequentes excurrebatur, studiosè contulerunt. Interim & Legionem, & Numantiam, & Ouetum, & Pampilonem, & alias in Ciuitates Collegia accersebantur. Pampilonem Iacobus Ramirius, Ouetum Ioannes Aiorla Episcopi vocabant. Ouetense iam diu cœptum negotium etiam num vlterius distulit mors Aiorlæ, in quo subinde erepto, amicum verum, & perofficiosum amisimus. Toletanæ Prouinciæ Collegium Seguritanum accessit, initio nequaquam silendo. Christophorus Rodericius de Moiâ Seguritanus ciuis cum primis honestus ex Eluirâ Diaziâ coniuge suscepit filias tres: quarum duæ Catharina, & Francisca cùm integritatem Deo vouissent; Mariam, quæ reliqua erat, vrgebant parentes, vt ad propagandam stirpem in matrimonium consentiret. Eam verò nihilominus illibatum seruare ad cælestis Agni Nuptias virgineum florem cupientem, eamque ob rem ægrè ferentem parentum flagitationem, precatam à Deo ferunt, vt se vitæ subduceret: idque visam impetrasse, quòd quinto die lateris dolore extincta est, & in ipso mortis articulo se quoquè virginitatis astrictam voto occumbere, sororibus, ad earum solatium, declarauit. Tum Christophorus, spe stirpis ereptâ, ad meliorem sufficiendam sobolem animum appulit. Teresa Iesu clara sanctitate fœmina, & sanctissimæ familiæ parens instabat, vt Cœnobium excalceatarum Carmelitarum extrueret, ornaretque. At ille, cùm fortè Nunnius Vargas Ioannis Auilæ discipulus eo tempore multus esset Seguræ in habendis concionibus, idemque & confessiones sedulò audiret, & Cathechismum rudibus explicaret; ita probauit ea munia, & nutriendæ pietati accommodata censuit; vt prius nihil optaret, quàm rationem perpetuandorum iniri. Fixum in eâ curâ & ipse Nunnius coram, & Magister Auila per literas perpulere, vt Collegium Societati fundaret.

188 Canariensis expeditionis exitus.

189 Sardiniæ Collegia Aragoniæ Prouincialis visit.

190 Balearici Collegij & Barcinonensis incrementa.

191 Maria de Lara Barcinonensis Collegij reditus auget.

192 Collegij Lucronensis progressus.

193 Seguritanum Collegiũ conditur.

194 Christophorus Rodericius de Moia idem fundare molitur.

Digitized by Google

Ipsam enim in his, quæ tantopere ille probabat, votisque requirebat, totam versari muneribus: & opus mansurum fore, quod cùm Religio esset, non item, vt singuli hominum, casibus mortalitatis subesset. Contigit autem subinde, vt Christophorus domesticæ rei causâ profectus Madritum, conspectâ in Madritani Collegij templo frequentiâ, & obseruatis Patrum laboribus, multò vehementius Collegij Seguræ condendi cupiditate succenderetur. Nec cessabant Catharina, & Franciſca filiæ suâ sponte ardenti patri subdere nouas faces. Hæc ita cùm essent, Bustamantius Carauacæ, præter ordinarias conciones, quæstiones conscientiæ ter in hebdomada explicabat, magno vsu Clericorum: illis iuxtà, populoque vniuerso summè gratus, ac venerandus: cùm à ciuibus Veanis, qui & ipsi Collegium moliebantur, missus cum equis duobus nuntius adest etiam atque etiam rogans, vt, quando non vltra bidui viam abesset; eos quoquè inuiseret. Adijt, in suggestum ascendit. Fama ad Christophorum Seguram peruénit quatuor indè duntaxat paruis leucis distantem. Christophorus condicit locum, vbi cum Patre congrediatur. Cuius vt primùm venit in conspectum; aliquantisper tacitus hæsit, impedientibus vocem subortis lacrymis. Cumque fari potuit: Ne quæso, inquit, mirere Pater puerilem hanc animi mei teneritudinem, atque mollitiem: multi sunt anni, cùm id, quantumcunque est rei familiaris, quod mihi Deus largitus est, percupio eius obsequio consecrare: iamque diu est, cùm animum induxi conferre in Collegium vestræ Societatis. Itaque, cùm Deus mihi copiam tui fecerit, jamque meæ videre videar ad culmen prouecta vota; nequeo temperare oculis, considerans quantum nostris hominibus Deus adiumenti paret. Obijcit continuò Bustamantius auditum sibi id Oppidum haud satis Collegij capax videri. Modicum enim est in Montanis Oppidum Segura; familias eâ tempestate sexcentas circiter numerabat. Tum ille: Veni, inquit, & oculis quid rei sit disce tuis. Sique non indigni prorsus curâ videmur; locum domicilio ex animo tuo cape. Ergo simul proficiscuntur. Et populus quidem, vbi sacrum tubicinem audijt, velut diuino quodam æstro ictus, mirè ad pietatem concitatus est. Verùm Christophorus triste tulit responsum; planè aptam sedem Collegio, qualia & ad priuatæ disciplinæ custodiam, & ad publici operis materiam Societas ex instituto suo, & decretis Congregationum requirit, censeri non posse. Vnam tamen sibi viam offerri, per quam potiri Societate Segura posset: si Tyronibus educandis domus benè nixa vectigalibus excitaretur. Quod tamen opus non opes priuati ciuis, sed Dynastæ cuiuspiam opulenti liberalitatem postulet. Tum Christophorus, quanta tandem sat foret summa percunctatus; acceptoque responso, extra templum, domumque, & vtriusque instrumentum, aureos minimùm in singulos annos sesquimillenos: Atqui, inquit, ista omnia iam nunc ego verè, sanctèque promitto. Quæ tam susè narrarim, tum vt ex Bustmantij literis continuò ad Borgiam datis rei series, quæ paulò aliter ab alijs narratur constet: tum vt aduersùs tam pium, liberalemque virum grati hoc animi monumentum extet. Virginibus quoquè filijs suum publicè declarandi studium, peruersitas hominum bono publico inuidentium, locum præbuit. Namque Rex per calumniam monitus, Christophorum extorquere filiarum consensum in patrimonij alienationem; cùm eas interrogari iussisset: imo à se id negotij multis lacrymis expetitum, & potius persuasum parenti, magno animo, & insigni pietate responderunt. Eædemque postea Collegij fundum (Collegium enim, quod postulabant, sensit Borgia concedendum) maternæ quoquè suæ hereditatis parte iuuerunt. Accessit ad Borgiam impellendum, quò res maturaretur, Ducis Feriani, cuius in commendatione tum Segura erat, vehemens flagitatus. Ergo aliquot statim Milano Garziâ Rectore missi coloni. Paruâ initio vsi domo, sed non modico totius Oppidi, ac præsertim viciniæ lucro. Eodem tempore aliquot missi Seguntum. Iacobus Cardinalis Spinosa Seguntinus Episcopus iam dudum cognitam inter exercitationes spiritus Compluti Societatem benignè complexus, cùm Ecclesiam suam monitu Summi Pontificis (vt Episcopos ille omnes monebat) diligenter visisset, latiùsque opinione dominari rerum bonarum inscitiam, & scientiam malarum, actionesque comperisset;

195 Bustamantius Carauacæ, circaque adlaborat.

196 Cum Bustamantio Christophorus de Collegij molitione studiosè agit.

197 Seguram simul proficiscuntur.

198 Christophori in Societatem liberalitas.

199 Filiarum eiusdem in Collegij molitionem conspiratio.

200 P. Milanus Garzia primus Collegij Seguntini Rector.

Digitized by Google

set; habitó de remedij viâ consilio; cum assensu Canonicorum, & Cleri decreat nullam præsentiorem offerri, quàm Societatis doctrinam. Quod cùm stetisset; non rogatu modò, sed modesto prope imperio confestim voluit antecursores mitti. Ergo Pater Marcus Valdesius præses cum Socijs quinque missus. Hoc eodem anno ædes Toleti coëmptæ, in quibus postea domus Professorum mansit. Eo præ ceteris nomine placuerunt, quòd constans fama est, ibi Sanctum Illephonsum natum. Eas vendidit Ioannes Hurtadus Mendoza Comes de Orgas pecuniæ adactus angustijs: cuius ad certum diem regio ærario, ob quædam redempta vectigalia, repræsentare vim ingentem debebat. Multa in eius negotij susceptione, progressu, exitu nota Dei rem probantis argumenta. Animaduersum est, quot quot vel ad scribendas rite literas, vel subscribendas testificandi more, nullâ industriâ, sed, vt fortè res tulit, sunt aduocati; nomen Alfonsos, quod ab Illephonso profectum est, habuisse. Verùm præcipuè perspecta Dei benignitas in repræsentandâ ad diem pecuniâ: quod nisi fieret, emptio nulla erat: & Comitem facti iam pœnituerat. Quantum plurimum potuere Patres pecuniæ mutuæ ex amicis corrogarunt: nec tamen iustam conficere summam potuerant: tum id, quod corraserant, raptim Madritum detulerunt: nec tamen citiùs peruenere, quàm eâ prorsus nocte, quæ suprema fidei erat. Sed regij Quæstoris, cui assignari oportebat, ita cor præparauerat Deus; vt, quamuis alieno, & importuno tempore allatam, nec totam, nec spatio ad numerandum iam reliquo; tamen ita innumeratam in præsens acceptam retulerit, deque suo, quod deerat, supplerit. Itaque cùm postero die Comes rei gestæ ordinem didicit, vehementer admirans, argumentansque eas ædes Deo cordi esse, & suo velle cultui dedicari; de suo etiam ipse facto lætatus est. Cum bonâ veniâ Vicarij Archiepiscopi possessio inita sexto Kalendas Septembres. Interruperunt deinde secundum cursum difficillimæ; perque molestæ subortæ lites: sed tandem, vt suo loco ponemus, eo valuere; vt Sancti Illephonsi natales Societati diuinus fauor non obscuriùs, quàm quæsierat, conseruaret.

201 Cardinalis Spinosa Segũtinus Episcopus Nostris vtitur ad lustrandã diœcesim.

202 Aedes olim Sãcti Illephõsi Toleti Societati addicta.

203 Quędam Deieã rem probantis argũmenta.

Interim Olisippone lues stragem immanem edidit. Sub extremum ver exorta, perque contemptum adulta, denique diris fusa incrementis, Augusto mense exitiale virus totum effudit. Vbi certò constitit, omnium fuga Ordinum consecuta. Patres Collegij, ac proprio etiam nomine domus Professæ, vt quos ordinis gradus, & ipse templi sui præses Diuus Rocchus admonebat, Nouitijs, ac paucis præterea iuniorum, vel infirmiorum ex vrbe dimissis, illud existimarunt tempus optimè de se meritæ Ciuitati, apud quos beneficia poneret, ostendendi. Salutem suam pro publicâ deuouent. Primus fuit operis fructus incitamentum aliorum. Nam & hortatu, & multò magis exemplo effecerunt, vt Sacerdotes passim, atque Parochi, atque ex alijs quoquè Religiosorum Ordinibus haud pauci, quod suâ sponte fuerant facturi, alacriùs ad eandem properarent ærumnarum, & caritatis palmam. Itaque Sancti Dominici, & Sancti Francisci assecłæ, & Religiosi alij sanctissimo in opere, magnâ suorum clade, egregiè desudarunt. Extremo Iulio ita funesta morbidorum seges exuberarat; vt, præter valetudinarium extra vrbem ex eâ parte, qua domus Professorum est, quod Patres Michaël Stephanus, & Alphonsus Aegidius curabant; ceteri domus Professæ Patres in tribus paræcijs quingenis, Collegæ trecenis inseruirent. Inuisebant miseros, aures confitentibus dabant, necessaria suggerebant etiam subsidia corpori. Et erat inopum (vt quos fuga locupletiorum, & opificiorum cessatione, annona omnis defecerat) ea calamitas; vt iam Sancti Rocchi Patres statuissent calicibus sacris non parcere. Sed admonita Aula, nihil desiderari passa est. Ingentem pecuniam Cardinalis Henricus, ingentem Regina submministrauit. Rex verò Martino Pereriæ Præfecto vrbis præcepit, vt quicquid vsus posceret, regijs impensis vndecunque tribueret. Cæterùm, quamuis cura intenderetur; superauit tamen tam amplâ in vrbe miseriarum moles: nec euitari potuit, quin complures vel humanæ, vel diuinæ opis egenos mors acerbè opprimeret. Animaduersum est in flagitiosos, atque intemperantes siue mares, siue fœminas immaniùs

204 Olisippone pestilentibus inseruiunt Socij.

205 Sociorum exẽplo Parochi, & Religiosi alij suas vitas caritati deuouent.

206 Aulæ regiæ benignitas.

Digitized by Google

207 Infantibus succursum.

niùs desæuijsse malum, pestemque Ciuitatis alterâ peste abactam. Miseranda in primis erat infantium conditio, quos inopes parentes vni commendatos diuinæ curæ deserebant in vrbe; cùm se ipsi, vitæ cupidine, in agros eriperent. Quippe hoc ingenium mali magni, publicique est: efferat sensim humana pectora. Territis enim misereri non vacat, exhauriente metu misericordiam, & extrudente necessitudines propriæ respectu salutis. Sed viguit Christi, vbi Adæ naturæ caritas torpuit. Innocentium solitudinem miserata Societas ingentem eorum numerum collegit: signisque appositis, vndè postmodum à parentibus, si fortè redirent, internoscerentur, cum curâ seruauit. Hæc, aliaque cùm populus cerneret; caritate quò minùs obuiâ, eò magis conspicuâ, vbicunque homo de Societate appareret, tanquam ipsa occurreret salus, exhilarati, infinitis cum

208 Magna mala sensus humanitatis minuunt.

actionibus gratiarum, & faustis precationibus excipiebant, ac dimittebant. Leo

209 Leonis Henricij Prouincialis curæ.

Henricius Prouincialis eâ tempestate deprehensus Conimbricæ, cùm aueret simul vt Ciues, simul vt curæ suæ creditos iuuaret Socios; Olisipponem accurrere tum vehementer primæ auctoritatis Patres obstiterunt, tum pro potestate, quam à Summo Pontifice in omnes Religiosos acceperat, Cardinalis Henricus coërcuit: vetitum non Olisipponem modò, sed etiam nusquam in periculum adire. Ergo, id quod proximum fuit, tum quotidianis per Prouinciam precibus, & placamentis edictis, tum summittendis in vrbem, quæ vsui forent, tam cumulatè absens curauit, vt Socij Olisipponenses inter æstum laborum, & mortis incendia non tam ferè suis periculis commouerentur, quàm anxiam aduersùm se Sociorum misericordiam miserarentur. Præfuerunt eo tempore ad Sancti Rocchi Franciscus Henricius, ad Sancti Antonij post Rectoris mortem Antonius Monserratus. Horum diligentiâ, & submissis à Prouinciali adiumentis,

210 Cura Societatis erga suos ægros Francisco Henricio, & Antonio Monserrato præfectis.

cùm domum vtramque lues arripuisset, ijs curati sunt ægri mundicijs ita scienter, ac vigilanter, eâ remediorum copiâ, salubrium quoquè odorum eâ suauitate; vt medici affirmarent, indè bonitatem Dei, & curam erga famulos suos intelligi. Nam nec cetera posse, vel primorum cuipiam contingere potiora: nec esse comparabilem ministrantium caritatem. Ceterùm magnum opus magno stetit. Multos, & præstantissimos viros ex selectâ cohorte sibi pigneratum est cælum. Ex his, qui se morbidorum dedicarant obsequijs, meritò chorum duxit, qui omni probitate præibat Alfonsus Aegidius. Is in pago Cadarsaë diœceseos Guardiensis, tenui genere natus, sed ad clericatum â puero educatus, maximè addictus Beatæ Dei parenti, amans quietis, & proborum sodalium, ad religiosam vitam semper aspirans, in Societatem iam Sacerdos conscriptus est Kalendis Maij vndequinquagesimo seculi anno. Positis Conimbricæ rudimentis, Olisippone in Collegio discentium confessionibus, itemque domesticorum, & instituendis Tyronibus aliquandiu præfuit. Indè translatus ad professos; ibi quoquè Tyrones instituit: sed in templi præfecturâ ad obitum vsque permansit. Candidissimum ingenium habuit, summam morum facilitatem, pietatem singularem. Nunquam nisi cum Deo, vel propter Deum cum proximis agebat. Vni sibi asper, & implacabilis. Quanquàm imbecillum erat corpusculum, valetudo nulla; tamen disciplinæ pertinax, laboriosus extra modum, animarum cupidus ad miraculum, animo semper hilari, beatoque: cuius pax, & iucunditas in oris perpetuâ serenitate emicaret. Valebat priuatis sermonibus, & homilijs circumpagos. Miserrimum quemque studiosissimè complectebatur. Barbaris mancipijs, vel vinctis in carcere, vel ad remum damnatis, vel vltimo supplicio afficiendis aderat propensiore studio. Et miseræ turbæ amabant eum vti parentem, audiebant vti Magistrum, pro Sancto venerabantur. Haud sanè supra merita. Quippe quo subleuari siue corpora, siue mentes afflictæ possent, nihil prætermittebat. Conquirebat eleemosinas, per quas certis interuallis obæratorum, qui soluendo non essent, bonum numerum in libertatem assereret. Solatia, & remedia ægrotis, vestimenta seminudis, alia egentibus subsidia curabat. Nullum loci squallorem, nullam sordium fœditatem, vt assideret benignissimè miseris refugiebat. Dicebatur iam vulgò pauperum pater, & suspendiosorum confessa-

211 Alfonsi Aegidij probitas, & in curandis peste contactis contracta mors.

fessarius, quo titulo gaudebat, & suos mortalium id genus fratres vocitabat. Vt verò pestilentiâ incubuit, tanquam tum demum res posceret remoueri habenas; toto impetu ferri, satagere, festinare, vt quisque fœdissimè laborabat, maximè amplecti, solari, expiare: videri planè sese, & omnia, præter vnam caritatem, oblitus. Monente comite ne tantùm se fatigaret: Necesse est, inquit, Deo, & eius gratiâ proximis seruire discamus. Aliàs, vt se, & ceteros extimularet; aiebat: si tandem moriendum est, vita quanti valet, tanti addicatur. Quod peregit sanè fæliciter, breuis lucis iacturâ mercatus æternitatem. Beatæ Mariæ Magdalenæ natali decessit. Sequutus proximè est tertio Kalendas Quintiles Franciscus Consaluius, acer, ac frugifer operarius. In Insulâ Materiâ, & nuper in veteribus Turdetanis probata solertia. Patriam Visæum habuit: paucos in Societate annos (namque iam ætate, & studijs maturus aggregatus est) octo circiter vixit. Successit deinde sexto Idus Augusti Michaël Stephanus, candore ingenij, tranquillitate animi, constanti modestiâ, perpetuâ vultus hilaritate, ad hæc studio animarum, ceterisque virtutibus Alfonso Aegidio quàm simillimus. Procuratorem Professæ domus annos complures egit: inter varios casus semper idem, suique potens, & negotijs maior, rarum domesticis, & alienis spectaculum. Porrò loquentis ab ore ea dulcedo fluebat; vt quicumque audirent, placidissimæ eius mentis saporem summâ cum iucunditate gustarent. Nec impediebat domestica procuratio, quin animis procurandis, & in templo assiduus, & frequens apud ægrotos interdiu, noctuque esset. Fertur per Iobelæi tempus viginti perpetuas horas confessionibus audiendis institisse: quibus officijs & notissimus, & carissimus summis, atque infimis erat. Immobilem animi iucunditatem, etiam supremo spiritu, cùm pestilentiâ ictus inter maximos dolores enecaretur, obtinuit. Itaque posteaquam permunitus est Sacramentis, conuersus ad Deum: En, inquit, omnia peracta sunt: veni iam, Domine: petijtque in cubiculum deferri, vbi Alfonsus Aegidius decesserat: vt quo loco Sanctus (sic enim vocabat) erat mortuus; & ipse moreretur. Couillanum patriam habuit. In Societate ab anno seculi voluentis duodequinquagesimo vixit. Hos constat pestilentiâ absumptos, cûm se coniecissent in medias flammas alijs succursuri: at Emmanuel Godinius, Gaspar Aluarius, Gaspar Planus, & Ioannes Mora, cùm promiscuè promptam, domum venientibus, præberent operam charitatis palmâ donati, magni animis, magni virtute, & rebus gestis viri. Emmanuel Godinius pridie Nonas Augusti confectus est. Egregiè ad pietatem animas prouehebat, parcus verborum, & innocentissimæ linguæ, secessus amans, ad modùm prudens, prolixus precum, primæ retinentissimus disciplinæ, quam ex ipso capite hauserat. Quippe secundus ille in Prouinciâ Lusitanâ Societatem auxit. Versabatur in aulâ inter cubicularios Regios, & quæstorios scribas, cùm Patrum Simonis Rodericij, & Sancti Xauerij, apud quem generalem confessionem peregit, conciliatus vsu, planè commotus est ad eos sequendos concione Ioannis Suarij, postea Conimbricensis Episcopi: in qua de transfiguratione Domini disputans, conferensque cum terrenis bonis cælestia, horum præstantiam vel indè ostendit, quòd modica stilla attonitum Petrum, & sui impotem reddidisset. Tanto igitur quæstu Godinius spes, ac studia commutaturus, eodem die allocutus Simonem, altero, & quadragesimo seculi anno, ætatis suæ tertio & vigesimo, quinto Idus Martias domum receptus est. Perobscura tum erat Societas, nominisque perinde egens, & alumnorum. Indè post exercitationes Spiritus, & vltro susceptа vota, per viam mendicans Conimbricam Godinius mittitur, vt populari cultu vtrique rei seruiret. Eam præ se & firmitatis, & solertiæ maturitatem ferebat. Annum ipsum ita exegit, constantiæ eò maiore documento, quòd cùm apud germanum cænobitam diuersaretur, ibidem studiorum causâ commorantem; is nunquam desinebat compellere, & vrgere, vt, si religionem meditaretur, non incognitis Presbyteris, sed familiæ, quam nominabat, celebri sanctitate se dedicaret. In Collegium deinde Conimbricæ institutum reuocatus, omnia vnus, quæ postea procuratoris, quæ ministri, & submi-

212 Mors Francisci Consaluij in pestilentiâ obsequio.

213 Et Michaëlis Stephani.

214 Emmanuelis Godinij vitæ summa.

215 Cælestium bonorum desiderio terrenis se abdicat.

nistri

nistri vocata sunt munera, Oeconomi, seu Magistri domus nomine obibat: nihil, quamuis vel opere graue, vel sordibus odiosum non libenter exhauriens: adeo vt lasana idem, vsque ad latrinas conditas perpetuò purgarit. Præfuit deinde
216 Conimbricēse Collegiū regit. Rector eidem Collegio, quo tempore satisfacturus populo, quem rebatur offensum, insigne de se, tametsi nihil necessarium, exemplum publicis flagris sumpsit. Tum primo Generali Conuentui Lusitaniæ Procurator interfuit: & Sancti Antonij Collegium rexit, & apud Professos aliquandiu Minister egit. Seuero,
217 Primo Generali cōuentui Lusitaniæ Procurator interest. quàm miti cum sibi, tum ceteris propior. Commercia Patrum cum aulâ necessaria magis (quòd commodè vitari non possent) quàm siue publicè, siue priuatim vtilia existimabat. Inter alias curas Prouinciali à consilijs sæpè fuerat, eratque cum cecidit. Vianæ diœceseos Eborensis oppido tantum virum debemus.
218 Gasparis Aluarij vocatio reſque gestæ. At Gasparem Aluarium Grisio non procul Brigantiâ. Salmanticæ iam Sacerdos studia persequebatur Pontificij iuris, tertio, & quinquagesimo seculi anno, cùm Stradæ concione impulsus, in ipso exercitiorum spiritualium fundamento planè decreuit Societatem sequi: ibidemque receptus, ac subinde missus Conimbricam, per varia experimenta magis semper, magisque industriam, ac pietatem probans, atque perficiens, ad Collegij Olisipponensis gubernacula admouetur. Annum iam nonum egregiâ cum laude ea tenentem arripuit lues, & rapuit. In Africam quoquè olim cum militibus, ad liberandam Lusitani Regis ex Barbarorum obsidione arcem, excurrit. Eminebat inter virtutes cupiditatum victoria. Natum sine vitijs diceres, vsque eo emendauerat. Pecuniæ summam fortè obsonator pro Collegij egestate non leuem, siue per incuriam suam, siue per iniuriam alienam amiserat: ob eam rem consternatum intuitus Gaspar, subridens id
219 Lepidè dictū. modò dixit: Nunc verò caue ne & te perdas. Creditos sibi alumnos, vt amabat maternâ suauitate; sic paterno spiritu ad voluntates infringendas, & virtutum profectum exercebat æqualitate mirabili. Ad ægrotos nocturnis temporibus, vt Sociorum quieti parceret, ipse plurimùm itabat: &, quæ alia poterat, ex durioribus officijs, silentio præcipiebat. Multùm familiari vsu apud Ciues valebat, & insignia ad Dei obsequium effecit. Nec profectò mirum, cùm & prudentia viri nota esset, & summa in sese macerando asperitas: ad hæc lumen, opemque ex augusto fonte sedulus hauriret, super alias preces, quotidie horas binas ante cæleste oraculum, Christi sacrosanctum corpus, in genua prouolutus. Ceterùm, vt antea semper, prouidè, amanterque Socios habuerat; ita pestilentiâ sæuiente in omnes, maximèque in eos, qui laborantibus inseruirent, omnem effudit benignitatem. Nihil illo lætius cùm vesperi domum manipulorum plenos, & illæsos reciperet: nihil attentius ad suppeditanda, quæ vsui forent: nihil solicitius ad curandos manu suâ, quos contagio perculisset, quoad gloriosâ in acie, & ipse letiferâ, seu potius vitali plagâ prostratus, quæ viri æquitatem, & magnitudinem animi clariorem fecit tot cælum triumphis clarus iniuit, quot per se, perque suos victorias reportarat. Idus Augustas supremum egit in terris diem. Pridie Gaspar Planus præiuerat Rector in eodem Collegio studiorum,
220 Gasparis Planī vita, ac mors. & Rectori ipsi Aluario à consilijs. Hic Belga genere prope Antuerpiam natus, primis literis Antuerpiæ perceptis, tum latinis, & græcis Louanij percultis, Dolam in Comitatum Burgundiæ ad iuris ciuilis studia missus à Patre, postque biennium regressus in patriam, cum Procerum cuiusdam aulâ in Hispaniam transit. Ibi post Philosophiam, atque Theologiam Salmanticæ mediocri profectu cognitam, ex graui valetudine ad serio prospiciendum vitæ futuræ excitatus; ætate iam tricenarius nomen Societati dedit, eunte seculi anno supra quinquagesimum sexto. Salmanticâ Septimancas, indè Conimbricam missus, annos septem ludum è medijs rexit: tum ad moderanda Collegij Olisipponensis studia, & impendendam animis sacerdotalem operam traductus, vtraque munera, quemadmodum alia semper, magno suo, & domesticorum, & extraneorum profectu, exemplo, bonoque administrauit. Patria quædam bonitas elucebat in moribus. Facillimus, & in omnes partes obedientiæ versatilis, summèque pius erat. Triduo confectus expirauit, coniectis in Christi Domini effigiem oculis,

mirâ

Digitized by Google

mirâ fiduciâ talia ſupremùm effatus: Domine Ieſu, nonne quæſitum nocentes venisti? En eximiè nocentem accipe. Ioannes Mora Oliſipponenſis, bono genere natalem Principum Apoſtolorum Societati natalem habuit, ſeculi anno quinquageſimoquinto admodùm adoleſcens. Vitam indè in ſtudijs, & in dirigendis ad ſalutem mortalibus ore, & aure, & manu, innocentiâ, & ſanctimoniâ ſpectabilis, magnâ cum obſequij, pietatiſque laude conſumpſit. In dulci colloquio, quod, Dominum in cruce fixum intuens, inſtituerat; cum ſemel, iterumque dexterâ ſimul pectus tundens dixiſſet: Deus propitius eſto mihi peccatori: dum idem tertiò iterat; in mediâ voce animam exhalauit manu ſuſpensâ, digitiſque, vt iuncti ad feriendum erant, hærentibus. Hos omnes ſacerdotio præditos fortis non ſacerdotum comitatus, nihil admodùm cedente paſſu, eſt ſubſequutus: ſcholaſtici tres Conſaluus Barreria quæſtionibus conſcientiæ, Iacobus Caruallius Theologiæ, Stephanus Nunnius Humanitati ſtudens: Coadiutores Ludouicus Brauus, Coſmus Vazius, Gaſpar Correa, Georgius Aluarius: qui, vt aliunde deeſſent, quæ tamen abundabant laudes, ab exitu ſatis nobilitantur. Damni plurimùm in Ludouico Brauo factum. Namque Tauilæ in Algarbijs natus, cùm annos ſex miles, quinque captiuus multum peragraſſet terrarum; tandem in Italiâ Florentiæ ad religioſam, quam ſemper in votis habuerat, militiam facto gradu, hoc incenſiore ſtudio, & exactiore ſolertiâ, procuratoris Prouinciæ comes Deo famulabatur; quò plura in ſeculi famulatu periclitatus, atque perpeſſus erat. Multi præterea ſancto in opere deſudarunt, quibus ad mortem paratis ipſa mors deſuit: inter quos maximè memorandi Sacerdotum Balthaſſar Barreria, & Antonius Monſerratus. Auxiliarium Fratrum Fulgentius Freires, is, qui ex Memphiticâ captiuitate redierat; & Iacobus Acoſta: qui poſt Patrum ſtragem diu ſolus ægros per vrbem ad ſexcenos perſeuerauit inuiſere, accommodata cuique nutrimenta, atque remedia ex regiâ ſtipe diuidens, & conductum circumducens Chirurgum, qui gratuitò mederetur. Balthaſſar Barreria à principio animosè progreſſus in aciem, contractâ lue, viſus eſt ideo ſeruatus prope diuinitus; vt poſtea domeſtico præfectus valetudinario, quod munus mirabili caritate, ac ſedulitate geſſit, multos Societati, & Chriſtianæ reipublicæ viros vtiles conſeruaret. Et edidit, dum ipſemet curatur, memorabile inter pauca documentum pluſquam virilis duritiæ. Namque dum peſtiferum tuber ſecundùm pectus enatum vt exſecet, adacto ſæpius Chirurgus cultro circa pertentat, quouſque vitium pertineat, adeo nihil commotus eſt; vt obtorpuiſſe circum totam, emortuamque carnem intuentes arbitrarentur; parique conſtantiâ ſtetit immotus, dum vndique reciſa tandem circiter libra carnis reuulſa eſt, attonitis medentibus, qui norant, quàm intoleranter alij carnificinæ id genus perferrent. Neque negauit percunctanti Rectori Barreria ſibi quoquè doloris acerrimum ſenſum fuiſſe. Ceterùm hæc adeo perfectæ virtutis facta Barreriæ, & Monſerrato pro rudimentis numerare licet eorum, quæ poſtea in longâ ætate, & barbaris regionibus addiderunt. Ex reliquo deſideratorum numero, quos nominare nihil attinet, exceptione digni Antonius Correa, & Franciſcus Andrada, quàm ætate diſpares, tam benè comparati virtute, velut optimo cum diſcipulo optimus magiſter. Primus Correa Tyronum inſtitutioni, cùm diſciplina ordinari cœpta eſt, in Luſitaniâ præfuit: neque aliud magis vitam per omnem munus tractauit. Vir verè humilis, & pius, & Crucis amator, ſuique victor: denique religioſæ ſanctitatis priùs forma, quàm doctor. Ferunt Oliſipponе, cùm Prouincialis per iocum dixiſſet, oportere eum comitem obſonatori ire cum manticâ ſine pallio, quemadmodum Tyronum quendam miſerat; ita planè feciſſe: multùmque ſe ita tunicatum, manticâ pendente ex humero, celeberrimis compitis oſtentaſſe. Vrbem Portum habuit patriam: in Societate ex anno ſeculi duodequinquageſimo vixit. Scalabitanus erat Andrada, nec vltra biennium, ac bimenſem in religioſâ ſchola ſuperfuit: ſextodecimo ætatis anno peruehementem, ac diuturnam petitionem, multaſque lacrymas aditum eblanditus: ſed quantùm exiguo interuallo proceſſerit, indè prompta eſt coniectura.

221 Et Ioannis Moræ.

222 Alij in peſtilentium obſequio mortui non Sacerdotes.

223 Ludouici Brauli laus.

224 Iacobi Acoſta & aliorum.

225 Balthaſaris Barreriæ conſtantia.

226 Antonij Correæ virtus.

227 Franciſci Andradæ inſignes laudes.

Petrus

Petrus Fonseca Conimbricensis tum Rector Collegij ad Borgiam scripsit, neminem pari omnium motu, ac desiderio, post conditum Collegium, obijsse. Idque meritò, inquit, pro eo quantùm in illo Dei erat. Vt primùm in sacram palæstram intulit pedem, eam aduersùs veterem hominem pugnam suscepit; vt planè totum hominem (alioqui ingeniosus, & acer) & omnem propriè quicquam volendi, omnem diudicandi exuisse facultatem videretur. Frequens flagellum, frequens cilicium, & cruciamenta alia innocentibus artubus adhibebat. Ad conciliandum sibi contemptum veniam petiit errata sua libellis adnotandi: qui per domum, quasi excidissent, dispersi, in Sociorum manus venirent. Tanquam vltimum habebat se. Ne vestimenti quicquam nouum indueret, de genu, & lacrymans deprecabatur. Non ita chrystallus pura translucet, vt magistro Nouitiorum tota eius anima penitus aperta, atque perspicua erat. Magister erat Blasius Gomius. Is, inter ceteras Andradæ laudes, profitebatur nec perspectam sibi, nec vsquam lectam parem mentis tranquillitatem in castigationibus suscipiendis. Ita postea serenum vultum, ita simplicem obtinuisse, bonámque fiduciam; tanquum nihil ad eum castigatio pertinuisset. Nec verò de re, quamuis leuissimâ, fuisse vnquam bis admonendum. Affirmauit emendationis curam inter schedas demortui inuentus libellus, in quo quicquid sibi vnquam pœnarum, & qua de causâ iniunctum fuisset, consignarat. Amabat supra modum Societatem. In remissionibus si quid loquendum sibi, aut quærendum putaret; de vocationis religiosæ beneficio, de donis à Deo Societati collatis, de perfectione, quam præstare vnumquemque Sociorum deceret, plurimùm agebat: eâ modestiâ, quam miram vbique, & in rebus omnibus obtinebat: oculis ita submissis, vt acies, velut circumscripto limite, intra vnum, alterumue pedem contineretur. Obseruantissimus omnium erat, in quibus velut in imagine, ac templo, Deum agnoscens venerabatur. Ad hanc se cogitationem assuefecerat, vt vbique locorum ad dexteram Christum Dominum, ad læuam Virginem Matrem haberet. In mensâ Christum sibi cruci suffixum proponebat. Cruciatibus eius in horas diei distributis, singulas partes singulis recolebat horis, æternoque Patri offerebat, suam vnicuique certam precationem adiungens, nunc pro Summo Pontifice, nunc pro Regibus Christianis, nunc pro defunctorum animis, aliàs pro necessitatibus alijs. Præter vsitata rosaria, & solennes Deiparæ, cui addictissimus erat, honores, texebat ei quotidie tale coronæ genus. Generatim res creatas mente collustrans, inuitabat separatim vnumquodque genus, vt de virtutibus admirandis, deque ornamentis amplissimis, quibus cumulata est, Deo gratias agerent: gaudens ipse, ac gestiens, quòd summa illa Regina ijs bonis omnibus, & celsissimo gloriæ culmine frueretur. Iam diu singulis horæ quadrantibus in conscientiam inquirebat suam. Per sesquianum singulare examen in eo continuauit, vt ad voluntatem se se diuinam totum, ac penitus fingeret: cuius exercitationis quinos quartâ quaque horæ parte actus instaurabat tanto profectu, quantùm exacta obedientia, quantùm, qua supremum languorem tulit, æquitas animi declarauit. Nihil enim neutram in partem seu vitæ, seu mortis specie commotus est. Quin vbi vincere morbus cæpit, omnes admirabantur securitatem, atque lætitiam, qua de morte, tanquam de migratione, in familiare domicilium, cunctantem prope incusans: & à quolibet accipiens in cælum mandata, accipiebat, reddebatque sermones. Monente socio, vt morbi vexationem pro suis delictis offerret Deo: Non id faciam, inquit: non refugio, in offensi Dei mei pœnam, quemcunque ignem: hoc quicquid est, in gratiam suam bonus Dominus, proque amore suo dignetur accipere. Immensùm gaudebat, quòd in religiosâ obedientiâ moreretur. Rogante Fonsecâ quid vellet fratres à Deo sibi precari: Vt, inquit, eius de me voluntas vndecunque fiat. Aliàs verò inrerrogatus, quid vellet à fratribus pro se fieri: quamuis iterum, atque iterum, vt aliquid explicaret admonitus, aliud non potuit exprimi, quàm id iucundissimum fore sibi, quod obedientiæ placuisset. Rursus quærenti quid se maximè solaretur eo tempore: Obedientia, inquit: Et in qua

228 In sui cõceptu singularis industria.

229 In castigationibus tranquillitas.

230 Exercitationes piæ Andradæ.

231 Obedientia eiusdem.

Digitized by Google

in qua vellet maximè virtute elaborasse: In obedientiâ, subiecit. Item supremo iam inunctus oleo admonitus, vt vni fratrum expromeret, in quo maximum eius profectum cuperet: In obedientiâ, respondit. Quæ curationis gratiâ adhibebantur, vt obsequenter omnia, sic insuauia libenter, blandientia penè grauarim sumebat. Denique à principio monitus ne in dexterum latus recumberet, & ad vltimum constantissimè obsecutus, cùm iam moribundum naturæ impetus in eam partem, quò scilicet sinistræ fatigationem leuaret, vertisset; disputantibus inter se fratribus, vtrum ita sinendus esset manere, quando iam tam prope ab fine abesset; ex eo sermone recordatus (vt apparuit) moniti; vltro se ipse convertit, dicens: Tamen: hoc est, etiamsi nihil refert ad vitam; tamen ad obedientiam præstat, ne id quidem laxamenti naturæ permittere, sed obedientiæ immori. Exanimum corpus gratior, quàm cùm viuum integer sanguis, atque ætatis ver pingeret, serenitas quædam, ac pulcritudo vestiuit. Itaque cùm linteis ad sepulturam more patriæ inuolueretur, aliquot præter morem horas relicta facies detecta est, vt Sociorum indulgeretur luminibus, qui iterum, ac sæpiùs intuendo, & beati iam fulgorem animi delibando, Deumque in caritatis suæ delicijs laudando, expleri nequibant. Indè diu nulli fuerunt inter Socios Conimbricenses alij sermones, quàm de Francisci Andradæ virtutibus, magno cum omnium incitamento ad imitanda, quæ laudabant. Et fuere, qui rem quampiam aggressuri, vt ad optimè gerendam excitarent se; illum proponerent sibi, cogitarentque si agenda Andradæ res ea foret, quemnam ad modum esset acturus. Tum item vulgata est illa pueri ante initam Societatem singularis, ac propria virtus. Dum Conimbricæ studiorum causâ diuersabatur, vbi cognouisset quempiam in paræciâ suâ moribundum esse; domum eius adibat gestans sub pallio Crucifixi effigiem, & candelabra bina cum cereis: locoque apto arulâ in ægri conclaui excitatâ, & ibi Cruce, candelabrisque positis, & incensis candelis, ad hominem accedebat, exhortans, atque confirmans, & colloquia cum Christo Domino instituens, pij modo, peritique Sacerdotis, nunquam desistens, donec vel animam æger exhalaret, vel capax auxilij esset. Quæ res cognita adeo viciniæ, & curialibus placuit; vt iam, si quæ talis necessitas ingrueret, accersendum ipsimet puerum (sic enim nominabant) dicerent. Hæc sunt gratiæ Christi miracula: cui nulla cùm sit non idonea ætas; quantò simplicior, ac purior, tantò est aptior puerilis: in cuius floridâ amœnitate, cælestis quoquè artificij suauiùs rident colores. Condemnat autem iustus mortuus viuos impios, & iuuentus celeriùs consummata longam vitam iniusti: neque id solùm, sed militibus sapientiæ veteranis cana Tyronum perfectio cum salubrem pudorem injecit, tum calcar blandissimum addit. Ceterùm quos ad oppetendam pro caritate mortem Conimbricenses quoquè socij gererent animos, declararunt. Primò cùm institere permulti ex Prouinciali, vt liceret Olisipponensibus auxilio ire: quorum nulli permissum, nisi domestici valetudinarij procutatori, ob vsus, peritiæque prærogatiuam. Deinde cùm ex plebe Olisipponensi profugum quendam haud procul iacére allatum esset; tela mortis haud satis fugâ elapsum. Tum enim conuocatos in vnum Fonseca cùm interrogasset, ecquis ad expiandum, confirmandumque miserum satis animi haberet; confertim in genua prociderunt, suum quisque caput in periculum offerentes: ex quibus lecti duntaxat duo, qui perfuncti pietatis officio sospites redierunt. Ad iuuandum quoquè Pagum, quem lues infecerat, vitam, & operam detulerunt: sed Episcopus remisit, quòd Parochus benè partes suas obiret. Aliquantò plus præstiterunt Eborenses. Namque ex tantâ Olisipponensi frequentiâ per omnem Lusitaniam fugâ dispersâ, cùm Eboram multi veniissent, receptis intra mœnia integris, pestè attacti miliario, ac dimidio procul mœnibus iacebant: nec erat, qui morientibus consueta pia ula ministraret, nec qui puluerem injiceret mortuis. Hanc destinatam sibi benignitate Numinis Collegæ Eborenses prouinciam iudicarunt. Quam cùm certatim vniuersi deposcerent, ne plures, quàm necesse esset, in casum darentur; quatuor duntaxat bini Sacerdotes, laicique delecti sunt. Eos miserabilis turba,

232 Eiusdem adhuc pueri erga moribundos sedulitas.

233 Conimbricensium Sociorum caritas.

234 Eborensiũ quoque feruor.

ba, veluti lapsos è cælo Angelos, exceperunt: placuitque diuinæ clementiæ omnibus prope cum animi, tum corporis restituere sanitatem: quatuor solùm defideratis, quibus Socij, cùm in supremo illo, maximoque, vtpote rem æternitatis secante certamine, sedulò adfuissent; defunctis iusta funebria, & sepulturæ beneficium addiderunt: & ipsos tandem benè, feliciterque prouinciâ administratâ, sospites ceteri Socij, cùm pro deploratis habuissent, incolumes præter spem, & plenos frugum cælestium reuisentes, complexu lætissimo exceperunt. Secundissimo rumore Patrum Olissiponensium caritatem Lusitania cuncta celebrauit. Pro Martyribus habendos Cardinalis Henricus ad Generalem Borgiam

235 Regis in Societatem studiũ. scripsit, qui in eâ procuratione ceciderant. Et, quoniam tam multis orbata, & adeo præstantibus Prouincia viris erat; ex Pontifice postulabat Rex, vt quadraginta Sacerdotes, veteri Societatis instituto, nullâ solennium votorum editâ professione, creari ius esset: pollicens de suo sacerdotia, vel patrimonia, si quando cuipiam eorum mendicitatis periculum immineret. Sed Borgiæ visum est, cùm ad se literæ perlatæ essent, debito Pontifici obsequio conuenientius hac Regis liberalitate non vti. Itaque literas eas reddi noluit. Magnopere autem

236 Laudat Borgia caritatem Sociorum Lusitanorum. laudans pietatem Sociorum, qui glorioſæ morti obiecerant se animarum causâ, & excitans ad pergendum, quòd opus hoc vocationis nostræ esset; non precum modò auxilia, sed & hominum supplementa pollicetur: simul affirmans, qui præiuerint in cælum, nihilo minus indè prouinciam adiuturos: & in eorum loca Deum (vt nunquam liberalitate vincitur) nouam sobolem magno fœnore submissurum. Rex, & Cardinalis, vbi periculum increbuit, Olisippone egressi, varia subinde mutantes loca, Eboram Octobri mense venerunt. Excepti sunt

237 Rex ab Eborẽsi Academia pulchro ordine exceptus. ab vniuersâ Academiâ summâ obseruantiâ, & magnifico apparatu. Rector erat Pater Georgius Serranus. Is scholasticos omnes cùm in Gymnasium conuocasset, ordine obuiam misit eâ regione vrbis, quæ fert ad ædem Diui Sebastiani extramuranam. Præcedebant prima rudimenta discentes pueri: qui partim lauro, partim aliâ decorâ fronde ad innocentiæ magis gratiam, quàm scientiæ præmium coronati: & partim palmis insignes christianæ religionis initia concinebant. Sequebantur ætate adultiores, & literis: qui variâ antiquitatis cognitione, reconditisque Poëtarum, & Historicorum operibus, & ditiore Rhetorum supellectile ad Humanitatem instruebantur, & Eloquentiam. Adhærebant sui quibusque Magistri, & identidem viri graues patritiorum ex ordine, vel ex Academiæ magistratibus inauratis bacillis euntium incessum moderabantur. Ponè subibant, qui Dialecticorum argutias, & certas perueſtigandæ vias veritatis persequebantur: accedentibus, qui scrutando naturæ opificio, & his, quæ vltra naturam sunt contemplandis operati erant. Tum magisterij dignitate præditi, vel diuinæ sapientiæ donati laureâ suorum quisque insignibus honorum nobiles. Eos Religiosi de Societate scholastici excipiebant: hos ex eâdem Doctores, donec agmen clauderet, proximè prægrediente Bedello, medius inter primos Doctorum Serranus Rector. Eo ordine simul peruentum ad Regem; primus Rector eius manum, dein ceterorum quidam exosculati. Omnia Regis consummauit benignitas, cùm in gratiam sic accepit, vt nihil vnquam siue iucundius, siue magnificentius spectatum sibi profiteretur. Proximis deinceps diebus ipse, & Cardinalis, alijque Procerum in Gymnasio honorificè excepti cum apparatu Musæo: eleganti quoquè fabulâ comicis, tragicisque temperatâ motibus exhilarati. Cùmque Cardinalis familiari facilitate in Collegio ipso diuersaretur; Rex totum haud semel, & scholas prope quotidianus auditor inuisit. Præter cetera illud admirabatur, Theologiæ quoquè Professores, & summo in pretio apud populum viros, infimis domi, vel in coquina, muneribus inseruire: auditum videlicet adhuc magis, quàm compertum habens, religiosa simplicitas quantùm ab seculi vrbanitate distet: quamque diuersa sit in Christi, & mundi aulis ambitio: cùm primatus, vt hîc à vertice, ita illic ab imo petatur.

238 Manopotapæ missio. Per huius ánni Ver expeditionem in Manomotapæ regnum adornauit, Francisco Barretto, qui Goæ Prætor fuerat, ei præposito: qui, cùm se prouinciam, susce-

ſuſcepturum negaret, niſi aliquot Sociorum præſidio inſtrueretur; quatuor libenter ſunt attributi, vt, ſi quà fortè daretur acceſſus, in eo ſolo, quod Conſaluus Sylueria triumphali olim ſanguine irrigarat, fidem Chriſti conſererent. Ergo Franciſcus Monclarus, & Stephanus Lopius Sacerdotes: Laicique Conſaluus Dinius, & Dominicus Conſaluius miſsi. Qui, cùm in Mozambicum veniſſent, militibus magnam partem, vt infra reddetur, morbo, cladibuſque alijs abſumptis, expeditione exitum non ſortitâ, docendæ quidem religionis occaſione fruſtrati ſunt, ſed præclaram nacti exercendæ caritatis. Indiæ Viſitator Conſaluius magnum domi, foriſque ad res Chriſtianas momentum attulit, non ſolùm præclaris monitis, ac præceptis, ſed magis omnium virtutum actionibus ad abſolutam religionis formam præcurrens. Quippe in Goano Collegio humilia, tyronis inſtar, miniſteria obire, & Patrum, Fratrumque neceſſitatibus inſeruire adorſus; iter ad perfectionem meliùs manu, quàm ore monſtrabat. Itaque omnium animis eius ardore incaleſcentibus (vt maximè noua permouent) ſolennis votorum inſtauratio, ineunte anno, nouo quodam animi ſenſu peracta eſt. Nec fuit quiſquam, quin ſedulò amouere ſtuduerit quicquid ſibi priuatim cæleſte curriculum poterat retardare: ac nominatim, quò propiùs ad ſanctam Chriſti Domini nuditatem accederent, eique vni in vnum collectis adhæreſcerent ſtudijs, quicquid ex communiter conceſsis (aliud enim nihil habebant) paulò habebant carius, reliquias ſacras, præcatorias lineas, icunculas, libellos ſeu typis, ſeu calamo ſcriptos, alia de genere hoc magnâ alacritate ſe penitus expoliantes, vltro ad Conſaluium detulerunt. Quæ non ſolâ in Indiâ, ſed per cunctam Societatem ſolennes expoliationes identidem cùm eſſent, hodieque ſint; detur hoc Goanorum Sociorum ardori, vt de ipſis propriè referatur. Multa in Goano Collegio, quantùm natura loci permiſit, ad communem Prouinciarum morem accomodauit. Poſita in orâ Cambaiæ domicilia, Tanaam, Bazainum, Maim, Damanum viſit, magno cum incremento tum priuatæ pietatis, tum publicæ. Vt enim recenti impetu ad ſui culturam animi pro ſe quiſque Sociorum incubuit; ita in proximorum quoquè vtilitates elaborauit ardentiùs. Siquidem & fabrilia videre eſt ferramenta, cùm cote magiſter extimularit, plus operis, leuiùſque moliri. Multi ad Eccleſiam aggregati cum alibi, tum præcipuè in Salſettanâ continenti: quos inter & celeberrimus Iogues. Hunc conſpicati Neophyti, cùm in pagum Vernam fortè veniſſet, penè captiuum ad Patrem Andream Fernandium Sanctæ Crucis Eccleſiæ præſidem pertraxerunt. Aetate videbatur annorum quinque circiter, & viginti. Ac ſuum perbellè Monachum Satan ornauerat. Veſtitu attrito vtebatur, & lacero: ne ſcilicet nobis nos placeamus, niſi philoſophiam vltra ſcruta profiteamur. Pendebat ex humero ſarcina, in quam friuola quædam, velut religioſa monumenta, congeſſerat. Hinc ab lateribus ænea ſcutella, indè excauatum in cucurbitæ formam poculum. Brachia, & crura, item manuum, ac pedum articulos ferreis circundederat annulis. Fiſtulam è ceruice ſuſpenſam, buccinam venatoriam manu gerebat: quibus inflatis aduentum ſuum in oppida gloriolæ mancipium præſignificabat. Ad hæc mortis meditandæ monumentum (an per errores volatici, emortuique ingenij documentum?) extinctam ferebat auiculam vniuersâ cum plumâ. Cæterùm formâ ipſi corporis egregia erat, vultus modeſtus, nec lingua infrenis: barba, & caput abraſa. Exigui tantum circuli ſpatio comam in vertice raram, ſed promiſſam, benequè comptam reliquerat: qualis Iaponum mos eſt: contrarius Sacerdotibus noſtris, qui tantum verticis radimus, quantum illi intactum relinquunt. Ligna quædam in aures quatuor, aut quinque locis perforatas inſeruerat, tanquam profeſsionis argumenta. Hoc habitu cùm ante Patrem Andream ſtetiſſet, interrogatus quo conſilio tantâ ſe aſperitate frangeret; anteactæ vitæ commiſſa expiare ſe, & proſpicere ſaluti reſpondit. Tum Andreas: Metam quid em, mi homo, propoſuiſti tibi non malam, ſed aberras à viâ. Multiſque rationibus neque expiationem criminum, neque ſalutem æternam, niſi in veræ cultu religionis, ſummique rerum parentis, atque reparatoris cognitione oſtendens poſſe conſiſtere;

239 Viſitatoris Indiæ res.

240 In votorum inſtauratione facta à Socijs abdicatio.

241 Ioguis celeberrimi baptiſmus.

Digitized by Google

hominem, nimirum diuinâ intus perdocente sapientiâ, ita permouit; vt continuò responderit: quoniam Deo ita placeret, velle fieri christianum. Ac protinus magnâ & Christianorum, atque Ethnicorum turbâ sectante, progressus in forum, ibique rogo excitato, subdito que igni, varium illum, ac multiplex ludificantis Dæmonis instrumentum colligatum in fascem iaculatur in flammas. Vt verò per otium christianâ imbutus est disciplinâ; maiore diuinitus luce perfusus, domum regressus, indè secum matrem, cum filijs tribus germanis suis, Vernam ad Catechismum, & ad Christum adduxit. Eiusdem Sectæ vir alius in Trauancoris orâ baptizatus est: qui Religiosorum Societatis admiratus virtutem; auidè quæsiuit, quis eorum ordinis repertor, & magnus (vt aiebat) parens esset: cognitoque Ignatium appellari; ad viri venerationem id sibi nomen delegit. Inter hæc Ludouicus Taidius Prorex cùm Prouinciam offendisset grauiter à Malabaribus Mahometanis infestam; vt optimè armis, virisque è Lusitaniâ venerat ad bellum instructus; non solùm dimissis Septentrionem versùs, & meridiem classibus, pacare maria; sed etiam, quantùm fieri posset, periculorum, & prædationum semina excidere aggressus est. Itaque magnâ extructâ classe ad Onorem, & Bercelorem in Canarinorum orâ expugnandas arces contendit. Onor & propugnatoribus, ac situ munita oppugnationem triduo sustinuit. Tertio die, qui clarissimæ Virginis, Martyrique Catharinæ festus illuxit, vltro deditionem fecit. Duxerat Imperator in exercitu duos è Sancti Pauli Collegio Sacerdotes, Sebastianum Consaluium, & Martinum Syluam. Is, quo die Lusitani castrum ingressi sunt, Franciscano Custode in gratiarum actionem sacrificante, verba ad concionem fecit. Idem in eâ expugnatione periculis summis defunctus est. Nam vt primùm excensio facta est, dum conatur globo militum animos addere, & Crucifixi Domini signum ostentat, emissa ab hoste artificiosi ignis olla huc, illuc magno impetu volitans in eum impulsu sibi cauentium militum prolapsum incidit: sed ita, vt vestem duntaxat discerpserit, intacto corpore. Deinde sæpius tormentarij globi ita proximè viri caput præteruolarunt; vt propiùs sine noxâ non possent. Hac arce captâ, Prorex copias vltra ad Bercelorem duxit, quæ ab Mahometanis vim experiri non ausis deserta in potestatem venit. Patres ambo substiterunt curandis Onori militibus, qui ex vulneribus decumbebant. Haud minùs militares necessitates subleuatæ Cocini, vbi Iacobus Menesius cum triginta Nauigiorum classe, ac mille fermè armatis hybernauit. Inter omnes conseruata, vel restituta pax, licentia, visque compressa. Ante omnia priuatis, publicisque sermonibus effectum, vbi conscendendum fuit, vt de laudabili more Indicorum militum vnusquisque curaret conscientiam. Itaque multi etiam publicis spontè flagris commissa vindicarunt: & præter Socios nauales militum octingenti in Collegio expiati, cælique mensâ refecti: vt mirum non fit egressis ad custudiam littoris eius frequentes Deum ex hostibus, & præclaras dedisse victorias. Procuratio huius Collegij post Melchiorem Nunnium, quem Goæ Visitator tenuit, Emmanueli Texeriæ demandata est. Is nuper seriò susceptum Ethnicos pelliciendi negotium longè promouit: & suffragante Lusitano Præfecto ab Cocinensi Rege impetrauit, vt Palurti, qui recentium Christianorum est pagus, liceret templum extruere. Leucas circiter viginti Cocino in Austrum abest Porca Oppidum, quod & Regioni dat nomen. Eius quoquè Regulus cùm Cocinensem Regem grauiter ægrotantem inuisisset; ab Texeriâ, & Lusitanorum Præfecto excitatus, quæ Cocinensis Rex imperij sui Neophytis beneficia dederat, concessit popularibus suis, qui ad Christum accederent: vtque templa christiana non Fidelibus modò, sed etiam Ethnicis pro asylo essent. Alij duo Reguli, quò faciliùs in Lusitanorum venirent amicitiam; prædicatores christianos postularunt. Eò missi rerum statui speculando Socij duo, optimè præparatum ad opimam messem inuenerunt solum. Inter Neophytos Cocinenses longè fides eminebat, & ardor Gasparis Aegidij. Qui, cùm animaduerteret haud modicum præparandæ religionis impedimentum, quòd Competentibus instituendis nullum receptaculum esset; suis sumptibus Catechumenos, in ædibus

242 Iogues alius Ignatij nomen quare sibi in baptismo delegerit.

243 Onoris expugnatio.

244 Patres Sebastianus Consaluius & Martinus Sylua in exercitu ducti

245 Cocini res gestæ.

246 Emmanuel Texeria Melchiori Nunnio in Coccinensis Collegij procuratione succedit.

247 Gaspar Aegidius Neophytus magnæ virtutis.

ad

ad eam rem comparatis, alendos depopoſcit. Cuius honeſta vidua imitata virtutem; non modò alendis, verùm etiam erudiendis fœminis operam, & impenſam benignè detulit. Denique aliquot magnificè adornatis baptiſmis, hoc anno Cocini ferè quingentis capitibus piorum cœtum Collegij induſtria locupletauit: Deo etiam ſingularibus, vt conſueuit, pietatis ſuæ pignoribus aſpirante cœptis. Paganus erat genere nobilis, quem Patres noſtri per ſe, perque communium amicorum conſilia, ac preces conati ſæpè à falſo cultu auertere, ſcopulum verberarant. Sed quo die Sancti Iacobi ſolennes honores inſtaurantur, ita euénit, vt Chriſtianos circa vrbem inuiſens catechiſta Sacerdos cum ſocio ad eum diuerteret, perque humaniter acceptus precaretur, vt tandem aliquando reſpiceret ſe, atque obedientem veritati præberet. Cui Ethnicus, non vt ante conſueuerat, tergiuerſans, & pertinax, ſed mirâ alacritate reſpondit. Nihil amplius in ſe recuſationis futurum: proximâ nocte auguſtâ ſpecie viſam ſibi Reginam, quam, ex frequenti cum Chriſtianis vſu, etiam ipſe Dominam noſtram appellabat: eamque talibus ad ſe verbis loquutam: Craſtino matutino chriſtianus Sacerdos hâc iter habebit: Tu, quicquid ille auctor erit, faceſſe. Ergo, quoniam vultis, inquit, me chriſtianum fieri; en ego præſto ſum: me, & omnem pariter domum meam facite chriſtianam. Ita poſt paulò lætus cum ſuis in Collegio ad ſalutarem fontem acceſſit. Nihilo erat minus pecuniâ, & negotijs, vmbraticæque legis peritiâ clarus Iudæus nomine Ioſeph: qui Cocinum (vndè erat domo) cùm Bengalâ rediret; Coulani graui morbo, ex quo deceſſit, implicitus; vnum è Patribus aduocauit, ſepèque ingeminans multo cum fletu: Nimium diu ſe aberaſſe cæcum, & pugnaſſe cum Deo: Nunc demum Chriſto Ieſu, quem Dei filium in lege promiſſum crederet, velle duram ceruicem ſubdere, & quicquid Romana Eccleſia doceret, totâ mente complecti: Etiam atque etiam rogabat, vt ſibi ſalutarem aquam inijceret. Pater gratias agens Deo, quòd per morbi perniciem ſalutis principium homini præparaſſet; pia eius vota non diſtulit: continuòque ille de duro lapide verus Abrahæ filius, nouâ quadam voluptate, ac luce perfuſus, ita ſuauiter cœpit, ita magnificè de Chriſtianis myſterijs verba facere; vt quotquot aderant, in lacrymas irent. Literas etiam, paulò ante quàm moreretur, ad Cocinenſem Antiſtitem Henricum Tauoram ſcripſit, quibus, poſt rogatam veniam, quòd eius monitis tandiu obſtitiſſet; certiorem faciebat, ſe tandem à diuinâ bonitate victum, ſuſceptò baptiſmate, iter cælum versùs ingredi. Quæ, & alia huius generis multa vehemens commoti à Deo animi ſtudium ſpirantia dum legit Antiſtes, ei quoquè oculi maduerunt. Præter hunc quadringenti quadraginta ſeptem Coulani in Collegio baptizati. Multi item in Trauancoride orâ, cuius procuratio ad id Collegium pertinebat. In his grandæuus Paſtor annorum fermè centum canitie pulcrâ, nec ſine caluitie venerandus, qui prope oppidum ipſum Trauancor prætereuntem conſpicatus Patrem, Eccleſias illius plagæ luſtrantem, ouibus in agro relictis, ad eum acceſſit rogans, vt ſecum duceret, & chriſtianum efficeret. Ductuſque Raquemangolanum pagum Chriſtianorum, & baptizatus, paucis interiectis diebus exceſſit è vitâ. Multa his adijci poſſent miracula fidei, ſi talia coaceruare in hæc monumenta conſilium eſſet. Illud tamen apponam, Adoleſcentem chriſtianum Coulani apud Patres agentem, egreſſum ad lignandum fortè cùm deprehendiſſent, abduxerant ſui, vt qui vanis Deorum cultibus tenebantur. Pius adoleſcens amorem religionis ante naturæ neceſſitudines habens, vt primùm opportunitas data eſt, fugam arripuit. Dumque Coulanum rediret, in tigrim non modò feritate, ſed & magnitudine immanem incidit. Tremefactus belluæ conſpectu ad diuinum auxilium, in quo ſpes vna ſupererat, fugit: repetitoque ſæpiùs vitali Crucis ſigno ſe munit. Mirum dictu, eo tigris repentè manſuefacta propiùs accedit, adoleſcentique vix mente præ pauore conſtanti, & nihil niſi Cruce ſe conſignanti blandiſſimè lambendo adulatus, tum recedit innoxia. Ille iter, tanto corroboratus experimento, proſequens, eò lætior ad Patres remigrauit. Trauancoride in orâ, nempe Rege, quanquàm Ethnico, nil morante, ac potius fauente,

248 Conuerſus quidam Paganus Beatæ Virginis monitu.

249 Iudæi primarij conuerſio.

250 Coulani multi baptizati.

251 Paſtor centenarius Chriſtianus efficitur.

252 Tigris Neophyto blanditur.

253 Trauancoridis oræ in fide progreſſus.

Digitized by Google

processit bellè christiana res. Iam quinque & viginti numerabantur in eo tractu Christianorum pagi, ex quibus quindecim fermè millium capitum numerus conflabatur. In vnoquoque pago, tribus exceptis, suæ stabant sacræ ædes ædituis impositis: quos Patres, cùm ipsis nequaquam liceret assiduè interesse, in multis functionibus vicarios sibi substituebant. Canacopolas ibi, vt & in orâ Piscariâ, nominant: quorum est, præter templi custodiam, & ornatum, rudes, ac pueros bis quotidie christianis præceptis imbuere, discordias amoliri, statis temporibus conuocare plebem in ædem sacram ad preces, notatis absentibus, vniuscuiusque obseruare mores, ac fideliter Patri, vbi is accedat, referre: ante omnia infantibus periclitantibus opportunè exhibere baptismum. Duo condita hoc anno ex ijs, quæ numeraui templis, vnum Mampoli, alterum Carangolani. Mampolis quinque Coulano leucis abest septem millibus incolarum frequens: quorum haud paucis iam fidem amplexis, cùm ceteri haud difficilè amplexuri viderentur, suis Pagodis nihil addicti, pagi totius Christo subdendi spe, Patres multos iam annos in occasionem templi ibi excitandi imminebant. Obstabat Regina Chirangæ, cuius in ditione est Mampolis, verita ne Lusitani portus, & aquationis opportunitate illecti (nam propter fluuium nauium potentem pagus est) extructo templo arcem adijcerent. Sed Rex Trauancorienſis, cui Chirangensis Regina paret, susceptâre, tentatâque per literas, vbi parùm profecit, vnum è sui Regni procuratoribus (Pulam ipsi vocant) Mampolim cum armatis misit, iussum terrore, vique Reginam, nisi sponte maneret, in officio continere: sed vi opus non fuit. Ipsemet Pula (qui vtinam & animo coluisset) Crucem suâ manu statuit: continuòque templum ædificatum est, in quo cælestis Hostia natali primum Deiparæ die sacrificata, eodemque die aliquot baptismo geniti, & matrimonio christiano iuncti. Multo minore negotio alterum illud conditum est templum Carangolani. Regulus Ciarauensis non modò permisit condi, sed ad templum, & ad Sociorum tectum materiam prolixo animo dedit. Haud procul abest Carangolano Couar oppidum propter amnis opportunitatem eo tempore Christianis, Ethnicisque, & Mahometanis frequens, Regulo Cianganatæ subiectum, quem Mahometani, pro innato christianæ religionis odio, ab concedendâ templi ædificatione annum iam quintumdecimum abducebant: eò efficacioribus monitis; quòd eorum commercium valde erat Regulo fructuosum. Verùm vbi Carangolanum Christiani Couarienses, templi ducti commoditate, migrare cœperunt; metuens Cianganatanus oppidi sui solitudinem, quòd tot annorum flagitatione extorquere Patres nequiuerant, vt Couari templum vero Deo fieret; vltro ipsemet detulit. Hoc demum anno in Itu præcipuâ Amboini insulâ Consaluus Pereria arcem extruxit Lusitanæ ditionis, & christianæ Ecclesiæ propugnaculum. Delectus is arci locus, quòd ea præcipuè gens, Gimillo duce, coniuncta cum Iais, alias oppresserat insulas Lusitanis, & Christo ereptas. Anno superiore dederant Ituani fidem arcem apud se accepturos: sed huius initio anni cùm præmissi legati Consaluum venire ad eam ædificandam nuntiarent; solicitati ab Iais, qui paulò ante cum duobus iuncis, alijsque minoribus nauigijs Itum appulerant, eorumque auxilio freti, vix manus à Legatis abstinuerunt. Eâ re Mendornelas prætoriæ ductor nauis Iaos aggressus, nauigia eorum iniecto igne consumpsit, Iaorum plerisque, Ituanisque in rupem vndique abruptam, planèque inaccessam fugâ elapsis. Quorum expugnatione frustrà tentatâ, Consaluus ad gentis oppidum copias duxit, omniaque ferro, & flammâ corrupit. Ea vastitas Mahometanos in rabiem egit. Deuouent sese, & Amoci, vt illi aiunt, effecti, in primam aciem velut lymphati feruntur, magno quidem cum suo malo. Eorum Cacizius impiam animam ibidem reliquit. Dux ægrè fugam arripuit, scisso ventre, erumpentibus intestinis. Cecidere multi ab Lusitanis quoquè. Vincentius Dias è Societate laicus cum Odoardo Menesio in primâ acie ibat, Crucem elatâ manu præportans: cum Consaluo Pereriâ, & reliquo exercitu item suam præferens Crucem Pater Petrus Mascarenia sequebatur. Ac Vincentius quidem lanceâ perstrictus in brachio est: sed tot alijs

254 Sacræ Aedes ibidem erectæ

255 Ciarauensis Reguli liberalitas.

256 Res in Amboino.

257 In expugnatione Turcarū Socij cum Crucibus præeunt

super

Digitized by Google

super alios validè percussus ictibus; vt haud dubiè superaturus non fuerit, nisi prouidè milites eum quoquè firmâ induissent loricâ. Hac reportatâ victoriâ, cœpta est arcis ædificatio. Sperabant enim suâ sponte reliquias hostium, statim, vt impositum sibi iugum illud viderent, imperata facturos. Ex materiâ extructa, vt ijs locis apprimè firmâ. Duorum spatio mensium (tam multi ex vniuersis Amboini insulis, oppidisque Christiani pariter, & non Christiani confluxerant) perfectum est opus, inclinato iam Maio cœptum. Denique consilio, ac virtute Consaluus vniuersam Amboinum pacauit: ac ne se inuicem oppida, pagique assiduis consumerent bellis; cuncta mutuo fœdere colligauit. Indè populorum multitudo tanta statim cœpit baptismum rogare; vt Patribus illa esset omnium ærumnarum acerbissima, quòd non plurima cuique brachia, & ora suppeterent, quò possent tantum animarum Satanæ ereptum in felicitatem sempiternam inserere. Tum Petrus Mascarenia, Ludouicus Goës, alijque pauci per Insulas, Pagosque dispersi, consolari Christianos veteres, restituere Cruces, erigere lapsos, Mauros, Ethnicosque auidissimè ad fidem accurrentes excipere: adeo vt paucis mensibus, præter infantes, octo adultorum millia recepta in Ecclesiam sint, religionis sanctitatem diuinis etiam confirmantibus signis. Catechumeno enim puero Cacizij sepulcrum demolienti, repentè dolore cœpit immani guttur vrgeri, faucibus fœdè intumescentibus: quæ res ceteros vehementer deterruit. Itaque relato puero domum, illicò perterrefacto populo referta est. Defertur trepidus ad Patrem nuntius, qui Diaboli terriculamenta noscitans, iussis bono animo esse Catechumenis, raptim accurrit, puerum baptizat: continuòque, sacræ attactu aquæ, fugato Dæmone, dolor, ac tumor è faucibus omnis abscedit. Hic rei exitus christianæ religionis admiratione gentem compleuit: tamen, qui baptismum nec dum susceperant, tamquam diuino munimento destituti, Mahometica fana, suaque Idola contingere ipsi non ausi, ad ea euertenda christianorum puerorum agmina adhibebant. Ecce autem dum in Amboino regerminat generosior, pulcriusque refloresçit diuina seges, noua præter spem in Mauricis Insulis vastitas. Boccanoræ dominus Regi Ternatino subiectus, superioribus quoquè annis vehementer Mauricarum Christianos vexarat. Is callidissimâ simulatione, quandiu Consaluus Pereria præsens in Maluco fuerat, pollicitus largè satisfacturum, resque Christianis, & libertatem redditurum, vbi recedentis in Amboinum Consalui terga conspexit, existimans indè porrò in Indiam rediturum, sibique impunem fore perfidiam, christianum in gregem multò crudeliùs inuasit. Sed in oppido, cui nomen Pune, diram exercuere carnificinam missi ab eo prædones. Horâ ante lucem ad Oppidum cum triginta nauigijs appulsi, plerosque puerorum infantium, ac mulierum sæuissimè trucidant. Cetera multitudo magnam in partem beneficio fugæ seruata. Fuit tamen vir magni inter Punenses nominis: qui cùm conaretur innocentium prohibere necem, atque tueri Crucem; nunquam adduci potuit, vt fugâ (quod procliue erat) sibi consulens, pia cœpta omitteret. Itaque iuxtà Crucem, pro qua pugnabat, in frusta concisus est. Huius cladis nuntius haud facilè est concipere animo, quanto dolore Patres affecerit, qui eam sobolem tot laboribus Christo genuerant, tot educarant: quorum prope sub oculos fœminæ plusquam barbaricâ feritate confectæ plagis: & adhuc spirantibus aperta viscera: viuique extracti fœtus ante oculos non dum planè clausos discerptarum matrum concisi. Huiusmodi acerbitates, præter continentia vitæ suæ pericula, ab vi, venenoque hostium, ab tempestatum, & maris insaniâ, constantissimi illi Summi Regis præcones libentissimè exorbebant, vt legatione pro Christo fungerentur, ac benè patientes essent, vt annuntiarent.

258 Ara in ritu ædificata.

259 Ad baptismum concursus.

260 Sacræ aquæ virtus.

261 Mauricarum Insularum vastitas.

262 Punensis viri nex pro Cruce tuenda.

In Iaponiâ Amacusana Ecclesia interim exorta. Amacusa, & Xiquium vnâ Insulâ continentur. Sed Amacusanus Dynasta multò erat opibus, & ditione Xiquiano superior. Amacusam Ludouicus Almeida profectus, factâ à Tono spe fidei suscipiendæ, initium baptismi à Præfecto oppidi fecit, vnâ cum familiâ, numero ferè hominum quinquaginta. Præfectus nomen Leonis, gratam Iapo-

263 Amacusanæ Ecclesiæ origo

Digitized by Google

nijs proceribus appellationem, sibi delegit. Eius indè socer, alijque centum viginti, ac paulò post, aspirante Numine, enixèque collaborante Leone, amplius quadringenti lustrati sunt. Iamque diuinus ardor ita vniuersum arripuerat Oppidum; vt vix quempiam inuenires è populo, qui non sanctum lauacrum postularet. Quo citiùs, acriùsque Satan, ac Bonzij contra coorti. Duos Amacusadoni germanos, congestis in Christianam legem, & Almeidam impudentissimis criminibus, incitant, vt fratrem suum ab Christianorum fauore cunctis iuribus auocent. De Leone in primis è medio tollendo, tanquam præcipuo Ecclesiæ munimento, consilium capitur. Coguntur armati clanculum ferè sexcenti per silentium noctis, vt primo diluculo Leonem, eiusque socerum nec opinantes opprimant. Ceterùm, ne tantam rem penitus Amacusadono ignaro moliti perniciem sibi ipsi crearent; ei, quod moliuntur, exponunt. Is nefaria cœpta vt audijt, animo inhorrescens, minis, precibusque non destitit diro furori obuiam ire, ad vltimum addens, se quoquè pariter moriturum: ac protinus Leonem totius coniurationis certiorem facit. Re inter primitias illas Amacusanæ Ecclesiæ extemplò ditatâ, vt omnes primus Sancti Spiritus incendebat, agebatque ardor; fit ad Leonis ædes concursus mori pro Christo cupientium. Et quoniam rumor, vt assolet, verum amplificans, vnà cum Leone, Christianos ferebat omnes neci destinatos; mulieres, pueri, puellæque pretiosis, tanquam ad festum diem, indutæ vestibus, ad sanguinem pro Christo fundendum celerrimè conuenire. Leo, tametsi nihilominus erat paratus occumbere; non tamen permittendum omnino ratus, vt christianâ mansuetudine Bonziorum ignaua insolentia nutriretur, & in gregem piorum, quicquid libido ferret, impunè expromeret; domum suam validis munimentis sepsit: eodemque animo christiani iuuenes, ad arcendam vim, arma sumpserunt. Interim coniurati, cognito quàm ab eorum cœptis Amacusadonus abhorreret; rursus ad eum primarium Bonzium allégant: primùm quidem etiam, atque etiam rogantes, vt consilia eorum boni consulat: tum id impetrari si nequeat, vt suo arbitrio moriatur: certum ipsis Leoni non parcere. Quæ desperata adeo denuntiatio Reguli constantiam labefecit. Itaque parumper cedendum tempori arbitratus; Leonis causâ desertâ, se se coniuratorum voluntati permisit. Amacusadono inducto, iam reliqua in expedito, ac tuto videbantur. Ergo idem, qui Principem expugnauerat, Bonzius ad Leonem mittitur fratrum Amacusadoni verbis denuntiaturus, vt, Iaponum more nobilium, ventrem sibi ipse fortiter secet, non expectatâ ignominiosâ ex alieno ferro nece, quam euitare non posset. Cum his mandatis ferox incedens Bonzius, vbi ad ædes Leonis peruénit, longè aliam, atque sperauerat, rerum faciem conspicatus, omnia diligenti septa custodiâ, & firmis occupata præsidijs, eo territus apparatu, mandata quidem peregit; verùm nequaquam eâ, qua præmeditatus erat, ferociâ, & animositate. Leo respondit nullam sibi in præsens siue causam, siue voluntatem adesse ventris secandi. Fratribus Amacusadoni, vel Bonzijs si quid secum rerum esset; præsto essent, cùm commodum videretur: eodem se vestigio opperiri. Hæc Bonzius pro eo, quem conceperat, terrore vnà cum apparatu sic retulit coniuratis; vt posito armorum consilio, tantùm vrgere Leonem verbis institerint, vt, peregrinis abiectis, ad patrias se religiones reciperet. Id enimuero sibi grauius morte cùm diceret tyro Christi fortissimus; rogant, vt velit egredi Amacusâ. Quod cùm item abnueret; Bonzij, vnàque Amacusadonus conuentum etiam atque etiam orat, & obtestatur, donet paci, donet Patriæ, donet saluti omnium breuem absentiam. Ne christianæ quidem rei expedire enatas propter eam turbas promiscuâ cæde restingui. Cùm & hi parum proficerent; Almeida progressam eò seditionem videns, vt vix alia restaret ad quietem via, auctor fuit Leoni, vt christianæ lenitatis, & fortitudinis speciem cedendo præberet. Ad religiosi Catechistæ, nec dum Sacerdotis vocem, quem nullæ nec preces, nec minæ aduersariorum tot, tamque potentium commorant, cum vxore, filijs, socero, & familiâ, mortalibus ferè quinquaginta, Cocinocum Christi causâ exulatum concesit. Hac victoriâ vsi

264 Christianorum ardor, & Martyrij cupiditas.

265 Amacusadoni labefactatio.

266 Leonis constantia.

267 Eiusdem modestia.

sunt

sunt Bonziorum præcipui pacatiores. Perlatæ quoquè sunt ab Rege Bungensi literæ ad Amacusadonum, per quas mandabat, vt christianæ causæ patrocinium commodaret. Quæ Proceribus ostensæ item aliquid otij fecerunt. Sed nunquam impietas, præsertim victrix, bonâ fide mansuescit: neque fert rerum natura, vt arrogantia felicitate non conualescat. Is breui Bonzios furor peruasit, vt vniuersi magno cuncta strepitu permiscentes, vno animo conuenirent ad Principem, conuitioque denuntiarent alterum è duobus: vel Almeidam iuberet facessere, vel ipsos continuò Amacusâ abituros. Id longè præstabat, vt abire malos in malam crucem sineret, iuberetque: sed non dum paganum pectus tantum Christus intrarat. Tamen Regis Bungi prolatis literis, quibus aiebat sibi esse obtemperandum; frementes, secumque truculentum quiddam immurmurantes reiecit. Nec eo retardatus Almeida est, quò minùs animas numero quingentas, quas iam affatim erudierat, ceteris paulò ante initiatis adijceret. Tum verò nouâ exutus prædâ furere Satan, furere Bonzij in omnes se versare partes, proxima, longinqua tentare. Demum tres instigant è vicinis Dynastas, qui Amacusadono, si peregrina suas in terras inuehi patiatur sacra, bellum denuntient. Iderat non obscurè ad extrudendum Almeidam comparatum: neque eum fefellit. Itaque, Amacusadono rogante, & nihil non in sedatiora tempora pollicente, cùm satis iam Ecclesiæ eius firma posuisset fundamenta, coram Cosmum totâ de re edocturus abscessit, vnum, & alterum è peritioribus Iaponum loco suo vice Magistrorum relinquens: quibus item, non longo post tempore, solum fuit mutandum. Persimili varietate casuum in Bungensis regni Oppido, nomine Inda, Melchior Figeredius primas Ecclesiæ plantas conseuit. Indæ, & Mixi quatuor erant veteres Christiani, quorum & moribus, & adhortationibus permoti profani cupiebant de diuinâ lege cognoscere. Missus est è numero Sociorum Guilielmus Sacerdotij expers, qui, sedulâ catechesi plurimis præparatis, centum sexaginta per genitabilem rorem, & auram illuminauit. Ex eâ velut scintillâ diuinum statim incendium longè, latèque summos inter, & infimos propagatum est. Itaque etiam Tonus Bungensis Reginæ affinis, eorumque locorum patronus ad Patrem Melchiorem scripsit, pergratum sibi fore populos sibi creditos legem christianam amplecti: rogans, vt administros, quales id opus posceret, destinaret. Idemque in omni sermone Christi instituta commendans, ad ea suos familiares, ac ceteros, quibus cum agebat, viros principes incendebat: nisi certa causa impediret, disertè confirmans, non se voce magis, quàm re ad baptismum omnibus præiturum. Postremò etiam aream, materiem, & auxilia cetera ad extruendam protinus ædem sacram vltrò donauit. Ex hac ita propensâ voluntate Principis magis sensim, ac magis in popularibus baptismi ardor exarsit. Itaque maturandam sibi eò profectionem Melchior duxit. Ad eius aduentum continuò Tonus in præcipuo pago, vbi sedem habebat, denuntiari publicè iussit, omnes prædicationi diuinæ legis interessent: tum, si visum esset, mysticum lauacrum, quam quæ optimo iure licet, capesserent. Confestim Euangelica tuba inflari cœpta, tanto hominum ex varijs pagis accursu; vt quatuor lecti præcones per diuersa loca fuerint disponendi. Duo nobiles Regis familiares cum suis, & multis è populo in Ecclesiam adsciti. Inter ceteros multi edocti, Christoque geniti innocentis ætatis, quorum continuò puris, ac suauissimis vocibus laudes victricis Crucis, & sanctæ legis dogmata decantantium totus ille tractus ad eum vsque diem sacrilego cultu, & ceteris vitijs contaminatus personare, atque mundari cœpit. Nec solennes Tartarei hostis, eiusque satellitum turbæ moratæ sunt. In Melchiorem, ac Socios probrosa crimina confinguntur. Pro veneficis, & Diaboli administris, atque legum Iaponicarum, quibus salus contineretur, euersoribus accusantur. Quæ voces, vbi Neophytos mentiendi impudentiam exosos, quò magis erant probrosæ, eò minus commouent; ad minas, & arma conuersi, necem ijs, atque extrema omnia minitantur. Ceterùm non id tantùm retardauit sancti operis cursum, quantùm paucitas operarum. Iam enim ieiunij magni curriculo inito, Melchiori ad veterem Funaij Ecclesiam redeun-

268 Arrogantia felicitate fit insolentior.

269 Noui in Christianos tumultus.

270 Indæ oppidi Christiani primi.

271 Tonus Bungensis suos Christianos fieri petit.

272 Sacra promouet.

273 In P. Melchiorem, ac Socios conficta crimina.

Digitized by Google

redeundum fuit, & ad Cutamensem, aliasque circa Prouincias excurrendum. Accessere deinde bella inter Bungensem Regem, & Moridonum Amangucianum tyrannum, tentante Bungensi Terusirum Regis, olim per summam iniuriam interempti, heredem legitimum restituere in regnum. Interim Pater Cosmus ad Omuram totam Christo subiungandam intentus circiter octingentos Christianos effecit: plures Nangasacchi Villela: trecentos in Xiquij pagis Michaël Vasæus: totidem in Regno Goti Alexander: alijque alios in attributis sibi regionibus. At Pater Ludouicus Froës hoc tandem anno restitutus in vrbem Meacum est, operâ potissimum Vatandoni. Is erat in regno Vomi nobilium morum, ac præstans animi Dynasta, cui, cum christiano Meacensium primario, Dario nomine, Iusti Vatandoni, crebrò inferiùs memorandi parente, intima intercedebat necessitudo. Eius hortatu Vatandonus de diuinâ lege quiddam Gaspare Villelâ exponente audierat: tantumque probarat; vt ex eo tempore christianum se animo ferens, prope impensius, quàm si foret christianus, religionis rem tutandam, promouendamque susceperit. Ad hunc, vbi occisus Cubosama est, Cauadonus Bonzius Cubosamæ frater, qui vnus è regiâ stirpe superat, vim Tyrannorum declinans, profugit: ac Vatandonus non benignè modò profugum suscepit, suâque in arce ampliùs anno, grandi ob eam rem alieno ære conflato, honestissimè habuit; sed etiam, vt in fraternum dominatum reponeret, circuire finitimos Reges, & omni solicitare ope non destitit. Latè per id tempus, & opibus pollebat, & nomine Rex Oaris Canzusandonus, quem & Nobunangam nominabant: quo & à nobis vocabulo, vt iam Europæis auribus vsitato afficietur. Vetusta ei nobilitas erat, & præpotens in Oari regno: ceterùm, quæ regni ipsius vix quartam obtineret partem. At Nobunanga paternæ ditioni regnum totum Oarense, & finitimum ab Septentrionibus Minense, & alias circa terras virtute bellicâ, & sagacitate adiecerat: & planè indolem ostentabat amplissimi cuiusque imperij capacem. Robur erat summum, ætatis annorum circiter septem ac triginta, procera statura, vox sonora, & grauis, barba rara, munditiarum in cultu corporis, atque elegantiarum perstudiosus. Non abhorrebat ab æquitate ingenium, sed gloriæ supra modum appetens: bellicosus, & callidus in re militari, consilia premens, nec fermè quempiam, præter se, in consilio habens. Vniuersos præ se Iaponiæ Principes contemnebat, etiam Idola: quæ hominum commenta fatebatur, & nominabat. Acer, morarum osor, osor & in sermone proëmiorum. Nemini ad eum cum ferro accessus patebat. Stipatores bis mille ducebat in equis. Quibus rebus latè omnibus terrori, partim etiam veneration erat. Ad hunc Vatandonus Cauadoni Bonzij restitutionem in fratris Cubosamæ imperium detulit. Materiam sibi crescendi oblatam ratus Nobunanga, occasioni volens manum iniecit: nec ante quieuit, quàm cum armatorum quinquaginta millium exercitu in Meacum ingressus Mioxindoni & Daniadoni Tyrannorum compressâ audaciâ, & opibus fractis, Cauadonum Bonzium in fratris solio collocauit. Belloque perfunctus ad quædam in suis regnis componenda festinaturus, temporariam arcem nouo Cubosamæ dignationi, atque præsidio in Bonziorum Focquexiorum templo, atque cœnobio, cui nomen Rocugio erat, præstanti structurâ, Bonzijs eiectis, excitauit. Quo euenit, vt qui principes exturbandorum fuerant Patrum nostrorum; pariter ipsi tecta, ac templa amitterent sua, & sua nostri recuperarent, vt mox paulò dicetur. Nobunanga celeriter Oarensibus rebus cõpositis, cùm Mioxindonus, & assecla rursus noua molirentur, in Meacum regressus, eo loco, vbi Cubosama ceciderat, magnificentiâ inter primas, & firmitate nobilem ponere arcem aggressus est. Accurrerunt ad opus plerique Procerum, Regumque Iaponiæ: ceterorum tam multi; vt quina, & vicena millia hominum ferè assiduè versarentur in opere. Discurrebat huc, illuc sedulus Nobunanga, instar præfecti fabrûm, præscribens vbique quid vellet, vrgensque, terga pelle tigris incinctus: persimilique habitu duro, ac laborioso Proceres vtebantur, Regis ad exemplum. Accurrebant spectatum agmina non virorum modò, sed etiam fœminarum: quarum vni cùm operarius miles paulum

274 Multi multis locis ad Christum conuersi.

275 Ludouicus Froës Meacũ restituitur.

276 Vatandoni Dynastæ in Christianam religionẽ propensio.

277 Nobunangæ Regis Oaris mores.

278 Eiusdem vires.

279 Arcem insignẽ ædificat.

280 Militis impudentiam vindicat,

ab

Digitized by Google

ab ore velamen, intuiturus in faciem, summouisset; rem Nobunanga fortè conspicatus, in eodem vestigio stricto acinace militi caput abscidit. Cauadono igitur Bonzio restituto, Vatandonus, vt qui tantùm de eo erat meritus, gratiamque haud paruam ab Nobunangâ inierat, Regnorum Iamaxiri, & Zunocuni partem summâ cum potestate accepit. Cuius potentiâ Darius conspectâ, nequaquam tempori defuit. Sedulò edocuit quantam per indignitatem Christiani quoquè Sacerdotes, sublato Cubosamâ, à quo domicilij iure donati fuerant, factione Bonziorum exturbati Meaco essent: quantum mœroris indè, ac detrimenti christiana gens hauriret. Susciperet æquitate suâ dignum, & conueniens rebus gestis patrocinium, & iusto Meacensibus Cubosamâ reddito, diuinæ quoquè legis præcones redderet: non à Christianis modò, sed etiam ab Christo Deo eâ re gratiam initurum. Impulerunt hæc dicta Vatandonum per se se propensum. Ita apud recentem Cubosamam, & Nobunangam institit; vt tandem Ludouico redeundi potestatem expresserit. Mittitur Sacaium Darius, qui eum reducat. Christiani Meacenses subodorati rem, obuiam ad binas leucas egrediuntur, quem vnà cum Laurentio, ac Melchiore Iaponijs lacrymarum pleni excipiunt: vt repræsentaretur tempus illud, quo olim abeuntem prosequuti erant: nisi quòd, quas olim lacrymas dolor, has in præsens gaudium exciebat. Ac gestientibus cunctis, senum præcipuè voces exaudiebantur, sublatis in cælum manibus, oculisque, nil iam sibi votorum reliquum esse affirmantium, quàm vt, depositis confessione peccatis, ex hac statione mortis ad immortalitatem migrarent. Quinto Kalendas Apriles Meacum iniere. Antonius nomine inter Christianos nobilis, quòd ethnicus Dynasta in pristino Patrum domicilio diuersaba-tur, redeuntes excepit hospitio tantâ cum voluntate; vt Ludouicum in ipso suo Zaxiquio habitare voluerit. Sunt autem Zaxiquia Iaponibus pretiosa conclauia, ipsis prope cariora oculis, munditijs, ornatuque insignia, non ad habitandi vsum, sed ad oblectamentum, atque delicias. Ceterùm par Christianos lætitia ex Ludouici reditu, ac sanctæ fidei hostes dolor incessit. Continuò ad Nobunangam Sotaius ingressus calumnias impudentissimè congerens, magnopere suadet, vt tale caput nullo modo patiatur Meaci esse. Quò genus illud hominum pedem inferret, ibi repentè concuti, ac verti omnia. Sed apud hominem nihil Idolis tribuentem nihil profecit. Nam protinus Nobunanga hominem intuitus, cum risu eludens: Nimium, inquit, Sotai pusilli, angustique es pectoris, qui putes in tantâ Ciuitate, quanta Meacum est, vnum adiectum numero homunculum quicquam posse momenti ad rempublicam facere. At Vatandonus auctoritati Euangelio comparandæ, & Meacensi Patribus stabiliendæ commorationi intentus, enitendum censuit, vt Ludouico aditus ad nouum Cubosamam, itemque Nobunangam salutandos pateret: & ab ijsdem literæ impetrarentur, quibus domicilij ius daretur. Nobunanga primùm ad se adeuntem Patrem admitti noluit, excusans quòd tum audiendæ symphoniæ vacaret. Sed veras deinde protulit causas: tum quòd nesciret, quo officij, humanitatisque genere tam longè profectum hominem accipi oporteret: tum ne quis fortè suspicaretur, si christianus Sacerdos priuatim admissus esset, ad eum initiandum veniisse. Ita formidabat suspicionem eius rei, quam si saperet, imperio, ac vitæ præferret. Itaque paucis post diebus in propatulo, dum ædificationi arcis instat, sui copiam fecit. Multa primò de regionibus nostris, deque itineribus Indicis scisciatus, demum Ludouicum interrogat, quid faceret si legis, quam prædicabat, propagatio in Iaponiâ non procederet: retro ne in Indiam se referret, an frustrà Iaponiæ inhæreret. Respondit Ludouicus: Si vel vnus in Iaponiâ Christianus foret, ad eum conseruandum quemlibet Patrum censere totam ibi vitam benè impensum iri. Indè quærenti, cur Meacensi in regno haud multùm proficeret christiana lex; Laurentius Ludouici comes respondit: Bona semina, simul atque nascerentur, tot vndique circumueniri sentibus, vt attollere caput non possent: Bonzios eo colore perstringens. Quod Nobunanga intelligens, multa de eorum vitæ turpidine, & morum improbitate subiecit: auro inhian-

281 Ludouicus Froës quo pacto restitutus & quanto cum gaudio.

282 Insidiæ illi factæ.

283 Quomodo acceptus à Nobunanga.

284 Ludouici responsio de animarum zelo.

tia,

tia, & proiecta in ventrem animalia nil agere aliud, quàm vt pecuniam vndique coaceruent, & in corporis voluptatibus volutentur. Hinc Laurentius captato ingressu: Atqui satis, inquit, Rex præstantissime, notum tibi arbitror, nec pecuniam, nec gloriam, nec vllum mortalium bonorum Christianis Sacerdotibus curæ esse: sed id modò, vt legem Conditoris, Reparatorisque gentis humanæ peruulgent. Quin igitur, quoniam tantùm tua Maiestas pollet, tamque in promptu est, animi causâ, huius præcepta legis cum Iaponijs conferre Sectis; præcipuos quosque, ac nobilissimos magistros è Fienoyamâ, è cœnobio Ienxuensium, è Regno Bandoënsi, atque aliunde conuocas, vt coram te lex Procreatoris mundi in certamen cum eorum Sectis committatur? Quippe tum meritò Ludouicum, si appareat eum succumbere, è Iaponiâ exterminabis: è contrario, si redarguantur Bonzij; æquum erit eos legi diuinæ clementiores se se præbere. Hæc nimirum vna pacis via est: aliter nunquam ipsi finem facient tendendi nobis insidias, exitiumque moliendi. Hæc audiens Nobunanga, conuersus ad suos hilari vultu: Fieri non potest, inquit, quò minus magnis è regnis magni animi, & magna existant ingenia. Tum Patribus haud se nosse respondet, num Iaponij Magistri vellent in certamen descendere: tamen & id fortè olim se curaturum. Institit tum Ludouicus petere, vt suo diplomate potestatem liberè faceret Meaci manendi, quò plenior benignitatis, & magnificentiæ eius ad exteras quoquè nationes, & Christianos alterius orbis iret fama. Cuius mentio rei hominem gloriosum, vt præ se vultu explicatiore tulit, molliter titillauit, ac Vatandono præcepit, vt Ludouicum arcem spectatum deduceret, submisso post abeuntes nuntio, vt omnia singillatim diligenter ostenderet. Re ita cum Nobunangâ transactâ, haud minora humanitatis argumenta edidit Cubosama, præter morem eorum Imperatorum, qui præ maiestate neminem sermone dignantes, tanquam simulacra muta coluntur. Sed quia hæc commorationis Meacensis fundamenta parùm stabilia erant, nisi Principum literis firmarentur, quæ ab ipsis etiam Ciuitatibus, & primarijs Bonzijs non nisi magno auri, argentique pondere emebantur, cùm Christiani non nihil argenti in eam rem contulissent Nobunangæ donandum; Vatandonus septem partibus summam de suo, insciente Ludouico, auctam offerens, excusauit Sacerdotis peregrini paupertatem: addens eum, quòd indignum maiestate Regis munusculum sciret, non ausum coram suâ manu offerre. Tantum Vatandono rerum christianarum studium, tantum ad eas promouendas industriæ, & constantiæ, & munificentiæ erat. At Nobunanga, ad quem acerutim quicquid erat in Iaponiâ nobilitatis, ac pretii singularis comportabatur, risisse ad eam summam fertur, ac dixisse: suam agi famam, ne homini externo suas literas venales haberet. Conciperet ipse literarum formam, ostenderetque Ludouico, num planè ad voluntatem essent. Ita impetratæ sunt literæ à Nobunangâ, paulòque post à Cubosamâ paris sententiæ: quibus non modò potestatem faciebant hominibus Societatis tutò habitandi Meaci, sed etiam immunes ab omnibus viciniæ muneribus iubebant esse, graui pœnâ propositâ, qui negotium ijs faceſſeret. Nec quieuit Vatandonus donec etiam templum, domumque pristinam Dynasta, qui tribus iam mensibus occupatam incolebat, vacuam redderet. Redierat planè amabile, ac fœcundum serenum: cùm Deus, qui gaudet humanam vitam lætis, tristibusque contexere, permisit cuncta rursus caligine tetrâ fœdari. Iam Nombunanga, constabilito Cubosamæ Imperio, in sua regna adornabat reditum: quem Ludouicus, ex vsu religionis, duxit, antequam discederet, salutare. In eo congressu fortè Bonzius interfuit, quem Christiani partim Antichristum Iaponiæ, partim in hominis figurâ Diabolum nominabant. Homo erat infimæ sortis, corpore pusillo, ac turpi, literarum expers, legumque Iaponicarum: ceterum mobili, sagacique ingenio, linguâ ad miraculum promptus, confidentiæ procaciſsimæ, prorsus ferreæ frontis, vt aptiorem ægrè posset Tartarus sibi fingere administrum. Multa ausus, missumque se ab Amidâ spargens in populò, vt Dairi veterem maiestatem, opesque restitueret: ex eoque mendacio quæstu vberi facto, aliquando etiam captus pro-

285 Nobunangæ de Patribus existimatio.

286 Ius domicilij Patres Meaci impetrant.

287 Meacenses res per Bonzium inimicissimum Christianorũ turbantur.

pro-

proditore, & verberatus, ac summâ notatus infamiâ, tandem ad Dairis gratiam erepserat. Nichiso Xonin vocabant. Sed Nichiso nomen erat: reliqua pars insigne præstantiæ, vt apud nos Doctor, aut Sanctus. Liceat nobis, conflato vocabulo, Nichisoxonem nominare. Dairis, vt aliàs demonstratum est, totius Iaponiæ legitimus habetur Princeps: sed iam diu obsoleta, & nil nisi merum vocabulum, Imperio ab alijs occupato, ea potestas erat. Is, qui hâc tempestate inanis eam nominis gerebat vmbram, posteaquam vidit Nobunangam Meacum venisse, & imperium Cubosamæ restituisse, locum ratus tentandi, si posset etiam ipse è miseriâ suâ per eum emergere; Nichisoxonem allégat. Ea fuit Bonzio rimula, per quam in animum se Nobunangæ insinuauit. Cuius gratiâ tumens eò neruos intendebat, vt Christi legem funditus extirparet. Is igitur cùm sæpè aliàs Nobunangam fictis impudentissimè criminibus in Ludouicum incitasset; fortè interat cùm Regem discessurum Pater cum Laurentio inuisit, neutri eorum de facie notus. At Nobunanga certamen commissurus, post alia Ludouicum interrogat, num Christiani Cames, & Photoques colant. Cùmque responsum esset haud coli, quòd omnino è numero mortalium, ac ne sibi ipsis quidem saluti fuissent; conuersus ad Bonzium: Quid tu ad hæc, inquit, affers Nichisoxones? Quin aliquid percunctaris? Tum ille obliquè ambos intuitus contemptim, ac veluti ludens: Quem igitur adoratis? inquit. Vnum Deum, eundemque Trinum, cæli, terræque opificem, Ludouicus respondet. Ostende istum mihi Deum, subijcit Bonzius. Negat Ludouicus mortales sub oculos posse diuinitatem cadere. Indè Bonzius: Num ante Xacam, & Amidam fuit? Hic visus est locus fusiùs disputandi. Itaque Laurentius, cui promptior Iaponica oratio erat, excipiens: Carere omni principio Numen, & ante tempora, omninoque æternum esse exorsus docere; non pauca de infinitâ illâ, sempiternâque naturâ, quæ ab nullo pendeat, in se habeat omnia, rerumque omnium fons, & origo sit, disseruit. Quæ Bonzius concoquere cùm haud posset, nec inueniret quemadmodum res adeo vel manifestas, vel scientiâ suâ superiores refelleret; ad imperitorum versus suffugia, magno clamore interpellat, vociferans: Nugæ sunt istæ, Rex, & ludibria: Abige protinus, exterminaque præstigiatores istos, populi corruptores. Ad quæ Nobunanga, minimè risum tenens: Quid doles? inquit. Percunctare, si quid contra habes, ac respondebunt tibi. Illo cunctante, multa Laurentius ex ipso quæsiuit. Ad quæ singula stomachans, ac dentibus frendens, quasi simulatione insciliæ insciliam obtecturus, nescire se respondit: identidem ferociter, velut intercalare carmen, ingeminans Regi, vt exturbaret primo quoque tempore eas pestes. Eorum vitio cuncta verti in Iaponiâ: eorum culpâ Cubosamam priorem extinctum, & modò Ludouicum Sacaio profugum aduenisse, vt rursus pessundet omnia. Quas voces ostendebat Rex vultu seuero sibi minimè esse gratas. Ceteri de coronâ, Ludouici, & Laurentij disputationem auribus, animisque secundissimis audiebant. Duas horas altercatio tenuit. Postremò Nobunanga interrogauit: Num Deus, quem prædicabant, benè, malèque factis præmia, & supplicia redderet. Cùmque Laurentius respondisset, reddere omnino, duumque generum vel in hac vitâ, quæ finem haberent, vel quæ nunquam desinerent, in futurâ; excepit Bonzius cum petulanti cachinno: Ergo hoc dicis, homine mortuo aliquid superesse, quod pœnæ, præmijuè sit capax? Tum Ludouicus, defatigato iam propè Laurentio, recèns disputationem exorsus de animorum immortalitate grauem orationem instituit, Bonzio identidem interstrepente: Ostende igitur, & subijce oculis istum, quem prædicas animum. Cùmque Pater pergeret demonstrare, non corporis, sed mentis luminibus animum immortalem, & omnis concretionis expertem cerni, rationesque, quibus id Philosophorum, etiam Ethnicorum, præstantissimi cognouere congereret; Bonzius, qui ad eum sonitum, velut anguis sensim intumescens, disrumpebatur, eo demum vecordiam effudit, cucurrit, gladioque, qui ad parietem fortè pendebat, furenter rapto inclamat: Profectò istius ego tui discipuli caput auellam à corpore: nobisque hodie animum eius, quem post mortem manere vis, sub

288 Congressus Bonzij cum Patre Ludouico ac Laurentio coram Nobunanga.

289 Nobunangæ interrogationes.

290 Bonzij stolida ferocia.

oculos

Digitized by Google

oculos ſtatues: eaque vociferans truci vultu, cruentis luminibus rapit è vaginâ ferrum, magnoque impetu in Laurentium irruit, incertum an perpetraturus facinus, an per inſanam iactantiam. Rex, & Vatandonus, & alij Procerum accurrerunt, comprehenſumque exuerunt ferro: ac demum pro ſe quiſque verbis grauibus caſtigarunt. Sedenim incudem tundebant. Coërceri nunquam potuit, quin tumultu identidem procaciſſimo intonaret: expelle, exige, tolle iſtas peſtes. Sed quantumuis latera rumperet; perbenignè Ludouicum præcipiti iam die Nobunanga dimiſit. Fuit eius diei certamen chriſtianæ quidem veritati glorioſum, ſed eius defenſoribus ingentium dimicationum ſemen, & nobilium vena periculorum. Regreſſo in regnum Oarim Nobunangâ Nichiſoxones, quem acceptæ ignominiæ vrebat dolor, corroboratâ audaciâ ab Dairi edictum aufert, quo Ludouicum, atque Socios ex omni Iaponiâ iubebat extrudi. Hoc edictum niſi Cuboſama probaret, vt nulla erat Dairi, niſi imaginaria poteſtas, nihil habebat virium. At Cuboſama, Vatandono, cui tantum debebat, intercedente, nullo modo probauit. Indè homo turbulentus, & amens, quoniam res apud Cuboſamam non procedebat; ſermonem diſſipat, iuſſiſſe Dairim Ludouicum impunè vbicunque regnorum Goquinai (ita nominant quinque circa Meacum potiora regna) deprehenderetur, occidi: idque totâ vrbe promulgari: vt Vatandono præſidium militum mittendum fuerit, ne proſcriptio in eâ viciniâ, vbi Eccleſia erat, promulgaretur. Neue facinoroſus quiſpiam occaſione aduersùs innocentes abuteretur. Inter hos turbines, & aſſidua vitæ diſcrimina, alter iam menſis abierat haud ſine religionis profectu, cui proprium eſt inter aduerſa, ceu frugibus inter hybernas niues, fibris ſolidioribus propagari: cum Nichiſoxonis non modò furor, ſed etiam potentia aucta eſt. Multùm intererat Nobunangæ totius Iaponiæ dominatum affectantis Cuboſamæ vires haud coaleſcere. Itaque gnarus quantùm is Vatandono deberet: ne fortè, ſi vires inter ſe copularent, inuicti euaderent, Nichiſoxonem Dairis agentem cauſam, ac Vatandono infeſtum, Cuboſamæ velut Magiſtrum addidit, vt nihil inconſulto Bonzio moliretur. Bonzium eundem reſtituendis Dairis ædibus, & magnificentiſſimo olim delubro Narenſi, quod magnum Daibut vulgò nominabant, præfecit, grandi attributâ pecuniâ: eundem legitimæ toto in Meacenſi imperio pecuniæ probatorem: eundem inter finitimos regulos belli, paciſque interpretem vnicum iuſſit eſſe. Quæ Bonzius omnia nihil prope ducens, niſi ad pietatis perniciem valerent, illud ſimul expreſſit, vt Ludouici exterminandi cauſâ ad Dairis tribunal reijceretur. Nec dubium fuit, quin Pater vel morte, vel exilio multaretur, niſi Vatandonus vel cum ſuarum opum, dignitatiſque periculo, acerrimè Bonzij, & Dairis conatibus obſtitiſſet. Verùm in ipſo æſtu diſcriminum Vatandonum neceſſitas importuna viſendarum quarumdam arcium Meaco abſtulit. Tum Chriſtiani omni præſidio deſtituti, nudique relicti, omnibus aduerſariorum patebant telis. Quare Darius, eiuſque filius Iuſtus Vcundonus, primique alij Chriſtianorum, qui & commendatitias ad Proceres literas addiderunt, auctores Ludouico fuere adeundi Nobunangæ, docendique quàm parùm frui Nichiſoxones regiâ benignitate ſineret. Quippe Regem ſine modo auidum celebritate ſui nominis terras omnes implendi, nequaquam paſſurum, quam aucupabatur maximi animi, & munificentiæ apud exteros famam Bonzianâ ſibi fraude intercídi. Dedit ergo Pater cum Laurentio ſe in viam, quanquàm nec tuta erant itinera, nec ipſi integra valetudo. Sed & addebat animos, & condiebat ærumnas via, & vita, cui ſeruiebatur. Interim Vatandonus, quamuis abſens, Chriſtianorum recordatus, in eorum commendationem ad ipſum Nichiſoxonem graues literas dedit: ad quas literas Satanico faſtu prolixum commentarium furia illa reſcripſit, acerbè accuſans, quòd Dairis iuſſa, quem conſtaret iuſtum cunctæ Iaponiæ caput, ac principem eſſe, ſuperbè aſpernari vnus ipſe non dubitaret. Ludouico verò Meaci non apparente, diſſipat famam iam tandem incidiſſe in caſſes feram: conſtrictum eum cathenis à Nobunangâ tenéri. Quod tantùm à vero diſtabat, quantùm non modò diſtant ea, quæ vana, ſed & quorum contraria maximè ve-

291 Nobunange in Ludouicũ benignitas.

292 Nouæ procellæ in Patres exortæ.

293 Vatandoni abſétia Chriſtianis obeſt.

Digitized by Google

mè vera sunt. Quippe Nobunanga, ad propositum sibi illud supra mortales fastigium nitens, non perhumaniter modò Ludouicum excepit, solatusque est, arcisque suæ, & regiarum ædium magnificentiæ planè mirandæ spectatorem fecit, literisque insuper aduersùs Dairim, & quemcunque alium communiuit; sed omnino mirum documentum humanitatis ad vltimum addidit, inclytum genti Iaponum potionis genus, quod Ciam vocant, & quasi honorificæ benignitatis tesseram habent, filio suo ministrante, prius voluit hospiti propinari, quàm sibi. Deinde cùm filium iussisset mensam Laurentio ferre (nam Iaponijs humilia scabella, quæ singulis conuiuis singula apponuntur, pro mensâ sunt) Ludouico suâ ipse Nobunanga manu attulit, Dynastis ad inusitatam comitatis speciem admiratione defixis: & secundùm mensam vtrumque Iaponicâ veste, pretij non contemnendi, donauit, qua voluit continuò indui, num satis congrueret inspecturus. Ad extremum ita dimisit, vt redire ad se crebrò iuberet. Itaque, præter omnium opinionem, Iunio mense Meacum redierunt, tanto Christianorum dulciore lætitiâ, vulgatis Nobunangæ beneficiis, quantò spem, atque cogitationem anteuenerant. Verùm enimuero Nichisoxones, cui Ludouici incolumitas morte erat grauior; quòd extare in eo propositum oculis omnium de se trophæum arbitraretur, sique post euulgatam à se Dairis nomine eius proscriptionem staret adhuc, geminari victoriam, quò magis publicam, eò sibi fœdiorem crederet; adeundum sibi quoquè Nobunangam putauit. Abijt plenus furoris, atque minarum. Sed, causam Deo suam agente, nihil nisi dedecus reportauit. Nobunanga, qui vtilem sibi ad famam Patrum Meaci commorationem rebatur, acriter Bonzium increpuit, quòd tam ferociter in hominem peregrinum inueheretur. Qua tamen increpatione (vt verum appareat, nullum inter animalia implacabilius, aut tetrius, quàm hominem esse, vbi mentem efferatis cupiditatibus mancipauit) non coërcita, sed incitata Bonzij insania est. Quoniam aduersùs Euangelium aperta dimicatio exitum non habebat, aliâ grassandum viâ ratus, impetum omnem in Vatandonum conuertit: vt quò maximè christiana res nitebatur, quà vi, quà fraudibus euerso, omnia in præceps daret.

294 Nobunanga perhonorifice Patrē Ludouicum accipit.

Has inter Meacensis Ecclesiæ vicissitudines, rebus in Brasiliâ inspectis, proque præsenti copiâ compositis, cùm primùm mitior se annus aperuit, Ignatius Azebedius in Europam ad edocendum Generalem, & comparanda auxilia nauigauit. Mirus in Lusitaniâ ad eius aduentum ardor extitit ad Brasiliam transmigrandi. Socij certatim ad eam expeditionem dare nomen: adolescentes externi flagitare eam ob rem se ad vitæ societatem, atque laborum admitti. Opifices ad artificia illuc, & humanæ vitæ cultum inducenda se vltro paratos offerre: Principes, ac præsertim Rex largè, quicquid foret opus, suggerere. Quem insolitum ardorem nulla alia magis causa excitasse videbatur, quàm de Ignatij virtute opinio, diuinique spiritus promeritis eius effusa vbertas. Adeo calente Lusitaniâ, Romam extremum sub Maium aduolat. Non sancto solùm Præposito Borgiæ, ceterisque domesticis, sed etiam sancto Pontifici Pio Quinto optatus, & carus venit. Multa Pontifex, & maximi vsus ad Brasiliæ adiumentum eius rogatu Ecclesiastici iuris beneficia tribuit, declarans inter cetera quæcunque concessa fuerant Indiæ, ea se ad Brasiliam quoquè proferre. Multum ad hæc sanctorum pignorum, rerumque sacrarum dedit. Borgia, cognito quàm necessaria videretur insignis aliqua Sociorum manus ad domicilia, in quibus disciplinæ religiosæ vis teneri posset, ad literarum perfectas Academias, ad formam Tyrocinij absolutam; Brasiliæ Ignatium Prouincialem creat, facitque potestatem è Lusitaniâ quidem quot commodum prouinciæ illi foret, è ceteris verò Hispaniæ Prouincijs quinos, quos ipse, simulque Prouincialis earum probasset è numero id postulantium deducendi. His, alijsque permultis instructus præsidijs, maturauit discedere. Inter alia ad Reginam Lusitanam, nomine Patris Borgiæ, imaginem Deiparæ ex eâ, quæ Sancti Lucæ manu picta in Sanctæ Mariæ ad Niues colitur, expressam tulit. Idque primùm, quod quidem memoriâ extet, Borgiâ rem curante, eius sanctæ imaginis, cùm ante nemini fas esset imitari, factum exem-

295 Brasiliæ Visitator Azebedius in Europam redit.

296 Imago Virginis in Exquilijs culta Borgiæ studio primùm expressa.

exemplum est. Ex quo tam multa deinde tanto cum honorum Virginis incremento proseminata sunt. Vno auctus comite Ignatius Româ discessit. Tres Valentiæ accesserunt: Salmanticæ totidem: duo præterea ad Tyrocinium ob eam rem accepti: aliunde alios expectabat. Iam pestilentia, cùm in Lusitaniam venit, Olisippone, & aliquot circa locis furebat. Ea res moram festinanti obiecit. Nam nec transigere negotia, commercijs impeditis, licebat, nec transmissionem ex Olisipponensi portu curare. Itaque Socijs in Collegij Sancti Antonij villâ, quam Vallem Roseti vocant, locatis, ad Vrbem Portus contendit, ibique perbonam onerariam, cui Sanctus Iacobus nomen, ex dimidiâ parte conduxit, indè quamprimum vela facturus: sed per varias moras, in anni insequentis æstatem protractus est, haud sine Brasiliæ incommodo, quæ, ex properati eius auxilij spe, tota pendabat. Pax ibi Lusitanos inter, & Barbaros, cùm nunc maximè vigeret, tantùm euangelicæ desiderabantur operæ ad religionem cum robore propagandam. Nec interiecta spatia Ignatio fluxerunt cassa fructu: ad copiolas augendas, & ad solidè virtutibus formandas percommoda acciderunt. Ita nimirum & expleri numerum oportebat destinatorum cælo heroum, qui postero anno dicentur, & fideles animas ad mortem fortiter fidei causâ obeundam expoliri.

297 Pestis Olisippone baccatur

298 Res Floridæ.

At in Floridâ, propter ferocia, atque infida incolarum ingenia, nihil ferè promouebatur. Cùm Petrus Menendes ad Caroli venisset Prouinciam, Philippus Caciqua persuaderi sibi passus erat, vt Idola summoueret: quod metu ab eo factum quidam interpretabantur, haud incorruptâ fide. Certè non multò post, suspicione proditionis, cum Caciquis quatuordecim, eum de medio sustulerunt Hispani. Quâ cæde exasperata gens suis dirutis, incensisque mapalibus, cùm in mediterranea recessisset, ac milites quoquè, ne frustrà manerent, ab eâ statione fuissent abducti; Patres Consaluus Alamus, & Franciscus Villaregius Habanam redierunt. Verùm indè quoquè breui discessum est. Namque Collegium, quod Præfectus ostentarat fundandum, cùm exitum non haberet, & proximam Floridæ oram exteri pariter, indigenæque solam, vastamque deseruissent: nec expeditum esset ex Habanâ cum Floridæ cultis locis commercium: adhæc, vt omni conatu, iam satis vernaculâ perceptâ linguâ, quid posset in religionis propagatione effici tentaretur, Socios omnes in continentem Segura traduxit. Et quia omnium difficillimum erat negotium ab Christianorum militum iniurijs, præsertim in summâ rerum inopiâ, tueri indigenas, qui odio hominum, religionem quoquè inuisam habebant; Gualæ, & Sanctæ Helenæ Prouincias legit, vbi ingenia barbarorum mitissima videbantur: atque inter populos procul ab Hispanorum præsidijs Euangelij præcones locauit. Quod si non in longum tempus, certè quidem saluberrimum in præsens consilium fuit. Nam vulgatis inter indigenas morbis; cum præclaram sibi in corporibus curandis pepererunt apud Deum gratiam, tum verò non paucos ritè præparatos, inque supremo spiritu baptismate consignatos, cum optimâ sempiternæ vitæ spe, dimiserunt. Ac ne hoc quidem ærumnarum genus ab ipsis Dei famulis tam multas inter asperitates abfuit. Grauiter vniuersos tertianæ vexarunt. Et Dominicus Vaës illo turbine sanè quamincommodè abreptus: vir laborum cupidissimus, & quærendarum Christo animarum: quique non didicerat modò eius tractus linguam, sed in artem redegerat, & præcipua ex christianis rudimentis in eam conuerterat.

299 Cum magnis difficultatibus nctandum.

300 In Peruuia rerum status prosperrimus.

Longè diuersus in Peruuiâ erat status rerum. Cuncta, vt à principio cœperant, fluebant è sententiâ. Indè cùm Magistratus Limenses apud Regem Philippum, & Patrem Borgiam, vt noua Sociorum auxilia mitterent, institissent, & Franciscus Toletanus Prorex iturus enixè id ipsum apprecaretur; Borgia tam benigno Numinis afflatui obsequuturus, lectissimos è varijs Hispaniæ Prouincijs duodecim destinauit, Bartholomæo Hernandio, qui, post Salmaticense Collegium diu administratum, Burgense tum regebat, præfecto. Nunquam Hernandius ad eiusmodi longinquam expeditionem suopte nutu propenderat, metu maculandæ suæ conscientiæ, dum inter Barbaros occupatus existimat minùs

301 Duodecim Socij Bartholomæo Hernandio Præfecto summissi.

inten-

Digitized by Google

intentam sui custodiam habiturum. Sed vbi Præpositi Generalis nutus inuitauit; fretus obedientiâ, ad quæuis discrimina gaudens cucurrit. In hoc manipulo fuit Alfonsus Barzana egregiæ virtutis vir ex Ioannis Auilæ disciplinâ, qui, cùm ad Ethnicorum conuersionem semper auidè inhiasset, eamque ob rem quindecim ipsos annos perseuerasset, ingressum in Societatem opperiens, à quâ domesticorum suorum difficultatibus prohibebatur; tandem anno ante hunc quarto receptus, expeditionem hanc in Peruuiam ita suscepit ardenter, ac triginta deinceps annos fructuosè vrsit; vt Peruui vulgò Apostolum suum nominent. Quiddam in nauigatione hac mirum accidit, quod per nouum orbem, ac veterem fama celebrauit. Tribus dispertiti nauibus ibant Socij. Cùm tempestas classem distraxisset, quæ Patrem Ioannem Zunigam, & Ioannem Casasolam non Sacerdotem præstantis vtrumque virtutis vehebat, nauis fracto gubernaculo eò demum venit, vt, quoniam nihil ad regendum cursum suppetebat, inter immensa æquorum spatia impotentis Oceani, atque tempestatum libidini necessariò permitteretur. Ioannes Casasola Româ discedens, quò Michaëlis Gubernij comes ad conuentum Procuratorum venerat, particulam ligni Sanctissimæ Crucis, Pontifice probante, auexerat, quam pius Sacerdos testamento iusserat cuipiam tradi nouum in orbem ferendam. Ergo cùm prorsus nihil humani gubernaculi supereſſet, pariterque vectores, ac nautæ pro deploratâ salutem haberent, & ad famulos Dei conuersi opem cælestem poscerent; Pater Ioannes Zuniga, ad erigendam in Deum fiduciam cohortatus, sanctissimum lignum è claui loco suspendit. Mirum dictu: statim nauis, quæ transuersa ferebatur, prorâ sponte prouectâ cursum direxit, attonitis se seque initiò mutis inspectantibus nautis: qui deinde, vbi respirarunt, in diuinæ clementiæ laudes infinitas cum lacrymis, & clamoribus eruperunt. Iamque nauis diuino illo pignore, mundi gubernaculo, certiùs, quàm adminicula artis humanæ possent, gubernante, rectà cursum tenebat ad Sanctæ Marthæ portum. Quò cùm appropinquasset ampliùs leucarum mille, confecto itinere, præsentissimum instabat periculum. Tractu enim perangusto hinc, atque hinc insidiantibus scopulis portus intrandus erat: & velum medium, cuius tam præcipuus erat vsus, statim, gubernaculo fracto, sustulerant: sed Deo summam beneficio imponente, per seſe nauis, sine alio rectore, per tutissimum limitem accessit, non minore vectorum lætitiâ, quàm Insulanorum admiratione. Cognito enim miraculo Clerus, Magistratusque, cum vniuerso populo obuiam egressus, ordineque rediens, sacrum pignus veneratione maximâ exceperunt, delatumque in templum adorauere. Nec potuit precibus omnium obsisti, quò minùs particula ex eo relinqueretur: cùm celebraturos diem solennem, inclusuros auro, argentoque, custodituros duplici sub claue recepissent. Ditatâ autem & inter classem famâ, instituit ambitione piâ Prorex, vt sibi quoquè frustulum, quod negari non potuit, traderetur. Sexto idus Nouembres, magnâ totius Ciuitatis voluptate, noua hæc auxilia Limam introierunt, sed imminuta Patre Ioanne Garziâ ægro Panamæ relicto: qui, tanquam tributum quoddam vrbs ea exigeret, cùm è primo quoque manipulo vnum rapuisset; ibi decessit, suarum virtutum, & præsertim obsequij celeriter præmium consequutus. Cùm enim ex oppido circa Toletum, vndè erat oriundus, germanus frater Hispalim ad profectionem illius impediendam, cum acribus omnium propinquorum mandatis venisset; ille neutiquam commotus, preces, obtestationes, causasque contra allatas, hoc vno omnes dicto refutauit: Sum religiosus, debeo obedire. Interim Limæ, qua cœperat curâ, & prosperitate res gerebatur. Ceremoniâ magnificâ festo Principum Apostolorum die primus ab Archiepiscopo noui templi positus erat lapis, Collegio Sancti Pauli indito nomine, & altera addita grammaticæ classis, maximoque plausu proditum literarum specimen, dramate de Sanctissimo Christi corpore in scenâ dato. Sed multò editum maius, vbi nouorum aduentu Sociorum multis carminibus latino, & vulgari idiomate scriptis, Franciscus Toletanus Prorex conceptæ Deiparæ die, quo ad Collegij templum primùm venit, exceptus est. Su-

302 Alfonsus Barzana velut Apostolus Peruuiæ.

303 Miraculum insigne ligni Sanctissimæ Crucis.

304 Patris Ioannis Garziæ mors, & insignis obedientia.

305 Prima Peruuiani Collegij fundamenta.

306 Ligni Sanctæ Crucis veneratio.

per omnia & Collegium, & Ciuitatem Sanctæ Crucis admirabile pignus exhilarauit. Nec modò statim veneratione cœpit esse; verùm multis saluti. Namque ex maiore fragmento, quod locuplete cultu asseruatur, minuta hastula Cruci indita deferri cœpit ad ægros mirificæ opis experimentis: sed maximè in expediendis partubus ita auxilium præsens increbuit; vt iam passim, posteaquam cetera defecerunt auxilia, ad solenne illud, mirèque efficax subsidium adeatur.

HISTO-

Digitized by Google

HISTORIAE SOCIETATIS IESV

LIBER SEXTVS.

AD quinque domicilia, quæ iam Romæ Societas incolebat, Professorum domum, Romanum Collegium, Tyrocinium Quirinale, Collegium Germanicum, atque Seminarium Pontificium, Septuagesimus seculi euntis annus sextum apposuit Pœnitentiariorum Collegium ad Basilicam Vaticanam. Id Collegium à Romanis Pontificibus multis ante seculis conditum, Pœnitentiario maiore vno Cardinalium, & minoribus vndecim constabat: eâ varietate linguarum; vt Christianarum nationum pleræque, dum sanctam in Vrbem vndique conscientiarum explicationem petitum veniunt, patrij sermonis paratum auxilium inuenirent. Binos Italica lingua, Gallicaque, & Hispanica habebant, Germani, Pannones, Belgæ, Angli, Poloni singulos: sed Anglis Scoti, Hybernique: Polonis Boëmi, & Illyrij, quorum dialectus magis, quàm lingua citra commercij impedimentum diuersa est, adnumerabantur. Legebantur siue de Clero, siue de Claustro Sacerdotes trigesimo quinto anno maiores, iustis natalibus, integrâ famâ, idoneâ doctrinâ, quos appositi censores periclitando probassent. Pœnitentiarios creabat Pontificium viritim diploma. Munus in omnem manebat ætatem. Aedium incolebant alij alia membra earum, in quibus hodieque Collegium visitur, ad læuam areæ in Vaticanum euntibus contra obeliscum. Nulla erat vitæ communio, sed pari stipendiorum honore suam priuatim quisque domesticam rem, pro arbitrio administrabant. Nequaquam expeditum negotium erat eam lectissimorum ad tantam rem iudicum varietatem conquirere, & in Vrbem accersere: nec semper ad votum copia pro necessitatibus, quas humani casus afferunt, affluebat. Ad hæc perpetua vni, eidemque sedi per cunctam ætatem affixio, quam id genus officij postulabat, non tantùm molesta; sed interdum supra conditionem rerum mortalium erat. Indè paulatim consuetudo inuaserat, vt vicarios subdi liceret. Iamque vitio sensim in deterius labentium morum, ex necessitate orta licentia eò venerat, vt Pœnitentiarij quidem eximij fermè legerentur; sed hi per alias alij causas dilapsi, sufficerent sibi vicarios, nec à doctrinâ, nec à moribns, nec à ceterâ facultate, grauissimæ procurationi pares. Quod incommodum, itemque alia Pius Quintus cùm accuratâ inspectione scrutatus omnia comperisset; dum alia strenuè corrigit, totamque Pœnitentiariæ rationis formam in eam, quæ visa est commodior, redigit, ratus ex vsu fore, si talia diuersarum gentium Collegia maiore aliquo inter se nexu colligarentur, inque vnam vt disciplinæ, sic administrandi muneris rationem conuenirent, ac vicissim inter se opem in omnes vsus ferrent: vtque semel se, ac successores Pontifices legendi, ac substituendi probatos homines curâ liberaret; tribunalia Vrbis præcipua destinata pœnitentiæ inter Religiosas familias distribuit. Ergo ad Lateranensem Basilicam Franciscanos obseruantes: ad Sanctæ Mariæ Maioris Prædicatores: ad Vaticanam statuere Societatem decreuit, idque anno superiore: vt ex diplomate constat vndecimo Kalendas Iunias eius anni dato, per quod Pœnitentiarijs Vaticanis quatuor, qui de veteri Collegio reliqui erant, annuas in vitam pensiones assignat, proëmio tali. Quoniam de ministris idoneis ad conferendum pœnitentiæ Sacramentum apud Basilicam Principis Apostolorum de Vrbe nouam rationem habituri, Collegium duodecim minorum Pœnitentiariorum apud dictam Basilicam de Præsbyteris Societatis IESV proximè reformandum instituimus: eiusdemque rei causâ dilectos filios Ioannem Baptistam Calderinum Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ

A.D.1570. 1 Pœnitentiariorum Vaticanũ Collegium Societati traditur.

2 Quare traditũ.

Digitized by Google

Seruorum pro linguâ Italicâ: & Gabrielem Martinetam pro linguâ Gallicâ: & Alfonsum Ciaccon pro linguâ Hispanicâ, Fratrum Prædicatorum Professores: & Nicolaum Mortum Præsbyterum pro linguâ Anglicâ, reliquos ex numero duodecim diuersarum professionum Pœnitentiarios subduximus: & reliqua.

3 Difficultates in eo recipiendo.

Mentem Pontificis, vt ex Alciato Cardinali, qui maioris Pœnitentiarij locum pro Sancto Borromæo tenebat, Præpositus Societatis Borgia cognouit: multa ei, & Assistentibus offerebantur, quæ, quoad debitum Christi Vicario pateretur obsequium, detrectandum id muneris suadebant. Verebantur inuidiam apud eos, qui in præsens excludebantur, & apud alios, qui solebant ad tribunal illud, tanquam ad gradum altiorum honorum eniti. Nam si tantum obtrectationum, ac tempestatum sexto ante anno conciuisset demandata Seminarij procuratio, quæ, præter solicitum laborem, haberet fermè nihil; quid tum impenderet, cùm multos ad magnas spes aditus intercludi sibi, ciues æquè, ac peregrini viderent? Dubitabant deinde, ne honorificum adeò ministerium inter honores censeri deberet Societati interdictos. Sed multò maior habebat cura, ne locus aperiretur disciplinæ olim religiosæ, humilitati, atque obedientiæ debilitandæ. Super hæc ipsum onus, eâ tempestate præsertim, grauabat. Nam, tametsi quibus è nationibus linguæ expetebantur, non deerant affatim instructi Sacerdotes; tamen non sine multiplici iacturâ spoliatis Prouincijs, per quas domesticæ, publicæque vtilitati inseruire latissimè potuissent, intra Basilicæ, principis quidem, sed tamen vnius angustias concludendi erant. Ad extremum ne illud quidem liquebat, Collegij hoc genus vtrum cum Societatis ratione congrueret. Non enim ad Professorum pertinere domos, quas vetitum esset vectigalibus vti perpetuis: neque ad Collegia cetera, quæ ad formandam literis iuuentutem, & sufficiendam Professæ Societati sobolem haberentur. Hæc, atque alia modi huius cùm & coram, & scripto diligenter edita considerasset Pontifex; permansit in susceptâ sententiâ, eiusque verbis tandem Cardinalis Alciatus omninò bibendum hunc calicem renuntiauit. Verumtamen, qua pollebat in omni genere, ac nominatim in religiosæ gubernationis modo, prudentiâ sanctus Antistes, vniuersis, quæ curam injiciebant, occurrit incommodis. Ne subtracto virorum robore eneruarentur Prouinciæ; satis fore dixit adesse par hominum præstantium, ad quos in causis paulò implicatioribus, & grauioribus perfugium ceteri haberent. Ne quid paupertas, humilitas, obedientia detrimenti caperent, sed potius, vt omnis ambitioni, licentiæque, & contumaciæ rima obstrueretur; iussit censum annuum in commune attribui: instituique familiam, quæ vsquequaque, perinde atque aliæ Societatis, legibus eius, Præpositisque pareret: ita vt integrum Generali, siue Prouinciali foret, quos, quandiuque vellent eo loci habere: qui statim vt illic collocati essent; in Pœnitentiariorum iura succederent, ijsdemque carerent vbi remouerentur. Quod non solùm eò valebat, vt disciplinæ rigor incorruptus, & integer seruaretur, sed pariter, vt administraretur pœnitentia fructuosius: cùm, vt quisque probatissimus religiosus est; ita ferè sit mysteriorum Dei dispensator aptissimus. Inuidiæ si quid in posterum immineret; copiosè præponderandum publicâ commoditate visum est, breuique casurum: præsens formidanda non videbatur, quòd de Collegio veteri alij aliâ causâ: & quidam quòd facultatem inspectoribus non probassent, dimissi iam erant: residui largiter sunt attributis reditibus honorati. His ita constitutis, ceterisque, quæ res poscceret, præparatis; Borgia, cùm postridie Nonas Apriles procurationem admisisset; quinto Idus Iunias delectos Patres, doctrinâ, pietate, vsu præstantes, qui tantæ molis idonea fundamenta ponerent, ad Pontificem, vt fausta operi initia precaretur, adduxit. Quos Summus Pater benigno lumine, & studio paterno intuitus, vehementer admonuit, vt considerarent, quanti momenti commendaretur eis prouincia: cùm loco Christi Domini nostri constituerentur in ijs sedibus, ad quas vniuerso ex Orbe christiano concurrerent homines, vt medicinam, & solatium suis indè animis reportarent. Itaque darent operam, vt quanta maximâ caritate possent, venientes ad se exciperent, tractarentque.

4 Pontifex iubet recipi, & difficultates remouet.

5 Procuratio cæpta.

Non

Digitized by Google

Non tamen, si qui duros, ac pertinaces se se offerent, granius facerent, moliter tractando, malum, & suas insuper in exitium darent animas; sed aduersùs eos, qui peccata contemnerent seueritatem Iudicis obtinerent. A Pontifice ad Subsellia deducantur: inuocatoque, & fauente Numine, alacres munus auspicantur, non modò suæ quisque genti, sed omnes omnibus, tùm à laborum cupiditate, & amplitudine caritatis, tùm à linguarum præsidijs parati ministri. Quippe videre erat non in vnâ sotum domo, sed & in vno pectore Nationum quasi Collegium: adeo cuncti multas, nec pauci quinas, senasque, quidam octonas callebant linguas. Franciscus Toletus, quanquàm in ædibus Pontificijs adhuc sedem habebat, Collegio toti præfectus: cuius vice Gaspar Loartes Genuâ accitus præerat domi. Sed breui ad Ferdinandum Solerium administratio omnis delata. Ac ne quid ad Collegij Societatis formam deesset; Scholasticos etiam sex (qui ad quatuor breui redacti) placuit aduocari: qui, præter doctrinam, quam ex Collegio Romano petebant: domi binas in hebdomadâ de conscientiæ iure, Vsmaro Goisonio interprete, scholas audiebant, nonnullorum extrariorum quoquè, præsertim ex Pontificiâ aulâ conuentu. Verùm paucis post annis, monstrante vsu, cum supra docentium, atque discentium vires, tum maligni prouentus laborem assumi; omissus est, & Collegij ea forma retenta, quæ potuit. De cetero tota res percommodè, ac fermè extra inuidiam, cumque Pontificis approbatione summâ cessit. Pœnitentium maximum in modum increbuit numerus: simulque Sacrosancta Eucharistia in Basilicâ Vaticanâ longè ampliùs, cum admiratione Aedituorum, frequentari cæpta. Consecutis porrò temporibus, cùm & prompta Sacerdotum copia, & eorundem humanitas, ac facilitas inuitaret: seque ipsi minimè contenti qualicunque perfunctione muneris, & reseruatorum cognitione criminum, & censurarum absolutione, non integros magis Iudices, quàm sapientes præberent medicos; quæ conscentiarum prope incurabilia sanata sint vulnera, quantum profugorum religiosis redditum castris, quantum hæreticorum reconciliatum Ecclesiæ, eò difficilius dictu est, quò impensiùs eius fori res venerandâ quâdam silentij sanctitate vallatas esse oportet. Illud significari fas, piumque fuerit, sæpè euenisse, dum naui Sacerdotes non resecandis tantùm vulneribus, sed etiam persanandis insistunt, vt annuo spatio hi ducenas, alij paulò pauciores, alij longè plures ab infantiâ repetitas homologeses acceperint; hominesque expeditos, atque recentes, velut renatos, optimèque animatos ad nouam inchoandam ætatem, ad suos dimiserint. Neque non sæpiùs insignes adeo commutationes effectæ sunt; vt viderentur homines permissi aliquò ruere, vt in pœnitentiariorum necessitatem inducti, per eorum clementiam, atque dexteritatem, quam alioqui nunquam experiri voluissent, non ad quamlibet innocentiam, sed ad eximiam, perfectamque virtutem vel in communi, vel in arctiore Religionis cultu perducerentur.

6 Etiam Scholastici quidam ibi collocantur.

7 Successus felix

8 Pœnitentiariorum fructus.

Iam de Collegio Germanico rem magis non tacendam, quàm dictu magnam apponam. Id Collegium per hæc tempora, quàm cum maximè, florebat: sed ita, vt retineret à Germanis vocabulum: præcipuum corpus, ac prope totum Conuictores efficerent: magnam partem primæ nobilitatis ex Italiâ cunctâ, & Prouincijs externis. Horum in aulâ fabulam acturi veniunt ex Romano Collegio Parthenij adolescentes Quinquagesimæ Feriâ secundâ. Fabula erat vernaculo sermone ex Euangelio, filius Prodigus. Odorati rem Conuictores inter sese conuenerant, vt latinum drama de Sanctis Vito, atque Modesto ab se paucis ante diebus editum, occupato loco, eluisque Parthenijs, ad paratum ijs spectaculum reponerent. Ita factum est, vt in pulpitum tempore eodem actores vtrique prodirent. Dumque de obtinendo loco certatur, & gladij etiam, nescio vndè prompti, nudantur; parùm abfuit, quin scena in arenam verteretur, facinusque tragicum non simularetur, sed fieret. Aegrè compressit motus, qui ad cohonestandas literas, & excitanda adolescentium studia inter spectantes sedebat Præpositus Borgia: & vtrisque iussis absistere, neutram sinit dari fabulam: ac deinde in Conuictorum Præfectos, qui eiusmodi motus, nec præuidissent maturè, nec

9 In Collegio Germanico ex ludicro periculum.

validè

validè præcidissent, pro meritis animaduertit. Spectatum affluxerat promiscua vis mortalium sine numero: quæ, vt ægra animi frustrata expectatione dimissa est; impleuit Vrbem sermonibus: & fama indè, vti consueuit, multiplicata, foràs manauit. Illud Patres ex damno factum lucri putauerunt, non modò vt cautiores in posterum fierent, quæ secunda prudentia est; sed vt solicitudine præsenti, grauioriſque mali periculo liberarentur. Quippe cùm admodùm paucos, eximioſque spectatum ipsi admittere statuissent, simul ad vitanda, quæ in magnâ frequentiâ (nam verè omnis turba turbulenta dicitur) incommoditates incidunt, simul quòd aulæ contignationi, animaduerſo vitio, diffidebant; vbi irrupisse tantum populi, seque ita constipasse multitudinem viderunt, acerbissimè angebantur, ne fortè succumbentia oneri malefida tigna cladem immanem traherent. Ergo tantùm periculi ambitiosâ adolescentium leuitate dispulsum religiosis mentibus, vbique consuetis benignam Dei prouidentiam admirari, solatio erat. Sed maioris fama spectaculi, pugna non inter ludentes iuuenes, sed inter fortissimos bellatorum, Christi Sacerdotem, & Tartareas potestates commissa, latiùs subindè, ac lætiùs fusa est. Ioannes Fuggerus, & Vrsula Georgij Fuggeri coniux, haud minùs religione, & sanctitate, quàm bonis vulgò pretiosis, pecuniâ, & nobilitate abundantes, & clari, ad Sanctam Lauretanam ædem, & Apostolorum limina, pietatis ergo, Augustâ Vindelicorum profecti, puellam iam pridem à dæmonibus dire exagitatam secum duxerunt: si quod posset misellæ vexationi remedium augustissimis illis locis inueniri. Romæ cùm essent, tentatis alibi ab alijs nequicquam exorcismis; Sacerdos noster accitur. Congressui campus delectus in æde percelebri, cui vulgus à figurâ nomen Rotunda fecit. Id opus à Marco Agrippâ, Augusti temporibus conditum, inter antiquitatis miracula supereſt, iam meliore conditione in diuinæ Parentis, Martyrumque omnium dedicatum: cùm olim Deorum omnium, quod & nomen Pantheon loquebatur, hoc est dæmonum vniuersitati seruisset. Itaque locus vtroſque poterat, & Christi Sacerdotem triumphorum sui Ducis, & nequam Spiritus suarum cladium admonere. Hîc igitur commisso certamine, furialis obstinatio nihil primo die labefactata est. Postero autem, cùm multum precum Socij fecissent, & diuinissimam hostiam immolassent, in maximâ circumfusæ turbæ coronâ, dum Sanctæ Reliquiæ, & solennes adiurationes admouentur, significantibus dæmonibus iam se consistere ampliùs non posse; energumena, post dirissimum cruciatum, exanimis concidit. Quam cùm subleuassent, quoddam in solo inuolucrum apparuit: quod collectum dum propalàm explicatur; id repertum est, quod omnibus curis expetebatur. Pactio erat puellæ, quam quondam malè cauta cum diabolo fecerat, eique tradiderat: quæ cùm recipi nullâ ratione posset, nec nisi recepta mancipij fide, libertas speraretur; demum misericors Deus, in pietatis suæ, & indulgentiæ documentum, cum tradita in Germaniâ esset, Romæ iusserat reddi. Ita maximo bono suo, & gaudio suorum, ingentique omnium admiratione, quam diu per Vrbem omnium ora celebrarunt, quæ perierat ouicula è lupi faucibus extracta: bonoque pastori suo, Redemptorique, ac Vindici Christo IESV asserta est. Romani Collegij gubernaculis pro Hieronymo Domenecco, qui in Siciliam remissus est Visitator, Vincentius Brunus Rector appositus. Qui ex Lauretani Collegij administratione ad id Romam accitus, nouitium secum in Vrbem duxit, Ioannem Thomam Lauretanum insigni vocatione recèns adiunctum. Is Mutinæ ortus Robertorum stirpe olim non obscurâ (Amurates Robertus ante nomen habuit) à primâ pueritiâ obseruantissimus Cœli Reginæ fuit: cuius obsequijs, quò expeditiùs se totum impenderet; Lauretum decreuit concedere, existimans, ex celebritate famæ, ingentem ibi vrbem, magnamque Religiosarum familiarum inuenturum copiam, ex quibus aptissimam sibi pro arbitratu legeret. Autumno superioris anni ineunte Lauretum peruénit. Vbi, cùm, præter opinionem, modicum oppidum, nec vllum, præter Societatem, Religiosorum inuenisset ordinem; vehementer dolens, suumque admirans errorem, reditum meditabatur in patriam. Nam à

10 Ex periculo bonum.

11 Energumenæ insignis liberatio.

12 Vincentius Brunus Collegij Romani Rector.

13 Vocatio memorabilis Io. Thomæ Lauretani.

nostris

Digitized by Google

noſtris hominibus, cùm puer Mutinæ contemptim appellari audiſſet, hauſtâ indè opinione non quidem prauâ, ſed humillimâ, prorſus alienum gerebat animum: vſque adeo temperandum eſt linguis, quarum, quamuis leuia, tela grauiter feriunt, & ſemel infixa mentibus haud minùs pertinaciter, quàm perniciosè inhærent: tum verò, cùm inæſtimabili peſte, ſi fortè ſacrorum hominum, publicæque vtilitati viuentium auctoritas deformetur. Octauum iam diem Amurates ad Canonicorum aliquem, confeſſionis causâ, aditum captabat: ſe ferè ita eueniebat, vt ad quemcumque accederet, is ſeu laſſitudine, ſeu qua aliâ causâ continuò ab ſellâ ſe auferret. Interim ad hoſpitium, quo vtebatur, gemini veniunt iuuenes, modeſtiæ ſummæ, ac pietatis. Hi, ſermone familiariter inſtituto, interrogant Amuratem, num in Sanctum Deiparæ ſacellum ingreſſus dum ſit: eoque negante, quòd nec auſus eſſet auguſtiſſimum limen inexpiatus intrare, nec confeſſarij nanciſci copiam ad eam diem potuiſſet; tantam admirati cunctationem, inuenturos ei ſe confeſſarium pollicentur: poſteroque die ad Guilielmum Banzium Senenſem de Societate, qui tum fortè vnus vacabat, deducunt: ſanè perinuitus ille, pro veteri abalienatione animi, eò ſecutus eſt: tamen non auſus humanitatem iuuenum repudiare, confeſſionem explicuit, receſſitque opinione ſuâ quietior, & in figendæ Laureti ſedis mente conſtantior. Indè ædificandi ſibi tugurij poteſtatem ab Roberto Saxatello Prætore impetrat. Ibi Eremitarum inſtar habitans, orationi, diuiniſque myſterijs operam dabat, ac, reuiuiſcente paulatim religioſæ vitæ cupidine, vehementer retardabatur offenſione illâ priſtinâ animi, quâ Societatem abhorrebat: deinde etiam metu, ne, ſi ſe obedientiâ obligaret, Laureto migrare cogeretur. Has inter curas fluctuanti, die Sancto Thomæ Cantuarienſi ſacro, cùm ſepties, ad opem diuini ſpiritus impetrandam, hymnum Veni Sancte Spiritus pronuntiaſſet; ſuccurrit prompta Sancti Petri obedientia, qui naui, ac retibus relictis, Chriſti Domini vocem illico ſecutus eſt: eaque dum ſecum in ſuo tugurio voluit; vocem ſibi videtur audire increpantis: O miſerum, nonne vides te nihil poſſe? Ad me conuertere, & audi. Ad quam vocem cùm ſuſtuliſſet oculos, Beatæ Virginis eâ ſpecie, qua Romæ in Baſilicâ ad Niues cernitur, vt poſtea obſeruauit, os venerandum videt: deiectiſque, præ reuerentiâ, oculis, attentas ſermoni eius aures præbuit. Illa, non vt homines vulgò, qui vnum, deincepſque alterum, atque tertium, dein alia ordine verba promunt; ſed totas ſimul quaſi ſub aſpectum ſententias conijciens, ſimiliter atque nummulariorum peritiſſimi, qui non ſingillatim nummos dum numerant, ſed vno iactu complures in menſam effundunt, breui momento permulta dixit. Exprobrauit collata in eum beneficia, nominatim multa enumerans, quæ tum primùm ille animaduertit. Obiurgauit, quòd illius mallet ſacelli ſui mutis affixus hærere ſaxis, quàm ex ignobilitate, ac vilitate eorum humilitatem, ac paupertatem addiſcere. Iuſſit diſertè Societati nomen dare, magnopere minitans ni pareret: diemque ſacrum Epiphaniæ nominauit, quo domum ſe ad Patres reciperet, addito, vt minimè grauatè iret, ſi ex obedientiâ aliò vocaretur: quando & Paſtores, & Reges, quanquàm vehementer infantis Dei cunis tenebantur; tamen quò latiùs manifeſta fieret diuina gloria, ab ſacro Præſepi, & amabiliſſimo diuini oris conſpectu receſſiſſent. Quæ, aliaque non pauca cùm dixiſſet; viſa eſt, tanquam benedictura, brachio protenſo, explicatâque dexterâ addere: I celer, teque totum obedientiæ ſubde: Huc te ego perduxi, nec deſeram: ſed quàcæpi tutelâ ad extremum vſque ſpiritum proſequar. His dictis deſijt apparere. Ille continuò à precatione ſurgens in ſacrum ſacellum pergit, Deiparæ ſe totum de integro tradit, dicatque. Tum inſtans, & vrgens apud Patres, ipsâ Epiphaniæ luce, quam Virgo præſtituerat, receptum in Collegium impetrat. Indè, velut nouum vitæ exordium iniens, pro veteri nomine, Ioannes Thomas voluit dici: vt Ioannis Apoſtoli, quem quaſi oſtiarium Beatæ Virginis legerat fuiſſe, patrocinio, & fauore liberiorem ad eam aditum haberet: Sanctique Thomæ Cantuarienſis, quò die ei ſacro ſingulare illud

14 Beata Virgo quomodo audita illi loqui.

15 Virginis iuſſis obtemperat.

bene-

beneficium accepisset, perpetuam memoriam, vnà cum ipsius memoriâ beneficij conseruaret: assumpto Lauretani cognomento, vt propinquos, stirpemque mortalem prorsus oblitus, in familiâ tantùm, atque seruitio Virginis, quæ salutem hominum genuit, esse se testaretur. Hic ergo iuuenis tam insigni clementiâ ad Christi IESV Societatem vocatus, quanquàm ægrè ab augustissimæ Matris conclaui abstractus est; tamen eiusdem præcepti memor, & laudabiles etiam voluntates per obedientiam immolare assuescens, duci se Romam passus,

16 Indiarum missionem, studiorumque dimissionē exoptat.

in caritatis, atque humilitatis muneribus cæpit sedulò exerceri. Nec multò post vehementiùs ærumnarum cupidine, seruiendique Euangelio, & infidelium conuersioni succensus; magnopere cupijt ad occidentales, quas vocant, Indias mitti: simul instans simplicitatis, atque obscuritatis amore, vt deserere studia literarum liceret. Quod cùm vtrumque impetrasset, nec in Indias mitti per valetudinem potuisset; à literis tamen, & Sacerdotio abstinuit. Erat quod in homine desiderares: ceterùm superabant laudanda. Itaque in magnâ vitæ asperitate, nullo vtens cubili, ieiunia seuera continuans, precibus diuturnis immorans, constanter perseuerauit, quoad tandem in Romano Collegio senex decessit. Sed quo primùm anno Ioannes Thomas Lauretanus in id Collegium insigni, vt narratum est, ingressu venit; eodem Ioannes item Lauretanus indè migrauit memorabili exitu: ambo Sanctissimæ Dei Parentis, cui addictissimi

17 Ioannis Lauretani mors insignis.

erant, indulgentiam singularem, ille vocatus, hic euocatus, experti. Ioannes Lauretanus æditui munus in Collegio iam diu procurabat diligenter, ac piè. Anginâ correptus nec graui, nec, vt videbatur, periculosâ, neque enim decumbebat: tamen ne malum exasperaret, semestrem, cuius instabat tempus, homologesim in firmiorem valetudinem reseruabat. Quod non rarò cœcis futuri, salutisque æternæ incuriosis mortalibus vsu venit, vt præsumpto pœnitentiæ spatio, præoccupante morte, destituantur; id ne vigilibus alioqui, attentisque seruis, si quid fortè per imprudentiam peccent, eueniat, bono Domino curæ est. Ita Ioannis intutam securitatem oblata secundùm quietem species discussit. Vi-

18 Custos Angelus ad confessionem generalem vrget.

dit enim quendam ore sibi, vultuque subiratum (Custodem Angelum suspicari licuit) & lanceâ minitantem, quòd tàm diu generalem confessionem distulisset. Quæ fuit increpatio eò grauior; quòd confessionis eius tempus nec dum abierat. Eo viso Ioannes ita est conterritus; vt omninò decreuerit non à sexto mense, sed à primâ ætate quicquid commissum, prætermissumue cum Dei offensâ recordari posset, de integro absolutioni subijcere. Quod ortâ luce dum facit, superfusæ pituitæ copiâ vox interrupta est. Sed non idcircò animum despondit. Ad eum piâ mente conuersus, qui gemitus cordium, & voces lacrymarum audit, soluitque ora mutorum, fit iterum loquendi potens: ac protinus ingenti suâ, & confessarij voluptate institutam accusationem peragit, & absolutione donatur. Indè, vt appareret, neque visum fortuitum, neque frustrà eam componendarum vitæ futuræ rationum fuisse curam; morbus inualuit. Ad vitæ marginem ventum est: solemnia migraturis collata sacra. Dein æger animo totus in beatam illam emicans lucem, sermonem, quem circumstantes de cœlesti Patria, & quibusdam Sanctis instituerant, intentis auribus prope gestiens audiebat: cùm repentè, tanquam admonitus imminere momentum, quo abiret; sic interpellat: Quæso, Patres, Fratresque, abiecti in genua rogate pro me Beatissimam Dei Genitricem, semelque pronunciate Salue Regina. Qui, cùm extemplò paruissent; vix precationem illi absoluerant; cùm mortalis ipse limi retinaculis leniissimè est solutus. Fuit hic annus non vnâ re parùm prosper Ita-

19 Calamitates publicæ.

liæ, ceterisque terris. Rerum penuria, graues morbi, calamitates aliæ, terræmotus, bella, præter hæretica, etiam Turcica desæuierunt. Quibus vbique malis omni ope leuandis; dùm ex instituto hæc pusilla cohors curas dispertit; ab annonæ angustijs Romana domicilia, vt nullis dum fulta vectigalibus, &

20 Borgiæ caritas erga paupares.

alienam benignitatem deterente tempore, haud modicis pro se quæque difficultatibus premebantur. Tum Borgia non satis vulgo vsitatum, at industriâ dignum suâ, tanquam mercaturæ genus instituit. Præter eam opem, quam de more

inopi

inopi populo, corrogatis inter concionem, perque vias alias adiumentis, conabantur sodales afferre, iussit in singulis familijs aliquid extra ordinem quotidie præparari, quod in mendicos distribueretur: eo consilio, vt pauperum beneficentiâ aduersùs pauperes, clementiæ Dei thesauros, cui nomen ipsum honorabile pauperum est, erga vtrosque prouocaret. Et notat Ioannes Polancus rem præclaro cessisse cum fœnore. Adeò verum est Christi Domini verbum: Date, & dabitur vobis. Docuerat olim Christianæ negotiationis hoc genus populum suum Magnus Basilius, quem, gliscente propter siccitatem penuriâ, his verbis affatur: Si duo tibi sint panes, ad fores autem rogator aderit; prome illi alterum: dans verò manus in cœlum tolle, dicque pia hæc, & benigna verba; Vnum panem, quem vides, Domine, do meo periculo: sed ego tuo mandato meum commodum posthabeo: & ex modico do panem: Noui tuam bonitatem, tuæ potentiæ confido, quòd non diu tuam gratiam differes: sed breui, cùm tibi placuerit, affatim dona tuæ magnificentiæ patebunt. Quod si feceris, ac dixeris, non dubium, quin panis hic, quem ei hac dabis angustiâ, agriculturæ semen, ac copiam suppeditabit, multumque tibi ex terrâ fœnoris reddet diuinæ gratiæ conciliator. Hæc Basilius locuit: hæc Borgia fecit: eò etiam cumulatiùs, quòd non cum rogante modò diuidi buccellam voluit, sed & vltro voces supplicum præueniri. Nec annona solùm filiorum solicito Patri, vigilique Præposito curæ fuit: sed in id maximè intentus, vt Sanctâ in Vrbe, in qua, vti Christianæ Religionis, ita Societatis fons, caputque est, vigeret quammaximè disciplina, vnde per omnes terras, & pleni homines diuino spiritu, & suauissimus virtutum odor propagaretur, singula domicilia sibimet visenda, instituendosque, & excitandos Socios sumpsit. Habebat in more quotannis, cùm Deiparæ Elisabetam visentis rediret honos, totum se intus, extraque reuisere, scrutari os, oculos, aures, denique cunctos exteriores, interioresque sensus ad iudicium separatim vocare: nec solùm notare notas, quæ iam paucissimæ residebant; sed impensiùs mentem intendere, vt cuiusque vsum limaret magis, atque perficeret. Quod quidem continenter alijs temporibus, sed tum, cùm simul demandati sibi muneris circumagebatur orbis, præcipuâ faciebat curâ. Igitur eo die Assistentibus aduocatis: Decreui, inquit, vestro auxilio, Patres, nisi vos aliter censueritis, Vrbana hæc Societatis nostræ domicilia coram inspectare: Pater Polancus adiuuabit me in hac domo: in Romano Collegio, itemque Germanico Natalis: Madridius in Seminario: denique apud Tyrones, atque Pœnitentiarios Miro. Eritque curæ posteà in suâ cuique familiâ, vt quæ decreta fuerint in rem deducantur. Sed ante omnia ope diuinâ opus est. Itaque perpetua videtur hanc ob rem instituenda supplicatio: quæ quandiu visitatio tenebit; nunquam interrumpatur. Et horas quatuor ac viginti succurrit mihi ita posse distribui, vt domui Professorum, & Collegio Romano quinæ: Domui Probationis, Collegio Germanico, ac Seminario quaternæ: Pœnitentiarijs binæ attribuantur in singulos dies. Ad hæc vt singula etiam faciant sacra familiæ singulæ: bina verò, quæ insistitur: ita vt septena quotidie negotij eiusdem gratiâ offerantur. A vobis autem, Patres, non alia tantùm auxilia, sed & hoc in primis sacrificiorum, ac precum expeto, expectoque: nisi enim totum vos onus sustineatis; quicquid in me incubuerit, ruet. Fauet operi tempus, quia & vacari iam ab studijs incipiet, & recèns accepta cognitio, ad conuenientem operarum in Prouincias distributionem, quæ autumno fiet, magnopere commodabit. Ceterùm, quia par est iudicium incipiat à domo Dei; ad extremum vos vere, atque ex animo per Christi IESV caritatem oro, quæsoque, quicquid in me, siue in vitæ ratione, siue in administrationis modo desideratur, liberrimè vt mihi vel scripto, vel oratione aperiatis. Tantùm enim de summâ bonitate confido, vt vestra mihi monita profectui sperem fore. Quid ad hæc Assistentes responderint, & vtrum quicquam ipsum monuerint, nusquam notatum reperi. Cetera ipse, quantùm valetudo permisit, cum curâ, communique gaudio, & profectu peregit. Interim Regno Cyprio cùm Selimus Turcarum Princeps immineret, atque auxilio

21 Ex caritate fœnus.

22 Borgia quotannis se colligere solitus.

23 Iussit statuit Romanas domos ac Collegia.

24 Supplicationes, ac preces statutæ ad bonum Visitationis successum.

25 Borgiæ submissio.

Vene-

Venetis Pontifex, ac Philippus Rex suas classes mitterent; in eandem expeditionem sacris perfuncturos muneribus, aliquot de Societate, Pontificis, ac Venetorum postulatu, ire placuit. Cum Pontificijs, quos ducebat Marcus Antonius Columna, Ioannes Victoria, Raynaldus Galesius, ac Thomas Radius profecti Sacerdotes, & pari numero sacerdotij expertes auxiliares. Cum Venetis Pater Carolus Farao, Prosper Malauolta, Camillus Porcellaga: & hi cum suorum quisque comitum leuamento. Omnibus Ioannes Victoria præerat: idem Columnæ à confessionibus erat. Pro se quisque militibus æquè ac nautis, tum in ceteris, quæ ferebat vsus, opportunam tulerunt opem: tum præcipuè in morbis, quibus grauiter conflictatæ sunt classes. Eminebat Patris Raynaldi caritas. Non ille vnâ quapiam triremi circumscribebat labores suos; sed in alias, atque alias assiduo discursu transiliens, indigentibus & doctrinâ, & diuinis mysterijs, & manuum obsequio præsto erat: non modò cum beneuolentiâ, sed etiam cum admiratione plurimâ vniuersæ classis: donec & laborum magnitudine, & commercio ægrorum concepto exitiali morbo, in Zacyntho Insulâ, nunquam intermittens, ne vltimis quidem verbis adhortari omnes ad consulendum animis suis, plenus rectè factorum, & magna votis ardentissimis moliens, excessit è viuis. Inter cetera, si Deus dedisset longiorem vsuram lucis, ad Græciam, aliasque subiectas Turcarum ditioni terras vel sanguine fuso iuuandas, iam diu vehementer animo incitabatur; iamque satis versatus erat in Apostolicis per agros excursibus: ac nouissimè vrbis Sancti Angeli populos peragrabat, cùm in classem accitus est. Venetus erat, octauum iam annum religiosus, in robore constantis ætatis. Iam in Pharia (hodie Lesina) Camillum Porcellagam Brixiensem olim ex Sancti Antonij sodalitate, eiusque comitem Balthassarem Appianum laborum moles oppresserat: magnumque omnibus mœrorem, ac desiderium sui reliquerant. Postremò in Cretâ Frater Laurentius, cuius præcipuè feruor laudabatur; & Petrus Angelus Manutius, cui multa ingenij, & manuum solertia inerat, mortales exuuias posuerunt. Omnes denique videbantur digni eo, quem consecuti sunt exitu, vt in obedientiæ, & caritatis opere vitâ perfungerentur. Ceteri & animarum aliquantâ, & magnâ ærumnarum diuites prædâ, incolumes remeauere. Sub Autumnum Dionysius Vasquius, qui ab Collegio Romano ad Professos scribendis adiutor epistolis reuocatus fuerat, ad Neapolitanæ Prouinciæ visenda Collegia missus: quòd Salmeroni assiduè vrbanis curis, & studijs affixo non vacabat. Vrbis Sancti Angeli domicilium, præsentem maximè curam poscebat, subsidijs omnibus destitutum. Interim nouum Collegium Interamnæ Samnitum ponitur. Inuitati enim Interamnates propinquo Angelopolitanorum exemplo enixè postularunt, vt ad ipsos quoquè iuuandos, operam Patres benignè porrigerent. Et quia magna tum ostendebatur rei benè gerendæ spes, præsertim tollendis inter Ciues dissidijs, & ad Collegij firmamenta auxilij; quod satis foret, ne aut anxiè cum egestate luctandum, aut parùm decorè cœpto abstinendum esset, promittebatur: spesque erat præterea hoc, & Sancti Angeli domicilium ex propinquo in multis; quos humanarum rerum varietas offert vsibus, mutuas præstare sibi operas posse; susceptum negotium est: atque Tarquinius Raynaldus primus Rector est missus. Ad hæc datum Dionysio negotium inspiciendi, quæ opportunitas offerretur Consentiæ. Vbi cùm Iosephus Blondus quadragenarias in æde principe conciones euentu prosperrimo habuisset, incredibile exarserat desiderium Collegij. Itaque re ad consilium publicum relatâ, cùm maxima esset in compitis, priuatisque domibus totius populi expectatio, multique eâ de causâ vota facerent; is in animos ciuium consultantium impetus incidit, vt non expectatis suffragijs, vno animo, voceque vnâ clamare cœperint: Veniant Patres: Collegium fiat. Quod eò mirum fuit magis, quòd aliàs eadem res ad eundem conuentum relata exitum non habuerat. Reliquus feracis prædicationis prouentus, vel indè potest intelligi, quòd, præter sublatas mali magni minaces inimicitias, multaque aureorum nummûm millia dominis restituta, atque id genus complura; longè amplius

26 Patres missi in classe contra Turcas.

27 In ea expeditione mortui magna virtute Socij.

28 Patris Raynaldi Galesij insignis operarij labores.

29 Dionysius Vasquius Neapolim Visitator missus.

30 Collegium Interamnæ Samnitum inchoatur.

31 Tarquinius Raynaldus eidem præficitur.

32 Consentinorũ studia in optãdo Collegio.

Digitized by Google

plius quingenti totius vitæ noxas Sacramento pœnitentiæ retractarunt. Dubitatum diu fuerat Sicilienſi Prouinciæ, an Neapolitanæ commodiùs Rheginum Collegium, & Catacenſe attribuerentur: tandem poſt longam conſultationem, & alternata experimenta, Neapolitanæ vtrumque attributum. Neapolitanum verò ipſum roborabatur in dies validiùs, inque communes frequentiſſimi, & perinde facillimi ad pietatem populi vtilitates, induſtriæ omne genus latiùs explicabat. Colonos iam ſexaginta, quorum Sacerdotes quindecim, numerabat. Diſciplinas, queis vel rudia ad ſapientiam imbuuntur, vel culta perficiuntur ingenia, magiſtri tradebant octo. Acceſſit hoc anno ordinaria, ac ſima controuerſiarum de moribus enarratio, ſingulari Clericorum vſu, & voluptate. Feruebat diuinum verbum per vrbis varia templa, & in Proregis aulâ, & in regio carcere illo percelebri, vel millenis referto cuſtodijs, & in ſacrarum cœnobijs Virginum, & per alimentaria puerorum, ac puellarum contubernia: quibus Neapolitana pietas prope miraculum abundat. Feruebant Sacramenta duo, quæ ſumma Dei benignitas familiaria labenti humanitati remedia aduersùs morbos, ac vetuſtatem animarum, prouidit. Haud minus mille conuiuarum iam ferijs auguſtioribus diuinas epulas reguſtabant. Addebat incitatis vltro operarijs amanter Antiſtes Marius Carraſa pariter animos, & auctoritatem: eò maximè, quòd benignam operis materiam, ſiue circumducens cùm luſtraret diœceſim, ſiue in vrbe quæcunque ſe offerret profeſſioni cauſa conueniens, ſuggerebat. Inſtitutionem Chriſtianæ legis per vrbem inducturus hoc anno, cùm templa ſeptem ei negotio appoſita delegiſſet; catechiſtas in ſingulis è Collegio collocauit. Præter Salmeronem, qui iam abditus in ſtudia, cumque ſeculis, vel præteritis, vel futuris rationem habens, apud præſentes auctoritate, quàm operâ (quæ ſcilicet diu ſeuerat, vltro prouenientibus) impendio magis proficiebat: duo in primis ſuſtentabant nomen Collegij, & labores, Ioannes Nicolaus cognomento Peslongus, ſeu Longipes, & Ioannes Baptiſta Bonumcor, vel, vt vſitatiùs, ſed corruptiùs dicatur, Boncorius. Accipiat vtcumque talia lector nomina: mihi ne poſtulare quidem veniam vacat. Ioannes Nicolaus in oppido natus agri Hydruntini, cui Mons Sardus nomen, Auguſto eius anni, quo Sanctus Ignatius cœlo receptus eſt, in Societatem, iam legum ſatis peritus adſcriptus Neapoli, poſt experimenta, & puerilem doctrinam per annos tres, totus ad animarum inſtitutionem collatus, pœnitentiæ ſacramentum ſcienter, conſtanter, ac fructuosè tractabat, apud domeſticos, & externos. Namque iàm decennium Sociorum confeſſionibus dòmi præerat, & à compluribus ciuium earundem causâ celebrabatur. Vir humilitate ſingulari, patientiâque, & obedientiâ, & caritate, & vndique ad imitabilis exempli formam compoſitus. Ioannes Baptiſta Neapolitanus, & nobilis, annum non niſi ſeptimum in ſacris caſtris agebat: ſed cùm acceſſiſſet iam ætate, atque doctrinâ robuſtus, ac famâ etiam notus, vt publicus Pontificij iuris interpres, exercitatâque multis modis caritate, in Sodalitate, quæ per illud tempus nobiliſſima inter Neapolitanos vigebat, Candidorum nomine, vbi ad ea omnia ardorem religioſi athletæ, & auctoritatem deuotæ Deo perſonæ adiecit; mirùm quantùm apud ordines omnes efficiebat. Siue quem implicita conſcientiæ quæſtio torqueret, ſiue conſilij capiendi ambiguitas diſtraheret, ſiue nouiſſimum vitæ diſcrimen vrgeret; tanquam ad vnicum præſidium interdiu, noctuque ad eum confugiebatur. Et moribundis quidem iuuandis iam pridem ab Sodalitate illâ Candidorum, cui præcipuum negotium erat adeſſe ſupplicio vltimo afficiendis, collectam habebat ſolertiam. Itaque in opere illo ſummo operum valebat, ac verſabatur plurimùm, & hoc ipſo anno egregiè deſudauit: omnibus eo tempore (ſic enim quidam loquebantur) affuturum ſibi cor bonum putantibus, ſi Pater Boncorius adfuiſſet. Hæc autem, vel inter magiſterium quæſtionum conſcientiæ, vel inter Theologiæ diſcipulatum cùm faceret; vt primùm ſtudijs ſummam manum ſuis impoſuit, & inſcendere ſuggeſtum cœpit; miros repentè concurſus, & propemodùm clamores excitauit. Anno ſuperiore, cùm in Collegij templo per ieiunium magnum

33 Neapolitani Collegij ſtatus.

34 Eiuſdem in proximos fructus.

35 Pater Io. Nicolaus Peslongus ſpectabilis vitæ probitate.

36 Pater Io. Baptiſta Boncorius proximis proficuus.

37 A moribundis deſideratur.

Digitized by Google

38 Concionatur egregiè.

rudimenta iustarum concionum poneret; vix quenquam veteranorum habuit parem. Loca certatim occupabantur: morum commutationes insignes fiebant: colligebantur inter concionem loculentæ pro egentibus stipes: quibus præsens pecunia deerat detractos annulos, gemmas, monilia, velut pignori tribuebant, quæ, submisso mox argento, redimerent. Itaque proximo anno Archiepiscopus in templo suo, deque suggesto principe, illam voluit salutarem buccinam personare. Hîc verò, dum cupidissimè, & religiosissimè auditur, significaturæ suam erga virum Dei caritatem honestæ complures matronæ, cœperunt inter se, quam ei donarent, corrogare, & conferre pecuniam: iamque summam confecerant luculentam; cùm re Pater cognitâ conquestus pro suggesto, vsque eo Societatem Neapoli, & instituta eius etiamnum ignorari; seuerè iussit incæpto absistere: quodque congessissent vel largitoribus reddere, vel quocunque arrisisset, piè conferre. Quod ita verè, atque ex animo egit; vt expresserit, idque plurimùm ad illustrandam eius virtutem valuerit. His igitur velut columinibus cùm status Neapolitani Collegij nixus videretur; placuit rerum gubernatrici Sapientiæ modico interuallo vtrumque per Autumnum subducere, vt ipsis maturè cœlum potiretur: & tellus disceret, diuinum opus nequaquam terrenis niti fundamentis, sed speranda, & petenda de cœlo. Ad Ioannis Nicolai exequias is Ciuium sexus vtriusque, eorumque clariorum, quorum animas habuerat in disciplinâ, ploratus extitit; vt Collegæ quoquè communis parentis acriùs icti memoriâ lacrymas associarent. Grauiùs vniuersam Vrbem commouit desiderium Ioannis Baptistæ: cuius eò quoquè miserabilis visa migratio est; quòd cùm ad limina Apostolorum, indè perrecturus Lauretum, religiosæ peregrinationis studio Romam venisset; ibi apud Professos quinto die ex morbo, medentium affirmatione nihil periculoso, perijt: si perire dicendus est, qui commutatur in melius: & ex periculis euocatur in beatam securitatem. Magna certe indoles, magnarum spes rerum simul elata.

39 Vtriusque Socij mors & exequiæ.

40 Leonettus Clauonius Longobardiæ Prouincialis.

41 Collegium Venetum in domum professâ versum.

42 Io. Baptista Perusçus primus Venetę Professorum domui præpositus.

Prouinciæ Longobardiæ, loco Francisci Adomi, qui iam munus explerat, præfectus est Prouincialis Leonettus Clauonius. Collegium, quod erat Venetijs, in domum Professorum conuersum est, reditibus Collegio Patauino adiunctis, de fundatoris Andreæ Lipomani, deque Pontificis voluntate. Id censuerat curandum proximus Generalis conuentus, vt vnum potius plenum, dignumque celebratâ vrbis sapientiâ, quàm tenuiora duo Collegia haberentur. Domui Professæ primus Ioannes Baptista Perusçus præpositus est, cùm ad id loci Cæsar Helmius per multos annos Collegio summâ cum laude præfuisset. Vt aliquid literariæ exercitationis in Brixiensi Collegio inchoaretur, eò philosophiæ curriculum Patauio translatum est, relictis Patauij Theologis. Ferrariæ, quòd impar confluentium numero vetus erat templum, noui iacta sunt fundamenta: vtque iustis Reginæ Barbaræ Ducis coniugis mos gereretur optatis; Barbaræ Sanctæ patrocinio, ac titulo decoratum est. Sed interim Ferrariæ calamitas insolita, quæ multò quàm prosperitas efficaciùs solet alumna esse diuini cultus, vberem pietatis prouentum tulit. Extremo autumno motibus terræ ita crebris, & grauibus vrbs tota concussa est; vt effusâ in agros multitudine, metu ruinæ tecta desererentur. Tres præcipuè concussiones præter modum vehementes fœdam ædificijs stragem priuatis, ac publicis attulerunt. Collegij cum familiaris, tum sacra ædes, Dei bonitate potius, quàm firmitate suâ steterunt. Duos prope menses ea calamitas grassata est. Quo tempore, nec dies, nec ferè noctes, Patribus ab consolandis miseris, absoluendisque pœnitentibus, quicquam reliquum otij fuit: eò maiore frequentiâ; quòd pleraque alia templa tremorum immanitas strauerat, cultoresque animarum magnam partem dissipauerat pauor. Ergò cùm sua cuique tecta diram in horas oppressionem, infelicemque tumulum minarentur, & nutante vbique solo, atque inferorum viuis horrificè pandente hiatus, nihil vsquam suffugij, effugijue restaret; solatio desperantibus erat domus Dei, & famulorum eius consortio: non quòd tutiores ibi, sed quia securiores agerent: æquiore animo cum sacris obituri viris,

43 Terremotus Ferrariæ.

44 Ad Nostros territi confugiũt.

& sa-

Digitized by Google

& sacrâ in humo habituri sepulcrum. Confertim itaque perseuerabant in templo, neque ad exitum loco, neque ad ingressum patente. Assiduè sacrosanctum Christi corpus propositum adorabatur, quamplurimis in quintam vsque, & sextam noctis horam, aliquando vsque ad lucem perstantibus. Multum ibi fundebatur lacrymarum, multum condonabatur iniuriarum, multos annos pressa animo scelera expiabantur. Ipsæ identidem Sodalitates agmine supplicatum accedebant. Denique id, quod Deus publicis hisce terroribus agit, effectum est, vt vniuersa vrbis facies ad pietatem renouaretur. Eorum etiam animos, quos ab Societate vel inanes suspiciones, vel falsi rumores auerterant, hæc Sociorum constantia, & assiduitas, qui ne miserum populum summâ in difficultate desererent, cum assiduo perstitebant suæ vitæ discrimine, emolliuit, atque conuertit: vt quorum nuper ferre conspectum nequiuerant; eos iam velut parentes intuerentur, & colerent. Ipse quoquè Dux serió cœpit ad res diuinas animum adijcere, vehementer Fuluij Androtij, qui Collegio præerat, fidelibus monitis, hortatibusque commotus. Quæ res, adiuncto Romæ Patris Generalis studio, atque opportunâ Polanci operâ, suboffensum illi mitigauit Pontificem, planèque conciliauit. 44 Ex terrore morum facta correctio.

Venetijs impigrè laboratum in subleuandis ægrorum animis, atque corporibus: quorum vim ingentem è classe, quam contra Turcas profectam diximus, deportarant. Sed pio perfunctos munere religiosos administros ita è contactu, & fatigatione malum inuasit; vt, qui alios modò iuuerant, alienâ fuerint ope leuandi. Boni duo Iuuenes vltro susceperunt id laboris, & curæ: qui, cùm magnâ sedulitate gratuitam præbuissent operam, non tamen caruere mercede suâ. Nam sanctis excitati exemplis eorum, quibus ægrotantibus ministrabant, religiosæ vitæ illecti amore, alter in Societate mansit: alter, quòd certâ causâ per leges eâ recipi vetaretur, ad alium concessit religiosorum ordinem. Et quoniam supra memoratum est, intestum totâ fermè Italiâ fuisse annum; præter alia alibi benignè, & laboriosè curata, Brixiæ non modò iacentibus passim per vrbem, sed præcipuè Nosocomio incurabilium subuentum est. Plus ibi quingenti decumbebant ægroti. Tres Sacerdotes curationi destinatos letifera tempestas abstulerat. Ceterorum nemo audebat in periculum se se committere, quòd passim ferebat rumor, contagione vulgari malum. Eâ re cognitâ, Patres vitam suam pro Ciuium salute deuouentes, pium susceperunt onus: nec omiserunt, nisi postquam metu contagionis extincto, Præsbyteros, qui succedere vellent, Nosocomij Præsides inuenerunt. Tribus itaque mensibus continua inter pericula fideles Christi, eiusque minimorum ministri, nunquam cessarunt exp are confitentes, sacrosanctum Viaticum, supremamque vnctionem impertire morientibus, sepelire mortuos, diuinum Sacrificium coram omnibus facere: interque hæc sua quoquè fomenta adhibere corporibus: tam promptâ caritate; vt ægri ipsi admonerent, ne vitas adeo suas obliuioni darent. Et tamen, quæ fuit diuina clementia, nec Patrum, nec Fratrum, quod vice miraculi vulgus circumferebat, quisquam periclitatus est. Duo quoquè Brixiâ missi Veronam, Augustini Valerij Episcopi, post Cardinalis, rogatu, qui institutum ab eo Seminarium ordinarent. Quod vsque eo ad Episcopi voluntatem actum est, vt is vellet, quandoquidem ipsimet Socij onus abnuerent, saltem per homines regi, quos illi censuissent. Nec vllam egregius Præsul intermittebat viam, qua inducere Collegium Veronam posset. Niciæ ad extrema maritimorum Ligurum Petrus Christinus egregiò Euangelici coloni functus officio est. Quadragenarijs in vrbe concionibus, re catholicâ sedulò procuratâ, ad circumiacentia excurrit oppida. Ex quibus duo ita purgauit, nullus vt palàm hæreticus reliquus factus sit: in ceteris amplius quadringenta capita reconciliauit Ecclesiæ. Dein reuersus Niciam, præter matutinas hebdomadæ cuiusque, & intercurrentium feriarum conciones, secundùm meridiem operosis ibus in gymnasio ad discentes, feriatis verò in æde principe ad omnes, qui plurimi affluebant, rudimentariam instituit religionis scholam. Super hæc de rebus ad Sacramenta, & Sacerdotalia pertinentibus munia apud Clerum differebat: Episcopo, qui nun-

45 Venetijs exercita à Socijs caritas, & patientia.

46 Egregiè à Socijs succursum ægrotis Brixiæ

47 Petri Christini res Niciæ, & circum.

quam desiderabatur, assiduitate suâ audiendi ceteris siue incitante sitim, siue alleuante molestiam. Indè Dux Sabaudiæ annui firmamenta census promittens, de aduocando Collegio vehementer egit: sed nihil inchoandum visum est noui, antequam, quæ iam in ditione eius cœpta erant, solidiùs fundarentur. Lugdunenses Socij Italiam simul, & Galliam suæ famâ caritatis implerunt, extremo superioris, & huius principio anni præstitis officijs erga Pontificios milites, qui ab Gallicanâ expeditione reuertebantur. Pars dissipati per vicos, agrosque destituebantur grauibus impediti morbis: complures vestimentorum, & necessariarum vitæ rerum aliarum inopiâ, ad miserandum vsque spectaculum, laborabant. Eâ de re Pontifex Pius admonitus, paternâ benignitate, qua plenum pectus gerebat, continuò succurrendum statuit: ipsique Lugdunensi Collegio miserorum remedia commendauit, iusso attribui quod opus foret pecuniæ. Illi, qui suâ iam sponte diuinum incœptabant opus, pontificiâ tum facultate subnixi, tum voluntate concitati, discursant per omnem circa regionem, magnam ægrorum vim Lugdunum comportant, nudos vestiunt, fame enectos recreant, perque occasionem corporum, studiosè pariter animos curant. Denique Pontificiæ caritatis, & suæ, apud omnes circa gentes, gratissimum odorem spargunt. Eodem tempore admirabili felicitate primùm Rothomagi, dein Deppæ Antonius Posseuinus versatus est. Visa est promereri eum euentum fortis viri caritas, vel ea ipsa, qua proximum iter ornarat. Nam quo primùm die ab regijs castris discessit; ad obuium pagum cœcâ iam nocte peruectus, cùm tectis omnibus à militari turbâ occupatis, nihil vsquam receptaculi inueniret, & cœno altissimo iumenta prope demergerentur, & tenebræ conspectum, & consilium eriperent; ad domum processit extra pagum paululùm ab alijs secretam, foresque pulsanti respondetur aliud tecti quæreret, ibi mori omnes, eo ipso die vnum, pridie alterum elatum esse, matremfamilias iacere moribundam. Tamen ex necessitate audax, rogatâ saltem, atque impetratâ stabuli copiâ, succedit vnà cum comite. Ecce autem vix ad quietis aliquantulùm composuerant sese in fœno, cùm ciulatus ad aures accedit è tecto superiore: cognitoque matrem familias intermortuam; Posseuinus reputans secum id tempus esse, quo vitæ suæ præferre animam moribundæ deberet, fidenter ascendit. Inuenit inter lamentantes liberos, animo delectam anum, quam, porrecto vino, cùm excitasset; ad confessionem hortatur, patienter instituit, comiter audit, rite absoluit. Nec multum temporis abierat, cùm iterum ploratu excitus, iterum ad laborantem iuuandam, & ceteros consolandos ascendit. Ita nocte in magnanimæ caritatis traductâ officijs, & spe bonâ anum, & ceteros consolatione plenos relinquens, albescente cælo discessit. Parisios autem cùm venisset, ad mercatorem opulentum natione Italum, ex vulnere conclamatum, pœnitentiâ expiandum accitur. Bonus vir, quoniam salutem corporis desperarat, ad saluandam animam curas omnes applicuerat. Ergo, post generalem confessionem, dum cetera componit, illud etiam ex Posseuino quæsiuit: Quemadmodum resarcire damnum posset, quod librorum lectione inutilium, & obscænorum, quos domi habuisset, sibi, & fortasse alijs attulisset. Cui Posseuinus: Quando, inquit, hæc te cura meritò coquit, me audi: Plurimi sunt in Nosodochijs, atque Custodijs, qui otio abutentes, si quid piorum libellorum nanciscantur, facilè lectitent; tu facultatem præbeto: simul heredibus testamento iniungito, vt certam quotannis pecuniam in hoc ipsum impendant. Ita, si quid cui per te nocitum est; compensabitur: & quidquid indè proficietur, particeps fies. Paruit ille: & pensione heredibus, quæ visa est satis, iunctâ, præsentes in eam rem aureos ducentos attribuit: vndè Gallico sermone omne genus comparatos, compactosque libellos, viritim Posseuinus ipse, per Nosodochia, & Custodias, pro cuiusque captu diuisit. Rothomagum indè profectum, quotidie, vt Galliæ mos est, & Sanctioribus diebus bis, terque dicentem, longè frequentissima, Clero, & Senatu præsente, concio audiuit: quæ religiosam facundiam, nequaquam inanitate sonorâ plausuum, sed tacitâ pietatis instauratione, comprobauit. Vt erant miserrima tempora, & hominum

48 Lugdunensium Sociorum officia in Italos milites.

49 Posseuini caritas.

50 Malorum librorum lectio bonorum distributione compensatur.

51 Rothomagi multa Posseuinus præclarè gerit.

Digitized by Google

num partim impietate, partim ciuilibus discordijs, partim assiduo vsu miseriarum obduruerant pectora, cùm ingens numerus Custodijs publicis attinerentur, alios complures per vrbem angustæ res premerent; excitanda fuit, quæ aduersùs hæc calamitosorum genera intermortua iacebat, hominum misericordia, ac liberalitas. Multi per omnes Custodias distributi catechismorum libelli: aliquot etiam in medium ferreâ appensi cathenulâ. Inter populum verò amplius eorum libellorum terna millia sparsa sunt. Consuetudo inambulandi sacras per ædes inter diuina, quæ passim apud profanos, sacrosque homines nullâ religione increbuerat, magnâ ex parte cohibita. In pueris catechesi instituendis, quod continenter faciebat, non modò illud profecit, vt ad orthodoxam pietatem rudis informaretur ætas; sed etiam, vt Hæreticorum non pauci per eam instincti, edoctique remigrarent ad Ecclesiæ Sanctæ communionem. Ad hæc, cùm haud paucæ Rothomagi, vt in principe Normandiæ vrbe negotiorum causâ Hispanorum familiæ degerent, interque duas earum præcipuas inueteratæ simultates cunctam distraherent nationem; id quoquè malum, quamuis rem ante alij frustrà tentassent, diuino aspirante Numine, redintegratâ pace summotum est. His Rothomagi prioris anni exitu gestis, cum Cardinalis Borbonij Vicario Deppam excurrit, statum eius populi vnâ, alterâue concione exploraturus. Oppidum Deppa est ad oceanum Britannicum (quà secundo vnius diei cursu Anglia tenetur) & arce, & portu, & frequentiâ incolarum nobile: sed iamdiu Caluiniana pestis fœdè vitiarat. Ipsis Ianuarij Kalendis ante meridiem Posseuinus verba è suggestu facit: post meridiem catechesim ad exemplum, vt alij postea prosequerentur, explicat. Iamque post trecentos catechismorum libellos inter præsidiarios milites, Curionesque, & Ludimagistros, & clausos carcere distributos, reditum parabat maturè ad Aquas Sextias (Aix hodie vocant) quò iampridem ab Cardinali Strozio flagitabatur ad Quadragesimæ operam præsto futurus: cùm ab oppidi Magistratu, regioque arcis Præfecto religionis sinceriſsimæ viro conuenitur, rogantibus aliquantisper subsistat, fauere tempus negotio, quòd Rex peruicaces in hæresi exterminari iussisset. Eas ob preces quatriduum subsidet: quibus diebus nouies ad populum pro concione egit, tantâ omnium frequentiâ, & commotione ordinum; vt omnem comprehendisse diuina flamma Ciuitatem videretur. Quatriduo exacto sine cunctatione abiturum, quin equo iam insidentem, iterum Præfectus idem, cunctique Magistratus circumsistunt: postque adhibitas frustrà preces, apertè denunciant: Nequicquam eum abniti: nusquam exitum inuenturum: suo iussu custodiri portas: nec profecto se dubitare magnum eâ fugâ diuinæ gloriæ detrimentum afferri: denique datam fidem Aquensi Antistiti obiectantem eâ curâ liberant, in seque suscipiunt. Tum Pater eiusmodi constantiam pro diuino interpretans nutu, & scilicet vim insuperabilem videns; desijt odiosus altercari. Illi continuò Parisios ad Regis fratrem Ducem Alenconium, qui pro Rege res administrabat, & ad ipsum Regem, & Cardinalem Borbonium dant literas, quibus benè gerendæ rei opportunitatem demonstrant, si dux, & excitator populo adsit. Qui rescripsere, maneret omnino Posseuinus, quoad mitteretur successor. Se Strozio Cardinali satisfacturos. Ita conciones ad initium vsque ieiunij magni produxit, optimo cum operæ pretio. Fœminæ mille quingentæ, octingenti viri publicè execrati errores ad Catholicorum rediere partes. Permagno puerorum numero vel repræsentatus baptismus, quem Hæreticorum scelus distulerat, vel lustrales adhibitæ ceremoniæ, quas ijdem superbâ temeritate neglexerant. Accersitus est Rothomago bibliopola cum optimorum librorum copiâ: quibus statim oppidum, eaque tota oceani plaga referta est, cùm Præfectus (Dominus de Sigogne vocabatur) vir maximæ pietatis, ad vniuersa eos præsidia dimisisset. Vbi sacrum ieiunium venit, ne tum quidem licuit Antonio ad Aquas Sextias pergere: Sed Rothomagum Borbonius Cardinalis reuocatum Euangelij præconem in templo principe statuit. Ad Aquas Sextias Ludouicus Codrettus missus est: Deppam inchoato operi persequendo Oliuerius Manaræus Prouincialis Lutetiæ venit. Eodem-

52 Catechismorũ sparia copia.

53 Deppam Posseuinus vtiliter excurrit.

Digitized by Google

54 Patres missi in Pictauos.

que tempore indidem Pictauium, Regis, & Cardinalis Lotharingi postulatu, præstantes operæ missæ Ioannes Maldonatus, Nicolaus Belfilius, Carolus Sagerius, Nicolaus Clerus, Odo Pigenatius, Petrus Loierius, cùm interim Tolosæ, quam belli circumstrepebat furor, decimo indè millario, Gaspare Colignio Perduellium duce, coniunctis cum Montgomero armis, cuncta vastante, Edmundus Augerius ædem primariam catholicâ personaret tubâ. Hi omnes, alijque complures, vbi Societatis domicilia stabant, quos nominatim appellare necesse non est, vno animo, parique conatu diuinum inflantes classicum, conabantur vbique per Galliam, ad legitima Christi Domini continere signa fideles copias, & reuocare abductas. Posseuinus Rothomagi cœpta in sacro Aduentu per Quadragesimam persequens, inter cetera Sodalitatem instituit ducentarum matronarum, quæ more eius, quam condiderat Lugduni Augerius, Nosocomium interuiserent, reque, ac manu iuuarent: sed id curæ adiecit, vt simul paruis pueris, puellisque conualescentibus in tuto locandis studerent. Iam suam illam pios proseminandi libros industriam, vt salutarem experiebatur, ita studiosè colens, cùm magna Clericorum vis ad sacros ordines Rothomagum concurreret, quibus diebus eiusmodi hominum permulti concioni intererant; ille de industriâ in laudem digressus librorum, certos proponebat argumento, & stylo percommodos, quibus se, & populos sibi commissos instruere possent. Qui libri, cùm iam ex composito apud bibliopolas parati, compactique prostarent, nimirum addita ad cohortationem concionatoris, opportunitatis illecebra faciebat, vt passim compararentur. Concilium Tridentinum, quoniam publicè receptum non fuerat, commendabat plurimùm, illam vulgandi eius facillimam putans viam, si apud populum in existimationem meritam adduceretur: simulque catechismum Romanum iam Gallicè versum laudans, adhortabatur Parochos, vt, qui aliter docere suam nequirent plebem; festis saltem diebus secundùm maximum sacrum, vel cùm opportunissimum ducerent; accommodatum tempori caput ex eo recitarent. Et valuisse commendationem, distractorum ingens codicum vis planum fecit: nec fermè aliud videbatur solerti viro præsentius contra hæresum pestem medicamentum; quàm si Christiani oratores consensu omnes, pro suggestu, commendarent librorum salutiferorum lectionem: darentque operam, vt eorum facilis, ac parabilis copia ad manum cuique foret. Sed ad quotidianam in templo principe fatigationem, labores alios ferrea Posseuini operositas addens, secundâ, quartâque feriâ, pomeridianis horis rudiori ætati in paræcijs duabus, feriâ sextâ detentis in carcere operam dedicarat. Atque his eò viri conspectus gratior, & cohortatio grauior accidebat; quòd eis benignitatem populi inter concionem studiosè conciliabat. Palmare illud huius curæ præmium tulit. Inter vinctos attinebantur duo nobiles adolescentes, qui in hæresi educati, catholicam fidem armis etiam oppugnarant. Tenebatur & virgo catholica famula eorum, nec multo ante mater ibidem obierat. Reuincti erant testibus, natu maximo fratri, cuius corpus repertum erat in puteo, necem attulisse: iamque exactâ Quadragesimâ supplicium instabat: cùm accersito Posseuino: En (inquiunt) Pater, iniquè damnati vadimus ad mortem: sed quoniam Deus, per tuos sermones, ad veram animarum nos curam adduxit; adiutorem eundem te aduocauimus. Statura procera corporis, dignitas oris, ac venustas etiamnum imberbium, emicans ex toto habitu nobilitas commiserationem ciebant. Posseuinus, vbi firmitatem propositi explorauit, atque vtriusque confessionem, pariterque famulæ, à primâ recti, prauique intelligentiâ (nunquam enim vsurpauerant) audiuit; sic affatur: Nobiles adolescentes, quoniam vitari necessitas nequit; optimo estote animo: magna sunt iudicia Dei; sed is nunquam aufert à iudicio misericordiam, quæ est magna nimis: sine his vinculis nunquam laqueos hæresum exuissetis. Quid si dum Catholicos armis insectabamini, cecidissetis? quantus vos horror excepisset in omnem æternitatem? Fratrem non interemistis: at certè per vos non stetit, quin vestrarum animarum (si emori possent animæ) cædem perpetraueritis. Benè ergo redimitur vitâ breui mors sempiterna.

55 Iterum Posseuinus Rothomagi egregiè operatur.

56 Salutarium librorum salubertima lectio

57 Duorum iuuenum Hugonotorum conuersio ante supplicium.

58 Cohortatio ad mortem patiēter obeundam

Agite

Agite, sequimini Deum, quà vocat vos: ista vobis momento ocyor mors vitam pariet immortalem. Vix ea dicta, cùm apparent cum carnifice satellites, & carpento detecto, quo sontes per vrbem circumuehi solent, fratribus, ac famulâ in id impositis; Posseuinus, & socius (Pater Ioannes Tellerius erat frater Senatoris Rothomagensis, qui egregiè Posseuinum vbique iuuabat) ascendunt. Dum longo circuitu vehuntur in forum, ad templorum ianuas carpentum Posseuinus tantisper sisti iubebat, vt morituri diuinissimam Eucharistiam adorantes, nouum robur in vltimum ictum conciperent. Indè primùm in virginem suspendio animaduersum, quæ, velut innocens agnus, mortem constanter, ac piè tulit. Tum adolescentes in solenne detruncandis suggestum, quod turriculæ humilis instar, rotundâ figurâ, medio in foro stat, introducti. Iamque procumbebat præbiturus ceruices maior frater; cùm Posseuinus carnifice sustinere ferrum tantisper iusso, quærit secretò, verè ne extra noxiam sit. Nam si malè conscius sit, omnino, si saluus esse velit, esse culpam publicè deprecandam, & Senatum, quem carcere egrediens palàm iniustitiæ insimularit, eâ suspicione liberandum. Respondet, ipsos fraudis eius vndique immunes esse. Et Posseuinus, vis ne igitur, vt huius te populi precibus commendem: rogemque, vt vnusquisque pro vestris animis sacrificium semel curet? Peruelle cùm affirmasset; quantùm maximè potuit vocem Pater contendens, haud sine lachrymis ad preces populum cohortans: Si cui, inquit, ea pietas sit, vt velit sacrum pro eis curare; manum attollat. Nemo non sustulit. Et ad quadraginta ferè hominum millia, non solùm foro oppleto, sed longissimè ad fenestras, & in tectis domorum putabantur spectaculo interesse. Tum dextera, dein ceruix ambobus præcisa, prorsus innocentibus, vt vix interiectis hebdomadibus sex compertum est, sontibus comprehensis: qui nimirum ab se amolituri, in eos culpam coniecerant. Illis sublatis, populum Posseuinus in templum inuitat parœciæ proximæ, simul vt preces pro mortuis facerent, simul vt sermonem audirent, quem semihoræ spatio quotidiè sub vesperas post Pascha instituit. Ad confirmanda enim per Quadragesimam gesta id curauit, vt in quibusdam parœcijs diuinissima Eucharistia cum apparatu, ac symphoniâ proponeretur: vbi sermonem ipse accommodatum addebat, vt populus orandi Dei rationem, viamque addisceret: & noua dona ex inexhausto illo boni fonte, quem immensa Dei intelligentia, nobis patere in hac mundi solitudine voluit, hauriret: Quinquaginta diebus in eo negotio positis, miro concursu populi, & ardore, quo etiam tempore vehementiùs ad iuuandos ægrotos, ac pauperes omnium inflammati sunt animi; ad alios alibi labores Posseuinus discessit. Eodem temporis tractu Oliuerius quoquè Deppæ feliciter orsa impigrè pertexens, & eorum, qui modò resipuerant, constabilìuit in veritate mentes: & ad mille quingentos præterea ab errore deduxit: atque vt semotis peccatis, quæ fermè hæresum origo sunt, pietas, doctrinaque catholica adolesceret, dignasque cælo progigneret fruges; Sodalitatem instituit, in quam octingenti fermè nomina, ipseque oppidi Præfectus dederunt. Sodalium id erat institutum, vt, præter alia pietatis munera, singulis mensibus purgatum confessione animum diuino pabulo saginarent, ad perpetuam frugiferæ pietatis viriditatem. Eiusdem consilio aduocatus Episcopus est, qui, rem prope ab hominum memoriâ exoletam, ingentia hominum agmina sacro muniuit chrismate: quorum in numero primus oppidi Consul fuit, homo sexagenarius, alijque eiusdem ætatis non pauci. Purgatæ sunt ædes sacræ, atque aræ abrasis, ablatisque picturis, aut tabellis, quibus Hæretici veram adulterare pietatem, ac simplicium mentibus immistos salubribus pestiferos errorum instillare tendebant succos: simul pro vanis, ac noxijs, veræ, piæque historiæ substitutæ. Denique eo in oppido, vbi nulla impietas aliquandiu receptaculum, ac sedem non habuerat, ita commutata est forma; vt iam grandioribus natu Hæreticis nullus priuatim, aut publicè honor esset: adolescentiores irrisui essent æqualibus orthodoxis: & Præfectus assereret, planè iam sibi compertum, quòd ante fieri posse diffidebat, quàm procliue sit Ciuitatum moderatoribus, vel retinere eas in priscâ religione,

59 Pater Ioannes Tellerius Posseuini socius.

60 Oliuerij Manaræi res Deppæ.

vel

vel ab nouâ superstitione abstrahere, si ipsimet solidè velint, atque idoneos nacti sint administros. Cælestis quoquè Pater visus est ijs, qui iam germanos filiorum receperant animos, pristina paternæ indulgentiæ documenta reddere. Frequens est Deppæ, magnique emolumenti Halecum piscatus. Ceterùm ex quo tempore populariter amplexa Ciuitas hæresim, disiectis altaribus templa spoliauerat; iam non pisces commodos, sed marinos canes inuoluebant retibus: qui morsibus & retia lacerabant, & piscatores. Hoc verò anno ita respondit captura votis; vt planum fieret, nihil tam noxium esse rebus humanis, quàm diuinarum neglectum: nihil tam salutare, quàm pietatem. Illud propriè fœmina primaria clementiæ diuinæ pignus accepit. Agebat misera animam haud primæ morti propior, quàm secundæ, dudum epoto, demissoque in venas impietatis veneno. Oliuerius Lutetiam rediturus iam Rothomagum venerat: sed quoniam expectandæ itineris opportunitati aliquot ibi sedere cogebatur dies; nescio quo instinctu, ne vacuum elabi spatium sineret, Deppam regreditur, & commodùm in eam, quam dixi, fœminam incidit: & adhortans ad pœnitentiam, Deo miserante, ita permouit; vt reiectâ erroris peste, Christianis mysterijs mirâ cum pietate receptis, omnes sperarint mortem illi exordium vitæ fuisse. Hæc Deppæ dum fiunt, haud minus è sententiâ inter Pictauos magni Patris familias agricultura prouénit. Trigesimus agebatur annus, cum zizania, radicibus ibi altè depressis, ita luxuriarant; vt tandem Regis, fideique catholicæ hostes oram illam, cum vicino Sanctonum agro, aptissimam iudicarent, vbi arcem, & regiam impietatis suæ statuerent: cui & nomen à felicitate sceleris fecerant, regionem subactam, seu iam quæsitam, ac partam vocantes. At Rex post perduellium conatus superiore anno geminâ victoriâ fractos, quia nequicquam expugnantur armis corpora, nisi exterminetur error è mentibus; concionatorum suorum primario id negotij dedit, vt aduersùs corruptas opiniones tela diuini verbi capesseret. Quem, cùm populi & animo auersarentur, & auribus; ad Societatis homines itum est, inuitante famâ tum vetustiore, tum recenti rerum, quæ Deppæ gerebantur. Rex ad fratrem, eundemque vicarium interim suum Parisijs Aleconiensium Ducem scribit, vt primò quoque tempore sex de Societate in Pictauos mittendos curet. Appellati Patres, & perpensâ negotij grauitate, cùm in Collegio nemo esset inuentus, qui non libenter, vel ad euangelizandum, vel ad seruiendum euangelistis iret; incunctanter se quicquid virium inesset, in tam iustum Regis, Deique, & Gallicæ religiosissimæ nationis collaturos obsequium respondent. Commendarunt Parisienses Proceres, ac nominatim regij consilij Præses Senonensis Archiepiscopus Cardinalis Pelleuius alacritatem: eoque largiùs, quòd viatici mentione inductâ; responsum est, neque moris Societati, neque fas esse quicquam in eam rem postulare, sed debere quemque paupertate suâ, Deique suppeditatione fretum, iter continuò vel sine baculo, & perâ suscipere. Quam modestiam ita Senonensis laudauit; vt Regis tamen dignitati, & causæ quæ tractabatur, consentaneum iudicaret, euangelizantium curas nec onerari mendicitate, nec distrahi. Sexto Kalendas Martias Pictauium Patres ingressi. Ceteris in alia oppida Castrum Eraldi, & vrbem Sancti Maxentij, & Niortanos distributis, in ipsâ Pictauio tres substiterunt. Quorum duo Carolus Sagerius, & Petrus Loierius, cùm duobus primis in templis, quotidie ante, postque meridiem concionibus, & cathechismo darent operam; Ioannes Maldonatus, quanquàm venerat potius, vt dum modicâ vacatione grauiorum studiorum ad nouum curriculum vires instaurat, operarios regeret, quàm vt opus faceret; tamen & Sociorum incitatus ardore, & sperati copiâ fructus, sibi quoquè binas in die disputationes, grauissimam vnam, leuiorem alteram sumpsit. Matutinis scholis disputare de Ecclesiâ latinè in Academiâ cœpit: idque argumentum ita tractauit; vt multos multorum spatio annorum hæresi infixos vehementer concusserit: quos deinde, adiectis de Sacrâ Eucharistiâ, contra impietatem Caluini disputationibus, ad fidem catholicam planè retraxit. Locum ad docendum consultò profanum delegit, quòd norat Hæreticorum deter-

61 Diuinæ vltionis indicium.

62 Documentum diuinæ prouidentiæ.

63 Res in Pictauis gestæ.

64 Nostrorum promptitudo in iuuandis proximis.

65 P. Io. Maldonati labores frugiferi.

Digitized by Google

deterrimos iurasse nunquam se limen templi catholici intraturos. Vbi verò satis animos auditorum conciliatos animaduertit; denuntiauit maiore hebdomadâ, sepositis controuersijs, pugnacique stylo, de pœnitentiâ, deque conuenienti ad suscipiendum Christi Domini corpus præparatione sedatè, ac piè locuturum, idque in templo. Quæ res ita illos Hugonottorum iuratos non absterruit; vt primi ipsi properarent in templum, & orthodoxis loca præriperent. Imò viri inter ipsos grauitate præstantes, quorum auctoritas plerosque in secta continebat, non modò dissertationibus de Ecclesiâ, Sacrosanctâque Eucharistiâ perstudiosè commodabant aures; verùm etiam catechismo, quem in Collegio Picarræo (florentissimum erat, auditoribus frequens ducentis, & magnam partem Caluinianis) post meridiem explicabat: sedebantque intermixti pueris, & libellum singuli manu tenebant suum: vt nimirum, qui se in superbiæ scholâ pro magistris venditauerant; in disciplinâ humilitatis non erubescerent pueros confiteri, si non ætate, at sensu. Denique tum reliquorum concionibus, tum Maldonati præcipuè doctrinâ, Sectarij Pictauienses edocti, impulsique sunt, nullus vt propè fuerit, quin seriò de mutandâ sententiâ cogitarit: & mutaturus libenter fuerit, si iussum potestatis accederet, quo videri posset coactus. Id eò maximè compertum, quòd regius Prouinciæ Legatus Ioannes Hayus, cum, instante Paschâ, per viros graues ostiatim interrogari iussisset, vellent ne catholico ritu sacram Synaxim obire; non pauci responderunt: tum obituros, cùm Rex imperaret: interim, quam ille potestatem faceret, vti velle. Adeo præposterus pudor (quo od & Donatistis olim euenisse Sanctus Augustinus narrat) obligatas tenebat miserorum mentes, erubescentium suo arbitrio ad rectum callem redire, ne ante se faterentur errasse: & præoptantium pertinaciter perire, quàm videri abrupisse constantiam. Tamque vtilis est tempestiuè admotus terror, qui ad cœnam magni Regis intrare cunctantes compellat. Præpotuit tamen in multis veritatis amor, & salutis. Non de plebe modò, & rudi vulgo, sed docti plerique, ac primi in impietatis scholâ subsellij circiter quadringenti errorem pestiferum, & pudorem pudendum vicere. Præter hæc, in corrigendis Catholicis, quibus vt in tantâ rerum confusione, prauorumque consuetudine nihil fermè incorruptum, præter nomen, restabat, haud leuius negotium fuit. Præceptores quicunque Collegijs præerant hæresi contaminati, hoc est prope omnes, itemque pædagogi non solùm ab Academiâ segregati, sed totâ vrbe exacti. In bibliothecas diligenter inquisitum, & voluminum vis plurima corruptorum igni corrupta, Regio Legato Ioanni Hayo ad hæc conferente auctoritatem. Denique moribus integritas, templis dignitas, sanctis mysterijs magnâ ex parte restituta celebritas. Quæ res ita Pictonum cœperunt animos; vt gloriarentur simul se præstantissimorum Ducum auspicijs, & armis ab perduellium vi, & crudelitate, simul doctissimorum Theologorum pietate, atque sapientiâ ab opinionum tyrannide, ac peste vindicatos. Et fuit vir grauis, qui talia facinora æternitate memoriæ digna ratus, cùm tradidisset accuratè literis; perægrè cohiberi à Patribus, inuidiam eâ temporum iniquitate formidantibus, potuit, ne in vulgus emitteret. De Societatis quoquè instituendo Collegio (vti fermè vbiquè fit in æstu rerum ad vota respondentium, dum oculis, manibusque comprehensa bona voluntates incendunt) agitari seriò cœptum est: ipsorum Caluinianorum plerisque optantibus, ob præstantem opinionem, quam de Patrum sapientiâ perceperant animis. Augerius hoc tempore nullam Tolosæ, circumfremente hoste, capiebat quietis partem, vt adderet animum abiectis, coërceret temerarios, excitaret torpentes, omnes ad propitiandum Numen alliceret, cum supplicibus ad Deum votis suis, tum concionibus, & priuatis colloquijs, & omni genere Sacerdotalis vigoris, atque sagacitatis. Id Sanctæ Ecclesiæ, id militiæ suæ, id religiosissimæ Ciuitati, amantissimæque debere se ducens, vt noctes, atque dies aduersùs hostes excubans idem, ac dimicans, nullam interim in vrbe negligeret partem, si quam animaduerteret effici posse meliorem. Cùm in Custodijs publicis, quæ quinque erant, multitudo ingens clauderetur, quos intoleranda omnia conficiebant;

66 Hæreticorum ex malo pudore pertinacia.

67 Catholici exculti.

68 Collegium Societatis etiam à Caluinianis optatum.

69 Augerij Tolosæ gesta.

Digitized by Google

ciebant; Edmundus, qui Nosocomijs ante prospexerat, miseriarum hanc quoque partem leuaturus, Sodalitatem conflauit, quæ sua studia sancto huic muneri dedicaret. Idque eò fuit magis opportunum, quòd cùm totam Ciuitatem arctè inopia premeret, multò in miseros, ab vsu communi, conspectuque semotos, ingruebat acerbiùs. In eam Sodalitatem viri, faminæque certatim vt nobilitate, opibusque præstabant; ita libentissimè conuenerunt. Hæc, atque alia spectantia eòdem quamplurima dum Socij per Galliam, maximèque in Aquitaniâ prosperrimè administrant; consecuta pax est, quæ tantis rebus moram haud modicam intulit, mali stirpe, quæ tutò videbatur excidi posse, relictâ, mox sæuius regerminaturâ. Solutâ tamen periculo Tolosâ, patefactisque pace itineribus, Augerius Lugdunum venit valde expectatus ab Euerardo Visitatore. Ibi & confirmato populo concionibus, & rebus Societatis cum Visitatore transactis, nouum iter aggreditur. Lotharingi Cardinalis accitu Isabellæ Maximiliani Imperatoris filiæ, quam Carolus Rex in matrimonium ducebat, obuiam euntis Remos festinat: eâque in vrbe sacri Aduentus tempore coram Cardinali, ac multitudine ingenti nobilium, successu quo solebat, nempe optimo, verba fecit. Interim Ioannes Maldonatus, quem paulatim Socij insequuti sunt, ex Pictauis reuersus Lutetiam, auctâ ex intermissione famâ, & auditorum auiditate incensâ, Theologicam repetit scholam: & Ioanni Marianæ, qui sacram interprætabatur Genesim, plus in dies & ad auctoritatem, & ad celebritatem accedebat. Per oppida Campaniæ, & Lotharingiæ Petrus Vela vix vero simile est quanto cum effectu excellentium operum peregrinatus sit. Is erat Sacerdos è Virdunensi Collegio, quod superiore anno pestilentiæ causâ dissipatum, non erat consilium restituere, nisi Episcopus, quantumuis impensissimè reuocaret, ad perpetuitatem aliquid prouideret. His in acie, pugnâque laboriosè versantibus, Guido Roilettus ad triumphantes in cœlum migrauit, vir egregiâ religione, sui negligens, cupidissimus animarum, impigerque earum venator, & laborum tolerantissimus: idem benè doctus, æquè ad agendum, ac docendum instructus. Notat Oliuerius Manaræus hunc omnium primum in Romano Collegio docuisse Philosophiam. Aliquot deinde annis Ferrariæ exactis, in Aruerniam missus, pacatè, ac diligenter, cumque domesticorum, atque externorum beneuolentiâ, & profectu Billiomæum Collegium annos multos rexit. Auctoritate non Billomi solùm, sed latè circum valebat, per quam & priuatim, & publicè inter eas belli ciuilis tempestates sæpè Ciuibus magnopere commodauit. Multos ab hæresi abstraxit: dissidia multorum extinxit: grauia populi vitia correxit. Præcipuâ inopum occultorum misericordiâ tangebatur. Itaque & cum matronis opulentis egit, vt colligerent eis stipes: & cum Ciuitate, vt proprius eorum procurator constitueretur. Talia agebat vnicâ virtute animi, qua & corpus sustentabat exangue, exesum, hostiam viuam in suauitatem odoris Domino sensim liquescentem. Itaque vix tridui morbo confectus est duodecimo Kalendas Iunias. Mortis genus sanctitati vitæ respondit, caritatis maximè laboribus accersitum. Cùm diuinissimum Christi Corpus suscipere non liceret per stomachi inconstantiam continenti vomitu laborantis; perlatum in cubiculum non modò summissione infimâ adorauit, sed clarâ voce ita compellauit; vt adstantibus multum excusserit lacrymarum: paulòque post deficiente iam animâ, cùm quicquid supererat spiritus, in deosculando Crucifixo, complectendoque effunderet, & summâ pietate alloquendo, fortè interfuit Billomæus ciuis, homo ferox ingenio, & linguâ intemperanti, quem sæpiùs ante Pater christianâ caritate conatus ad meliora flectere, retulerat pro amicâ monitione maledicta, & contumelias. Is spectaculo adeo sancti exitus, ita compunctus, & emollitus est; vt ibidem in coronâ adstantium prouolutus in genua, de suâ pertinaciâ sæpius veniam, emendationem spondens, rogarit. Exequias Ciuitas publicè, & misso funeralium numero, & præsentiâ Consulum honorauit. Visitator inter hæc Euerardus Mercurianus, per magna viarum discrimina, pari pietate, atque prudentiâ ordinandis intendebat domesticis rebus. Quæ sanè (cùm inter tot bello-

70 Lugduni, ac Remis.

71 Maldonatus Lutetiæ Theologiam, Mariana Genesim explicat.

72 Petri Velæ apostolica peregrinatio.

73 Guidonis Roiletti vita, & obitus.

74 Primus Philosophiæ magister in Romano Collegio.

75 Pauperũ amãs.

76 Moriturus dũ non potest Eucharistiam sumere gaudet adorare.

77 Placidè moriẽtis aspectu ferox homo emollitur.

rum

rum ſtrepitus, in tam prolixis, & crebris peregrinationibus, Collegijs tam ſæpè concuſſis, ac diſſipatis, religioſæ diſciplinæ ordo, qui vt in acie profanâ, item in ſacrâ cuſtos virtutis, ſalus militum, & victoriæ parens eſt, inuiolatus teneri nequiret) non modicâ & ſapientiâ indigebant, & curâ. Gallia Belgica nihil magnopere nouum offert. Audomarenſis Epiſcopus Collegij templum ab ſe extructum in Sanctiſſimo IESV nomine conſecrauit; cui cùm daretur, vt fundatori, pro more cereus; profluentibus exceptum lacrymis in altari poſuit, prædicauitque valetudinem ſibi eo tempore, qua perditâ vtebatur, ſingulari Dei beneficio reſtauratam: in documentum id accipiens gratum habentis, clementerque reſpicientis perfectum opus. Ita demum in proprio Collegij templo cœpit fructus animarum copioſior capi, multis ad meliorem vitæ frugem, nec paucis ad catholicam religionem reuocatis. Reſtituta, ſeu potius inſtituta Tornaci probandis Nouitijs domus. Poſt diſſipatum Geuſiorum impio furore, quinto ab hinc anno, ſatis florens in eâ vrbe Collegium, Pater Ioannes Mortagna, & pauculi, qui cum eo redierant Socij, apud amicum Sacerdotem diuerſantes, occupationem ſuſceperant primæ pueris tradendæ literaturæ, quæ lectionem, atque ſcriptionem elementariam non tranſiret. Obtulerant id prouinciæ cum aliquo prouentu, & conditionibus multis Canonici: ſed tandem ita ſuſceptum erat; vt integra vtrique parti ceſſatio eſſet. Bellè procedebat ludus ſub duorum labore Fratrum ex numero adiutorum. Multi reſtitutum optabant Collegium: ſed quia in conditiones non conueniebatur; Tyrocinium introductum eſt. Ludouicus de VVingheme Canonicus in eam rem domum cum hortulis duobus in regione optimâ & ſaluberrimâ vrbis, emptam donauit. Eò poſtridie Idus Aprilis cum Patre Iacobo Dulio Præfecto, ſeptem Louanio tranſlati Tyrones: quibus breui nouem, tum alij deinde acceſſerunt. Robertus Bellarminus Louanij in magnâ ſapientiæ operatorum, ſapientumque coronâ proſequens concionem latinam eâ approbatione, quæ non laudibus magis, quàm emendatorum teſtimonio morum proderetur, etiam interpretari ex primâ ſummæ Sancti Thomæ parte Theologiam cœpit: cùm vix biennium apud Theologum ipſe doctorem ſediſſet. Adeo per ingenium illud eximium, idemque tum ſanctitate morum, tum fuſis ad Deum precibus, tum curâ, & labore purgatum, rigatum, excultum, ſibi, alijſque idoneus erat magiſter. Is primus Louanij in Societatis Collegio, conſentiente Decano, ac Primoribus Vniuerſitatis, publicè docuit: ſexque deinceps, magno bono catholicorum dogmatum, ſacram doctrinam continuauit annis. Non enim ea tantum ab Hæreticis tuebatur; ſed & Michaëlis Bay opiniones damnatas, ſenſim repullulantes, & pro auctoris celebritate ſerpentes, vt non mediocriter nobiliſſimæ Academiæ integritas periclitaretur vt ſedabat occaſio, diſſimulanter, ſed acriter, & ſingillatim arreptas ſtirpitus elidebat. Cameracenſes quoquè Socij, Canonici cognomento Care beneficientiâ, qui ſe velut vnum è Collegio, & ſtudio, & operâ, iuuans etiam in pœnitentibus expiandis gerebat, proprias ædes adepti, cum hortis; Maximilianus Archiepiſcopus iam de firmando reditibus Collegio, quod tam cupidè aduocauerat, amanterque habuerat, agitabat ex animo, cùm eius conſilia moriendi neceſſitas diſturbauit. Ita cæpti operis cum ipſe deſtitutus effectu, tum Collegium in diſcrimen adductum. Adeo malè fundata conſilia ſunt, quæ mortis fide nituntur. Veruntamen, qui ſucceſſit illi, Ludouicus Barlaimontius de ſuâ nihilominus paternâ benignitate ſperandum oſtendit. At Treuirenſe Collegium, quod ad id temporis in tectis, & commodatis apud ſcholas Academiæ, & ab frequentiâ admodum remotis hoſpitabatur, hoc anno ſtabilem ſedem adeptum. Quippe vigil, ac pius Antiſtes Iacobus ab Els videns vnâ operâ poſſe vtrique parti commodari, quod cœnobium Fratrum Minorum Conuentualium fuerat, de benignâ eorum voluntate Collegio attribuit: & ipſos largâ inſuper ſtipe muneratos in cœnobio Virginum iam deſerto ad Sancti Germani, minus ruinoſo, & aliquantis inſtructo reditibus collocauit. Cùmque Patres vellent templo Collegij, quod idem conſecrauit ab Sancto Iacobo nomen imponi;

ad con-

78 Status Societatis in Gallia.

79 Audomarenſis Collegij progreſſus.

80 Tornaci Tyrocinium inchoatur.

81 Ludouicus de VVinghemeCanonicus ædes donat.

82 Roberti Bellarmini cõciones ac Theologicæ ſcholæ Louanij.

83 Cameracenſis Collegij ſtatus

84 Treuirẽſis Collegij progreſſus.

Digitized by Google

ad conseruandam pariter ipsius Principis, qui donarat memoriam, maluit religiosissimus Pontifex ab Sanctissimâ Trinitate nuncupari: quòd eius ad gloriam rectè facta omnia referri, eiusque nomine consignari oporteat: nec tecto solùm, sed etiam vectigalibus auctis, cùm simul ab superiore Antistite Ioanne à Petrâ donata confirmasset, ad æternitatem Collegium roborauit. Factum quoquè initium est contubernio tenuiorum adolescentium, ex quibus, piorum collatione, in morum disciplinâ, & literarum educatis, vtilium supplementa militum Ecclesia olim caperet. Per diœcesim Treuirensem Hermannus Tiræus Collegij Rector, & Ioannes Berkelius, quod proximo anno instituerant, Archiepiscopi missu discurrentes, præter cetera, curarunt, vt Sacerdotes, atque Ludimagistri editæ clarâ voce professioni catholicæ fidei subscriberent: incassum repugnantibus, Principumque suorum nomine intentantibus minas Hæreticis. Spiræ hoc anno Maximilianus Cæsar comitia habuit. Eo cùm legaretur ab Philippo Secundo Rege Franciscus Hurtadus Montis Acuti Comes, eidem Rex summè id volenti Patrem Iacobum Auellanedam à Præposito Borgiâ per literas postulauit, adiunxitque comitem. Eòdem venerat cum Imperatrice Mariâ Pater Franciscus Antonius. Hi duo, cum Spirensibus Patribus operâ coniunctâ, non solùm germanas, sed exteras quoquè nationes pro virili iuuerunt. Quidam à Mahometo, ab Iudaicâ non nemo perfidiâ, multi ab hæresi reuocati sunt. In Xenodochio pulchrè positus labor: quò cùm Comes ipse Legatus impetrasset ab Senatu hæretico Socijs aditum, sibique corporum susceptiset curam, dum eleemosynas idem, atque vxor propriâ manu distribuunt inopi turbæ, aliaque præstant obsequia; Patres curandis intenti animis, & confirmarunt in religione nutantes, & confessiones ex multo tempore multorum audierunt, & quibusdam ad Sanctæ Ecclesiæ recuperandam pacem duces fuere. Ad hæc inter Mantuanum, & Sabaudium Oratores enata biennio ante dissidia, quæ vel Principes ipsi conciliare nequiuerant; per suos famulos Deus (quibus quicquid tribuitur ipsi Deo tribui omnes intelligunt) magnâ cum populi, & Principum voluptate composuit. Imperatrix Maria Isabellæ filiæ Carolo Regi Gallorum desponsæ confessarium destinarat Patrem Laurentium Magium: qui, profectus in Poloniam, cùm nequaquam posset in tempus occurrere; perspectâ Auellanedæ pietate, atque prudentiâ, idem iussus est cum Reginâ in Galliam proficisci, à confessionibus interim ei futurus, dum Magius adueniret. Sed graui Societatem onere Galli Proceres liberarunt, qui maluerunt in eo loco hominem è suis. Ita Auellaneda, cùm ad Galliarum veniisset fines, repudiatis, quæ Rex offerebat, locupletibus donis, quanquam perhonesto, tamen vltra periculoso liber munere, auctior abstinentiæ famâ Spiram recipit se. Haud procul Spirâ est Marchionatus Badensis, cuius Marchio superiori anno cùm in conflictu Gallico cecidisset, eiusque filios in tutelam Cæsar Duci Bauaro tradidisset; Albertus non prætermittendam occasionem propagandi cultus diuini ratus, Comitem Schuarcembercg Marchionatus Præsidem mittens, vnà cum illo Patrem Georgium Schoritium ire iussit. Breui res tum Comitis, tum Patris humanitate, labore, industriâ eò venit; vt non magno negotio restitui posse Ecclesiæ cuncta Prouincia videretur. Quæ res cùm propugnatores impietatis malè haberet; literas ab Cæsare exprimunt, per quas vetabat quicquam aduersùs Lutherani verbi ministros fieri: ijsque literis debilitatum nonnihil est saluberrimum opus in medio cursu. Sed deinde, vt referam, liberè repetitum. Augustæ Petrus Canisius non solùm aduersùs Hæreticos; sed etiam aduersùs dæmones bello susceptio, decem nequam obsessores ab nobili virgine solennibus exorcismis abegit: quo facto virginis Pater ad eam diem obstinatus hæreticus, ad deferendam cum pertinaciâ impietatem emollitus est: alijque ad pietatem incensi, præsertim cùm incolumis conspecta ea quoquè puella est, quam Romæ liberatam demonstrauimus, reique gestæ series dimanauit in vulgus. Tot nimirum modis clementissimus Deus contumacia ingenia despicientium Ecclesiæ Sanctæ ritus, & tot seculorum firmata suffragijs conuellentium instituta, domitum ibat. Nouum Halæ Colle-

85 Hermânus Tiræus, & Io. Berkelius per Treuirensem diœcesim excurrût

86 Patris Auellanedæ, & Francisci Antonij res Spiræ.

87 Auellaneda Reginæ Galliæ cõfessor designatus, à tali munere liberatur.

88 In Badẽsi Marchionatu Religio cæpta restitui.

89 Augustę Petrus Canisius Dæmones expellit

Digitized by Google

Collegium optatos cœpit creare fructus: Sanctorum veneratio, precationes pro mortuis, ſupplicationes publicæ, litaniæ, hiſque ſimilia, quæ prope obſoleuerant, redintegrata ſunt, vniuerſæque Ciuitati, teſtimonio Principum, ſalus reddita. Ex Collegio Viennenſi per quadrageſimam miſſus Græcium Styriæ caput, Archiduce Carolo poſtulante, Pater Stephanus Rimelius, rem præclarè geſſit. Erat ferè cuncta Ciuitas hæreſi corrupta: & apud populum Societas infamis, tanquam omnia hominum factis, & Sanctorum inuocationibus arrogaret, nihil Chriſto ſalutis auctori, eiuſque gratiæ tribueret. Hac enim ſtrophâ lanij animarum Hæretici fucum faciunt populo, & ſimplicem Diabolo mactant gregem. Aerumnas prædicant Chriſti, vt ad nequitiam prolectent, per ſummam impietatem peruertentes Dei conſilia, & miſericordiâ abutentes, & ſacroſanctum ſanguinem, quem ad extinguendum peccatum fudit, non verentes (quod horrendum eſt cogitatu) fomitem facere peccatorum. Verùm cùm dicere ad populum cœpiſſet Stephanus, neque vnquam abeſſet Archidux, eòque cuncta ſimul nobilitas, & populus frequentiſſimus affluueret, apud permultos, præter cetera, id eſt effectum, vt admirantes ſimul doctrinam, ſimul vitam Societatis longè ab Hæreticorum criminibus diſcrepantem, quod in eam temerè conceptum habebant odium, id in obtrectatorum malignitatem iure conuerterent. Brunæ quoquè, cum Olomucenſi Antiſtite profectus eò Alexander Hellerus, auditus ex concionatorio tribunali tanto cum momento; vt exiſtimatus ſit ruentem ibi in exitium pietatem vnus ſuſtinuiſſe. Atque hîc domum probationis Antiſtes, Græcij Collegium meditari Archidux cœpit. Viennæ inter peſtilentiam, famemque, quibus vexata eſt grauiter, ducenti fermè ab hæreſi expediti: tametſi Patrum conatus tum ſparſæ calumniæ, tum miſerrima apoſtatæ impudentia retardauit. Diſſipata calumnia eſt, ſub virili habitu admiſſam in Collegium per feneſtras quinque ipſos annos fœminam, quam tandem deprehenſam vterum geſtantem, & in cuſtodiam datam. Fabula, quamuis tam impudenter, ac ſtultè ficta; tamen, diſſipantibus Hæreticis, apud ſummos, & infimos ſparſa, non parùm de famulorum Dei auctoritate detraxit. Sed iam erat prope ſolenne, vt quotannis noui aduersùs Ieſuitas monſtri aliquid ex Hæreticorum officinâ mendaciorum fœcundâ prodiret. Nam & eodem tempore Olomutij paſſim ferebant Patrem Ioannem Merquitium Saxonem, qui ibi concionabatur, VVitembergæ conatum Lutheri monumenta corrumpere, eamque ob rem virgis cæſum, atque probrosè erectum: nihilque adeò per ebria voluebatur guttura, atque flagro cæſum Ieſuitam: cùm tamen nunquam, ne fuiſſet quidem VVitembergæ Ioannes. Ceterùm huiuſmodi perfrigidæ, monſtroſæque fallaciæ, quia non diù viuebant, nec niſi ex nouitate quicquam mellis, aut fellis habebant; ideo neceſſe erat ſubinde progenerari, ſuggerique nouas prurientibus linguis: quamuis interim noxam res inaniſſimæ haudquaquam inanem afferrent. Illud acerbè, & inſolabiliter Chriſti IESV milites cruciabat, quòd, per fœdiſſimam commilitonum interdum fugam, incruentum non dabatur gerere bellum: ac pernicioſum aliquandiu hoc anno ſcandalum verſatum Viennæ eſt. Adamus Hellerus veteranus iam cœleſtis vexilli comes, primiſque annis admodùm laudabilis, frater Alexandri, quem modò Brunæ velut conſeruatorem nominauimus, cùm paulatim, remiſſâ cuſtodiâ ſui, ſimul rebellandi copiam inteſtinis hoſtibus, ſimul externis intrandi præbuiſſet; ad extremum tandem nequitiæ, & impietatis deuolutus, ab Collegio Conuictorum Pragenſium, cuius præfecturam gerebat, infami ſe fugâ proripuit. Quem, vt ad deſerta reuocaret ſigna, Prouincialis Magius grauiſſimâ epiſtolâ conuênit, quam hoc loco ſubſcribi placuit totidem verbis. Cariſſime frater (fratrem voco, ſi tamen adhuc fraternitatis noſtræ affectum retines) precor tibi ex animo eam ſalutem, à qua reſpiciens retro, poſt manum ad aratrum miſſam, excidiſti. Vix mihi potuit adhuc perſuaderi, te caſtra Dei, cui nomen tantâ pietate, & animi propenſione dederas ante multos annos, fratrem etiam tuum tecum in eandem gloriam adducens deſeruiſſe, & in vaſtum carnis, & ſanguinis gurgitem te de-

90 Halæ. Collegij fructus.

91 Græciũ Pater Stephanus Rimelius primò miſſus præclara geſſit.

92 Brunæ Patris Alexandri Helleri vtiles cõciones.

93 Hæreticorũ fabulæ Viẽnæ de Societate.

94 Adami Helleri defectio.

95 Magij ad eum epiſtola nobilis.

Digitized by Google

nuò immersisse: tot tamen fuerunt indicia, tot conuenientia testimonia; vt dubitationi nullum locum potuerim amplius relinquere. Quæ tua defectio tantò mihi accidit ingratior, atque molestior; quantò mihi etiam fuit insperatior. Dormiui semper tibi in vtramque aurem. Quomodo enim de te quippiam huiusmodi vel suspicari potuissem, quem veteranum militem existimabam? Quem stationem suam non minùs fidenter, quàm fortiter retenturum, aduersùs omnem hostium impetum, non dubitabam? Cui, quòd tibi vehementer confideremus, munera non vulgaria commendabantur? Sed, vt video, mea me de te fefellit opinio: & non solùm Deo, à quo, quod piè illi dicasti, sacrilegè abstulisti; sed mihi quoquè, sed omnibus nobis fratribus tuis insignem iniuriam fecisti, pro bono malum reddens. Cùm enim de te tam benè opinaremur; tu tuo turpi facto mendaces nos fecisti, quia nos decepisti. Et vtinam nos tantùm, non autem te; ferendum æquo animo istud esset. Nos enim quid indè detrimenti, præter dolorem, præter solicitudinem? at tibi soli ad damnationem reputatur ista defectio: quia fidem tuam irritam fecisti: quia mentitus es Spiritui Sancto. Non enim arbor perit si ramus frangatur, & recuset socius esse radicis, & pinguedinis oliuæ, in quam, cùm oleaster esset, insertus est inter bonos ramos.

96 Societatis desertores dãnationem habere conuincuntur.

Sed ne quis me putet blasphemum, quòd te dixerim damnationem habere, quia Societatem deseruisti; duplici quemuis syllogismo, dialecticorum more, conuinco. Scribitur Numerorum trigesimo. Iste est sermo, quem præcepit Dominus: Si quis votum Domino vouerit, aut se constrinxerit iuramento; non faciet irritum verbum suum, sed omne, quod promisit, implebit. Sit igitur primus Syllogismus: Quicumque virorum vouerit Domino, & non impleuerit quæcunque vouerit; is transgreditur præceptum Domini: atqui Adamus Deo vouerat, quòd, relicto huius mundi strepitu, in secessu Societatis illi soli esset inseruiturus, quod tamen non impleuit, Societatem deserens: ergo Adamus in hoc, quòd non impleuit ea, quæ Domino Deo tam sanctè vouerat, & deserens fraternitatem irrita fecit verba votorum suorum, transgressus est mandatum Dei, & consequenter damnationem habet. Diuus Paulus prima ad Thimotheum quinto docet Timotheum quales viduas debeat admittere ad vouendam perpetuam castitatem in obsequium Christi, & Ecclesiæ eius: & monet transgredientes votum illud habere damnationem. S t ergo secundus Syllogismus. Quicumque rem bonam, ac piam Deo vouit, nisi persoluerit, quod vouit, sed irritam fecerit fidem voti sui; habet damnationem: atqui Adamus vouens perpetuam paupertatem, castitatem, & obedientiam in Societate IESV, rem bonam, & piam vouit: ergo si non persoluerit, quod vouit, sed irritam fecerit fidem sui voti; habet damnationem. Quamobrem quo in statu verseris tu ipse videris. Adam, Adam vbi es? Vndè discessisti? Quo te præcipitasti? ex ponte in mare, ex famulatu Dei in seculum: vb. quidquid est; concupiscentia carnis est, concupiscentia oculorum, superbia vitæ: ex semitâ salutis in viam perditionis. Dic mihi, obsecro per illum amorem, quo te semper à me non solùm diligi, sed vehementer etiam amari expertus es, dic mihi, quæ te dementia, quæ te Aeua decepit? Siccine, miles Christi duodenarius, militiæ Christi assuetus, post iuramentum militare, post votum perpetui obsequij, ducis tui castra deseris? Non dimissus à Duce, non absolutus à iuramento, in hostium te recipis cuneum, & eorum, qui, cùm temporalia à te extorquere non potuerunt, animam, quæ est pretiosior, conantur perimere? Ita ne etiam fidei aduersarijs præbes triumphi materiam? Quanto consultiùs fecisses, si ad eos, quos facit Deus habitare vnius moris in domo, cum quibus & tu aliquando dulces capiebas cibos, & ambulabas cum consensu in domo Dei, declinasses. Non in tot, tantosque incidisses laqueos diaboli, à quo iam captiuus teneris, ad ipsius voluntatem. Nec erat cur à fratribus tuis metueres te vel in cisternam inclusum, vel Ismaelitis venditum iri. Ab amantibus enim ista non sunt timenda. Sed prout ducebaris à carne, & sanguine ire voluisti, nullâ habitâ ratione Dei, nullâ salutis tuæ, nullâ edificationis proximorum, de quibus mandauit Deus vnicuique, nullâ demum fra-

fraternæ consolationis, & erga Societatem, quæ, vt bona mater, te aluit, te instituit, te sacrauit, gratitudinis. Obsecro te, per misericordiam Dei, cuius famulatum deseruisti, obsecro te, inquam, considera diligenter, & in conspectu Domini, ac Creatoris nostri attentâ cogitatione dispicias, quæ sequuntur. Quod omnium caput est, grauissimè offendisti Deum, & Patrem Domini nostri IESV Christi, cui fidem non seruasti. Et quæ pœna huiusmodi homines manet? Audi Apostolum dicentem Hebræorum decimo: Irritam quis faciens legem Moysi, sine vllâ miseratione, duobus vel tribus testibus, moritur: quantò magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit? Scandalizasti multos. Quid tum? Audi Christum dicentem Matthæi decimooctauo. Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Præcipitasti te, & sanguinis Christi efficaciam sacrilegè, quantùm in te est, mutilasti, dicente Christo Lucæ nono: Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei. Dices, longum erat, graue erat: non poteram tam immania, tam diuturna portare. Væ ijs, qui sustinentiam perdiderunt, dicit Scriptura: & tu putas huiusmodi caluis rationibus te excusationem habiturum de peccato? Fucum facere poteris cæcutientibus, sed Deus non irridetur: cùm acceperit tempus, ipse iustitias iudicabit: &, si iustus vix saluabitur; quid respondebis petenti rationem villicationis tuæ? Benè currebas: quis te non solùm impediuit, sed de medio cursu reuocauit? Pondus, & pondus: onus, & onus respondebis mihi. Et nunquid decet sub spinoso capite membrum delicatum viuere? Delicatus es, si vis & hîc cum seculo gaudere, & postea regnare cum Christo. Et certè necdum à Iudæis quinquies quadragenas vnâ minus accepisti: nec dum nocte, ac die in profundo maris fuisti: necdum plus omnibus laborasti: postremò necdum vsque ad sanguinem restitisti, & de laboribus conquereris? Næ tu delicatus es miles: & quomodo coronaberis nisi legitimè certaueris? Quomodo denarium diurnum accipies, nisi vsque ad vesperam in vineâ Christi, tanquam operarius inconfusibilis, laboraueris, & sudaueris? Verùm te certare velle, & laborare dices in vnieâ Christi, non in Societate. Sed audi tu me vnum verbum. Nonne pacto conuenisti cum Domino, vt laborares in istâ parte vineæ, non in aliâ? Vinea hæc Domini est: ipse conducit operarios: ipse vnicuique assignat partem, & stationem. Si quis eam deserat, vt ad aliam transeat; ordinem Domini perturbat: & tantùm abest vt mercedem accipiat; vt pro mercede punitionem sit consequuturus: non quia non laborauit; sed quia non laborauit iuxtà voluntatem Domini. Ait enim Matthæi septimo. Qui facit voluntatem (non suam, sed) Patris mei, qui in cœlis est; ipse intrabit in regnum cœlorum. Alioqui audi petram illam, super quam fundata est à Christo Ecclesia, Actorum quinto: Anania cur tentauit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto, & fraudare de pretio agri? Non ne manens tibi manebat, & venundatum in tuâ erat potestate? Quare posuisti in corde tuo hanc rem? Non es mentitus hominibus, sed Deo. Quicquid feceris, extra desertam à te fraternitatem, quantumuis bonum, quantumuis honestum, quantumuis sanctum; non ad iustitiam, sed ad iniquitatem tibi reputabitur: oratio ipsa fiet tibi in peccatum. Quomodo enim opera tua placere Deo poterunt, si persona non placeat. Respicit Deus prius ad Abel, deindè ad munera eius: nam Deus intuetur cor, & ex conditione cordis iudicat externa, ait Diuus Bernardus: contrario modo ac homines faciunt cor ex verbis coniectantes. Quî autem fieri potest, vt tu placeas Deo; si Deo fidem fregisti: si ab eius vocatione te subtraxisti, ipso vel inuito, imò & repugnante? Conscientiam tuam appello. Ergo in damnatione es. Quid hinc conficitur? Absolui non potes, absoluere non potes, sacrificare non potes, concionari non potes, conuersari non potes, quin abyssus abyssum inuocet peccatorum. Nolo enim te ignorare mysterium hoc: quòd, præter peccatum tuum, pœnâ excommunicationis illaqueatus es,

97 Quot mala cõtrahant.

98 Excusationes in peccatis.

Digitized by Google

Satanæ traditus es: hoc non ignoras, si memoriâ tenes. Quid igitur mihi faciendum erit, fortè interrogabis? Consilium tibi non denegabo. Furtum commisisti nullâ auri magnitudine compensandum. Si vis, vt tibi dimittatur peccatum; restitue malè ablatum, ideſt te ipsum. Reuertere vndè discessisti, & fiant nouissima tua meliora prioribus. Quanto te amore, ac studio semper sim prosequutus conscium tuum pectus non ignorat: eamdem caritatem, & nunc senties tibi esse paratam. Quid facis in sæculo, qui maior es mundo? Reuertere, reuertere ad pusillum gregem. Occultum est delictum tuum: non dum factum notum multis: facilè ista ruina implebitur; nullo te odio prosequimur, sed potius amamus; & quia amamus, vicem tuam dolemus; considerantes nos ipsos, ne & nos tentemur. Te quærimus, non tua; animæ tuæ salutem sitimus, non tuarum rerum cupiditate tenemur. Quid ergo moraris in mari magno, qui potes esse in ponte? Scimus legem Christi esse, vt alter alterius onera portemus. In spiritu lenitatis tecum agemus, memores erimus benignitatis, & mansuetudinis Christi, & Apostolorum eius Petri, & Pauli. Egredere de domo Patris tui, & de cognatione tuâ, si vis, vt concupiscat Rex decórem tuum. Omnis mora periculorum plena est, & inimici hominis domestici eius. Nec te terreat magnitudo laborum. Audi Apostolum dicentem; Momentaneum esse, & leue quicquid tribulationis patimur in præsenti; quod tamen supramodum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis. Vide igitur quàm non sint condignæ ad gloriam illam passiones nostræ. Quod est tribulationis nostræ, momentaneum est, & leue: quod gloriæ, æternum est, & pondus etiam supramodum in sublimitate. Quid in incertum tibi dies, & annos numeras? Transit hora, transit, & pœna: nec accedunt sibi, sed cedunt potius, & succedunt. Noli ergo timere, magis autem redi ad seruitutem Dei, indutus animositate regiâ ad imitandum illum, qui propter te humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Alioqui audi Spiritum sanctum Apocalipsis secundo: Habeo aduersùm te pauca; quòd caritatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaque vndè excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac: sin autem veniam tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris: quam, si Deo adiuuante, impleueris redeundo; gaudium erit magnum super peccatore pœnitentiam agente, non solùm coram Angelis Dei, sed etiam coram fratribus tuis; nec deerunt patres, qui filium prodigum redeuntem suscipiant, & complectantur. Benè valeas. Viennæ, die tertiâ Aprilis Millesimo quingentesimo sexagesimo nono. Rationum id robur, commonitionis hæc caritas, & viri grauissimi auctoritas, quàm parùm apud obduratum iam pectus, & in vltimum præcipitans exitium valuerit, res ostendit. Impudens transfuga, post desertam Societatem, religionis quoque Catholicæ infamis proditor, Viennæ propalàm è loco superiore cum populo cæpit agere, Dei Ecclesiam, itemque Societatem proscindens maledictis, maximo popularium Hæreticorum gaudio, eorumque fauore, qui de Senatu erant. Tandemque homo & votorum sanctitate religiosorum adstrictus, & sacerdotali castimoniæ deuotus, tremendo Dei iudicio, penitus in suarum cupiditatum potestatem traditus, incestas nuptias celebrare sustinuit; infamiâ, & turpitudine, contra sapientiam, & sanctimoniam pugnans. Sed adeo exitiosam, exultantemque impudentiam diu diuina mansuetudo non tulit. Pestilentiâ paulò post ipse, & quam duxerat meretricula, infelicem animam euomuere; quanquàm fuit rumor, ipsum tandem morti proximum edidisse signa pœnitentiæ. Quicquid sit, Dei quidem infinita est pietas, sed iustitia quoque formidanda. Hoc iterum anno Magius Prouincialis Poloniam visit, tum cæpta confirmaturus Collegia, tum Vilnense constituturus. Est Vilna caput, ac metropolis totius magni Ducatus Lituaniæ. Magnus enim dicitur ille Dux, quòd & minores habet sub se Duces: & regio eâ amplitudine patet; vt facilè Italiam superare dicatur: quanquàm magnam partem occupant syluæ, paludes, & stagna. Vndè fit, vt hyeme magis, cùm concreta gelu etiam fluminum sola sustinent plaustra, quàm per æstatem commer-

99 Ad redeundum incitamenta.

100 Adami Helleri acerbus exitus

101 Magius Poloniam iterum visit.

102 Lituania Italiâ amplitudine superat.

Digitized by Google

mercijs pateat. Vilna ſita eſt in opportunâ planicie, neque inamæna: duobus alluitur fluminibus: alteri Vilna eſt nomen, vndè cognominis vrbs: alteri Vilia, idque maius, in quod & Vilna influit. Annona, niſi inſignis calamitas, qualis hoc anno graſſata eſt, incidat; eſt ibi viliſſima. Vrbs porrò, quamquàm tectorum pleraque ex materiâ, vt alibi per eas oras, imprimis ampla, & nobilis: ad hæc frequens, non Lituanis modò, ſed Polonis, Germanis, Italis, Ruthenis, Tartaris, & gentibus alijs: eoque multarum inibi vſus linguarum eſt. Status religionis deterrimo erat loco. Ciuitas catholica cenſebatur, vt aliæ fermè regiæ: magnam tamen partem, ac templorum multò maiorem occupabant Rutheni. Quod nomen, cùm propriè Roxolanorum, ſeu Ruſſorum nationi conueniat, quæ Ruſſiam, ſiue rubram, ſiue albam (ſunt enim duæ, eæque permagnæ prouinciæ) incolit; tamen iam & ſectæ factum eſt proprium: Ruthenoſque per ea loca nominant, qui Græcorum ſequuntur ſiue ſchiſma, ſiue hæreſim, cuiuſcunque nationis ſint. Ad hæc, præter Iudæos, præterque Tartaros Mahometanos, multi multarum ſectarum hæretici erant: qui tamen extra Zuuiglianam ſynagogam opibus Palatini recèns demortui exædificatam, nullam dum potuerant inuadere ſacram ædem, nec publicam ſibi ſuperſtitionum ſuarum condere officinam. Porrò fructus ex Collegio vberrimus ſperabatur: præſertim in tenerâ ætate inſtituendâ: eò præſertim, quòd nec Rutheni, neque alij Sectarij ludimagiſtrum, ſiue concionatorem habebant vllius nominis: Populus autem, vt ferè in vniuerſo Poloniæ Regno, ſuapte ſponte propenſus ad religionem, ac ſimplex. Valerianus Vilnenſis Antiſtes vir optimus iam duobus ante annis, coëmptam loco maximè accommodato è regione Curiæ Epiſcopalis domum affatim inſtruxerat, facilè triginta capacem habitatorum: & vectigal attribuerat, quod annuis victibus alumnorum prope quadraginta ſufficeret. Quæ tamen, quoniam Collegium numeroſum, & Academiam generalem meditabatur; vocabat initia, domuique amplificandæ, ac templo extruendo neceſſaria comparabat: nil metuens vehementius, quàm cùm iam quintum ac ſexageſimum annum ageret, fractiſſimâ valetudine, mors cæptis ne interueniret: tametſi aduersùs ſubitos quoquè caſus diligentiſſimè aiebat teſtamento ſibi eſſe prouiſum, per quod omnia Bransbergenſi Collegio ad condendum Vilnenſe legebat. Prouincialis Auſtriæ Magius, cui Prouinciæ tum contributa Collegia Polonica erant, Staniſlaus Varſeuitius, is, quem anno ab hinc quarto Romæ additum Societati memoratum eſt, vndè nunc auctior pietate, ac literis ad Sarmatas ſuos remittebatur, alijque explendo Vilnenſi Collegio deſtinati, ad tertio Kalendas Iunias Poſnaniam attigerunt. Aberat vrbis Antiſtes Adamus Carnouius ad Cæſarem paulò ante ab Sigiſmundo Auguſto ſuo Rege legatus: tamen ſacros hoſpites hoſpitaliter excipi ſuas in ædes iuſſerat. Quod ita eſt factum Procuratoribus Epiſcopi, & Canonicis, & Ciuitate omni officiorum genere certantibus: vt profiteretur Magius nuſquam ſibi humanitatis amplitudinem repertam tantam; quantam in Poloniâ, vel in ijs, qui ſe ab Eccleſiâ ſegregarant, homo alienigena, Papiſta, Ieſuita quotidie experiretur. Nam & à Poſnanienſi Palatino, Hæreticorum propugnatore alioqui acerrimo inuitatus eſt, acceptuſque in eius ſuburbano tum ſplendidè, tum imprimis modeſtè, atque beneuolè, vt diceret Magius: ſi tantum vir ille caſtæ religionis haberet, quantum humanitatis à naturâ, & vrbanitatis acceperat; dignum profectò fore, in quo omnes amando, colendoque certarent. Nec prætermiſit ipſe occaſionem ingerendæ diuinæ lucis, qui exemplo Chriſti Domini propterea inuitationem non repudiarat, vt meliores interim dapes conuiuatori ſuggereret: ſed grauioris operæ, & prolixioris negotij res erat. Ita nihil vltra proceſſum, quàm, vt amicitiæ ſemina iacerentur. Porrò Ciuitas nihil auebat ardentiùs, quàm, quandoquidem eam nacta Ieſuitarum copiam erat; apud ſe in perpetuum retinere: nihil non moliens, vt Collegium ſtatim excitaretur. Quoniam autem in præſens retinere non poterat; ex Senatus conſulto decreuit vniuerſis copioſum viaticum, perque honeſtos viros, nomine totius Senatus, cum præfatione perho-

103 Vilnæ ſitus.

104 Fecunditas, ac frequentia.

105 Status Religionis.

106 Ruſſia duplex.

107 Rutheni qui dicuntur.

108 Valeriani Epiſcopi cura de Collegio Vilnenſi inſtituendo.

109 Staniſlaus Varſeuitius in Poloniam remittitur.

110 Poſnaniēſium in Magium, ac ſocios humanitas.

111 Præſertim Palatini Poſnanienſis.

Digitized by Google

112 Magius Senatus viaticum recusat.

norificâ delatum est. Sed cùm accipiendam gratè voluntatem, remittendam pecuniam Magius censuisset; amantissimi Ciues vltro speculantes viatorum commoditates, si quid deesse subolfacerent; id diligenter vel ignorantibus subministrabant, vel etiam repugnantibus obtrudebant, certatim & sua plebe quoquè munuscula deferente: quæ (quia nihil præterea accipiebatur) quam optimo pane illorum currus impleuit. Nec potuit denegari communi auiditati, quin verbi Diuini panem Pater Stanislaus Varseuitius de suggestu porrigeret. Itaque frequentissimæ, secundissimæque concioni in Curiâ Sanctæ Mariæ Magdalenæ cæleste epulum dedit. Digressi Posnaniâ, Pultouiam venerunt.

113 Varsauiam adit ad Regem.

Hîc Socijs relictis, Varsauiam, vbi tum Regni comitia habebantur, Magius cum Proprouinciali Francisco Sunerio, & Varseuitio Pontificis Internuntij Vincentij Portici accitu, excurrit. Ibi quoquè magnâ humanitate excepti: & Magio iam noto Rex in omnes vsus patrocinium detulit: eiusdemque iussu coram eo, & Senatu, & cunctis Episcopis Varseuitius haud sine approbatione est concionatus. Ante omnes lætata Reginula est. Ita vocabant sororem Regis, nomine Annam, pietatis mæmorandæ virginem. Attulerat ei ab summo Pontifice Varseuitius literas, per quas hortabatur, vt sororis suæ virum Sueciæ Regem Ioannem ad Ecclesiam reuocandum susciperet. Inter Episcopos contendit vehementer Presmilienſis Valentinus Herbortus, vt Collegium in Russiâ primo quoque tempore conderetur: quod nihilò minore studio iampridem Sophia & genere matrona, & pietate clarissima perurgebat. Itaque simul ac Pultouiam Magius redijt, Patrem Iacobum Vuiecum Vangrouicium cum cetera exploraturum misit, tum propriè dispecturum, Leopoli, an Presmiliæ condi præstaret. Ipse, cum suo manipulo non mediocriter assumptis è Pultouiensi Collegio Socijs aucto, Vilnam, cùm Episcopus longiorem ferre expectationem non posset, protinus iter intendit. Deoque propitio, & bono eius Angelo duce, tandem cuncti sospites, tametsi indè humus vbique fœno substrato pro cubili fuerat, ad finem peregrinationis longissimæ peruenerunt, milliaria ab Austriæ Viennâ permensi Germanica, quorum singulis quina Italica continentur, centum sexaginta: longius interuallum, quàm Viennâ Romam: vndè nonnisi quadraginta supra centum numerantur. Accelerato per noctem itinere, quæ id loci, ac tempor's paulò longior ex quinque horis, matutino vrbem intrarunt: ne cum officiosissimi Antistitis altercandum benignitate foret, qui magnificum occursum equitum, & alia honestando ingressui compararat. Cuius vt in conspectu religiosa cohors venit (& pontificali fulgens amictu, aureâ circum collum fluente torque, circumstante Canonicorum, & virorum nobilium præclarâ coronâ, compositus ad maiestatem in sellâ constiterat) incredibilis gratulatio, atque vberes fuerunt lachrymæ. Magius ornandam etiam verbis magnificam eius pietatem, & Societatis in eum obseruantiam ratus, venerando illo, planeque probo suo ore, vt vel spectaculo eminentis modestiæ, & grauitatis, omnium ad se oculos, & amores raperet, talem habuit orationem. Tandem aliquando, Reuerendissime Præsul, homines expectatissimi tibi, & cupidissimi tui diuino beneficio adsunt. Ambigebam ego, vndè nam hæc verba ordirer: & cogitabam excusare principiò aduentus nostri tarditatem, vt statim (quod præcipiunt Rhetores) quicquid primam huius congressus minuere posset gratiam, amolirer. Sed, vt primùm frui tuo conspectu datum est; tua singularis humanitas, & summa benignitas, quam vultus optimi & pollicentur, & exhibent, persuasit nihil esse salutationis officio præuertendum. Ante omnia igitur Præpositi nostri Generalis, & cunctæ Societatis, & nostro, qui præsto sumus, nomine, plurimam tibi studio tanto, quantum maximum humanus capere potest animus, salutem dicimus: omniaque fausta, felicia, diuturna: &, post hanc vitam, beatam æternitatem precamur ab eo, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum descendit: simulque tibi omnem operam, cunctosque labores nostros dedicamus, & tradimus: satis gnari vicissim in te, disciplinæ nostræ defensorem acerrimum, & conseruatorem studiosissimum, fore. Societas quidem

114 Stanislaus Varseuitius cũ laude cõcionatur

115 Agitur de Collegio in Russia condendo.

116 Magius Vilnam Collegium deducit.

117 Verba eius ad Valerianũ Episcopum Vilnẽsem.

Digitized by Google

dem noſtra, vt ſanctis morem gereret votis tuis, nullâ importunitate temporis, nullo Collegiorum incommodo, hunc, quem in conſpectu iam, & iure tuo habes manipulum, per iniurias cœli, per viarum erumnas, per incerta caſuum ad id vſque terrarum miſit. Miſit autem libentiſſimè geminâ de causâ. Primùm, quòd curas omnes, atque cogitationes tuas in eâ religione ſuſtentandâ, atque reſtituendâ defixas eſſe cognorat, in qua tuendâ, atque inſtaurandâ cunctis ipſa quoquè ſuis viribus elaborat. Deinde quòd tuorum experta, quibus præoccupata eſt magnitudinem meritorum, cùm partem aſſequi nullam referendæ gratiâ poſſet; hâc ſaltem ſignificatione profiteri ſe non ingratam curauit. Nos verò gratias immortales clementiſſimo Duci, Deoque agimus, qui nos tandem per quicquid moleſtiarum, atque diſcriminum fuit, incolumes huc perduxit, vt te, quem abſentem obſeruabamus, contemplari, ac venerari præſentem, atque excelſum iſtum, cunctiſque virtutibus exaggeratum animum coram admirari poſſimus. Tibi deinde, Eccleſiæque tuæ Vilnenſi gratulamur omnes ex animo, quòd pietatis, ardoriſque erga diuinum cultum in tuum pectus ſumma bonitas tantum effudit; vt ſingularis quædam longè, latèque per exteras quoquè gentes excitata opinio ſit Apoſtolicæ ſolicitudinis tuæ: & in ſpem vbique boni omnes erecti ſore, vt catholica ſacroſancta religio, per homines neſcio quos nouitios, & adoleſcentulos labefactata, breui per ſapientiam, & grauitatem tuam in ſtatum priſtinum reponatur. Quod profectò, ne vel grauior ætas, vel inclinata impediat tua valetudo, magnanimè pater, vereri non debes. Aderit enim ſenectuti Dauidis fouendæ virgo Sunamitis: aderit ea virtus è cœlo, quæ vltra maternos annos prouectæ Saræ non modò prolem, ſed & eiuſmodi dedit, per quam ad vniuerſitatem gentium felicitas, ac benedictio permanaret. Deus noſter bonus eſt, potens eſt: nunquam abeſt ijs, qui pro ipſo laborant in remigando. Si non adſit in primâ vigiliâ, ſi ceſſet in alterâ, ſi ne in tertiâ quidem appareat; at certè adeſt in quartâ: increpitoque vento, ac mari, & factâ tranquillitate magnâ, perſeuerantes deducit in portum voluntatis eorum. Ad extremum reliquum eſt, Præſul optime, vt & muneribus, quæ de longinquâ regione adueximus, præſtantiam tuam, pro noſtrâ tenuitate honoremus. Alia præbebunt alij. A nobis quantulacunque ſunt, accipe nos ipſos, & noſtra nobiſcum omnia. Accipe, qui te clementiſſimum nobis Dominum, & indulgentiſſimum patrem exhibes, obſequentiſsimos ſeruos, & obſeruantiſsimos filios. Vnum eſt, quod vereri nobis conuenit, ne eueniat tibi, quod olim Dauidem quærentibus, qui pro homine ſtatuam inuenerunt. Digna quidem vota Saulis fuerunt, propter immanitatem, quæ fruſtrarentur: & digna tua ſunt, propter caritatem, quæ ſuperentur. Nam, quemadmodum decuit innocentem hominem ad exitium quærenti, ſimulacrum offerri; ſic æquum eſſet tibi, tot animarum ſpectanti ſalutem, vel ſtatuas animari. Sed id quoquè merito tuo, precatuque, præſtabit ſpero is, qui potens eſt de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ. Iam ad tarditatem excuſandam obſequij noſtri, inexſuperabilia occupationum impedimenta commemoranda eſſent. Verùm præſtat ſimpliciter profiteri, ſi quid in eâ re peccatum eſt, iam nos abundè pœnarum dediſſe, quibus optatiſsimâ tuâ præſentiâ interim, magno noſtro dolore, carendum fuit: & nunc denique conniſuros, vt quicquid ceſſatum eſt in itinere, compenſetur in opere. Talia diſſerente Magno, venerabilis ſenex graui ſuauitate vultus, & decoris lacrymis approbabat. Et vbi ille conticuit, haud item ſine lacrymis reſpondit, gratias agens Deo, qui iam ſe proximè finem votorum ſuorum perduxiſſet: ſæpiuſque confirmans, nunc demum ſperare ſe gregi ſuo benè conſultum fore, nunc vineam Vilnenſem, ſitu ſquallidam, vepribus horrentem, & ab ſylueſtri apro deuaſtatam redintegrandam, & in eam ſpeciem excultum iri, vt nulli pulcherrimarum cederet. Tum paternâ indulgentiâ cunctos prandio excepit, eorum ſe ſpectaculo paſcens: ſacram illam coronam, quaſi filios, quaſique nouellas oliuarum in circuitu menſæ ſuæ contemplans, breui fructiferas in domo Domini futuras oliuas. Sexto poſt die, cùm in Collegium magno, & honeſtiſsimo comitatu

118 Munuſcula Epiſcopo obla. ta beneuolentiæ ergo.

119 Epiſcopi pia benignitas.

120 In Collegium perhonorificè recipitur.

Digitized by Google

tatu veniſſet, poſt decantatum in ſacello de Sanctiſſimâ Trinitate ſacrum, ſalutatus eſt primùm oratione latinâ, tum hebraicâ, dein latino carmine, itemque hebraico, poſtremò græcâ oratione. Sub eâ in ſtudiorum laudem, ad excitandam iuuentutem, declamatum. Quæ, cùm ipſi collegæ omnia præſtitiſſent; poſtea quinque nobiles pueri ſuum quiſque breue carmen ex ordine addiderunt. Indè per diœceſim literis miſſis, quibus, & conſtitutum Collegium, & ad proxima Sancti Staniſlai ſolennia ſcholarum (nam tantùm pueri quidam nobiles, aut Epiſcopi propinqui ad id loci recepti erant in diſciplinam) exordia denuntiabat; Sacrum Diuo Alexio diem quintumdecimum ante Kalendas Sextiles haberi natalem Collegij, & anniuerſarium obſeruari voluit: quòd eo die ab Lucouienſi olim Epiſcopatu ad Vilnenſem ipſe feciſſet gradum. Primus regendo Collegio præfectus eſt Varſeuitius: cui, cùm egregia contigiſſet apud omnes fama virtutum; minor tamen vero contigerat. Idem in Sancti Ioannis curiâ conciones habebat. Magius, rebus aptè compoſitis, cùm inter cetera Vilnæ etiam ſingulis diebus ſacris ad Italos inquilinos verba feciſſet; extremo Auguſto in Pruſſiam iter intendit in curru, quem donarat pro poteſtate Epiſcopus, addito & viatico, & qui ad Lituaniæ fines Auguſtam vſque omni humanitate deduxit. Prouinciali digreſſo Vilnenſes Collegæ totos ſe ad exornanda ſtudiorum initia, quoniam religionis in eo agebatur dignitas, contulerunt. Namque Hæretici, vt ſunt glorioſa animalia, & meretriciæ frontis, ante ſolebant Catholicos fatigare, paſſim iniectis quæſtiunculis, & quaſſare, iactantes ſe intoleranter ſimplici populo, & inſultantes. Porrò inter eorum Sophiſtas fatebantur omnes apud Andream Volanum, qui Palatino Vilnenſi erat à ſecretis, Caluinianæ inſipientiæ rudem eſſe. Is adiuncto ſibi Andrea Triceſio, & aulicorum globo de eodem grege Caluini, cum Lutheranorum etiam concurſu tentandam ſibi Ieſuitarum facultatem putauit: & ad Collegium profectus, de ſacramento Euchariſtiæ quid Patres ſentirent, interrogauit. Qui, cùm ſententiam catholicam ita explicaſſent, probaſſentque maximè auctoritate Sancti Ambroſij, & Auguſtini, quibus ſe ſtare hæreticus aiebat, vt nemo diſſentire, niſi obſtinatâ pertinaciâ poſſet; tamen nihil commutatus diſceſſit. Tum Patres ante omnia infringendos Hæreticorum illos ſpiritus, comprimendamque plebis laceſſendæ procaciam rati, de cunctâ Philoſophiâ theſes, atque ex Theologiâ nominatim de verâ corporis, & ſanguinis Chriſti in Sacramento Euchariſtiæ præſentiâ, deque communione ſub vnâ ſpecie, ſuſtinendas propoſuerunt. Quæ, cùm ad valuas templorum ſeptem dies pependiſſent, ad diſputationem ventum eſt. Ioannes Haius Scotus Rhetoricæ deſignatus magiſter propugnabat, Præſidibus Varſeuitio, & Balthaſſare Hoſtonino. Ingens ad audiendum etiam Hæreticorum numerus conuénit: at ex his, quanquam ſemel, atque iterum, ac tertiò inuitatis, nemo vnus toto triduo, quo diſputatum eſt, conſerere manum voluit. Ita res inter Catholicos geſta, & Hæreticorum argumenta ſeriò tractata, & magnificè refutata ſunt. Haud facilè dictu eſt, quantum illæ diſputationes, aliæque ſubinde pari felicitate, & eâdem Hæreticorum fugâ editæ, Catholicorum & animos confirmarint, & vultus: itemque aduerſariorum temeritatem frenarint. Deerat ad cumulanda vota Epiſcopi, & Collegij perficienda fundamenta templum. Nam nec proximi Sancti Ioannis vſum niſi malignè concedebat ei præpoſitus Petrus Ruitius: & ad nouum condendum nec ſitus coëmptus reperiebatur idoneus, & Epiſcopus incipiebat deſperare impenſis ſe ſuffecturum. Hæc reputans, ſimulque illud Varſeuitius quàm nihil ſolidè effici ad populi excitandam, alendamque pietatem ſine templo poſſet; ad Diuinum conſilium, & auxilium ſtudioſè confugit: impensèque oranti ſuccurrit, ſi peteretur à Rege ipſum Sancti Ioannis templum, omninò impetrandum. Quòque magis rem animo agitabat; eò certiorem ſpem capiebat. Probauit conſilium Epiſcopus: Rex quoquè, præter multorum opinionem, probauit: confirmauit Pontifex: confirmauit & Deus. Nam Ruitius, qui nullâ conditione, quoad viueret, conſenſurum ſe demonſtrarat; paucis diebus poſt perlatum à Rege beneficium

121 Stanislaus Varſeuitius Collegij Vilnéſis primus Rector.

122 Andreas Volanus Vilnenſe Collegium tentat.

123 Contra Hæreticos de Euchariſtia diſputatum à Socijs.

124 Templum Sancti Ioannis Collegio addicitur ſingulari Dei prouidentia.

Digitized by Google

ſcium eſt mortuus. Inter hæc Magius, cùm poſtridie natalis Deiparæ Bransbergam veniſſet, cum omnes recreauit fauſta narrans nouelleti Vilnenſis exordia, tum eſt ipſe viciſſim mirificè recreatus conſpectu matureſcentium frugum, quas Bransbergenſis adulta iam, ac robuſta vinea procreabat: ita ſacra in templo feruebant opera: ita gymnaſium florebat: eas Conuictorum nobilium contubernium, eas Clericorum Seminarium ſpes oſtendebant. Nouum Collegio Rectorem Patrem Philippum Vidmanſtadium doctrinâ virum, & religione maximis parem impoſuit. Et Tyrocinium in ſecretâ domus parte, vndè poſtea magnæ in Prouinciam omnem vtilitates profectæ, conſtituit. Elbingam item, & Gedanum excurrit. Hîc nobilem Ciuitatem miratus æquè, & commiſeratus eſt. Quippe omnia tenebat, & planè dominabatur impietas. In Catholicorum reliquijs mirus inerat ardor Collegij. Sed gemere, & vota facere licebat, aliquid moliendi facultas longè aberat ſub dominatu Lutheri. Elbingæ res meliore loco, & Catholicos ad Chriſtum confitendum audentiores reperit: eoque etiam ferociùs inſanæ factionis incentorem Sebaſtianum in Ieſuitas totis lateribus, & gladiatoriâ firmitate vlulantem, diriſque deuouentem, quicunque ad eos, hoc eſt ad Eccleſiam accederent. In ſingulas conciones quinas exigebat marcas: tanti populo ſempiternum exitium vendebat: vtque tantò ſæpiùs, ac quæſtuoſiùs Chriſtum auariſſimus latro, nouuſque Iudas venderet; quater in hebdomadâ præconium iterabat. Magius ex Pruſſiâ tranſgreſſus in Maſouiam, dum Pultouienſis Collegij res componit; literas accepit, per quas, & à Preſmilienſi Epiſcopo ad Collegium Preſmiliæ ſtatuendum (illam enim ſedem omnes præoptabant) aduocabatur, & à Poſnanienſi Varſauiam accerſebatur. Huc raptim profectus, de Collegio Poſnanienſi conuénit, tabulaſque confecit: & iuuit cauſam templi Vilnenſis, quam diximus, quæ commodùm eo temporis momento apud Regem agebatur. Ad tranſigendum de Collegio Preſmilienſi, quoniam ipſe properabat in Auſtriam anno cadente, Proprouincialem Sunerium miſit.

125 Bransbergēſis Collegij ſtatus optimus.

126 Pater Philippus Vidmâſtadius Collegio præficitur.

127 Gedani, & Elbingæ quo loco Religio.

128 PoſnaniēſeCollegium recipitur.

Hoc Borealium Prouinciarum ſtatu, in Hiſpaniâ Collegium Carauacenſe duodecim incolis, & ſcholis inſtructum eſt. In maioris quoquè Balearis Collegio, Prorege, ac præcipuâ nobilitate, quorum votis, ac precibus Prouincialis Cordeſius tres magiſtros duxerat, primordia honorantibus, doceri cæptum feliciter, & ſubinde conflata Deiparæ Sodalitas, & templi iacta fundamenta. Granatæ Theologia inchoata. At Segouiæ, quia Ciuium quidam plurimùm auctoritate pollentes non ſinebant comparari neceſſariam gymnaſio domum, & præceptorem publicè conduxerant, quo oſtenderent alijs ſibi doctoribus opus non eſſe, ſcholæ ſublatæ ſunt: ne collata in inuitos beneficia pro maleficijs, & obſequia pro contentionibus haberentur. Academia Salmaticenſis Collegium Societatis in ſuum corpus, velut membrum, cooptauit, additâ exceptione, ne quid contra inſtituta Ordinis committeretur. Huetæ, atque Oropeſæ in Toletanâ prouinciâ nouis Collegijs initium factum. In Conchenſi diœceſi non ignobile oppidum Hueta eſt. Iam indè ab anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo primo Doctoris Ioannis Ramirij non dum in Societatem allecti, apoſtolicis excitata laboribus, contubernium apud ſe noſtrorum hominum expetierat, per quos perpetuò exercerentur, quæ tractare ipſum in tempus videbat. Quam cupiditatem quidam è Clero, qui, Ramirij eiuſdem ſuaſu, Complutum ad exercitationes ſpirituales adierant, in Patriam regreſſi, multò acriùs, ac latiùs incenderunt: ſed defuit optatis potiundi facultas, donec eam ſapientiâ, ac bonitate ſuâ Deus ita ſubminiſtrauit. Anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo nono Petrus Ortitius iuuenis Huetenſis dum Compluti ſtudet, aggregatur Societati: in quo Patruus Stephanus Ortitius honoratus imprimis, ac locuples Saacrdos omnem poſteritatis ſpem repoſuerat. Is, vbi tàm diuerſam conſilijs ſuis initam à Petro viam cognouit; vehementer dolens, miſſo fideli nuntio, nihil omiſit, quo reuocare ad ſe iuuenem poſſet: etiam atque etiam admonitum, ſeu clericalem militiam, ſeu popularem rationem malle; facturum

129 Res Hiſpaniæ.

130 Segouiæ ſcholæ ſublatæ.

131 Huetæ Collegiū inchoatur.

132 Petri Ortitij tyronis firmitas.

ſe, vt

se, vt nec opima sacerdotia, nec patrimonium abundans desideraret. Quæ omnia, cùm tyro Christi, qui maiores in opprobrio Crucis honores, atque diuitias deguſtarat, constanter repudiasset; Stephanus dum crudus fuit dolor, iram aduersùs nos aluit: sed paulatim, diuinâ permulcente gratiâ, & sacerdotibus ijs, qui Societatem optabant, opportunè subijcientibus, quantò satiùs foret, quam destinarat filio fratris pecuniam, ignarus quo tandem modo absumendam, in Collegium conferre, vndè ipse, & cognati, & Ciuitas decus, & commodum sempiternum caperent: rediturum enim ad ipsum in omnem posteritatem quicquid indè proficeretur; probato salutari consilio, accersitoque rursus Ioanne Ramirio, cum aliquot Socijs, sæculi anno sexagesimo tertio, eorum consuetudine, & industriâ, cum Stephanus ipse, tum Ciuitas vniuersa profecit plurimùm. Tandem biennio post receptum à Borgiâ Collegium, & rebus paulatim explicatis, hoc demum anno senescente, missi sunt incolæ, Petri Seuillani ductu primi Rectoris. Vnica schola instituta est, in qua pueri elementarijs literis imbuerentur: quæ postea, rogatu Ciuitatis, atque collatu in sumptus, in tres commutata est grammaticæ classes, magno oppidanæ iuuentutis, & circumpositæ bono.

133 Oropesæ Collegiũ instituitur.

Iam pridem Ferdinandus quoquè Aluarus Toletus Oropesæ Comes, vt Collegium suæ ditioni impetraret acriter decertabat. Amabat enim hunc Ordinem impensissimè, & popularium suorum nihilò minùs studebat saluti. Ad hæc Franciscus Toletus eius frater iam indè ex eo tempore, quo cum Carolo Quinto in Germaniâ fuerat, ex multis super eâ re disputationibus auditis, omninò apud animum suum statuerat, adolescentium Seminaria, vndè docti, pijque Ecclesiæ ministri proferrentur, præsentissimum esse remedium, siue curandis, seu certè leuandis laborantis seculi morbis. Ergo cùm Oropesæ, id genus alimentarios congregare ipse vellet adolescentes, Collegium, per quod institueretur, dudum exoptans, cùm ad ordinanda exordia, tres Socios aliquot ante annis impetrasset, vbi Prorex in Peruuiam abijt, ita enixè postulauit, orauitque; vt quanquam in proximo generali conuentu reiectum negotium erat, iam nouæ locum repulsæ nullum reliquerit. Quare missis hoc anno Collegis, ludoque aperto, amantissimi, ac religiosissimi Proceres, ingenti cum

134 Patris Francisci Cõsaluij virtutes, ac mors.

populi gratulatione, voti compotes facti sunt. Decimo septimo Kalendas Aprilis Franciscus Consaluius ex oppido Alesone Episcopatus Calagurritani oriundus, post exactos septemdecim religioso in cultu annos, & quinque postremos, in cruciatibus ex pectoris dolore grauissimis, tandem Compluti desijt viuere. Ex Tyrocinio missus in Lusitaniam, cùm Grammaticam, magno discentium ad mores, literasque bono, doceret, læsâ valetudine reuocatus Complutum est, nec tamen valetudini melius factum. Doctus erat latinè, grecè, hebraicè, humanasque, & diuinas disciplinas optimè tenebat, sed eminebant coelestium dona virtutum.

135 Consilium atque prudentia

Super cetera donum consilij, prudentiæque Sanctorum vulgò ferebatur illi inesse: vsque eò, vt Rector Complutensis, & Toletanus Prouincialis Franciſci Consaluij grabatum sibi pro quodam oraculo esse, præcipuâque eius ope Prouinciam se, & Collegium regere confirmarent. Nec minor inerat vis siue de more domesticos exhortanti, siue priuatos conferenti

136 Verborũ pondus.

sermones. Pauca verba, sed ponderis magni promebat. Quæ dona ex familiari cum Deo communicatione, qua vtebatur assiduè, haud temerè censebatur trahere. Ad Patrem enim luminum accedentes quid consequens est, nisi vt illuminentur, & incalescant? Quantum vis animi ex infirmitate corporis impetrare poterat, nunquam ab opere desistebat: & Tyronibus vsque ad mortem è

137 Religiosæ caritatis studium.

suo conclaui instituendis præfuit. Nullum inter Religiosos vitium oderat peius, quàm quæ caritati fraternæ dictis, factisue aduersarentur. Scommata, & quæ aliacumque, perexigua licet, vndè caritatis sapor hebetaretur, appellabat candentes prunas, quæ exurerent animas. Cuius morbi si quæ vnquam initia in Tyronum quopiam deprehendisset; vindicabat seuerè, & protinus elidere conabatur. Obedientis aiebat esse, quicquid imperetur, totum vbique esse. Sed viri patientia, cuius depromendæ spatium amplissimum habuit, prorsus admira-

Digitized by Google

mirabilis memoratur. Tantam enim, inter acerrimos dolores corporis, hauriebat animo voluptatem, considerans eam esse Dei voluntatem, & ita sibi fieri, quod placitum Deo esset; vt foras interior lætitia emineret, occultarique non posset. Mortis properandæ ea causa fuit. Feriâ quadragesimæ sextâ, qua excitati Lazari historia legitur, sacro inuitante tempore, ad sacrificandum è lecto surrexit. Sacro peracto dum scipionem, cui solebat inniti, inter prehendendum è manibus lapsum colligit, apoplexiâ percussus, paucis post horis expirauit. Prolixiori stadio Bartholomæus Bustamantius, multarum gloriâ palmarum nobilis, finem imposuit, quod & athleta iam clarus erat ingressus. Nam ætate iam maturâ, latinè, græcèque doctus: item Philosophiæ, & Pontificij Iuris, & Theologiæ laureâ donatus, architecturâ quoquè præstans, ad hæc multo seculi limatus vsu, latè que notus ad Societatem accessit: cùmque se ad Franciscum Borgiam (vt primâ horum annalium proditum parte est) contulisset; eum vnicè dilectum sibi comitem Borgia, & à consilijs adsciuit. Arctiùs indè coniunctis caritate animis, cognitisque vicissim, & auctis virtutibus, cùm in rectâ Tyronum institutione penè omnia Franciscus poneret; Septimacense, quod primum Hispaniæ fuit, Tyrocinium condens, Bustamantium ei magistrum præfecit. Indè translatus in Bæticam, non modò eam Prouinciam ipse multos administrauit annos; sed prope fundauit, auxit certè vehementer, ac roborauit. Eandem postea, cùm ex secundo generali conuentu reuersus ex Vrbe esset, itemque Toletanam Visitator lustrauit: donec ætate præcipiti, impetratâ publicorum vacatione munerum, ad euangelizandum se per vrbes, & oppida, quem laborem nunquam inter alias curas omiserat, totum contulit: Collegijs interim, quæ ipse idem inchoarat perficiendis intentus. Ergo, ad Seguritani explicanda exordia, cùm totam hyemem in aspero illo, & perfrigido cœlo, non leui cum valetudinis noxâ exegisset; rebus tandem compositis, Triguerum ineunte Iunio venit, fastigium templo impositurus. Hîc verò fessam annis, ærumnisque fragilitatem humanam, ita labor itineris aggrauauit; vt paucis post aduentum diebus, magnis febribus, & lateris dolore prosterneretur. Non fefellit vigilem seruum Domini appropinquantis aduentus: & Triguerensibus continuò dixit, adesse se, vt vltimum apud eos spiritum exhalaret. Dicebat quoquè peropportunè mortem adire, cùm eâ tempestate, procurationis publicæ oneribus expedito, sine alieno incommodo vacaret mori. Grauissimè iam laborans circumstantes hortabatur, vt de rebus diuinis assiduè, nullo metu creandæ sibi molestiæ, loquerentur. Nam auditionibus ijs nequaquam fatigari se, verùm leuari. Vbi perlatum est Sacrosanctum Viaticum, lecto teneri nequijt: sed, velut iuuentæ vegetus robore (adeo integra vigebat pietas, tantumque ex vitæ præsentiâ virium habuit) impetu exiliens, positis humi genibus, Dominum, & Saluatorem suum, summâ & animi veneratione, & corporis, adoratum excepit. Aliquot ante obitum horis, cùm vsum mentis ad cetera mali vis ademisset; visus est diuinitus ad diuina constantem retinuisse. Ita continenter, aptèque vel Psalmos, vel salutationem Angelicam pronunciabat, pollice dexteræ, salutarique digito, pro multo vsu, ita coniunctis, tanquam globulos rosarij ad numerandas preculas pertractaret. Tertiâ ante meridiem horâ, vndecimo Kalendas Iulias septuagenarius, plenus dierum bonorum decessit. Populus frequens in templum conuenerat, quemadmodum haberet, & num quicquam spei reliquum esset, studio cognoscendi. Qui, vbi ex improuiso Sacerdos cum apparatu funebri sacrificaturus apparuit; intellectâ indè Patris morte, in ploratum, ac lamentationem miserabilem versus est. Magnum, & Sanctum virum, ac suum præcipuâ caritate parentem vulgò amissum querebantur. Haud ferè alius compluribus Hispaniæ, præsertim Bæticæ, populis fuit doloris sensus. Quippe eâ erat virtute, vt, apud quos fuisset, eorum animos Deo, sibi, Societati arctissimè copularet. Optimi vbique exempli, prudentiæ excellentis: animi constantiâ nec laboribus vnquam, nec annis, nec morbis fractâ. Sobrietatem religiosam, & consueta sua ieiunia ad extremum vsque non modò intermisit nunquam;

138 Bartholomæi Bustamantij egregia facta, virtutes, & finis.

139 Primus in Hispania Nouitiorũ magister

140 Secundus Bæticæ Prouinciælis.

141 Visitator eiusdem, ac Toleti.

142 Mortis genus.

143 Sacrum Viaticũ ingẽti pietate excipit.

144 In deliratione morbi nunquã mens à diuinis declinat.

145 Populi existimatio.

Digitized by Google

146 Abstinentia, ac pietas.

quam; sed ne de summo quidem rigore in ciborum delectu quicquam remisit. Preces Sacerdotalis officij, quandocunque facultas suppeditauit, coram Sanctissimo Eucharistiæ sacramento, deque genu semper exegit. Eodem modo ibidem quotidie tres ipsas Rosarij partes in laudem Deiparæ absoluebat. Pecu-

147 Peculiare studium in Eucharistiam.

liari etenim studio ad diuinissimum Eucharistiæ mysterium bonus immensi beneficij, thesaurique existimator afficiebatur: ac Reginæ cœli obsequijs mirè erat addictus: cuius in honorem, quicumque se locus offerret, excitabat homines, & instituebat ad Rosarij obeundas preces, præsertim cùm inter viam

148 Erga Deiparã se atque alios afficit.

in agricolas, aut pastores incidisset. Diu exoptarat formulam precandi nanciſci, qua Virginis ab ipsâmet Virgine obseruantiam postularet: tandemque Sanctum Bonauenturam huiusmodi quadam vsum cùm inueniſſet (Dulcissimè Domine IESV, dignare me infimum omnium peccatorum sacratissimæ Virgini Mariæ matri tuæ reuerentiam debitam exhibere. Et tu, clementissima Domina mea, mihi indignissimo peccatori impetra, vt perfectè sim tuæ deditus seruituti, & tibi omni tempore obsequar purâ mente: ac deuoto corde continuò tuæ benignitati assistam) hanc & ipse lætus arripuit, ac sæpissimè vsurpans ceteris auctor erat, vt frequentarent. Nec dubium, quin vberrimos ex hoc cultu perceperit fructus: inter quos, & illa quoquè prope Conimbricam tutela, cum per præcipitia vnà cum iumento, cui insidebat, ruens, haud dubio miraculo, in abruptâ rupe stetit incolumis, poni debet. Nam & tum maximè, cùm ex anguſtâ semitâ fallentibus vestigijs volutari in præceps iumentum cœpit, sa-

149 Fallaciã seculi quàm deplorauit.

lutandæ Virgini intentus agebat. Quoniam satis vtrumque cum seculi, tum Christi Domini seruitium expertus erat, rerum vitæ huius, quarum studio mortales insaniunt, vilitatem altissimè penetrarat: ac si quando de hac fallaciâ sermo nasceretur, vehementi solebat cum gemitu erumpere: Quid tot Proceribus, quid tot Principibus, quos ego ipse vidi, actum est? Ego Carolum Quintum tantâ cum maiestate. Ego hos, illosque Dynastas noui, quos videbatur ne ipsa quidem mors adire propiùs ausura. Ego tot Pontifices, Cardinales, Antistites, Doctores, Concionatores celeberrimos, atque eminentissimos noui, & iam non sunt. Perijt memoria eorum cum sonitu. Hosque inter sermones incendebatur vsque eo, & commouebatur; vt singultiens, ac flens vbertim intercluſâ voce eriperet se de medio, & fugâ in cubiculum abderet, acres ad sæculi contemptum in auditorum, ac spectatorum animis relinquens aculeos. Vt erat impiger, industrius, & ardentissimæ caritatis, genus operæ nullum recusabat, vndè commoda publica iuuarentur. Si suo tamen permissus esset arbitrio; vel

150 Zelus boni publici.

pueros prima elementa literarum docendos, vel Nouitios Societatis instituendos suscepisset. Tantùm existimabat interesse quemadmodum initia ponerentur. Ob eam rem puerilem catechesim omni loco, ac tempore pro virili pro-

151 Bona initia poni curabat.

uexit, conditis etiam vernaculo rythmo versiculis, per quos teneræ mentes religionis semina, cum cantus illecebrâ, iucundiùs acciperent. Annum iam sexagesimum septimum agens, oblatâ spe numerosæ ad fidem conuersionis, in

152 In Floridam mitti deposcit.

Floridâ nuper Hispano imperio adiungi cæptâ; summis votis eam expeditionem depoposcit: peritiam tam longâ ætate collectam in Euangelij fundamentis rectè ibi ponendis, optimè dicens collocatum iri: idque faciebat in orbis eo tractu idcirco libentiùs; quod minimè illic agendum cum Europæis foret: ex quibus, quòd fermè pecuniæ lucra sectarentur, longè occupatio maior, quàm

153 Collegia per eã constituta.

solidus animarum fructus rediret. Prudentiâ viri, ac pietate compertâ Lainius monuit, vt propagandæ Societati, nouisque instituendis Collegijs daret operam: velut præsagiens non infelicem euentum. Nam Triguerum, Carauacam, postremò Seguram, & magnâ ex parte Gades colonias ipse duxit, ac multa interim obseruauit ei curæ accommodata: quæ non alienum fuerit delibare. An-

154 Quæ centeret seruãda ad Collegia cõdenda

te omnia dicebat ad id opus propagandæ familiæ requiri homines, qui animarum ministerio plurimùm, at pecuniæ negotia minimùm tractent. Quippe Numini curæ esse operarios suos, vt quamdiu muneri suo ipsi non desunt, nihil deesse illis patiatur. Proinde minimè ingerendam apud Collegij molitores re-

dituum

Digitized by Google

dictum mentionem: sed consuetis erga Ciues officijs strenuè, ac fideliter immorandum. Si sermonem ipsimet auctores inferant; simpliciter indicandum quis in quoque domicilio religiosorum numerus legitimus sit: eosque comiter admonendos, vt animaduertant num ipsorum facultas alendo sit ei numero. Quod hac moderatione suggeratur excipi libenter, amicèque, velut à fideli consiliario profectum, non tanquam ab negotiatore, aut parte aduersâ, quæ suspecta meritò haberi queat. Hac ipse simplicitate sapienter vtens, quæ hoc in genere tractauit, sine contentione, strepituque transegit. Eâque modestiæ, atque prudentiæ amabili quasi escâ, ita infimorum æquè, ac summorum animi capiebantur; vt Ioannes Villaregij Dominus ad Patrem Borgiam scripserit, videri Deum, vt quibusdam Sanctis; ita Bustamantio, non tantum ostendisse quid, sed etiam quemadmodum agi deberet. Et planè visus interdum est Deus, tum suggessisse viro consilia, tum mirabiliter comprobasse. Narrabat dux Methymnæ Sidoniæ Alfonsus Petrius Gusmanus, cuius in ditione erant cetariæ nobiles, ac fructuosæ supra Gades, Bustamantium inter piscatum Thymnorum ex Comite Nieblæ (mater erat Ducis ipsius) precatum, vt quoniam subiectis ei populis profuturum Trigueri Collegium parabatur, symbolam & ipse suam conferret, aureos mille: qui tribus pensionibus, quò minori incommodo præberentur. Cumque Comes primò excusasset eius anni extra modum malignam capturam, cuius iam tempus prope totum exierat, deinde bonitate Patris, & pretio operis compulsa, non modò, quæ petebatur, summam, sed & semel totam continuò editâ syngraphâ præbuisset; Bustamantium ad eam benignitatem, velut diuinitus instinctum dixisse: Atqui scito, quoniam ita liberalis Deo es, ipsum tibi hoc eodem anno centuplum redditurum. Ac protinus euenisse rem, & prioribus, & posterioribus annis inauditam. Pauciſſimis, qui residui erant apti capturæ, diebus, adeo exuberasse prædam; vt centies mille aureorum nummûm, detractis impendijs, lucri sit factum. Quod pro miraculo celebrasse Dominos, & memoriam suis codicibus consignasse. Porrò Bustamantius, vt ad negotij inchoandi modestiam regendi, prouehendique solertiam adiungebat; sic apponebat vtrisque perficiendi constantiam: quod vel nouissimum ostendit Seguritanum incœptum: cuius perficiendi gratiâ, tantâ cum valetudinis iniuriâ, aduersissimo tempore anni, loco sibi infesto perseuerauit. Collegiorum dotes laudabat maximè, in quas publicè nihil Ciuitates conferrent: qualis erat Carauacensis. Quicquid enim Reipublicæ nomine, publicoque consilio detur, cùm adeo multi communibus deliberationibus intersint, tamque frequenter magistratus mutentur; maioris non rarò strepitus, & contentionis, atque adeo inuidiæ, quàm emolumenti rem esse. Ab minutis familijs instituendis animum valde alienum gerebat: quòd in ijs ratio disciplinæ domesticæ, in qua plurimum reponebat, sustineri ægerrimè posset. Qua tamen in re condita ab ipso Collegia intuenti videri poterit secum pugnasse. Ita nimirum comparatum est, vt quæ quisque tractat, vel exigua neget, vel putet in ijs exceptionis inesse causas; sicut his locis populorum necessitas, & magnitudo publici profectus Bustamantio persuadebant. De cetero ne illud quidem probabat, quòquam præmitti Collegij partem, dum domicilium, ac necessarij reditus toti Collegio compararentur: quod Fundatorum ex nimiâ cum pauculis illis consuetudine, quamuis nil videant praui exempli, tamen quia non eum, quem in iustis familijs mirari consueuerunt, agnoscunt ordinem; velut expectatione elusâ, studium ex facili intepescat. Si Ciuitas eiusmodi esset, vndè non mediocres animarum fruges, & olim Collegij incrementum expectari liceret; quamuis principiò dos modica offerretur, neutiquam prætermittendam existimabat. Faciliores enim in eiusmodi Ciuitate ab tenui ortu ad conuenientem modum processus, quam alibi à magno fore. In administratione Societatis fidem prope superat, quantùm cuperet, studeretque constitutiones vigere, integrèque seruari. Quod in homine, qui tantæ ætatis, tamque multa expertus hanc arripuerat disciplinam, tantùmque pollebat ingenio ad architectandas per se viuendi formas, multò est com-

155 Mira in agendo dexteritas.

156 Diuinae iuspredictio.

157 Collegiorũ dotes malebat ne tribui à Ciuitatibus.

158 Minuta Collegia nolebat institui.

159 Neque præmitti partem familiæ ante Collegia benè instituta.

160 Cõstitutiones quam cuperet in Societate vigere.

161 Nouorum præsidum vitium est, noua moliri.

mendatius: eò etiam magis; quòd talium solent opiniones, moresque in figuram suam induruisse. At ille recentium Præsidum, maximèque iuniorum, communem esse morbum aiebat, aliquid, noui moliri, quod quodammodo pro iudicio, ac testimonio foret, ipsos esse cum potestate. Sæpe habebat in ore Prouincialium operam in eo potissimum versari, impendique debere, vt rectè instituant, ac forment Rectores. His probè excultis, totam domum haud magno negotio compositum iri: sin autem secus fiat, vbi quid in superiore desideretur, nec magnum, nec stabile esse, quod cum inferiore proficitur. Negabat Religioso clauo idoneos, quorum domestica vita, ceteræque virtutes apud subiectos sustinere non possent auctoritatem exempli, dolens se se iam per ætatem, ac valetudinem minus præstare, quàm vellet: quanquam re ipsâ vel robusto, valentique iuueni anteiret. Solitus etiam dicere tum maximè sibi, cùm, iam adeo haberet propinquam mortem, cœlum verò adeo procul, duplicandum esse cursum. Cùm verò tantâ se ipse primùm seueritate acciperet, tum ita conniteretur, vt disciplinam ad regulas, & constitutiones vbique accommodaret; vigebat vbique sub eo, florebatque religio: nec spatio quinque annorum, vt idem obseruauit, vnus quisquam è Prouinciâ Bæticâ, se præside, ab Societate discessit. Nec verò austeritatem amabat fastidiosam, ac tristem, quæ interdum animo virtutibus vacuo extrinsecùs inducta velat vitia magis, quàm sanat: sed maximè probabat solidam animi virtutem, quam exterior cultus non horridam, sed amabilem faceret: scripsitque ad Patrem Borgiam, cui semper (vt dictum est) carissimus, & maximè auctoritatis fuit, vt præfuturos per Prouincias Nouitijs, aliosque id genus homines Romæ, vbi spiritum hunc integerrimum seruari cognorat, aliquandiù curaret Societatis moribus imbuendos. Collegium Romanum, quod commune semper, & vniuersale vocabat, sic habebat in pretio, tantique ad rem catholicam ducebat momenti; vt non solùm in eorum temporum angustijs adiumenta vndecumque vigil conquireret; verùm etiam profiteretur libenter operam, libertatemque suam Saracenis, si quid id valeret, eius iuuandi gratiâ, venditurum: toto in orbe Christiano nullum, se quidem iudice, esse pium opus affirmans largitate piorum dignius. In Hispaniâ, & id genus longinquis Prouincijs summè necessarios arbitrabatur frequentes Visitatores, ad coniunctionem membrorum, & capitis: per quos super alia doceretur accuratiùs Generalis quid quaque in causâ esset, ne quando Præsidum quisquam confideret per literas quæcunque vellet probaturum: neu tenaciùs suis adhæreret inuentis, sed missa ab Vrbe decreta, cum fide omnes, curâque seruarent. Hæc, aliaque vir prudentissimus cùm ad Patrem Borgiam, pro veteri familiaritate, vsuque scriberet; vbi parendum ipsi foret, nihil per se posse excogitare dixisses, nihil nisi ad parendum natum. Adeo iussa non modò sine hæsitatione, sed & alacriter excipiebat, & solertiæ vires eò conferebat omnes, vt effecta quamaptissimè daret. Primam videlicet, ac summam religiosi viri prudentiam in eo verti intelligebat cardine: oportere inferiorem prudentiæ suæ diffidere, & ad nutum fingi superioris. Ita enim profectò est: cuius obedientia labat, is, quantumuis oculatus sit, in religiosâ republicâ nihil videt. Illud postremò in magni huius viri laudibus numeratur, cùm siue pro sui muneris vsu, siue ad animarum auxilia minimè infrequens apud Dynastas, & magnas potestates ageret, etiam apud omnes gratiâ, & auctoritate polleret, multum illis suæ bonitatis indidisse, nihil de illorum ambitione traxisse. Erat quippe non ceræ similis, vt apud Cassianum de iusti mente disputat Abbas Theodorus, quæ characteri signantium cedens, pro eius formâ, atque imagine figuratur: sed, velut adamantinum signum, quod suam inuiolabilem semper figuram custodiens in eam vniuersa, quæ sibi incurrerent, transformaret.

162 Ex probis Rectoribus domorum probitas pendet.

163 Qualem maxime administrationis formam probaret.

164 Pro Collegio Romano vel vendi se cupiebat,

165 Visitatores crebros vbi necessarios putaret.

166 Eiusdem obedientia insignis.

167 Conuersatur cum Dynastis sine diminutione virtutis suę, & magno aliorum profectu.

168 Agentes cum proximis sint velut adamantinum signum, non sicut cera

169 Lusitaniæ res.

Olisippone restitutâ cœli salubritate, restituta quoquè sunt ordinaria pietatis aduersùs proximos munia: ac præcipuè explicata est caritas in adiuuandâ multitudine, quam post mala pestilentiæ, vt fit, penuria rerum oppressit. Eboræ Regis, & Cardinalis, Regiæque domus præclara edita sunt erga Socios indulgen-

Digitized by Google

dulgentiæ documenta: & Socij tum domi exercuerunt feruidè pietatem, tum cunctâ in Ciuitate, tum denique in multis circa Oppidis. Eâ familiaritate Cardinalis, eâque religione versatus est in Collegio, non modò vt ab ceteris religiosorum pijs actionibus non abesset; verùm etiam vnà cum ijs conueniret frequenter in locum voluntarijs flagris destinatum, se pariter ipse diuerberans. Extremum sub annum Georgius Serranus in Prouincialatu Leoni Henrico successit, liberato tum quòd tempus explerat, tum vt Cardinalis confessionibus vacaret: quod ipsimet per literas enixè flagitanti Cardinali, Borgia ita concesserat; vt inter Socios Leo, non in aulâ sedem haberet. Iam pridem pariter cum Societatis muneribus id Leo tractabat muneris: verùm iam Cardinalis per ætatem infirmior hominem expeditum optauerat: cuius sententiam in conscientiæ suborientibus in singula prope momenta causis perobscuris, & grauibus, interrogare securus sub manu posset. Huius principio anni Sebastianus Rex Collegijs, quæ iam pridem impetrarat, Angrensi, & Funcialensi perpetuum vectigal attribuit: paulòque post in vtrumque Collegæ missi duodecim: terni Sacerdotes, totidem domestici vsus administri, reliqui literas percepturi. Sacerdotes Angram profecti Ludouicus Vasconcellus Rector, idemque moralium quæstionum interpres, Balthassar Barreria, & Petrus Gomius Ecclesiastæ: sed simul cum his muneribus alia omnes omnia conaturi. Angra princeps est vrbs in modico sinu Insulæ Tertiæ. Hæc vna est Insularum nouem, quæ & Arsores, & communicato ex eâ, quam diximus, nomine, Tertiæ nuncupantur, & Flandricæ interdum: quòd à mercatoribus Belgis, dum Olisipponem peterent, longiùs in altum auectis, anno salutis humanæ supra mille, & quadringentos vndequinquagesimo inuentas ferunt. Rectà regione ab Lusitaniâ in occidentem nauigantibus, post leucas ducentas quinquaginta (quidam trecentas numerant) occurrunt, ab æquatore in Septentriones partes quadraginta sublatæ. Indigebant maximè culturâ: & Lusitani Reges, vt rectores perpetui, atque procuratores ordinis Equitum Christi, decimis earum, concessu Romani Pontificis, fruebantur. Indè consilium, quod à conscientiâ vocant, quærente Sebastiano, vt primùm gubernacula regni cœpit, quid officij ab se præstari eâ gratiâ oporteret, introducendum Societatis Collegium censuit. Nunquam ad id loci Societas in eas Insulas, quanquam tentatâ sæpius nauigatione, tenére cursum potuerat. Tandem hoc anno pridie Idus Maias, qui dies in Pentecosten incidit, destinati Collegæ, cùm Olisipone conscendissent, quanquam non sine iactatione, ac periculis, tamen Sancto afflante Spiritu, sospites in Portum Angrensem Kalendis Iunijs inuecti sunt: omnium ordinum summâ lætitiâ, & gratulatione excepti. Ciuitas apparatam illico scapham ad ipsam nauim, vndè educti in littus deportarentur, officiosè misit: in qua regius Prætor, & quidam Magistratuum, & alij Primorum honorificè occurrerunt. Episcopus, cum Vicario, & Clero, ingentique populo præstolabatur in littore, ac descendentes, inter hilarem tormentorum strepitum, & communem gratulationem, benignissimo amplexu lætus excepit: continuòque ad gratias Deo agendas, & optima precanda auspicia in Deiparæ ædem deductos, in hospitium introduxit. Sed nemo vnus maiore studio, & liberalitate nouam coloniam firmandam, ornandamque suscepit, quàm Ciuis quidam ceterorum Ciuium longè primus. Is, præter cetera, quæ continenter adiecit, commodauit primò, deinde dono dedit, opportuno situ, ædes cum horto, & ædiculâ quoquè sacrâ. Ciuitas optionem liberam summâ benignitate fecit, sedem, vbi maximè arrisisset, metandæ. Sed Patres, Ciuis dono contenti, voluntatem publicam pro re acceperunt. Munera quoquè sua continuò exorsi in ædiculâ domesticâ, in principe templo, & misericordiæ, lætiorem in dies aduentum Ciuitati fecerunt suum. Erant vulgò deprauatissimi mores: Sacramentorum sepultus thesaurus: iniustis compendijs, & inimicitijs irretita omnia. His, & ceteris morbis allatum paulatim remedium. Magnus pecuniæ numerus per iniquitatem auersæ, reuolutus ad Dominos: diuinorum mysteriorum publicatæ opes, cum profectu incomparabili morum, vulgo iam cum

170 Cardinalis cũ Nostris religiosa consuetudo.

171 Angrensis Collegij exordia.

172 Eiusdem Collegij condendi causa.

173 Ciuium erga Nostros benignitas.

174 Insignis per Socios animarum profectus

Digitized by Google

lætitiâ celebrante, nunc primùm Christianam speciem Angræ cerni. Confessionum generalium vix ad id loci fando auditarum, vbi necessitas explicata est, & degustatus experiendo fructus, nemo fermè erat, qui pacare conscientiam nisi per eas posset. Duo illa ad communem multorum, & mansuram vtilitatem pertinuerunt. Primùm coactæ vnum in angulum, quæ sparsim degebant lupæ: vt vel loci infamia, & intuentium adeuntes oculi à flagitijs cohiberent: Deindè Custodijs extructo in conspectu Sacello, additoque presbytero, spectandi sacri facultas oblata. Ceterùm præstantissimum initio editorum Angræ operum existimatum est dissidiorum, atque odiorum extinctio. Alterâ, quæ habita concio est, septem resartæ amicitiæ, ac deinceps aliæ, atque aliæ, multis vltro ab concione protinus ad pedes inuicem accidentibus, & rogantibus veniam. Ad catechesim, quæ diu singulis diebus est habita, non puerorum maior, quàm aliarum ætatum celebritas visebatur: cantiunculæ piæ mirum quantum teneriorem affecerunt ætatem: quas cùm arripuissent, passim, vice profanarum, per lucem, ac tenebras cantitabant. Idque regio Prætori ita placuit, vt edicto quoquè vetuerit alia concini, quo sanctus ille mos penitus prauum extruderet. Duæ institutæ literariæ classes ornatissimo, & commendatissimo exordio autumni initio: paulòque post quarto Idus Nouembris obijt Franciscus Bernardius nondum Tyrocinio absoluto, veteranæ virtutis frater, sedulus Marthæ operum administer, spectabili modestiâ, humilis, obediens, precum amicus: denique iam dignus domicilio emeritorum: cuius ad sepulchrum vetulæ precatum itare cæperunt. Episcopus quoquè amantissimus, & animi in Collegium verè paterni, cui ex bibliothecâ instructissimâ, quam ex peculio suo parauerat, magnam librorum portionem testamento reliquit, sub idem tempus decessit: eo lætior, quòd & iam Collegium Angræ vidisset, relinqueretque, & suprema erga se Patrum officia cum fide, ac studio dies, ac noctes experiretur. Nouem, quas diximus, Insularum maxima est, cui ab Sancto Michaële nomen: nec opibus cedit Tertiæ, quanquam portus illam, & commercij opportunitas clariorem fecerunt. Sed hanc naturæ etiam miracula nobilitant. Distat ab Tertiâ leucis triginta: Insulanos iam olim Collegij desiderio captos rerum, quas Angræ fieri audierant, secunda fama vehementiùs flammauit. Itaque missus eò per Autumnum Petrus Gomius, cùm bis sacro quoquè die ad concionem diceret; non modò cupidissimè auditus est, sed & obrutus pœnitentium quotidiano concursu: sic distributis temporibus, vt antemeridianum fœminis, pomeridianum ad multam noctem viris impenderet. Et apparebat verè rem, atque ex animo agi: adeo quorum grauissimè animi ægrotabant, primi ad medicum properabant. Itaque & ibi insociabiles ante paces compositæ, & perperam parta rectè redhibita, & ex longo retextæ confessiones, putriaque conscientiarum, & inueterata vulnera ad sanitatem producta: & carceri sacrificium ibi quoquè prouisum: & egestati miserorum benignè consultum: & alia gesta, quæ nouam rerum faciem induxerunt. Inter hæc, quanquàm vix otium ad respirandum dabatur impigro Sacerdoti; tamen ad collaudandam Procreatoris inæstimabilem potentiam, quædam Insulæ miraculorum inspexit. Vidit caminos duos, qui dies, noctesque globos ingentes fumi eructabant: propè quos lapis effodiebatur, vndè alumen fiebat. Vidit excelsum montem, cuius è vertice igneus torrens effusus longo tractu fluxit, adustam materiam torquens, ferrariarum officinarum scoriæ similem, permanente adhuc limite, quàcumque decurrit. Quod flumen antequam erumperet, tantum cineris (vt è Vesuuio olim) egestum est, ac deuolutum in mare; vt spatij non parum mari semoto ad aridam adiunxerit. Hiatus alibi terræ vidit, per quos euadente fumo, fragor intus audiebatur, ex imo spirantium ignium, non secus atque si vehementi follium spiritu cierentur. Haud procul os patebat halitu hominibus innoxio, mortifero belluis. Vidit; & in planitiæ non magnâ fontes aliquot inter se mirè dissimiles. Calidas quidam habebant aquas immissæ manui tolerandas: alius omnino feruentes, itâque æstuantes, vt bullis maximis intumescerent: alius vliginem habebat vrentem. His ab exordijs Angrense Colle-

175 Franciscus Bernardius primus Angræ de Societate mortuus.

176 P. Petri Gomij labores in Insula S. Michaëlis.

177 Huius Insulæ mira.

Digitized by Google

Collegium magno non modò Tertiæ, sed circum quoquè posita rum bono Insularum deinceps profecit: ac proximo quidem anno, qualem supra in Italiâ descripsimus, terror iuuit diuinum opus. Contremuit cuncta Insula motibus post hominum memoriam immanissimis, & creberrimis. Fuit cùm vno die decies octies mouit. Nec verò labascens dumtaxat solum mortales exanimabat; sed insuper verebantur, ne, quod in Sancti Michaëlis, aliâque Insulâ factum nouerant, ruptis cauernis, alicunde flammarum se se torrentes eijcerent, quibus omnes inuoluerentur. Notabile enim verò humanæ imbecillitatis documentum, in medijs oceani aquis vltimum ab terrâ, & igne discrimen. Ergo attoniti in agros effundebantur: sed ante ad confessarios festinabant ita confertim, moræque impatientes; vt, occupato à prioribus loco, longiùs affusi inceptarent clarâ voce peccatorum enarrationem, & à Patribus, quin peragerent, ægrè cohiberentur. Hæc Angræ dum fiunt, Funciale neque minus laborum, atque industriæ, neque fermè felicitas nisi vnâ re dispar fuit. Eò gratior Insulanis Societas venit, quò miseriore vtebatur fortunâ, paucis ante annis à Prædonibus Gallis fœdissimè deuastatâ Insulâ, ac direptâ: vt quidam fortunatam iam dicerent iacturam illam, quæ noui huius auxilij causam accelerandi dedisset. Memoria etiam vigebat rerum à Patribus post deuastationem missis ad communem omnium solatium, ac leuamentum gestarum. Eò etiam Sacerdotum fidele præsidium id loci magis necessarium erat, quòd quamuis non magna Insula sit; magno tamen commercio ab Italis, Hispanisque, & Belgis, & Gallis, alijsque nationibus celebratur: vt non solùm integritas morum, sed & religionis castitas munimentum desideraret. Quin eo ipso tempore hæreticus è Rupellâ venena furtim spargebat: qui ad Collegij aduentum desperato successu, Olisipone, quo fugerat, captus, meritas dedit pœnas. Distat Insula hæc ab Lusitaniâ, flexo in meridiem secundùm Africæ oram per Athlanticum oceanum cursu, leucis centum quinquaginta, supra æquatorem duas, & triginta partes, priscis mortalibus haud dubiè, cùm Fortunatas norint, ante quas sita est, minimè ignorata, & ijsdem fortassis adnumerata: cum quidem adeo beatum nomen, siue feracitate multiplici, siue præstanti fructuum earum nulli magis conueniat: sed, quæ rerum humanarum alternatio est; pariter cum Romani Imperij occasu intermissâ oceani nauigatione diu latuit. Quoad seculi proximi anno vigesimo reperta, indè nomen accepit, quòd totam cùm syluæ occupassent, materiâ scilicet abundabat. Itaque igne subdito septem annis tenuisse incendium ferunt, eâque ratione culturæ apertam, adeo felici gremio mandata excepisse semina; vt multis deinceps annis in sexagesimam frugem multiplicata reddiderit. Quanquam & indè conueniat à materiâ nomen, quòd ingentem cedrorum ingentium copiam educet: vndè arcæ, & alia pretij non vulgaris elaborata, latè per terras omnes deferuntur. Cumulat porrò soli felicitatem indoles bona gentis, in omnia sequax quæcumque ducatur, & omnium capax artium honestarum, maximè pietatis, si duces, magistrique non desint: quo maius, & ei beneficium à Collegio accidit, & paratiorem sacri coloni segetem inuenerunt. Septimo Idus Martias cum Socijs nouem Olisippone soluerunt Sacerdotes Emmanuel Segueria, Collegio idem, & concionibus præsuturus, Petrus Coresma recti, prauique difficultates explanaturus, Melchior Oliueria commune cum alijs munus propriè tractaturus Pœnitentiæ Sacramentum. Nono die peruecti, antequam in vrbem admitterentur, vsumque promiscuum, quòd ab recenti venerant Olisipponensis luis incendio, expiare contagionis periculum solenni secessu amanter iussi. Fatigatis nauigatione hospitibus ad instaurandas cum animi, tum corporis vires non importunè ea quies cecidit. Et quoniam primarius ciuis Hernandus Fauella excepit in suburbano suo in eâ regione sito, quam primam prædones hæretici occuparant, vt solent talibus initijs notari omnia, conuenienter factum gens obseruauit, vt vndè vastitatem importantes aditum habuerant sectatores errorum; indè sinceræ religionis magistri, ac defensores ingrederentur, pro virili omnia meliora facturi. Post quartum, & vigesimum diem intra mœ-

178 Terremotus in Insula Tertia animabus salubris.

179 Funcialensis Collegij ortus.

180 Quædam de Materia Insula.

181 Sociorum in Materiam aduentus.

Digitized by Google

nia recepti, perhonorificè in conductâ domo Collegium statuerunt, vbi duæ latinitatis expositæ classes, & in proximâ Sancti Sebastiani æde, explicatio cæpta moralis Theologiæ, maximo sacerdotalis ordinis leuamento. Nec mœnium ambitu contenta solertia; sed per pagos, & oppida peregrinationes apostolico ritu obitæ, catechismique vbique doctrina, & cantus inductus. Plurimùm hîc operæ, & maximum pretium in confessionibus fuit: ad quas ex totâ Insulâ currebatur, & maxima pars populi repetiuit à primis annis: aduersùs Patrum labores, & caritatem obseruantiâ, benignitate, profectu, vrbanis pariter, oppidanisque, & paganis certantibus. Deo laus, & gratiæ, qui & Sacerdotibus industriam, & docile cor populo largitur. Ne tamen sincera esset vsquequaque lætitia; Insulæ Prætor, quem minimè suspicareris, effecit. Simon erat Consaluius, Ludouici nostri, & Martini Consaluij frater, dissimillimus eis. Is ab initio statim parùm sibi gratum Collegij aduentum haud obscurè significans, siue, vt vulgò interpretabantur, quòd talibus vitæ suæ spectatoribus, ac testibus nihil egeret, siue quæ alia causa, vbicunque se locus obtulit, tum ne coëmeretur certa sedes, tum alibi, perpetuum se aduersarium præbuit. Nec verò eò solùm quòd contra agebat, Collegio incommodabat; sed multò magis, quòd germanorum apud Regem gratiâ fretum multa audere passim rumor ferebat. Vbi, quamuis culpâ Ludouicus vacaret, quis tamen multitudini eum satis vnquam purgaret, existimanti, si non corrigi per eum, at certè successorem accipere potuisse? Ita ex fratre in fratrem, tum ex socio in Societatem permanabat inuidia. Vt famuli Dei, quibus popularem alioqui gratiam, vt fieri solet, iniqua vexatio conciliare debuisset; extra omnem propè misericordiam, prout rarus est æquus rerum existimator, sed magis exosi & suis premerentur, & alienis malis: omnia luentes quæcunque vel in se, vel in alios amicus ille (nam & talis volebat videri) peccasset.

182 Eorundem ini bi fructus.

183 Aduersarium habent Prætorem.

Sed ab Oceani Insulis, quæ ad nauigationem Indicam tum aperiendam, tum deinceps frequentandam plurimum habuere, habentque momenti, & noster in Indiam pergat labor. Visitatoris Consalui Aluarij exemplis, ac monitis vehementer inflammata sunt in Goano Collegio Sociorum studia ad omnem perfectæ virtutis conquisitionem, præsertim ad sui contemptum, & proximorum caritatem. Quaterni singulis hebdomadis publicum Ciuitatis Nosocomium, quod incurabilium vocant, adire lauandis ægrotorum pedibus, sternendis lectis, sordibus pauimenti tergendis, alijsque eiusmodi officijs, adhæc catechismo explicando, & confessionibus audiendis magna afferētes adiumenta & animis, & corporibus miserorum. Verùm cùm publicè Visitator, antequam Goâ discederet, domicilia ad meridiem posita inuisurus, omnes plurimùm ad idem studium, quod mortificationis dicimus, durandâ mollicie sensuum, inanibusque ignominiæ suspicionibus abolendis, adhortatus esset; nimirum stimulos currentibus addidit. Antonius Quadrius iam tot annis Prouincialis, exinde omnium primus posito pallio, tunicatus, nouitio comite, progressus in publicum, mancipia, & infimam plebem religionis docere summam occæpit, & ad christianum officium concionabundus impellere, stupentibus ad id spectaculum, qui hominem norant: nemo autem erat, qui ignoraret. At ille è triuio rectà in Nosocomium pergens, admixtus non vllis, qui præiuerant collegarum; aggreditur vlcerosorum pedes abluere, sordidissimum quemque, & fœdissimis deformatum vlceribus vendicans sibi: nec minùs intra Collegij septa domesticos mouit, cùm omnibus viritim abiectus humi in cœnaculo pedes exosculatus, expedito ibidem flagello acriter in medio se secēdit. Geminus Melchiorem Nunnium, quanquam ætate, & valetudine fractiorem incitabat spiritus. Itaque non modò pari habitu ad infimam erudiendam plebem itauit in vicos; sed cùm inopum, & ægrotorum turba vestimentorum penuriâ laboraret; cum aliquot comitibus, ad aliquid eius generis ostiatim emendicandum egressus, ingenti ex benignè collatis onustus sarcinâ per vias gradiens, omnium ad se oculos, Deum in famulo laudantium vertit. Persimilis ceteros primorum Patrum cùm haberet ardor; iuniores, vel verecundia impulit,

184 Res ludicræ.

185 Feruor publicarū mortificationum Goæ.

186 Prouincialis Quadrij exempla.

187 Et Melchioris Carnerij.

188 Aliorum seque la..

Digitized by Google

pulit, vt quemadmodum robustiora gerebant corpora, ita duriora aggrederentur. Nihil penè cogitando fingi tam aut asperum, aut despicatum potest, quod nõ votis excederent. Alij per vrbem incedebant, baiulorum instar, sarcinis onerati. Alij, cùm seruilia in Nosocomio obirent ministeria, cibos dein sibi ostiatim emendicabant, vel, inter mendicorum greges, ad cœnobiorum ianuas propalàm vescebantur. Aegrorum alij fœdissima amicula, & cunctam Nosocomij supellectilem linteam publicè purgarunt in flumine. Hæc, & alia gemina horum, leuissima, & honestissima erant ex ijs, quæ certatim à moderatoribus flagitata nequaquam impetrabantur: sed neutri commodo carebant suo. Quippe, vt illi rectè petebant, quia parentis ardor modum nescit in votis; ita hi rectè negabant, quia prudentia imperantis modum requirit in factis. Ecce autem inexplebili auiditati pur, ac vera materies. Goanæ vrbis regionem vitiato aëre lues aggreditur. Præter ceteros minùs incommodè affectos, circiter nongenti decubuerunt omni ope destituti. Quadrius quid Romæ, alibique Societas in eo calamitatum genere fecisset iam probè gnarus, ac memor, corrogatâ stipe, suscipiedum Collegio sanctum opus putauit. Commodùm feriæ interuenerant literarum, & Collegæ iam centenariam prope summam explebant, vt tolerabile onus esset. Diuiditur tres in partes vitiata regio, sui cuique è Collegio Sacerdotes, itemque Sacerdotij expertes, ad animas curandas, & corpora attribuuntur. Pro se quisque viriliter labori admouent manum. Cùm permulti in sordido quopiam tuguriolo, ne storeâ quidem subiectâ, qui vulgo ibi lectus est, humi iacerent, ipsi lectulos curabant, ipsi præparabant cibos, ac deferebant, ipsi aderant morientibus, & exequias faciebant mortuis, & humum effossâ foueâ postremum inijciebant. Initiò medici, ijque Ethnici remedia præscribebant: quæ cùm nihil prodessent; Quadrius è Salsettis Petrum Alfonsum è Societate, magnâ virtute à Deo ad ægros curandos donatum, accersit. Cùmque medicum simul christianum, qui eâ tempestate Collegio medentium præerat, exorasset, vt ipse vellet miseros inuisere, quæ is medicamenta præscriberet, Petro Alfonso suâ manu conficiendi negotium dedit. Indè cœpta multo pluribus vita seruari, & valetudo restitui. Duos menses, atque dimidium pius labor tenuit: nunquam, quamuis literariæ occupationes redirent, quoad vsui fuit, intermissus: quem Deus ita propitius respexit; vt nemo quicquam indè morbi contraxerit. Iam verò, quod consequens est, vt se habiliora diuinæ prudentiæ instrumenta reddebant cœlestes operarij suæ quisque cultu virtutis; ita ad alendam, propagandamque pietatem alienam acriùs, & fructuosiùs admouebantur. Goæ, atque in sedibus circumiectis ter mille octingentos quadraginta ab Idolorum seruitio liberarunt. In Salsettis maximè profectum. Additum ibi nouum templum in Sancti Andreæ patrocinio, in eoque Sacerdos cum Socio constitutus. Nonis Aprilis prima apparatu magnifico sacrosancta Hostia immolata. Goæ hoc anno, Sebastiani Regis iussu, laudatum illud consilium, quod mensam conscientiæ vocant, institutum est, præside Archiepiscopo: in quo quicquid ad Regis conscientiam pertineret, sedulò tractaretur. In eo consilio nominatim à Rege Quadrius adnumeratus est cum altero de Societate, qui ibidem Goæ deligeretur. Delectus est Melchior Numus. Nec licuit in præsentiâ id muneris declinare: nec sanè è re publicâ videbatur, ne rei tam necessariæ, tamque vtili nouis Indiarum Ecclesijs subtrahentibus operam suam, his, quibus Rex imposuerat, mora obijceretur. Iam pridem optabatur, vt Ecclesias ab Societate vel omnino conditas, vel magnopere auctas, quas eadem ad eam diem præter morem, legesque suas ob aliorum penuriam Sacerdotum administrarat, Archiepiscopus paulatim capesseret, perque Curiones ab se impositos procuraret. Huc ergo dum Visirator incumbit, impetratum est, vt ab suburbanâ Bazacini, pagique Maym Ecclesiâ regendâ liberaretur. Porrò exercendæ caritatis, quam Goæ valetudinis vitium, hanc in orâ Piscariâ materiam annonæ grauitas præbuit. In id mortales angustiarum adacti, non modò vt multos miserrimè fames enecaret; sed etiam passim filij à parentibus, ab viris vxores, fratres à fratribus venderentur: atque adeo se ipsos haud pauci pere-

189 Aegræ Ciuitati inseruitum à Socijs.

190 Petrus Alfonsus ad ægros curandos virtute donatus huc à Salsettis aduocatur.

191 Nouum templum in Salsettis.

192 Summa gentis inopiæ in Ora Piscaria consultum.

perexiguâ mercedulâ manciparent. Quod incendium cùm latè Ethnicos inter, & Christianos fureret; Pater Henricus Henricius corrogatis ex locupletiorum liberalitate pecunijs, per varias Sodales loca disposuit: vbi, tanquam Xenodochijs institutis, inopi turbæ, quod satis foret trahendæ vitæ, & quidem alicubi quingenis quotidie diuidebant. Illud factum benè, quòd terrenarum fruſtratio

193 Exhibitæ caritatis fructus. messium vberem extulit cælestium frugum annonam. Ethnicorũ complures raræ caritatis exemplo pellecti, & beneficio obstricti facilè ad baptismum venerunt: multi inter agendam animam tesserâ patriæ beatæ donati, vt hinc digressis, illuc receptus pateret. Sed certissimus ille, & pulcherrimus fuit quæstus. Infantes,

194 Visitatoris benignitas, & patientia. puerique non pauci, quorum deplorata iam erat salus, empti vilissimo pretio de parẽtibus ethnicis ad vitam æternam per balneum vitale transmissi. Pater Visitator, cùm ad hæc loca venisset, miseriarum immanitate commotus; quòd aliunde non suppeteret, summam pecuniæ haud modicam olim alicunde extricandam, mutuam sumpsit, & contulit. Qui, quoniam caritas benigna, & patiens est, post exercitam benignitatem, etiam locum habuit exercendæ patientiæ. Redeuntem Meliaporâ Ethnicus locorum præses, hac viâ Christianos sperans ad incolendum oppidum, quod iniquitate domini fatigati deseruerant, reuocari posse, cum socijs captiuum abduxit: sed quinto die, post non pauca inflicta incommoda, inter minas frequentes necis, liberum, Lusitanorum territus metu, dimisit. Cocini ad septingentos baptizati: duæ nouæ conditæ Ecclesiæ: altera in Pago Palurti tribus passuum millibus admotâ Coccino, in Sancti Iacobi dedicatâ nomine: altera in regno Porcaënsi, decem circiter ab Coccino leucis: quanquàm hîc nõ erant tranquillæ res. Consueti Molucas Insulas, atque adeo Dei Ecclesiam

195 Bella in Molucis. concussere motus. Rex Ternatinus, Caciles Aërius, qui tot per annos Lusitanorum opes, & rem christianam profundâ, dirâque simulatione attriuerat, ab Lusitano homine manu prompto Martino Alfonso interfectus est. Spondebant indè sibi vulgò Europææ gentes, vaferrimo, potentissimoque proditore sublato, cursum rerum secundiorem: sed, vt sunt hominum consilia cæca, spesque fallaces; semen bellorum id facinus, ac tantùm non summi exitij fons extitit. Quippe Ternatini, compertâ sui Regis nece, cum sponte, tum incitante Regis filio Babu, armis sumptis Lusitanorum arcem graui obsidione cinxerunt. Quæ pertinaci conatu producta, quanquam Consaluus Pereira ex Amboino, & Ioannes Regulus ex Bacciano auxilium tulerunt; nunquam tamen remissa est, donec propugnatores ad deditionem compulit, vti anno insequenti commemorabo.

196 Res Iaponicæ. Hos inter tumultus necesse fuit Sacrorum Christi militum aduersùs impietatem tendentium præclaros conatus infringi. Cùm interim, vbi otium stetit, egregiè in Bacciano floreret pietas, in Amboino regerminaret. Nec in Iaponiâ Meacensem Ecclesiam Niquisoxones Bonzius siuit tranquillam esse. Cùm anno superiore nullis machinis aduersùs Christianam legem quicquam profecisset; in Vatandonum, quo niti illa potissimum videbatur, impetum vertit. Aliquot sui similibus fraudulentis capitibus in sceleris Societatem assumptis, multa tanquam publicæ administrationis peccata à Vatandono commissa coaceruat: obseruatoq; tempore, Nobunangæ malitiosè describens, hominem vehementer incendit. Ita-

197 Vatandoni calamitas quod Christianis rebus faueret. que cùm ad Regnum Mini Vatandonus omnium earum fraudum ignarus Nobunangam salutaturus pergeret; obuios habuit missos ab Rege equites cum acerbo nuntio: Vetuisse Nobunangam ad ipsius conspectum admitti: atque adeo suis in Regnis hospitio excipi. Paulò post arcem quoquè Vatandoni iubet æquari solo, atque ex censu plus vicenum aureorum nummûm annuum vectigal aufert. Triumphare hinc Bonzius: insultare Ethnicorum superstitiosissimi quique: iactare suorum Deorum vim, ac vigilantiam: qui hominem religionibus nouis cum veterum iniuriâ fauentem meritis accepissent pœnis. Contra

198 Eiusdem Constantia. Vatandonus admirabili constantiâ apud eos, qui super eâ re se compellarent, nihil dubitanter profitebatur, eam calamitatem grauem sibi non esse, quando Ludouicus operâ suâ Meaci inuiolatus maneret. Id adeò iustum se existimare, tantique facere; vt non grauatè eâ gratiâ sit etiam sustuarium subiturus. Nec

quicquam

quicquam posse tam formidandum contingere, quod ab talis viri patrocinio aliquando abstrahat: quin potius si Pater eijceretur; cum eo se se, posthabitis vxore, liberis, ac fortunis omnibus, abiturum extorrem. Interim, Iaponum ritu, in calamitate, luctuque positorum, capillum, ac barbam radit: cumque eo prope ducenti. Ceterùm nequaquam permisit verus ille mundi parens, ac Rector Deus longùm impios suâ frui malitiâ. Decem circiter post menses Nobunanga Meacum venit: ad quem salutandum, cùm vndique Regulorum concursus ingens fieret; Vatandonus quoquè ex arce suâ Tacazzuqui, septem fermè ab vrbe Meaco leucis adfuit. Quem vbi Niquisoxones, alijque aduersarij conspexere; nihil expectabant aliud, quàm vt Regis iussu capite plecteretur: sed omnino secus euenit. Vatandono suam strenuè agente causam, Nobunanga, cognitâ criminationum varietate, & miseratione emollitus: siue gaudens alienam pro libidine alternando fortunam exercere dominatum, siue eius indigens operâ, in bellum, quod ab Regni Auæ Principibus imminebat: quem tam acerbè ante multauerat, pretiosâ veste donatum, iussumque capillum, & barbam nutrire, amplioribus dignitatis, & vectigalium ornamentis instructum, in pristinum gratiæ locum recepit. At improbus Niquisoxones in exitium, quod immerentibus struxerat, merito suo prolapsus, apud Nobunangam grauissimorum scelerum accusatus, & verbis ab eo in magnâ Procerum coronâ perquam probrosis deformatus est, & ab omni publici muneris functione deiectus. Multa interim Ludouicus Almeida in Ximo Euangelij causâ pertulit. Cosmus ad omnium Iaponiæ tutamen Ecclesiarum, & progressum intentus, sub initium anni Almeidam ad Bungi Regem destinauit: vt simul ei gratularetur victoriam, per quam duorum regnorum, de quibus dimicabat, dominatum obtinuerat: simul vt multa è religionis vsu commendaret. In his erant præcipua, vt Amacusandoni, quem fratres, quod Christianis faueret, magnâ ditionis parte exuerant, patrocinium susciperet: ob eamque rem tum ad Dynastam sibi parentem, vt Amacusandono adesset, tum ad Saxumanum Regem, ne eius fratres rebelles foueret, literas daret. Deinde ad Tonum Ximabaradonum scriberet, auditum sibi Patres non ampliùs ad eius oppidum, vti erant soliti, commeare: rogaretque, vt vellet accersi, & multos Christianos inter suos populares effici: id enim gratissimum sibi fore. Postremò vt Arimano Regi, & Bartholomæo, quòd alicubi se, eius fautores hostium præbere visi erant, vellet ignosci. Hæc præcipuè tractaturus Almeida, medio Februario profectus, niuium magnitudine, pluuiarum eluuione, ac ventorum procellis propè confectus, ad Regem peruenit. A quo non humaniter solùm, sed etiam comitatis suauitate tantâ exceptus est; vt plus studij, amorisque, atque adeo blanditiarum, ne materna quidem indulgentiâ posset expromere. Literas, quæcumque petebantur, ex Ludouici sententiâ scriptas, sedulò misit per certum latorem ex aulicæ nobilitate. Ludouicum verò ipsum indè abeuntem Aquinzuquiensi Toparchæ in regno Chicugeno, Europæis Ducibus tunc potentiâ prope pari, ad quem proficiscebatur, commendauit epistolâ, quæ subscripta est. Veniet istuc frater Ludouicus te salutaturus. Vir est, in quo ego meos oculos sitos habeo. Rogo hospitaliter accipias. Lex, quam prædicat, sancta est. Iubeto tuis in terris promulgari, vt ego facio in meis. Hanc epistolam viro è suis primario dedit, qui coram commendationem pluribus explicaret, magisque incenderet. Itaque exceptus est cupidissimè Dei præco. Diebus ibi decem moratus assiduè disputans aduersùs Ienxuanorum impietatem, quæ Aquinzuqui hæresis dominatur, totum interire hominem docentium; tandem Ciuium triginta reuicit, edocuit, baptizauit: quorum viginti oppidò erant docti, ac nobiles. His ita gestis, cùm videret iam Bonzios intumescere, molirique turbas: vt reditum sibi illuc in tempore tantò apertiorem muniret, quantò res in præsentia pacatiores reliquisset, maturauit proficisci: simul etiam studens occurrere ad Sanctioris hebdomadæ, & Paschales ferias in sanctâ Cosmi consortione Omuræ obeundas. Hoc consilio Aquinzuqui Dominicâ Palmarum abiens, Tacaxim postridie venit. Indè vix soluerat, cùm ventus vehemens.

199 Restituitur, & aduersarius Bonzius deijcitur.

200 Bungensis Regis studium erga Christianã rem.

201 Aquinzuquiensis Ecclesiæ primordia.

202 Ludouici Almeidæ æruminæ pro euangelio.

Digitized by Google

mens à prorâ incumbens secedere vicinum in sinum coëgit: vndè mox septem leucarum transuerso cursu ad Arimani Regni terras appelleret. Sed dum ventos declinat, incidit in prædones. Actuariolo perpusillo, & inermi, Christianis aliquot viris bonis agentibus, vehebatur: & iam secundâ aspirante aurâ Arimanum legebat littus; cùm decem obuiam fiunt prædonum parones: ex quibus duo ad actuariolum admoti, eo statim nullo negotio potiuntur. Nihil erat prædæ nisi hominum vestimenta. Hæc rapere aggressi ad vnum omnes, ne interulâ quidem linteâ relictâ, nudant: tum ad nauigiolum etiam spoliandum versi, nec remos, nec transtra, nec quicquam è nautico instrumento reliquum fecerunt, verberibus onerantes, si quis contra hisceret verbum. Christianorum ærumnosa manus, procul à terrâ, duo circiter millia passuum deprehensi, ac destituti, non præsidio solùm, sed consilio quoquè carebant. Nox erat horrida, & cœca, tempestas perfrigida, & circa terræ vndique altâ niue rigentes. Itaque gelu conficiebantur: nec suppetebat, quò vacua, ac deplumis nauicula propelleretur. Accessit subinde ventus ab occidente perflans, longiùsque ab terrâ differens: vt amissâ spe littoris, vnicum relinqueretur solatium expectatio lucis, si quid fortè intolerandam vim frigoris solis radij temperarent. Sed horridus illuxit dies obducto nubibus cœlo, tanto cum venti impetu, marisque æstu; vt omnia præsentem intentarent mortem. Omnia dum sæpius scrutantur, demum tria storearum putrium fragmenta in nauigij fundo inuenere: quæ vel ad manus non venerant prædatorum, vel potius vt inutile impedimentum neglexerant. Earum vna Almeidæ, & vni nautarum attributa est, quæ vix humeros obtegebat: altera tres Iapones, simul cum Almeidæ Socio inuicem arctè complexi imposuere ceruicibus: tertiam conati sunt nautæ in vexilli formam concinnare, si quomodo ad littus adeundum iuuaret, haud irrito conatu. Duas inter Insulas, Deo gubernante, pulsi peruenere ad plagam quinque leucis procul Tacaxi, vbi à piscatoribus amicè accepti. Indè Tacaxim famâ perlatâ Ximabarani mercatores, & Cocinocenses, qui fortè illic agebant, continuò cum equis, & vestium luculento paratu adfuerunt. His piscatoribus liberaliter muneratis, secum omnes Christianos Tacaxim ducunt. In itinere obuiam vnum ex optimatibus Bungensibus habuere cum perbonâ veste sericâ ad recreandum Almeidam ab Rege missum. Tacaxi Cocinocum pergendum fuit mercatorum indigenarum flagitatu. Quò simul ac ventum, & calamitas cognita; vix quispiam omnium fuit, qui non suum Almeidæ indumentum ferret: quæ tamen, vno excepto, quod vir locupletior dederat, remissa sunt omnia, cum actione gratiarum. Quò enim promptior pij populi erat benignitas; eò magis erat tenuitati parcendum. Et scilicet videre erat, quàm largiter hîc quoquè bonus Dominus pro se factæ iacturæ centuplum redderet: sed æquè bonum decebat seruum dulcissimâ contemplatione promptæ Domini benignitatis, quæ copiam omnem superat, perfruentem, geminam vestem non possidere. Interim in cunctis per eum tractum Ecclesijs religio satis prosperas progressiones habebat, cùm ingens ad perurgenda sancta exordia momentum, & Societati, & Christianis accessit omnibus. Franciscus Capralis, qui mittebatur Cosmi loco Socijs in Iaponiâ præfuturus, Organtinus Brixiensis, & Balthassar Lopius Sacerdotes, post expectatam in Amacaënsi portu per sesquianni tædia transmissionem, Iaponiam tenuerunt. Ad Xiquium appulsâ naui, eò confestim, præter Ludouicum Froëm, quem vt in Meaco positum, immodica locorum interualla disiungebant, omnes conuenere Patres, de Societatis, deque Ecclesiarum Iaponicarum statu consilium habituri. Rebus diligenter, ac piè perpensis, instauratis de more votis, vsurpatisque religiosæ disciplinæ vilibus in commune ministerijs, nouo quisque impetu ad publicæ vtilitatis studia rediere. Balthassar Acosta Firandensibus procurandis Ecclesijs, quod iam pridem faciebat, restitutus est. Bungensi Ecclesiæ Ioannes Baptista Montanus, Balthassar Lopius Cocinocensi, Melchior Figeredius Omuranæ præfectus. Gaspar Villela accitu Consalui Aluarij Visitatoris in Indiam nauigauit, vnàque cum eo Alexander Vallaregius, quem in insu-

203 Spoliatur à prædonibus in summo frigore.

204 Storeæ pro vestimento sunt.

205 Christianorum in Almeidam benignitas.

206 Pater Franciscus Capralis & Organtinus in Iaponiam veniunt.

207 Patrum per Ecclesias distributio.

Digitized by Google

in insulis Goti strenuè Ecclesiam amplificantem, ob afflictissimam valetudinem, Borgia in Europam reuocabat. Organtinus Ludouico Froi solatium, auxiliumque missus ad vrbem Meacum, cùm omnia reperisset bellis infesta, Sacaij aliquamdiu intercluſus, vix anno labente Ludouicum vidit. Capralis continuò aggressus circumire, ac visere Ecclesias, Almeidam secum ducens, Omuram venit, vbi solenne lustricum iam splendidè paratum erat. Distulerat ad hanc diem Bartholomæus coniugis, matrisque, & filiorum baptisma, ne festinans popularium animos supra modum offenderet; quod, tametsi consilio faciebat optimo; tamen plurimos ab religionis amplexu retardabat, ancipiti curâ suspensos: cùm hinc Bartholomæum quidem ipsum Christianum scirent, indè nequaquam communicare cum intimis eadem sacra viderent. Quæ Bartholomæus intelligens, & vsu Cosmi vehementer ad capessendam verè pietatem incensus, & prouinciæ rebus iam tranquillioribus, conuocato procerum cœtu, in hæc verba eos fertur allocutus. Quò spatium haberetis planè, ac penitus de veritatis lege cognoscendi; ad hanc diem domus meæ conuersionem distuli. Nunc autem, quoniam vobis satis existimo nota, atque perspecta omnia; decreui operam dare, vt mei omnes Christiano baptismo expientur: tum vt eorum, quantùm in me est, saluti prospiciam; tum vt vobis, ceterisque omnibus palàm faciam, debere apud me maioris momenti esse Dei metum, eique gratificandi studium, vt id exequar, quàm cuiusuis rei respectum, vt negligam. Quòd si fortè cuipiam vestrum ingratum est; ego, & mea domus hac sumus contenti sorte, vt cum Deo maneamus. Vos aliam vobis domum deligatis licet. Hæc bonus Princeps tantâ ingenuitate, constantiâque dixit; vt Procerum vna vox fuerit, quod videretur de se, suâque domo consuleret: sibi nihil esse cur Dominum mutent. Ergo ritè omnibus comparatis, coniux, cui Maria: filius, cui Sancius inditum nomen: filiæ, & mater, ceterique sanguine iuncti, ac ferè centum è populo sacro fonte magnâ ceremoniâ, & gratulatione lustrati. Capralis post hæc ad reliquas perrexit Ecclesias. At Cosmus qui in Xiquio manserat, postquam nouum subsidium, nouisque Socijs dux aduenerat, tanquam omni perfunctus munere, nihil iam amplius deberet terræ (Quis non sapientiæ diuinæ seriem in his quasi tempestiuitatibus admiretur?) Sexto Nonas Octobres lætus, quòd fidelium triginta circiter superstitum millia, præter ingentem numerum iam vitâ functorum, in Iaponiâ relinqueret, quò nulla ante eius cum Sancto Xauerio aduentum aura Christianæ lucis aspirauerat, migrauit in cœlum. Christiani, vti par erat, & parentis, & adeo sancti, deque se meriti, tum postremam valetudinem, tum verò abitionem grauissimè acceperunt. Instauratâ ab longo tempore confessione, quando monent Sancti nemini esse sine pœnitentiâ decedendum, susceptis rite supremis mysterijs, denique & paucos, qui de Societate intererant, amantissimè complexus, attentâ, fidelique negotiatione inter vltimas Gentium multiplicata Domino talenta redditurus, glorioso- que fructus honorum laborum percepturus excessit. Vigor in corpore, & splendor in ore quidam mansit, velut etiam num spirantis. Die Sancti Francisci coacti ex finitimis locis Patres, ingenti Christianorum concursu, funus, quàm licuit honestissimè, celebrarunt. Sed supra omnem apparatum pietas illud Christianorum, gemitus, & lacrymæ honestarunt. Præter impressa manibus, & pedibus certatim oscula, ita ad aliquid sacri, vice pignoris eius rerum impetrandum certatum est; vt vestium, cum quibus in feretro iacuerat, nihil planè relictum sit. Castellanus natione, iamque Sacerdos Hispanam classem in occidentem Indiam, & indè in Molucas secutus: tum porrò Goam delatus ad Societatem se adiunxit. Annos circiter sexaginta vixit, duos & viginti in Societate, hosque prope omnes in Iaponiâ: eò deductus, ibidemque relictus à Sancto Xauerio. Vitam initiò Amangutij ita sustentauit, vt nullum pulmenti genus ex carnibus, nec panem, nec vinum, neque oleum, neque lac, aut quicquam lacte confectum gustauerit: sed tantùm modicâ orizâ pessimè conditâ, atque herbis mortem arcuerit, inter Bonziorum insectationes, & frequentia mortis.

208 Bartholomæi Reguli Christiana fiducia.

209 Reguli familiæ sacro fonte lota.

210 Cosmi Turriani sancta migratio.

211 Is fundator Ecclesiæ Iaponicæ post Xauerium.

212 De sancti decore in ore sumus

213 Aestimatio probitatis.

214 Eius vitæ summa.

Digitized by Google

mortis pericula. Quod asperrimum duritiæ genus non tam necessitate sequebatur, quàm voluntate: tum quia acerbissimus erat sui vexator: tum quia necessarium existimabat Iaponibus, pro regionis ingenio, & assuetudine incommodorum patientissimis, si quicquam proficiendum esset, Christianæ seueritatis non vulgaria exempla in conspectum dare. Sed viri labores, & quotidianam pro Euangelio mortem, si hoc loco persequi iuuet; annales hactenus Iaponicos necesse sit iterari. Hunc Iaponia nouum in cælo patronum accepit: sed multò plures acceperat paulò ante Brasilia Ignatij Azebedeij, & Sociorum triumphali occasu: quem æquum est cum curâ, ac pietate referre. Principio anni Azebedius in Lusitaniâ ad Vallem Roseti Collegij Olisiponensis villam (vti supra est demonstratum) suas augebat copias, exercebatque in christianâ militiâ, destinans è totâ Brasiliâ tenebrarum Principem, eiusque funestos exercitus exturbare. Noui subinde varijs è regionibus aduentabant commilitones, plerique religionis studio pedites, qui magnâ cum voluptate sanctis amplexibus excipiebantur, magnoque certamine, dum singuli lauare eis præparatos ad euangelizandum pedes contendunt. Iamque, præter multos religiosi vexilli veteranos, Tyrones conuenerant plus quadraginta, quos in superiore ædium parte ab ceterorum secretos commercio, cùm Ignatius non præceptis magis, quàm exemplis Tyronum ipse munia antecapiens instituere cœpisset; Veterani nouo incitati ardore, pro se quisque magnis precibus insistere, vt pariter ipsos ad tanti momenti expeditionem, perinde vt Neuitios, suo magisterio reformaret. Ita extra contubernium, quod mutatum non est, cetera facta communia. Præter sacrum, binasque de more conscientiæ excussiones, binas quotidie omnes in precatione, atque meditatione, dato campanâ signo, vnam ante, alteram post meridiem horas ponebant: multisque longiora spatia, vt cuique aptum erat, concedebantur. Sæpè interdiu separatim singuli, vesperique simul vniuersi salutatum ibant diuinissimum in Sacello Sacramentum. Quam venerationem non modò ex pietate, sed & quadam vrbanitate præsenti Domino debitam, itemque meditationem sacrorum eius cruciatuum plurimùm commendabat Ignatius. Senos idem, septenosue, alios deinceps alijs succedentes, in arctiore secessu exercitationibus spiritualibus per se se, vt ad suam voluntatem fingeret, excolebat. Addebat igni Sancti Spiritus ventilando quotidianum ardentis linguæ flabellum, nihil fere in cunctis sermonibus, nisi labores, ærumnas, crucem, ac sitim animarum loquens. Quæ, cùm ex intimo animi sui sensu traheret; ad intimos quoquè audientium animos transmittebat; eò etiam efficaciùs; quòd acriùs multò in agentis manu, quàm in ore dicentis expressa crux eminebat. Primus infima tractare munera, primus arripere asperrima, ministrare mensæ, purgare culinæ vasa, domum euertere, afflictare se se, ligna ex syluâ ferre, aliaque id genus. Eò fiebat, vt virtutis formam, mirâ consensione, in factis, dictisque magistri pulcherrimè extantem, auidi intuentes discipuli, ingentibus haustis spiritibus, quicquid vsquam durum, asperumque perpessu est, omnia hominum, dæmonumque tentamenta quodammodo prouocarent. Dumque ad maiora inhiant, è præsenti materiâ singulis laboriosissima quæque appetentibus, non alibi solùm totâ domo insignia cernebantur virtutis exempla, sed ipsum cœnaculum dixisses pœnitentiæ magis ergastulum, quàm necessitatis perfugium. Quippe summo inrerum silentio sacrâ dumtaxat lectione, vel sese verberantium crepitu personante, hic stans in medio, ille abiectus humi, ille emendicans, alijs alij pœnarum formis, quam capiebant buccellam excruciabant: ita ineuitabile pendentes tributum corpori; vt interim quæstum indè animi multiplicem exercerent. Congruebat mensæ collocutio familiaris à mensâ. Non illa scilicet exinanitio erat (quod parùm cautis ex facili eueniat) pietatis; sed sanctorum inuicem communicatio sensuum, atque desideriorum iucunda inflammatio: quam religiosa comitate subinde exhilarabat varijs modis Ignatius: nec rarò de Sanctorum virtutibus excitato sermone. Cùm enim qui cuique in sortitione menstruâ contigissent cœlites, eos singuli magnâ celebritate suo die venerarentur; adscitâ in-

208 Ignatij Azebedij, & Sociorũ mors.

209 Quase, & Socios ratione præmuniuerit.

210 Piæ Sociorum exercitationes

211 Azebedius in sui contemptu ceteris præit.

212 Exempli vis;

auxi-

Digitized by Google

auxilium aliquot Sociorum manu, quibus deinde mutuas reddebant operas, cùm ſuos ipſi quoquè honorarent Patronos; de eius Sancti viri, qui eo die coleretur laudibus perconctabatur Ignatius, præmio propoſito, qui præſtantiſſimam dixiſſet. Præmium autem erat, vt permitteretur vel ſe ipſe flagello cædere, vel à quopiam publicè obiurgari. Vbi vellem interfuiſſent nimium ſui amantes, vt viderent quàm dulcis, ac blanda ſit Euangelicæ Philoſophiæ facies, cuius quaſi triſte, ac formidabile nomen horrent. Denique quæ vſpiam in Societatis Tyrocinijs, ad corpora, animoſque exercendos fiunt; in eâ fiebant Villâ: eoque intentiùs, quòd vniuerſa illa cohors animo aſperrima olim toleranda præcipiens, non ad mediocria ſe certamina, vulgareſque cudebat laudes: vndè fiebat, vt ipsâ in vmbrâ facinora ederent quauis luce digniſſima: gratum ſpectaculum patri cæleſti, qui in abſcondito videt. Tale fuit illud Franciſci Petrij Godoij, qui coquo datus adiutor, quòd in præſtituto tempore vacare meditationi nequiuerat, compoſitis à prandio ſui miniſterij rebus, cùm ad optatum receſſiſſet cum diuinitate congreſſum; coquo, qui ſe illum, cùm tempus eſſet, aduocaturum dixerat, oblito; genibus flexis ipſas horas ſeptem, inſigni cum animi voluptate, orans permanſit: quoad re cognitâ, quia veſperi in cœnaculo non apparuerat, euocatus, interrogatuſque cur ad cœnæ ſignum non præſto fuiſſet; tum primùm ſe euocatum fuiſſe modeſtè, hilariterque reſpondit. Is Oppido Tirrigijs Toletanæ diœceſis ortus ex eo ſe ferebat, & habebatur iuuenum numero, quos robuſtos, valenteſque ceteri vocant, & admirantur. Et generoſam indolem conuerſus quoquè ad diuina impetus palàm fecit. In Salmanticenſe Collegium, impetrato ad ſpiritum exercendum aditu, vt Societatis amor ſubijt, expelli domo nequaquam potuit: barbâ etiam ſibi ad moræ neceſſitatem fœdè curtatâ: labrique ſuperioris crinibus, quibus ante prælongis gloriabatur, abſciſſis. Qua piâ pertinaciâ eodem loco receptus, & Methymnam ad Tyrocinium miſſus, inter alias peruicaciæ humanæ ſubigendæ exercitationes, quoniam ſtudioſus munditiarum fuerat, ſtans medio in cœnaculo veſci ſolebat, obſoleto culinæ mantili vice mappæ os tergens: quod & ad perfricandos dentes, qua parte ſordidiſſimum erat, penitus inſerebat. Quicquid verò miniſterij, operiſue religioſi obiret, ſic impensâ obibat curâ, vt admirationem ſpectantibus commoueret. Et fuit, qui percunctaretur, quid ita vaſis culinæ mox rurſum fœdandis tanto tergendis opere elaboraret, vt non munda ſolùm, ſed & nitida efficeret. Cui ille reſpondit: ſe quotidie veſperi, quicquid inter diem egiſſet, Reginæ cæli domo offerre: eoque conari, nihil vt non purgatiſſimum, atque nitidiſſimum, tantæ videlicet Reginæ conſpectu dignum offerret. Inſtituebat Tyrones egregius Magiſter, ſanctuſque vir Balthaſſar Aluarius, qui ad ceteram ſolertiam diſcipulorum mentibus præclaras quaſdam inſculpebat ſententias, quæ rerum agendarum & ſtimuli, & forma eſſent. Talis erat illa: Nemo degeneret à præcelſis cogitationibus filiorum Dei: quam Godoius, vt excelſo, nobilique ingenio congruentem maximè arripuit, frequentauit etiam in ſupremo conflictu. Sed obeundæ fortiter mortis occaſionem mira Dei prouidentia, ex naturæ malignitate, præbuit. Inerat oculo (ſiniſtro veriſimile eſt, qui Sacerdotio magis eſt neceſſarius) cœcum vitium. Id vt Balthaſſar, dum neſcio quid ex eo latere porrigit, nec ille videt deprehendit; de remittendo domum ad ſuos agebat: cùm interuenit Azebedius, & in Braſiliâ tolerabile incommodum ratus; ſummè volentem ſibi comitem aſſumpſit: eò libentiùs, quòd non iuris modò Pontificij, ſed, & canendi, quæ magno apud Braſilos facultas vſui eſt, benè peritum cognouit. Atque ita effectum eſt, vt tyro magnanimus eidem oculi vitio, vndè optatiſſimum bonum perdiderat, glorioſiùs deberet: & idoneus inueniretur triumpho, qui non videbatur aptus militiæ. Ad eam gloriam nunc ſeſe neſciens totâ illâ vi corporis, atque animi, vnà cum Socijs pariter ardentibus, ſub Ignatio præformabat. Verùm ante omnes ipſe ardebat Ignatius, & diuinis voluptatibus complebatur: vt apertè profiteretur, nequaquam ſe huic Vallis Roſeti ſeceſſui ſimile impoſterum totâ vitâ ſperare tempus. Pariter cum hoc præ-

213 Virtus blandior eſt quàm creditur.

214 Fràciſci Petrij Godoij ſimplex, & conſtàs obedientia.

215 Eiuſdem feruor inſignis.

216 Braſiliam adeundi occaſio

parandorum animorum ardore, quæ domicilijs, templisque in Brasiliâ statuendis, Euangelijque propagationi vsui futura essent, comparabantur. Variorum artificiorum periti Fratres, quicquid ab animis instruendis interquiescebant, suis cuique è ceterorum numero adiutoribus attributis, hic ligneas cruciculas fabricari, & tabularum pictarum fulcra, & loculos: hic pingere: ille vestes ad sacrorum vsum: ille ad Sociorum indumenta conficere: alij disputationes, tractationesque vel ad doctrinam, vel ad pietatem exscribere: alij alia, vt poscebat vsus, approperare, signum profectionis auidissimè expectantes. Ceterùm Oneraria illa, quæ conducta fuerat ad vrbem Portus, quanquam de suis aliquot Ignatius miserat, qui accelerarent, oppidò nimium procrastinabat: quare operiendum fuit, dum cum regiâ classe iretur. Ludouicus Fernandus Vasconcellus Brasiliæ Præfectus magno cum apparatu ad colonias instituendas ab Rege mittebatur. Cum eo profecturus Ignatius, qui nauigationis appetebat tempus, præque locorum angustijs in tanto numero Sociorum, Vallisrosetana Villa minus iam erat valetudini secunda; inuitatu Patrum Sancti Rocchi, Olisipponem ad Tyronum conclauia, adhuc propter pestilentiam vacua, suos traduxit. Ad quindecim id dies egerunt, eodem disciplinæ ordine, quem in Villâ tenuerant, multis per vrbem adscitis edomandi fastus generibus, & aliquandiu in obsequio Nosocomij exerciti. Ita prouidentissimus Deus nobilem cohortem ad glorioſum, quem illi destinauerat exitum, omni virtutum genere munitum ibat: intento etiam Ignatio, vt si quos experimenta, vel Societati, vel Brasiliæ minus idoneos ostendissent; tempestiuè separaret. Aderat iam dicta profectioni dies: resque, ac Socij in varia distributi nauigia erant: cùm Oneraria Sancti Iacobi tamdiu expectata ex vrbe Portus Olisipponem appulit: cumque eâ missi ab Ignatio ad celeritatem curandam Socij, tam aduerso vsi cursu, atque periculoso; vt mortis præsentis conspectu deterreri potuissent, nisi pro gustu accepissent deliciarum, quas petituri in Brasiliam contendebant. Continuò in eam Onerariam præcipuo Sociorum corpore, & sarcinis ferè cunctis translatis, Ignatius, cum Iacobo Andradâ Sacerdote, atque Socijs amplius quadraginta conscendit: reliquos Petrus Diazius in Prætoriâ ducebat. Pater Franciscus Castrius cum lectis tribus Sacerdotij expertibus naui impositus, quæ Orphanorum vocabatur, propterea quòd multos vtriusque sexus impuberes pestilentiâ Olisippone nuper orbatos in eâ Rex ad frequentandam Brasiliam transmittebat: quorum in itinere cura permissa Castrio est. Ibant de Societate quantus nunquam oceanum illum conscendit numerus, capita vndeseptuaginta, præter nonnullos, qui eo consilio vehebantur, vt si probassent suam inter nauigandum virtutem, in Brasiliâ aggregarentur. Equidem non vereor ne exaggerare rem tragicè videar, si ad apparatum tantum contremuisse Tartarum narrem: & ante alios Brasiliæ Tyrannos spiritus insolito terrore concussos, omniaad procul arcendas pietatis copias tentare adortos; terras, & maria miscuisse, mouisse fluctus, tempestates armasse, furiosorum hominum incitasse mentes, ac manus: nec verò, quæ sunt Numinis abdita consilia, sine effectu. Quin ipse Ignatius tam prosperum ad id loci rerum cursum formidans, tanquam mens aduersi quidpiam præsagiret, ex naui ad Borgiam quarto Nonas Iunias scribens, post enumerata, quæ vehebat copiosa auxilia, subijcit: Quanquàm mea peccata minantur mihi aliquid in mari, ac suggerunt, minus conueniens esse ire me cum tam bono comitatu, totque vitæ degendæ adiumentis, quammulta ferimus. Decimo, postquam vectores conscenderunt, die Nonis Iunij, secundis aspirantibus ventis, vela fecerunt septem numero naues. Interim dum afflatus expectarentur idonei, alijs in suâ quoquè naui res componentibus, in Sancti Iacobi onerariâ Ignatius dimidiâ parte ab malo ad puppim secretâ sibi, perfectam rectè institutæ Collegij formam descripsit. Is erat sacrarum rerum ordo, ea vitæ quotidianæ distinctio, signis ad varias pro temporum ratione actiones tintinnabulo editis: ea exercitatio virtutis, quæ in pacatissimę vrbis, domusque tranquillitate laudaretur. Gaudebant nautæ, militesque, & ceteri vectorum, pulcherrimo ordine, innocentissimæ vitæ exemplis,

217 Apparatus pro Ecclesijs Brasiliæ.

218 Quandiu expectata nauis, quæ ad morte Socios vexit.

219 Sociorum distributio in nauium conscensu.

220 Hominum, ac Maris procellę in Socios excitantur.

Digitized by Google

plis, comitatu tam sancto. Ignatius, cùm singulos piaculari globulorum serto ad precandum, & consecratæ ceræ Agno donasset, comitateque, ac dexteritate religiosâ demeruisset; paulatim ita diuinarum rerum intendit studio; vt iam non pars dumtaxat, sed tota nauis, sacri instar Cœnobij, videretur. Inuocabantur in commune quotidie pio cantu ex litaniarum nomenclatura cælites. Missa citra Sacrificium celebrabatur, postque eam concionem habebat Ignatius. Explicabatur ab meridie catechismus: cui eâ cuncti simplicitate intererant; vt & Nauarchus, & Gubernator, alijque Primores gauderent se se interrogari: deque pio præmiolo, quod Ignatius proponebat, cum ingenuitate, dignâ nobili, christianoque animo, dimicarent: eorum indole paruulorum, in quam se formet necesse est, qui mentem cœli capacem amet. Aberant ludi, nulla audiebantur iurgia, nullæ impiæ, aut absurdæ voces, neque cantiones, nisi quæ secundùm explicationem catechismi sanctissimè adhibebantur. Hoc ordine ad Insulam vsque Materiæ, vnà cum reliquâ Prætoris classe, magnâ omnium lætitiâ, octauo die ventum est. Ibi consilio habito, Vasconcellus, quoniam timebatur malacia, neque aliâ tempestate Africæ ora, quam Guineam vocant, præterue hentibus exitiosa magis reperiebatur, cùm decreuisset aliquantisper opperiri certiores ventos, Portuensis Nauarchus commeatum petijt ad Palmam, vnam è Fortunatis Insulam, progrediendi: quod neque Ludouico, neque Ignatio consilium probabatur, ob pericula Pyratarum, quibus ferebantur ea infesta maria. Sed cùm instaret Nauarchus, & plerique mercatorum, suamque agi rem magnam contenderent, quòd ibi partem onerum maximam deponendam, assumendaque alia haberent, nec dubiè pollicerentur in tempus vnà repetendi cursus Brasilici occursuros, Ignatio suam, post Nauarchi, & mercatorum commoda, securitatem habente, abeundi veniam Ludouicus quoquè dedit. Tum Patres enixè instare, suadereque Ignatio, ne secum omnia in periculum daret: maneret ipse cum classe: vicarium Sacerdotem in Sancto Iacobo mitteret. Sed noluit magnanimus vir perpetuum suum, quæ laboris, periculique haberent plurimum assumendi sibi, morem abrumpere. Ceterùm nequis eorum, qui vnà vehebantur, fortè minus volens in discrimen adduceretur; vniuersos in communi affatus, seriò admonuit iter periculosum suscipi: integrumque esse, cui animus ad mortem, si opus foret, fortiter obeundam minùs suppeteret, cum reliquâ manere classe. Quâ denuntiatione nihil territis, sed potius accensis ceteris, quatuor modò Nouitij tutiora secuti manserunt: qui paulò post omne religiosæ vitæ consilium penitus abiecerunt. Adeo qui excipiendis nouis Dei donis ingratum pectus occludit, etiam veteribus spoliatur: talentumque non exercenti adimitur. Tertio Kalendas Iulias in Petri, Paulique Principum Apostolorum solenni, omnes æquè Socios Ignatius, atque vectores confessione purgatos epulo diuino refecit, sacris operatus in ædiculâ Sancto Iacobo dicatâ. Postridieque è Materiâ discessere eâdem, quâ prius, eo etiam maiore omnium religione; quòd iam satis vectores nouo illi vitæ cælestis genere assueuerant, & palàm cuncti prædicabant, quando ita cælestibus muniti præsidijs irent, iam se nec Hæreticos, nec casum quemquam pauere. In Ignatio quoquè nouam indè sanguinis pro Christo fundendi emicuisse cupiditatem narrant, quam frequentibus suspirijs, incensisque de eo argumento sermonibus declararet. Postridie quàm illi abierant, ad Vasconcellum nuntius Kalendis Quintilibus affertur, ad portum Sanctæ Crucis (qui in eâdem Insulâ Materiâ est) quinque Gallicanas Hæreticorum è Rupellâ naues aduectas, Iacobo Soriâ Præfecto, qui perduellium ex factione Admiralij vicarius, Papistarum, ac nominatim Iesuitarum hostem se capitalissimum ferret. Instruit aliquot Vasconcellus nauigia raptim ad pugnam: & solatio in omnes casus manu quoquè Sociorum assumptâ, vbi primùm illuxit, aduersùs prædatores egreditur. Sed illi Belgicâ naui captâ, prædâque abactâ aliâ, & inter captiuos religiosis quoquè Franciscanis duobus, & Funcialensis Ecclesiæ Sacerdote scholæ Magistro abductis, congressu non expectato, è conspectu celerrimè euolarunt. Et Vasconcellus in Portum, vndè abie-

221 Religiosa nauigatio Ignatij, & Sociorum.

222 Oneraria Portuensis ab classe disiungitur.

223 Optio datur Socijs periculũ euadendi.

224 Quatuor Nouitij à periculo recedentes Religionẽ deserunt.

225 Iacobus Soria hæreticus & Archipyrata.

Digitized by Google

abierat, se recepit. Interim Portuenses mercatores modicâ prouecti aurâ, tandem proximè ad Palmam, octo circiter millia passuum, venerant, cùm vento repulsi violenter aduerso, recipere se in stationem coacti sunt, vrbi Palmæ aduersam, quæ Tertia cohors vocatur. Hîc nobilem, atque opulentum virum Belgam veterem amicum, cum quo vnà fuerat educatus fortè Ignatius, reperit: à quo non humaniter solum vnà cum Socijs, sed sumptuosè, ornatèque tractatus est. Quinque dies in statione illa constitere: totoque eo tempore humanissimus hospes nunquam destitit suadere Ignatio, vt indè ad vrbem Palmam terrâ pergeret: iumenta, & quicquid opus foret ad rem, Socioſque transuehendos, prolixè deferens: super omnia periculum Pyratarum in mari memorans, longoſque flexus nauigationis, cùm pedestre non plus trium leucarum iter esset. Tam multa dixit, adeoque amanter; vt Ignatius animum induceret amici consilio, atque beneficentiâ vti. Ergò onerum partem, perrecturus indè per Insulam, è naui iussit efferri. Sed postero die, cùm Sacrificium peregisset, in quo Socios omnes munimento salutis æternæ Sacrosancto Christi corpore impertiuit, mutato prorsus consilio, ab sancto Altari discessit: siue existimaret posse leuitati tribui, nimiæque prudentiæ, si tanto cum motu rationem itineris, modici compendij gratiâ, immutaret, Nauarchique, ac ceterorum offensionem metueret: siue religioni sibi duxerit comitatum naualem, cum quo tantum emensus oceani, tantum emensurus erat, in ipso necessitatis articulo, si quid periculi immineret, deseruisse: seu quid aliud eius menti Deus obiecerit. Illud certè notum erat, non rarò solitum Ignatium noua ab Sacrificio consilia reportare. Fratribus hanc vnam mutatæ sententiæ rationem exposuit. Cogitabam, inquit, ad Hæreticorum declinandos incursus, terrestre iter tenere: sed nobis quid possunt Hæretici facere, nisi vt tanto citiùs perueniamus in cælum? Repetitâ igitur nauigatione, post ingentem circuitum, lentissimo progressu, quarto die mane Idibus Iulijs, qui erat dies Sabbati, ab Portu Palmæ vrbis tres circiter leucas aberant: sed alius eos portus, alia manebat palma felicior. Igitur adeo propinqui conspectu Portus exhilarati, iamque se arbitrantes in tuto, inuicem vniuersi gratulabantur: cùm è carchesio speculator inclamat, ingens apparere nauigium, ac subinde ingeminat, nauigia quatuor sequi minora. Perturbauit omnes nuntius: tamen suspicabantur amicam, ac sociam, fortè Ludouici Vasconcelli relictam in Materiâ esse classem. Verumenimuero maximi illius nauigij velocissimo accessu breui patuit Prædones esse. Iacobus erat Soria, cum suis. Quippe vbi insulam Materiam satis Lusitanâ classe munitam vidit, deque prægressâ Portuensi Onerariâ (vt vero simile est) indicium accepit; eam (vt ferarum ingenium est diuulsas à grege pecudes inuadentium) oppressurus, ad Insulas Fortunatas cursum direxit. Nec irritus voti abijt. Onerariam illam maria, ac tempestates, velut coniurata, per varias moras tenuerant, dum raptorum in fauces conijcerent. Quæ simul primùm conspecta est, in eam Archipyrata, velut in columbam accipiter, concitatissimo cursu, certoque agmine inuolat. Rostratam agebat cum primis munitam. Instrumentum bellicum egregium, plurimumque vehebat. Bellatores trecentos pleroſque loricatos, nonnullos cataphractos. In Sancti Iacobi Lusitanorum vix quadraginta pugnæ idonei numerabantur, nec admodùm instructi armis. Qui, tametsi tanto se inferiores videbant; tamen rem in pugnæ casum statuerunt committere. Ignatius eius consilij noluit esse particeps: sed postquam hæc omnibus sententia steterat; vehementer eos incendit, vt quoniam contra hostes catholicæ fidei pugnandum foret, magno, fidentique animo congrederentur: felices in tali causâ si vel sanguinem fudissent. Rogauit Nauarchus, vt quoniam id causæ meritum, eaque propugnatorum paucitas erat; aliquot Sociorum habiles magis, arma iuberet capere. Sed Ignatius nihil admodùm momenti eos ferro facturos ratus; non quidem ad pugnandum, sed ad suggerenda bellatoribus auxilia ministratores sedulos præsto dixit futuros: legitque ex omnibus, qui vltrò se offerebant, aptissimum quemque. Erant in eâ naui de Societate homines, vno minus quadra-

226 Ignatium nulla consilia abstinere maritimo, & obeunda morte diuertunt.

227 Omnes tempestates ad oppetendam mortē inuitant.

228 Soria in Onerariam tendit.

229 Ignatius animos addit ad pugnam contra Hæreticos.

ginta,

Digitized by Google

ginta, plerique Nouitij, vndecim tyrocinio decurso religiosis votis obstricti. In his, præter Azebedium, Iacobus Andrada ex oppido Petrogaio, quod magnum vocant, Sacerdos, qui, quasi œconomi (ministrum nos dicimus) inter Socios fungebatur munere, magnæ virtutis vir, trium votorum professus, ætate annorum ad quadraginta, tredecim in Societate exactis cum perpetuo Indicæ expeditionis voto: reliqui nouem non Sacerdotes, Benedictus Castrius ex Episcopatu Mirandæ, nonum Societatis, vigesimum septimum annum ætatis agens: cui item ab ipso tyrocinio fundendi pro Christo sanguinis, ac propagandæ apud Indos fidei voluntas orta, semper vehementius incaluerat: tumque in naui, Magistri Nouitiorum partes agebat, humilitate, & caritate insignis: Ioannes Fernandius Olisipponensis tyrocinij biennio non multo ante exacto scholasticus: præterea Antonius Suarius prominister: Emmanuel Aluarius Eborensis eximiæ innocentiæ, è pastoritiâ olim vitâ ante quindecim annos ad Religiosam transgressus: Franciscus Aluarius ab Cauillone: Dominicus Fernandius à Villauitiosâ, quorum nihil præterea traditum memoriæ est, nisi administros vitæ domesticæ, ætatis iam robustæ, spectatæque virtutis fuisse. Accedebat Ioannes Maiorga Aragonensis pictor non malus, tertio ante anno in Societatem Cæsaraugustæ adlectus, cùm quintum supra trigesimum annum ageret: quem nominatim Azebedius ex Vrbe reuertens optarat, vt religionem in Brasiliâ sacris imaginibus ornaret, ac fereret. Aliquot Cæsaraugustæ, & in Lusitaniâ extant eius opera, iam eo quoquè nomine religiosa, quòd suo illa sanguine decorarit. Silentium inter eius virtutes maximè spectabatur. Item Alfonsus Vaëna Castellanus olim artificio aurifex, ætate tricenarius, in Societate fermè triennis, virtute omnino maturus: & Stephanus Zurara Cantaber, qui in Collegio Placentino omnibus pro simplicitate, ac vitæ innocentiâ vnicè carus, cùm esset vestiario præfectus, eò alacriùs Ignatium secutus erat, quòd (vt Iosephus Acosta, cui tum Cõfessario conscientiam aperiebat) deindè testatus est, diuino monitu inter exercitationes spiritus, ad quas secesserat, se ad mortem fidei causâ obeundam duci cognorat. Ignatius his propè omnibus ad iuuandos milites lectis, adiecit è Nouitijs Consaluum Henricum ex vrbe Portus Diaconum, Emmanuelem Patiecum à Zeitâ, Iacobum Petrium Dinim, olim cognomento Mimosum, & Franciscum Petrium Godoium nunc maximè eâ se, & Socios voce confirmantem, non esse à præcelsis cogitationibus filiorum Dei degenerandum. Hos armatis immistos iussit Ignatius adhortari eos ad fidem catholicam, & Romanam Ecclesiam defendendam: saucios excipere, alligare vulnera, aliquid cibi, aut potionis suggerere pugnando fessis, aliaque horum similia: ipse raptim Cœlitibus litaniarum carmine in medio cœtu inuocatis, iunioribusque iussis infra tabulatum succedere, propemalum Deiparæ effigiem è Sancti Lucæ Exquilino Romæ exemplo in æreâ laminâ expressam manu tenens gradum fixit. Nec mora: Rostrata Soriana, tanquam alis vecta, adest, iubetque Lusitanos vela colligere. His deditionem abnuentibus, pugna conseritur. Explosis vtrimque tormentis, nec sine Hæreticorum damno, irruens Soria Onerariam Lusitanam, haud planè indeptus, tres duntaxat in transitu è suis in eam immisit: quos continuò adorti Lusitani semianimes deturbarunt in altum. Ea res Gallos è proximo spectantes valdè commouit, quòd trium vnus inter eos magni erat nominis, & à Iacobo primus. Eò igitur ardentiùs, iterum, ac tertiò inuecti, tandem quarto impetu indipiscuntur: oppositâque Onerariæ ad proram Rostratâ, aliis iam quatuor minoribus nauigijs circumfusis, pugnatorum egregiam manum circiter quinquaginta inijciunt raptim, atque præteruehuntur, intelligentes pro raritate defendentium satis superque eam vim impugnantium esse. Fit strepitus totâ naui. Hos causæ æquitas, & vitæ, ac rerum suarum, & religionis sanctæ defensio: illos auaritia, impietas, furor accendit. Demum haud paucis Lusitanorum militum, ac postremò etiam Nauarcho inter extinctis pugnandum, tota se oneraria hosti permisit. Cùm ad prædandum versi Hæretici, per receptacula omnia, & latibula raptim excurrere. Interea, captiuæ nauis Gubernatorem, simulque Calasatem, vt vocant,

230 Præcipui Sociorum Ignatij

231 Benedictus Castrius

232 Ioannes Maiorga.

233 Stephanus Zurara.

234 Franciscus Petrius Godoi.

235 Committitur pugna.

236 Hostes præualent.

Digitized by Google

ad Iacobum Archipyratam mittunt, quòd hi duo nobilem, quem diximus, Gallum in primo congressu interemissent: vnàque Simonem Acostam tyronem Societatis, vndeuiginti circiter natum annos adijciunt. Causa incomperta. Suspicabantur Nautæ idcirco missum, vt quoniam nondum vestitum religiosum assumpserat, & species erat liberalis, quæ mercatoris cuiusplam magni filium indicaret; negotiorum ex eo rationes, & occultiora mercium peruestigare Soria posset: vel certè quòd ita erat benè corpore constitutus, ore pleno dignitatis, in suam eum familiam cooptare si vellet. Qui hos transuexere, simul interrogare iussi sunt, quid fieri Iesuitis vellet. Vti supra significatum est, cùm præcipuum in Catholicos odium Soria profiteretur, Iesuitas quoquè pessimè oderat, quòd in Regno Galliæ Catholicorum partes omni conatu sustinerent; ac vehementissimè putarentur obstare, ne veteri religione abolitâ, cuncta Gallia tandem aliquando ciuilibus, per quos fœdè atterebatur, tumultibus extinctis, pace beatissimâ (vt Hæretici somniabant) sub nouo Caluini Euangelio frueretur: neque his solùm Iesuitæ bonis obstarent, sed tandem doctrinam, Papæque cultum ad nationes barbaras, ac nouum Orbem terrarum deferrent: quas res misera Hæreticorum cœcitas pro sacrilegijs detestatur. Hoc imbutum odio pectus Soria aduersùs Societatem gerens, postquam vltro citroque sæpiùs scapha commearat, ipsemet tandem Rostratâ proximè admotâ, magnâ voce intonuit: Interfice, interfice Iesuitas: deijce canes istos, presbyteros, monachos, deijce in profundum, qui prauæ doctrinæ semina ad Brasiliam ferunt. Qua auditâ voce, Tartarei satellites, secretis vectoribus; in fidei Catholicæ defensores, satoresque rabidè inuecti; parte ad antliam relictâ, parte ad mediam ferè nauem deductâ, vniuersos, illic è portulâ, hîc è margine præcipites dant: eo delectu; vt grandioris ætatis, & quibus in vertice sacræ tonsuræ signa inuenirent, eos, antequàm in altum deuoluerent, repetitis ictibus pugione confoderent. Ita Iacobus Andrada, Dominicus Fernandius, Antonius Suarius, Franciscus Petrus Godoy, & alij quidam deuoluti post plagas semiuiui. Ceteros, quorum intra septimumdecimum, & duodeuigesimum annum versabatur ætas, intactos ferro, fluctibus dedere, prolixiore morte crudelitatis beneficio extinguendos. Quos miserrimum planè erat spectaculum videre, partim illico absorberi vndis, partim natatu aliquamdiu se substentantes, tandem defatigatos haurire mortem. Narrarunt dein Nautæ Lusitani, quosdam se animaduertisse inter cadendum in aquas, quadam hilaritate vultus iucundissimâ conspersos: præcipuè Franciscum Magallianem satis notum Nautis, quòd sæpè illis Sanctorum vitas in itinere recitabat. Ioannem Fernandium Bracarensem, Antonium Vaënam, & Marcum Caldeyram. Et is quidem sæpè solebat dicere, celerem se in Brasiliam optare aduentum, vt ibi pro Christo occideretur: quò nimirum alacriùs, hoc supra vota beneficium in ipso obuium itinere suscepit. Sed vt ad Ignatium Azebedium, non tam itineris, quàm mortis Ducem reuertamur. Agebat is in mediâ naui, qui primùm omnium Catholicam testatus fidem, Hæreticorumque detestatus errores, mox ad Socios conuersus: Defendite, inclamabat, Fratres, Catholicam fidem: defendite Romanam Ecclesiam: interdumque Hæreticos appellans, acriter in eorum errores inuehebatur. Benedictus Castrius, qui cum Tyronibus initiò secesserat, vbi vidit impleri hostibus omnia, Socijs, qui prostrati ad Deum fundebant preces, vltimùm salutatis, arreptâ manu Cruce, ad castellum proræ, quà hostes irrumpebant, exilijt. Ibi fixo gradu Catholicos dum incendit, Hæreticos arguit, tribus scloporum ictus glandibus, nec tamen deiectus; cùm adhuc pergeret testificari miseros illos esse, impios, pestifero errore occœcatos, pugione sæpiùs in corpus adacto, adhuc spirans in mare proijcitur, atque è beatâ illa cohorte primus occubuit. Subinde Ignatio eodem in gradu nullum finem facienti augustam cælestis Reginæ speciem ostentandi, Romanæque Ecclesiæ veritatem profitendi, truculento ore Hugonottus irruens vasto impetu in verticem vulnus inflixit: nec vltrà moratus, quòd scisso capite ad cerebrum vsque ferrum peruasérat, aliò vertitur. Id Andrada, & Sociorum aliquot

237 Simon Acosta Societatis tyro ad Archipyratam mittitur.

328 Soriæ in Iesuitas odium.

239 Iubet reliquos in mare deijci

240 Carnificina immanis.

241 Benedictus Castrius occiditur.

242 Ignatij Azebedij nex.

Digitized by Google

aliquot conſpicati, ad cariſſimum aduolant Patrem, labentemque manibus exceptum, vnà cum Deiparæ imagine, quam preſsâ manu longè aliâ, ac Spartani clypeum, curâ ſeruarat, in cubiculum clauo proximum deferunt. Hic totus perfuſus ſanguine, quo humentes lacrymis fratres, ad vltimum ſancti Paſtoris amplexum accurrentes libentiſſimè aſpergebantur, paucis eos ad perſeuerandum conſtanter hortatus, expirauit. Interim retulerunt ſe Andrada, & alij Socij ad caritatis, & religionis officia. Iacobus Petrius Dinis, cùm prope eum veniſſet locum, vbi Ignatius ceciderat; haſtâ tranſuerberatus interijt. Indè Ioannes Maiorca Pictor nullo læſus vulnere deturbatur viuus è naui. Conſaluus Henricius Diaconus, Emmanuel Rodericius, Emmanuel Patiecus, Stephanus Zurara, eodem putantur ſublati caſu. Nunquam enim poſt exactam pugnam apparuere; nec eorum corpora in naui reperta. Emmanuel Aluarius in caſtello perſtabat puppis, clamoribus magnis inflammans animos, prædicanſque Catholicam fidem. Et cùm iam debellatum eſſet, Hæretici per ſummam crudelitatem, poſt immania verbera, brachia, & crura ſcloporum tubulis confregerunt: trahentemque animam, ad immanitatis cumulum, abiectum in naui reliquerunt: quem fratres celeriter raptum infra tabulatum deportarunt, Deo plurimùm gratulantem, quòd cùm quindecim annos in Societate egiſſet, & ferè decem Braſilicam expeditionem poſtulaſſet; tandem exitu adeo optabili longa ſua vota compleret. Quoſdam furor in cubiculum egit, vbi Sociorum aliquot ante ſacras imagines abiecti genibus perſeuerabant orantes: continuòque impetu in eos, tanquam in ſacrilegos Idololatras facto, Blaſium Riberium Bracharenſem quatuor & viginti annorum, non plus ſeptem in Societate menſibus actis enecant, capite gladiorum capulis contuſo, cerebroque diſperſo. Petro Fontoura item Bracharenſi, impacto in os vulnere, inferior abſciſſa mandibula eſt, vnà cum linguâ. Antonio Correæ Portuenſi caput dirè quidem capulis infractum: ſed & hic, & Fontoura ſpirantes relicti: vt ferant Corream de capitis ſui duritie conqueſtum: adeò abundabat etiam ad lepidè dicta animus moribundo: quanquam prorogatus vtrique cruciatus, non erepta eſt palma. Triginta adhuc ſupererant è Religioſo vexillo. Hos, quia Nauis concuſſa tormentis multum rimis accipiebat aquæ; victores Hæretici exhauriendæ ſentinæ addicunt: multis interim one antes contumelijs, perque ludibrium Papiſtas, monachos, presbyteros vocitantes, pugnis diuexantes, & alapis, & calcibus, ad hæc plano gladiorum cædentes. Famuli Dei ſecum ad antliam Emmanuelem Aluarium cruribus, & brachijs fractis, adhuc trahentem animam ad mutuum ſolatium deportarant. Ille in areâ proiectus non ceſſabat nec Deo gratias agere de doloribus, quibus torquebatur acerrimis, nec adhortari ad patientiam cariſſimos fratres. Nec multò poſt rurſus apud Andradam labibus conſcientiæ expiatis, rogatiſque omnibus, vt pro ſe ſinguli Apoſtolicum ſymbolum pronuntiarent, expectabat beatum finem: cùm agnitus ab Hæreticis, quòd adhortatus ad pugnam ante fuerat Luſitanos; viuus in mare deijcitur: vnàque Fontouram adhuc mento abſciſſo, ſpecie miſerandâ ſuperſtitem demerſerunt. Mox Ignatij corpus extractum è cubiculo cum omnibus veſtimentis ante oculos fratrum proijciunt: quem omnes animaduerterunt toto corpore ita obriguiſſe, cruribus, brachijſque protenſis; vt Crucis, cuius tantus amator fuerat viuus, videretur ipſum quoquè cadauer figuram adamaſſe. Nautæ deinde narrarunt, tanquam inſolitum quiddam, Sanctum illud pignus, non vt alia ſolent corpora, ſubito hauſtum vndis; ſed in eâdem ſemper figurâ, quoad recedente naui proſpectare licuit, extare in ſalo conſpectum. Iam cum Vectoribus alijs, Nautiſque, non pacatè modò, ſed etiam familiariter Hugonotti agebant. Indè ſperans Andrada ærumnoſiſſimo illi Chriſti Ieſu manipulo, ſuper tantam calamitatem in exhauriendâ ſentinâ defeſſo, laxamenti aliquid impetrari poſſe; modeſtâ cum prece ad eos acceſſit. Quem, cùm quidam è globo Hæreticorum, tanquam rabidus leo correptum, truci aſpectu, minaci fremitu, pugniſque infeſtis abegiſſet; excipiunt alij: dumque pro ſe quiſque illudunt procaciſſimè, raptum etiam galerum iaculantur in aquas. Tum verò ſimul aperto in ver-

243 Aliorum occaſio.

244 Prædonũ immanitas in Ieſuitas.

245 Sentinæ exhauriendæ triginta Socii addicijſtur.

246 Ignatij corpus poſt mortẽ ad inſtar Crucis.

247 Patris Iacobi Andradæ vexatio, ac mors.

tice

tice Sacerdotalis tonsura conspecta est; conglobati ita acerbè, ac barbarè tundunt; vt ad Socios, gaudens quidem, quòd pro Christi nomine dignatus esset dolorem, & contumeliam pati, sed miserum in modum deformatus, tumenti ore, multum è naribus, & faucibus eiectans sanguinis, egrè redierit. Ac subinde ferox Hugonottus in transitu ad proram, cùm incidisset in Emmanuelem Fernandium de Solorico, propter nauis marginem, medium correptum, in conspectu omnium, in vndas præcipitauit, nullâ planè irritatus nouâ causâ, nisi veteri Catholicæ fidei, & Societatis odio. Pergebant ceteri exhaurire sentinam, cùm repentè iubentur subter turrim proræ concedere. Illuc ingressos tunicis exuunt talaribus, numeratosque ad pristinum opus reducunt. Existimabant nobiles athletæ, cùm intrò compellebantur, se se ad ceruices securi subijciendas introduci: cùm euocabantur iam spoliati, continuò demergendos: vadebantque ad quoduis parati mortis genus. Sed placebat Deo hanc exercere militum suorùm præparationem, vt meritum, pro multiplici moriendi voluntate, multiplex sortirentur. Dum reducuntur ad antliam, is in quosdam Hugonottorum (incertum vndè) incidit furor; vt impetu in Alexium Delgadum ex Eluâ facto, innocuum adolescentem, quintumdecimum ferè agentem annum, pugnis, & colaphis ita multarent; vt fœdè cruentatum os ad Socios referret. Quem illi, commiserati habitum, cùm adhortari blandè cœpissent, vt æquo ferret animo, hoc enim sæpius optatum patientiæ, hoc promendæ caritatis tempus esse; Alexius, tanquam ea cohortatio aliquid in se infirmitatis notaret, aliquantum commotus: Quid verò est hoc? inquit: est ne hoc aliquid? Omnia possum in eo, qui me confortat. Indè prædones nondum Iustorum exaturati sanguine, ad explendos vetitis religioso die ventres escis vertuntur. Ingentes patinas collectâ ex prædâ referciunt carnibus: tentandique etiam causâ, quòd sabbatum erat, coctas aliquot gallinas ad Socios mittunt: quas protinus Christiano supercilio arreptas, Andrada palàm, & in oculis omnium in mare effudit. Gregorius Scribanus, & Aluarus Mendius, cùm ægroti ad eam diem iacuissent, & interim dum furor hostium desæuiret, malæ valetudinis vti patrocinio ignoti possent, tam benignè oblatam à Deo noluerunt moriendi opportunitatem amittere. Vbi primùm capta est nauis, (adeò validos in ægris membris gerebant animos) suffulcientes precioſæ mortis cupidine corpusculi infirmitatem, Sociorum se ceteris admiscuerunt, postque probra, atque exhauriendæ sentinæ labores, pariter in pelagus deiecti, ad littora æternæ felicitatis enarunt: hoc opinor lætius; quò corporum iam per se fatiscentium minorem credidere iacturam. Haud minus constanter Simon Acosta, quem deductum ad Soriam ante narrauimus, interrogatus ab eo, essetne ex illo Presbyterorum deterrimorum numero; cum facillimè posset latere, egregio, & Catholicæ Fidei, & Societatis testimonio edito, glorioſam mortem ignominioſæ vitæ præoptauit. Ita vniuersa illa generosa cohors, vno tantùm Ioanne Sancio seruato, pro Palmæ portu, beatæ vitæ portum apprehendit. Atque vt omnium, sicut æquum est, hac etiam in historiâ inclyta extent nomina, quorum hactenus mentio mortis facta non est; hi sunt: Ioannes Fernandus Olisipponensis, & Franciscus Aluarius ab Couillone, iam Tyrocinij biennium egressi. Ceteri Tyrones in ipso rapti ætatis, ac pietatis flore: Ludouicus Correa, Amarus Vazius, Andreas Consaluius, Antonius Fernandius, Antonius Correa, Ferdinandus Sancius, Gaspar Aluarius, Ioannes de Cafra, Ioannes à Sancto Martino, Nicolaus Dinis, Petrus Nunnius, Simon Lopius. Porrò Ioanni Sancio quatuordecim annorum adolescenti, quem ex cultu corporis, & manuum habitu coquendis cibis idoneum existimarunt, ideo pepercisse crediti sunt; quòd eius ministerio indigerent. Sed eius loco alium Deus subiecit. Adolescentes duo, cùm se, laborantibus ad sentinam Socijs inseruissent, cum ijs ambo, tanquam ex ordine forent, demersi sunt, sed exitu planè diuerso: quippe alteri nihil profuit magnis clamoribus sæpè testari, se nequaquam è cœtu Presbyterorum esse: alter, qui iam cupiebat, in Societatem admitti, mortem magnâ voluntate vnà subiens, prius in triumphantem cœli meruit, quàm in militantem terræ Societatem recipi: cuius nomen

248 Alexij Delgadi constantia.

249 Hæreticorum in Religionem libertas.

250 Gregorius Scribanus, Aluarus Mendius, & Simon Acosta vltimò interimũtur.

251 Ceterorum nomina.

252 Ioannes Sacius solus seruatus.

Digitized by Google

men felici fanè omine Sanctus Ioannes erat, prope inuersum è Ioanne Sancio, cuius in locum succeſſit. Hic fuit nouem atque triginta, ſi adauctus quoquè ille adnumeretur, Sociorum beatus exitus, Ignatio Azebedio ſanè digniſſimo Duce. Et profectò fuit Ignatius, quantùm credi poſſit, maximè Crucis amans, ſui negligens, alienæ ſalutis ardens. Patriam habuit Vrbem Portus. Illuſtribus genere, ac virtute parentibus editus Annum agebat alterum, ac vigeſimum, cùm ſeculi inſtantis duodequinquageſimo exeunte venit in Societatem: iure adſcitus in Societatem filij, qui in præcipuo matris eius adoleuerat cultu. Iam olim ex voto concepto ad honorem eius integritatis, cilicinam veſtem candidam aſſiduè geſtabat nudo applicitam corpori, & aliquandiù etiam in Societate geſtauit, quoad re cognitâ Prouincialis voto liberandum putauit. Ex eoque tempore quotidie Roſarium, & preces de immaculatâ conceptione horarias recitare inſtituit. Nec deſtitit vnquam poſtea impenſiſſimè tenére, & diſſeminare, & amplificare cœleſtis Reginæ, & clementiſſimæ matris veneration em, donec imaginem ipſius manibus tenens, vel potius in illius ipſe ſitus manibus inclytam mortem oppetijt. Tyrocinij, & ſtudiorum ſedem Conimbricam habuit. Eâque inductione, atque celſitate animi à principio ſtatim humeros Cruci ſuppoſuit; vt inter Collegas id vulgò verbum celebraretur: quantumuis ſoluto quis animo, atque alienis occupato curis vagaretur, ſi in Ignatium fortè incideret, vel ingratis ad ſe cogi redire, & cogitationem ad ſancta colligere. Ipſe autem iam tum nihil mediocre pro diuinâ gloriâ, & ſalute mortalium meditans, quamuis totus ab Præſidum voluntate penderet; tamen, ſi de ſuo interrogaretur ſenſu, aiebat eò ferri, vt Apoſtolico inſtituto vitam peregrinans exigeret, pagatim exhortans, & docens, & expians imperitum vulgus. Quare votorum quidem illud primum ſibi eſſe, in Aethyopiam, ſiue Indiam mitti, barbaras inter, atque alienas à fide nationes: proximum Germaniæ adire terras, & operam religioni nauare inter Hæreticos: poſtremum per montana Luſitaniæ, & aſperrima quæque loca diſcurrere, vbi plebs agitat maximè deſtituta, & agreſtis. Quarum peregrinationum nonnullâ parte potitus eſt. Cùm in laboribus, inediâ, victus aſperitate nullum haberet modum; fuit ſocius ei cum poteſtate præficiendus, qui ſeueritatem immodicam temperaret. Venabatur etiam vbique ſui deſpectum. Fuit cùm Bracharam vicino ex Oppido rediens, impoſito in aſellum ſocio, ipſe pedes vrbem intrauit capiſtro, quàm longum erat, ab capite apprehenſo aſellum trahens, non ſine admiratione, lætâque admurmuratione Ciuitatis: vt eſt plerumque mundus hac quoquè re fallax deriſor ſe colentium, & derident ium cultor. Verùm huius generis multa ſparſim dicta ſunt ſuis locis: & ſingula perſequi nec mihi propoſitum eſt in hoc opere, nec in Ignatio decet: cuius ex vitâ ſi quæ tanquam eximia deligantur, ad iniuriam pertineat eorum, quæ relinquuntur. Quominus neceſſe fuerit dicere, cùm vltimùm è Conimbricenſi Collegio diſceſſit, acriter primùm in conſpectu omnium ſe ſe cecidiſſe; deindè ſingulorum pedes humi repentem exoſculatum, & alia id genus. Tantâ autem ſecum, nec mediocri cum ijs, quibus præeſſet in exigendo virtutis penſo ſeueritate vtens; in prouidendis, quæ naturæ infirmitas poſtulat, omnem indulgentiſſimi patris caritatem præſtabat. In veſtium penuriâ Bracharenſis Collegij principio, non ſemel euénit, vt quiſpiam eum Sociorum conueniens aliquid aduerſùm frigus remedij poſtularet: cui mox Ignatius cum bonâ ſpe dimiſſo, detracta ſibi ipſi veſtimenta diſſimulanter mittebat: fiebatque, vt filijs protegendis intentus pater, totum ſe paulatim prope nudaret. Quin, & illud, quod haud dubiè in Societate non vno loco euénit, contigiſſe etiam narrant Bracharæ, cùm iuſſiſſet Ignatius, quamuis nihil domi eſſet panis, menſæ edi ſignum; pariter auditam ianuæ campanulam, adſuiſſeque cum ſportâ panis refertâ mulierem ignotam, nec poſtea apparuiſſe. Præter alia publica munera, Collegio primùm Sancti Antonij Oliſippone, tum Conimbricenſi, deinde Bracharenſi præfuit: quod idem ipſe Sancto Archiepiſcopo Bartholomæo de Martyribus, ſuæ potiſſimum virtutis admiratione capto, inſtituit. Socius item Prouincialis, & aliquandiu vicarius fuit. Indè tandem in Braſiliam Viſitator miſſus, dum rurſus tanto cum apparatu

in eam

253 Sed acceſſit Sanctus Ioānes

254 Summarium Azebedij laudum.

255 Cilicinam veſtem candidā in honorem Virginis geſtat

256 Roſariū quotidie recitat.

257 Apoſtolicam vitam expetit.

258 Victus aſperitas ſine modo.

259 Sui contēptus perpetuus.

260 Eius caritas in Socios.

261 Dei prouidentia in ſuos.

262 Azebedii in Societate munera.

Digitized by Google

in eam Prouincialis redit, vitam in omnes partes forti viro conuenienter actam, fortiter consummauit. Iam (vt æquum est credere) victrices animæ in cœlesti patriâ honestissimè, ac beatissimè triumphabant: quamuis veneranda eorum corpora vndis ludibrium fluctuarent in salo. Cùm Hugonotti sacrorum virorum pollutas sanguine manus ad sancta violanda pignora, quorum ingentem vim Ignatius consecrandæ Brasiliæ aduehebat, tartareo sacrilegio conuerterunt; Craniumvnius Virginis ex illustrissimo Vrsulæ comitatu, affabrè elaboratâ inclusum imagine, cùm petulanter extraxissent; in frusta comminuerunt: eaque in foros proiecta pedibus proculcarunt: porci scilicet margaritas. Imaginem verò ipsam, cùm ad impiam contumeliam multos dies è malo suspensam tulissent, ortâ tempestate, nescio qua tacti religione, fortè quòd ei tam diù pepercissent, abiecerunt in fluctus. Cruciculam ex ipsomet sacrosancto ligno, in quo Dominus redemptionem humanam peregit, misére in ignem. Effigiem eiusdem Christi Domini in Cruce confixi, cùm spurcissimo ore horrendis probris affecissent; in tabulâ proiectam multis appetiuere vulneribus, iterum crucifigentes filium Dei: & mitissimus IESVS, qui olim veniam se se crucifigentibus precabatur, etiam nunc patientiæ, præter omnem modum admirandæ, exempla edens, auida vindictæ fulmina tenuit: nec obrigescere sacrilegos artus, nec haurire fluctibus scelerata corpora, nec monstris violari marinis tam dira hominum monstra passus est. Adeo, quas sanguine emit animas, caras habet: quæ vtinam impios pietas frangeret: sed illi thesaurizantes sibi iram in die iræ, immanemque audaciam ex patientiâ diuinâ corroborantes, etiam sacrosanctum missæ sacrificium per deridiculum imitari sustinuere: iam & calicibus humanæ salutis instaurando mysterio, libandoque æternitatis precio destinatis, ad compotationes ebriosas abutebantur. Precatoria serta, religiosas Agnorum è cerâ similitudines, sacrificales amictus (nisi si quibus auaritia patrocinio fuit) vniuersa in profundum eijciunt. Pepercerunt nominatim siue picturæ egregiæ artificio, siue Deo filio, parenti suæ: id honoris habente, imagini illi cæli Reginæ, cum qua Ignatius expirauit: alterique eiusdem exempli ex Romanâ Sancti Lucæ expressis. Nec profectò sine diuino factum est numine, vt postea prior illa, sic eius aspersa sanguine, ad Patrum nostrorum manus veniret: atque in Brasiliam deferretur, vbi religione maximâ, cum gratâ memoriâ inter sacras reliquias asseruatur, & colitur. Post ea facta impia, Hæretici ad Insulam Gomeræ ex Canarijs vnam, aliquot dies, tanquam ex præclaro facinore recreati, ad Rupellam se se contulerunt. Ibi magnâ quidem ob predam gratulatione acceptos ferunt: sed crudelissimam tot innocentium necem nemini ferè probatam. Quare etiam Ioanni Sancio, alijsque circiter duodecim nautis, gratuitam abeundi potestatem Nauarræa Regina fecit, ad viaticum bacillo donatis. Qui cùm in itinere omnium egentes rerum suam interdum (nec verò est elinguis mendicitas) memorarent calamitatem; etiam Hæreticis misericordiam commouebant. Porrò ad Classem Lusitanam, quæ in Materiæ Insulâ cum Ludouico Vasconcello Regio Præfecto substiterat, vbi perlatus est nuntius captæ Onerariæ Portuensis, varij cunctos affecere motus. Socijs partim incredibilem luctum carissimi patris, totque fratrum desiderium attulit, partim sanctæ quædam inuidiæ aculeum beatus triumphus applicuit dolentibus, tanquam indignos relictos sese. Classi verò cunctæ non mediocrem solicitudinem mox incussere redempti, reuersique: quos ex Materiâ principiò captos prædiximus, nuntiantes Soriam iureiurando confirmasse cum Vasconcello se congressurum, nec destiturum, quoad alteruter in alterius potestatem veniret. Abdita quis Dei consilia interpretetur? Videri poterat euasurus fuisse cladem Azebedius, si cum classe mansisset: atqui tot eam ipsam deinceps accepere casus; ita per totum Oceanum vaga, nunquam Brasiliæ posita per sexdecim menses errauit; ita demum (quod insequens annus in plenum exponet) confecta est; vt Oneraria Portuensis non tam accersiuisse sibi calamitatem, quàm exitij compendium feciſse videri possit. Post longam in Materiâ commorationem, quo tempore aliquid Socijs consolationis ex recenti Collegio fuit, in Insulam peruecti, quam Promontorij, seu Capitis viridis appellant:

263 Hæreticorum impietas erga sacras res.

264 Lusitanæ classis totius tristis exitus.

Digitized by Google

lant: dein ad Brasiliam directo cursu, cùm mille, & quingentis fermè passibus abessent, nec vnquam superare per tempestatem Sancti Augustini promontorium potuissent, versùs nouam Hispaniam retorquere vela coacti sunt. Pater Franciscus Castrius, qui in Materiâ vnà cum Regio Præfecto conscenderat, ad Insulam Sancti Dominici: Pater Petrus Diazius ad portum Sancti Iacobi Insulæ Cubæ peruénit. Quibus locis dum tempestiuitatem nauigationis opperiuntur; Brasiliæ tantâ clade afflictæ nouum vulnus accessit, Emmanuelis Nobregæ obitu. Primus hic in Brasiliam Societatem inuexit, eamque Prouincialis administrauit, egregiarum virtutum Sacerdos, ardentis studij ad indigenas sub Christi Saluatoris iugum subiungendos: ad eosdem ab alienigenarum iniurijs defendendos animi magni. Die Sancti Lucæ Euangelistæ, quo die anno ante quinquagesimotertio in lucem mortalem venerat, ad immortalem excessit in Collegio nouo Sebastianeæ vrbis, quam & Fluminis Ianuarij vocant. Vti vitam plerisque partibus simillimam Sanctis egerat; ita comparem mortem obiuit. Tertio ante obitum die amicorum multos per Oppidum salutauit, tanquam propediem aliquò discessurus. Et scisitantibus, quò iter pararet, cùm in portu copia nulla adesset nauigij; oculis in cœlum sublatis, respondebat: In cœlum, fratres, mea profectio est. Indè intestinorum dolore correptus, vltimis mysteriorum præsumptis auxilijs, duos Sacerdotes, quos in Collegio relinquebat, pera; inter complexus, gratijs Deo magnâ pietate actis, quòd quo die dederat, eodem repeteret vitam, eamque in Societatis ponere sinu donaret, placidè expirauit. Ita paucorum dierum interuallo Iaponia Cosmum Turrianum, Brasilia Emmanuelem Nobregam, primos in ijs Prouincijs Sociorum præsides amiserunt.

265 Emmanuel Nobrega primus Brasiliæ Prouincialis sanctè moritur.

Iam in Floridâ quoquè paulò mox imponendæ Sociorum per eam euangelizantium ceruicibus Cruces adornabantur. Tres ad numerum ceterorum circa medium ver accessere, Ludouicus Quirius, Gabriel Gomius, & Sanctius Sauallius: Consaluus verò Alamus, cum Petro Menende Præfecto, quòd plus molestiæ Socijs quadam ingenij pertinaciâ, quam auxilij rerum scientiâ afferret, in Hispaniam reuocatu Præpositi Generalis reuectus est. Ceterùm Rogerius, & Ioannes Carrera in Prouinciâ Sanctæ Helenæ: Sedennius, & Franciscus Villaregius in Qualâ, prope sine fructu cùm annum egissent, deplorata iam Floridanorum salus videbatur. Ad res diuinas silice duriores, frustrà blandis sermonibus, frustrà captui ipsorum accommodatâ catechesi tundebantur. Quamdiu de bonitate diuinâ, quàmque summus ille rerum omnium auctor amaret bonos, eisque benefaceret, loquerere; aures præbebant non illibenter: ad supplicia noxiorum, post secretum à corpore animum, ad animi immortalitatem planè erant surdi. Quin etiam, siue præ hebetudine insigni, non intelligentes vim nominis, siue, præ improbitatis pertinaciâ, cum Satanam detestari iubebantur, negabant id se facturos: iuuenum esse illum Deum affirmantes, multumque se illi debere. Super hæc tentata inter indigenas commoratio, difficultates, quæ ab Europæis militibus accidebant, nequaquam pro spe sustulerat, sed contra opinionem duplicarat. Quippe, cùm vnâ ex parte milites necessariâ destituti annonâ, per longinquas etiam in mediterranea excursiones vndecunque quæritarent: ex alterâ indigenæ, quos eædem premebant angustiæ, nil sibi relinqui perdolerent, & tutelam Patrum requirerent; famuli Dei in medio constituti, quia nec satis tueri poterant innocentes, nec militum egestati prospicere, odio erant vtrisque. Igitur quoniam his difficultatibus Prouinciæ, quæ non magno interuallo ab Hispanis castellis distabant, obsidebantur; Segura in omnes partes sagacitatem caritatis intendens, ac versans, ad nouam expeditionem animum adiecit. Est Axaca Floridæ Prouincia perampla, ab æquatore in Boream erecta triginta septem gradibus, ab Sanctâ Helenâ leucis centum septuaginta disiuncta. Caciquæ Reguli eius regionis frater, vndecim ante annis, nauigantibus prope Axacam Hispanis, tradiderat sese nemine suorum conscio. Is in Hispaniam vectus, perque honestè, & humanè habitus, & sacro fonte ablutus, ab Ludouico Velasco, qui pro Rege Mexico præfuit, Ludouicus Velascus nomen accepit. Postea Philippus Rex, vbi tempestiuum

266 Res difficiles in Florida.

267 Segura cũ Socijs in Axacâ proficisci meditatur.

Digitized by Google

ium est visum, in Prouinciam suam duci hominem iusserat, cum aliquot è Dominicanâ familiâ Religiosis. Sed aliquot annis fruſtrà in varijs Insulis præstolatus, Habenæ agebat hoc tempore. Homo erat quinquagenarius, Patriquę Seguræ magna viri boni argumenta præbuit, eamque spem (quid enim caritas non credit, speratque) vt ad explorandam Axacanam Prouinciam, de qua vulgò egregia prædicabantur, non dubitaret se se ei duci committere. Verumtamen, vt in grauissimâ re, exquirendas ante per literas Sociorum sententias existimauit. Illi ferè omnes dissuaserunt. Quæ Ludouicus Neophytus de Axacâ suâ prædicaret, nequaquam omnia ab ijs, qui regionem vidissent, affirmari: sed item pœnè, vt ceteram Floridam, solo arenoso, infelici, paludibus, & stagnis obruto esse: hominum verò ingenia planè esse eadem, mutabilia, nullius fidei, in vitijs, & superstitionibus obfirmata. Neque credendum Barbaro. Satis superque inter armatorum præsidia militum, qui possint terrore, quo & belluæ coërcentur, in officio continere, perspectum, nullam esse Floridanis nec humanæ, nec diuinæ fidei verecundiam. Quid porrò ausuros vbi nullum præsidium, nulla arma, nulla formido, sed summa impunitas sit? Hæc, aliaque in eandem sententiam, cùm singuli è stationibus suis Habanam Socij scripsissent, nauigio, quo vehebantur literæ, ex tempestate diu aberrante, Segura eas tempori non accepit. Quippe Petrus Menendes, qui initiò non probabat modò profectionem (tametsi post euentum aliter cupiebat videri) sed etiam vrgebat; iussit nauigium, quo illuc Ludouicus, cum Socijs deueheretur, egregiè adornari. Itaque Segura, re Deo plurimùm precibus, & sacrificijs commendatâ, antequam commoda tempestas effluueret, conscendit: iussisque ex itinere Socijs à Prouinciâ Qualæ, & Sanctæ Helenæ, in quibus fruſtrà laborabant, collectis quotquot possent Caciquarum pueris, Habanam redire; ipse cum Patre Ludouico Quirio, Gabriele Gomio, Sanctio Sauellio, & Petro Linare Socijs veteranis: itemque Christophoro Rotundo, Ioanne Baptista Mendio, & Gabriele de Solis Tyronibus, alioque adolescente, cui nomen erat Alfonsus, tertio Idus Septembris in Axacam prospero cursu peruénit. Indigenas reperere fame, morbisque toto septennio miserè conflictatos. Excesserat è vitâ Ludouici frater natu maior: minor imperitabat: cui Ludouicus imperium offerenti magno animo remisit: subijciens non se terrenarum rerum cupidine in patriam redijsse, sed vt eos Christi Domini religione imbutos viam cæli doceret. Quæ visi sunt audire non iniucundè. Procul à portu in mediterraneis, inter quædam gentis tuguria domunculam Segura suam constituit, nauigio statim, & humano omni munimento Habanam remissis. Hæc via si minus procederet, nulla videbatur mortalis industria supereſse earum terrarum mortalibus edocendis. Sed quemadmodum processerit, non longè post exponetur.

268 Ab itinere dissuaderur per literas Sociorũ

269 Non acceptis literis profici scitur.

270 Azacæ calamitates.

271 Ludouici Vlasci Neophyti integritas.

272 Peruuiæ res.

Diuersus Peruuiæ status erat. Quâ prosperitate cœpta erat illa Prouincia, eâdem adolescebat. Iam Sacerdotes duodecim, ceteros autem tres, & triginta numerabat: qui hoc anno etiam spargi ad gentis culturam cœpti. Franciscus Toletanus Prorex iussit Peruuos, qui Limæ sparsim habitabant, vnum propter vrbem in locum cogi, quò faciliùs propria, sibique aptâ institutione excolerentur. Huius institutio populi, ab Antistite, atque Prorege Societati mandatur: Sacerdosque ibi cum comite collocatus. In templo die Sancti Iacobi memoriâ insigni, qui nouo Pago nomen dedit, ac tutelaris adscitus est, Prorege, Senatuque spectante, primùm sacris operatus est Portillus, Barzana Hispanicè, atque Peruuicè concionatus, cunctis admirantibus tam breui spatio, tantam adeo peregrinæ linguæ percipi notitiam potuisse. Ceterùm nihil arduum esse volenti, verbum vetus, ac verum est: quid si caritas Christi vrgeat? Singulæ Prouinciæ suum habent in Peruuiâ linguæ proprium genus: sed quod Cuschense vocant, commune est omnibus, veterum Regum iussu vulgatum. Nimirum, ipsis nescientibus, expeditiorem eâ communicatione Deus Euangelio viam pandebat. Hunc Barzana communem Peruuiæ toti sermonem, incitante animarum siti, & gloriæ diuinæ amore magistro, quatuor mensibus ita deuorarat; vt

273 Pagus Suburbanus Neophytorum Societatis culturæ traditur.

audire

audire confessiones, & publicè verba facere eo accommodatè posset. Erat præterea Oarociris (Quarocirim primæ literæ vocant) Peruuorum Prouincia, ad animarum viginti millia, viginti leucarum regione continens, sacrâ prope omni Pastorum orbata curâ. Nam & propter Sacerdotum penuriam, & regionis asperitatem, atque itinera difficillima, non inueniebatur, qui munus adeo necessarium, ac salutare eo loci susciperet. Indè venefici permiscebant omnia: vigebat passim in populo Idolorum auitus cultus: multi pudore, ac metu se pro Christianis gerentes, nulla, ne baptismum quidem, christiana attigerant sacra. Morientibus venefici tantùm aderant: mortuos in Guacas (sic sana Idolorum vocabant) quanquàm iam dirutas inferebant. Nec dedecori, nec religioni erat pellicum multitudo: ebrietas verò Peruuorum communis, & maxima pestis sine modo bacchabatur. Habuerat in mandatis à Præposito Generali Portillus, ne procurandas animas Curionum more assumeret, quòd ea, quanquàm sancta occupatio, aliena esset ab instituto Societatis. Sed cùm Prorex, vnàque Antistes ita hanc Oarociris procurationem deferrent, vt sine graui offensione, siniſtrâque famâ nullum pateret effugium; subeundam in breue tempus putauit. Tres Sacerdotes Iacobus Bracamontius, Alfonsus Barzana, atque Hernandus Sancius profecti: qui postremus paulo post ibi inter labores ita decessit; vt apud gentem virtutum eius memoria immortalis manserit. Simul adducti quatuor fratres, bini domesticæ operæ, bini tradendi catechismi administri. Constitutâ in medio sede, cui præfectus Bracamontius, doctrinæ ratio quamaptissima inchoata. Totam regionem bini percursabant, sic vt breui interuallo singuli in orbem pagi reuiserentur: baptizabantur infantes: matrimonia iungebantur: ægrotis alloquio, & leuamentis alijs consulebatur: indigentium quoquè leniebatur calamitas: namque sarcinas panis, & complura languentibus accommodata solatia: item quædam promptiora circumferebant remedia: quæ cùm vbique pro necessitate distribuerent; ita commouebantur illi mortales, durioribus assueti imperijs; vt hos quasi de cælo homines lapsos intuerentur. Eo magis, quòd & nihil non modò petebatur, sed ne vltro quidem oblatum ab ijs accipiebatur: quin sacris diebus promiscuè in tenuiores largè stipes conferebantur ex ijs, quæ vel oblata Ecclesiæ essent, vel de assignato Curionibus stipendio, parcè sumpto, quo religiosa vita toleraretur, supereset. Igitur eorum aduentu, & hac operis administratione, sedulitate instituendi, clementiâ, qua resipiscentes excipiebantur, benignitate, quæ donandis munusculis in loco expromebatur, pijs quoquè mysteriorum fidei ad vulgi captum imitamentis, atque dramatibus, denique puerilis catechismi, & primæ literaturæ schola, noua rerum inducta facies. Vitiorum illa, maximè superstitionum, colluuio, partim sublata, partim mitigata est. Præcipuum Caciquam eius Prouinciæ, Sebastianum nomine aggressi, ex quo ad inferiores exempli stimulus spargeretur, appositè tractando, versandoque perpulerunt: vt, quæcumque mouere suspicionem deteriorem possent, fœminas domo amoueret. Indè ab alijs passim abactæ. Illud etiam percommodè cecidit. Cùm quidam, Culquitachma nomine, ex concione de baptismo, æterni supplicij, quod non lustratos maneret, concepto metu, induxisset animum, id quod erat, profiteri se Christianum non esse, quòd nunquam baptismum adijsset, institutusque, & pulchrè vestitus ad diuinum fontem admotus esset; vehementer aliorum vel metum, vel pudorem discussit, vt passim magnâ cum fiduciâ, ac libertate, qui baptismum non susceperant, postularent. Sed negotium imprimis operosum, & salutare fuit congregatio Viculorum maiores in cœtus. Cùm enim ita sparsi degerent, vt septem, ac sexaginta pagos minutos efficerent, quos adire per cœnosa, palustriaque, & inæqualia, eaque nunc feruore æstuantia, nunc rigentia gelu loca, non arduum modò, sed etiam periculosum esset; Proregis imperio egerunt Patres, vt tota illa Viculorum multitudo in grandiores octo populos colligeretur, quò facilior ad christianam humanitatem eruditio esset. Vndè simul effectum est, vt iam rebus optimè constitutis, sublatisque difficultatibus, Curiones, qui

274 Et Oarociris Prouincia.

275 Huius Prouinciæ abusus.

276 Quæ laboriose, & egregiè culta.

277 Homines de Cælo lapsi bo. ni operarij ęsti mantur.

Digitized by Google

non refugerent eam procurationem, inuenirentur. Excursum quoquè ad maritimum est populum ex Hispanis, Peruuisque permixtum, nomine Hicam, magno cum pietatis incremento. Sub annum extremum Prorex in diuersa Regni loca inspectores dimissurus, ad eos in vnum congregatos verba facere Portillum voluit, quicquid curato opus foret ad Christianam rem promouendam, doceret, atque ad officium excitaret. Ipse mox Cuschum iter intendens, eundem, quem iam à confessionibus sibi adsciuerat, ire secum voluit. Qui, præposito rectioni Collegij Ioanne Zunigâ, & Bartholomæo Hernandio Vicario sibi relicto, reuocato etiam ex Oarociri Barzanâ, qui suo loco Limæ concionaretur, Ludouicum Lopium, duosque fratres secum ducens discessit. Vrbs maritima Lima est: Cuschum penitus in mediterraneis. Hic Regum Peruuorum (Ingas vocabant) Regia olim erat: Hispani propter maritima commercia Limam ab ipsismet conditam præoptarunt Imperij sedem. Oppidum Guamanga in itinere prope medio Limâ Cuschum euntibus occurrit. Ibi Portillus cùm quos consueuerat sacrâ facundiâ motus animorum, morumque conuersiones aliquanto spacio feciſset; anno præcipiti, ad fugiendam inuidiam, ex aulæ familiaritate Proregem antegressus, Cuschum contendit. Hoc eodem anno Collegium Limense primitias cælo suas persoluit. Ioannes Toscanus, qui tanquam Simeon videbatur seruatus in vitâ, donec Societatem Limæ videret, exciperetque, & exciperetur ab eâ; expletâ vitæ custodiâ, dimissus in pace est. Canonici, cùm eius cadauer, quòd ipsorum Decanus fuerat, frustrà impetrare tentassent; magnifico funeris apparatu, quo iusta illi soluerunt, suam aduersùs defunctum obseruantiam declararunt. Vixit annos sex & septuaginta, quorum ampliùs quinquaginta Sacerdos, & procurator animarum, & præco verbi diuini fuit: in Hispaniâ primùm, dein in Canarijs Insulis, postremò in Peruuiâ. Tantum obiuit terrarum, ac marium; quantum pauci. Decies ex Hispaniâ in Canarias Insulas nauigauit: quinquies vltro citroque ex Hispaniâ, atque Peruuiâ; tum in Peruuiâ longè lateque vltra quadringentas leucas sæpius excurrit: per Canarias autem assiduo discursu ex alijs in alias vltra decennium transijt: quo tempore Proepiscopus, & Generalis Visitator ibi fuit. Et in Peruuiâ Episcopatum Nicaraguæ visit, & alterum in mediterraneis: cuius Episcopum cùm deprehendisset animaduersione dignum, ingenti animo ad dicendam causam in Hispaniam vsque sub custodiâ deportauit anno sæculi eius altero, & quinquagesimo. Quæ inter itinera nec arduum est cogitare, & est perarduum cogitatione assequi, quantum discriminum, & ærumnarum exhauserit terrâ, marique. Quamplurimis tempestatibus fœdè iactatus, semel atque iterum naufragio facto, seruatus est prope diuinitus. Postremo quidem in Hispaniam commeatu, nauigio, quo vehebatur, duabusque simul euntibus Onerarijs, in medio Oceano demersis, plusquam centum vectorum obrutis, ipsum, ac ferè viginti iam pereuntes nauis, quæ vna superfuit ex vndis excepit: quos cùm prope nudos in Lusitanorum Insulâ quadam exposuisset; tandem ipsâ quoquè in Hispaniæ orâ, cum omnibus, qui inerant, perijt. Patriam habuit Triguerum Bæticæ oppidum nostris Annalibus satis notum, & præcipuam inter oppidanos domum. Familiariter nouit, studioséque coluit Bustamantium, interfuitque cùm sacræ ædis Collegij fundamenta ponerentur. Quo tempore inuitatus quoquè à Bustamantio ad societatem vitæ, deterritusque ab repetendo nouo orbe terrarum; non potuit à sententiâ dimoueri. Ceterùm vbi ipsam in Peruuiâ Societatem vidit, velut missam sibi à Deo, in qua tam multum agitatam ætatem componeret, & cuius in sinu spiritum vltimum exalaret, delegit. Admirabatur quæ per eam Deus Limæ efficeret: nec dubitabat dicere, haud memorabilem minùs Peruuiæ debere esse diem, quo Societas aduenisset; quàm quo primùm ipsâ in Christianorum potestatem veniſset: hinc enim, vt christiana cognosceret sacra: indè vt piè, sanctèque coloret assequutam. Quod, quò veriùs diceret, ipse pariter impendendâ operâ adnitebatur: assiduus in pœnitentiæ sellâ, omnibus paratas aures: sed vilissimis quibusque ex indigenis, atque Aethiopibus ante alios. Ab templo in cubiculum abdebatur: nec

vnquam

278 Portillus Cuschum à Proregeducitur.

279 Virtus & mors P. Io. Toscani.

280 Multa eiusdé stinera, ac labores.

Digitized by Google

vnquam videre erat bonum senem, nisi vel in sacro tribunali, vel in suo conclaui. Maximè autem commouebat domesticos in ætate tantâ, tamque assuetâ delicijs, alienarum manuum ministerijs, humilitas, contemptio sui, æqualitas vitæ, atque laborum, cùm nihil in victu, nihil in vestitu, nihil in vllâ re eximium pateretur: cellulam ipse suam euerreret, & ad alios labores seu communes, seu priuatos senili quidem infirmitate corporis, sed animi vigore iuuenili lætus adiret: nunquam gratias agendi Deo finem faciens, quòd in eiusmodi se famulorum suorum cœtum, talemque vitæ supremum actum reseruasset. In locum boni senis Toscani cœlo redditi, multi in Societatem sublecti: sed vnius insignis feruor apparuit. Loco is prænobili ortus Comitis Montis acuti propinquus, spiritualibus in Collegio meditationibus exercitus, posthabito ingenti reditu, cuius causâ in Peruuiam venerat, animum ad pretiosum paupertatis thesaurum adiecit. Missus in Nosocomium, vt ibi prima constantiæ documenta ederet, quæ possidebat omnia, pauperibus, etiam subuculam linteam dedit. In Nosocomio coquo ex Aethyopiâ ministrabat: cui non modò diligentissimè obtemperabat; sed & diluculo, antequam Aethyops è lecto surgeret, in coquinam prægressus, mundans omnia, curansque quicquid præripi laboris poterat, sedulò præripiebat. Interdiu verò obseruato tempore in cubiculum coqui secedens verrebat sordes, lectum sternebat, omniaque componebat, non secus atque si Christo Domino coram, præsenti, non in coquo Aethyopi inseruiret.

281 Feruor Nouitij.

HISTORIAE SOCIETATIS IESV

LIBER SEPTIMVS.

A.D.1571. 1 Procuratorum secunda Congregatio.

AB ortu salutis humanæ anno millesimo quingentesimo septuagesimoprimo secundus Procuratorum conuentus, tertio post primum anno, vti proxima decreuerat Congregatio generalis, habitus Romæ est. Præpositus generalis Franciscus Borgia iam ætatem, & valetudinem causans, magistratu posito, ad requiem aspirabat: sed iussus est sustinere patienter onus: imitarique Præpositos priores Sanctum Ignatium, & Lainium: qui, cùm idem optassent, eandem repulsam æquo animo tulerant: vt communes priuatis anteferrentur rationes, & inuiolata Constitutionum auctoritas seruaretur. Rectè per omnes Prouincias, & ordine cuncta satis procedebant. Sacerdotum quædam penuriâ laborabant, quibus creandis edenda prius ex Pontificis imperio solennis votorum professio difficultatis non parum afferebat, tum aliter, tum quia ob eam rem viritim cuiusque creandi probatio ab Generali Præposito per longinquas literarum vltro citroque commeantium moras petebatur. Ad hæc, aliquid alicubi turbabat noua inæqualitas: cùm vetustorum quidam Sacerdotum necdum certos in gradus, vel tantum inter Coadiutores adscripti viderent increscere sibi prope Nouitios, & statim aggregari Professis. Sanè obedientiæ victimas, mundoque crucifixos, & sibi mortuos homines hæc ne videre quidem oportuerat, vt multi vtique faciebant, seruitute Dei contenti: tamen, vt humanæ imbecillitatis ratio haberetur, fuere, qui hanc vnam totius conuocandæ Societatis iustam causam arbitrarentur. Ceterùm, quia remedium, etiamsi conuocata esset, nequaquam eius in potestate erat; nihil visum est inesse causæ, quare in præsens conuocaretur. Illud omnes ferè rogarunt Prouinciæ, communes vt literæ, quæ per cunctam inuicem Societatem dimitti, ex Constitutionum præscripto, solebant, sub Ignatio primùm quarto, dein sub Lainio sexto quoque mense, tum singulis annis sub Borgiâ: post hac nouo compendio, non singillatim ab domibus, & Collegijs, sed prouinciatim scriberentur. Resque visa est ad occupationum leuamentum, & ad ipsarum quoquè literarum dignitatem, grauitatemque pertinere: eoque concessa, Prouincialibus dato negotio, vt collectas ex singulis familijs rès cum curâ, atque delectu, vnâ iuberent epistolâ illigari. Prouinciæ Boreales submissè rogarunt, ne Assistentes (Nam diuturna Euerardi Gallias visentis absentia earum Romæ negotia retardarat) ab Generalis Præpositi latere diu abessent, vel certè Vicarij interim sufficerentur. Quod responsum est curæ fore: & Euerardi excusata absentia, quem sæpiùs accelerare iussum temporum difficultas remorata sit. Iunio mense conuenerant Procuratores rebus per otium æstate tractandis. Ceterùm, præter opinionem, longinqua, & ardua peregrinatio repentè Franciscum abstulit. Iam Turcis Insulâ Cypro penè potitis, sancto contra eos fœdere, vires cum Venetis iunxerant Romanus Pontifex, & Rex Hispaniarum Philippus. Pontifex autem non ad repellendos modò barbaros; sed fieri si posset, penitus opprimendos tendens, constabiliri fœdus, & arma Christiana corroborari, adiunctis aliorum Principum opibus, cupiebat. Hæc enim via vnica est, eademque nec dubia, nec difficilis pesti illi excidendæ: quæ, dum sua singuli nostrorum ante communia habent, sensim inualescit, per singulorum damna, nisi communiter obsistatur, tandem ad omnium processura interitum. Quæ prouidens mala, sapiens Pontifex, maturèque propulsaturus, legationes instituit duas: alteram ad Hispaniæ, & Lusitaniæ Reges, cui dein addidit, & Galliæ: alteram ad Maximilianum

2 Societatis status.

3 Literarum annuarum origo.

4 Borgia Cardinali Alexandrino Legato in Hispania comes additur.

Cæsa-

Cæsarem, & ad Regem Poloniæ Sigismundum. Illam Michaëli Bonello Cardinali Alexandrino nepoti sororis suæ: hanc Ioanni Francisco Cardinali Commendono mandauit. Vtrique comites de Societate adiunxit: Alexandrino Borgiam, Commendono Franciscum Toletum. Sub initium Iunij aduocato Borgiâ, quanti momenti res tractaretur, exponit. Alexandrinum se Cardinalem mittere, quo nec hominem haberet cariorem, nec quo incommodiùs careret. Scire se quid Francisco apud Lusitanos, Hispanosque Principes auctoritatis esset: quantum legationi dignitatis, quantum opis Legato talis viri præsentia, studium, & consilium afferre posset. Itaque volens, libensque pro sanctâ Dei Ecclesiâ professionem subiret. Ad ea Franciscus nil, nisi summisso reuerenter capite, fore sibi iucundum in tali cœpto, obedientiâque Summi Patris vel vitâ defungi. Sed Ioannes Polancus, qui præsens Francisci comes intererat, æxistimauit non cælandum Pontificem, quid ea res negotij, atque impedimenti haberet. Adesse Romæ congregatos ex vniuersis Prouincijs, quas haberet in Europâ Societas, Procuratores, cum mandatis, ac difficultatibus suarum quemque Prouinciarum: quæ nec differri liceret, nec quisquam, præter generalem Præpositum, expedire posset. Ad hæc eam esse Patris Francisci (vt Pontifex ipse palàm intueatur) ætatem, tam perditam valetudinem, afflictaque multiplici malo vires; vt nullo modo videatur certo sine vitæ periculo longum iter ingressurus. Quæ Pontifex, cùm benignè audisset, rectèque dicta probasset; tamen nullo modo adeo necessarium Ecclesiæ sanctæ laborem prætermitti debere existimauit: curaturum se, vt quam minimo incommodo veheretur. Tum Franciscus Procuratorum negotia, quæ confici paucis diebus poterant, maturare aggressus, nouos Prouinciales designauit sex. Prouinciæ Romanæ Alfonsum Ruitium, qui statim magistratum occæpit: cuius loco ad Sancti Andreæ Fabius de Fabijs successit Nouitiorum Magister: Siciliæ Hieronymum Domenecceum: Aquitaniæ Claudium Matthæum: Franciæ Edmundum Hayum: Germaniæ inferioris Balduinum ab Angelo: Rheni Hermannum Tyræum. Foroliuiense Collegium, commodioris administrationis gratiâ, Longobardiæ Prouinciæ: Collegiola Samnitica, ciuitatis Sancti Angeli, & Interamnæ, quæ tria in Romanâ adhuc fuerant; Neapolitanæ subiecit. Dionysio Vasquio, post inspecta Collegia, subsidere Neapoli iusso; vt Salmeronis Vicarius, quo plus ei ad scribendum otij superesset administraret Prouinciam. Eodem tempore cùm accepisset à Philippo Rege literas, per quas quoniam Peruuiæ successu aliæ excitatæ noui orbis Prouinciæ Collegia postulabant, duodecim Socios mitti petebat in Hispaniam nouam; nominatis qui irent, nouam Prouinciam designauit, eiusque Prouincialem nominauit Petrum Sancium, qui post Salmaticense Collegium, Complutense iam regebat. A Pontifice cùm paulò ante impetrasset diploma, quo Societati potestas conseruabatur, etiam vbi generales Ciuitatum Academiæ essent, publicè certis horis docendi: & ab Gymnasijs eius profectos, si facultatem probassent, statuebat in Academijs quibuslibet ad literarios honorum admitti gradus debere; alterum longè grauius impetrauit, quo ipsam declarabat Societatem, quamuis Collegia adiuncta haberet, verè fuisse, & esse Mendicantem, & inter Mendicantes ordines numerari debere: & cum ipsam, tum probationum domos, & Collegia eius beneficijs illorum ordinum, humanis iuxtà, diuinisque impertiebat, exordio præfixo tali. Dum indefessæ considerationis intuitu perscrutamur, quantam Christianæ Reipublicæ vtilitatem attulerint dilecti filij Presbyteri Societatis IESV, ac planè conspicimus eos verè mundi huius relictis illecebris adeo Seruatori suo se dedicasse, vt conculcatis thesauris, quos ærugo, & tinea comedit, lumbisque paupertate, & humilitate præcinctis, non contenti terrarum finibus, vsque ad Orientales, & Occidentales Indias penetrauerint; ac eorum aliquos ita Domini amor perstrinxerit, vt etiam proprij sanguinis prodigi, vt verbum Dei inibi efficaciùs plantarent, martyrio voluntario se supposuerint: perque eorum spiritualia exercitia, etiam regna ipsa fidem Christi agnouerint: ac tam inibi, quàm vbique terrarum caritatis, & misericordiæ opera exercere studeant; facere nullo modo possumus, quin eos, tanquam veros palmites

5 Franciscus Toletus Cardinali Alexandrino.

6 Borgiæ obedientia.

7 Polancus difficultates proponit.

8 Prouinciales noui designati sex.

9 Noua prouincia in Hispania noua designata.

10 Diploma Pontificis pro Societatis Gymnasijs.

11 Diploma alterum, quo Societas Mendicantium ordo declaratur.

Digitized by Google

in Christo per caritatem coniunctos, & benignè amplectamur, & ea sibi speciatim concedamus, quæ & paupertatis per eos emissæ voto, & eorum instituto, ac commoditati credimus profutura. Hac honestissimâ præfatione Sanctissimus Pater beneficium Apostolicum exornauit. Accessit toti causæ, & indè nota perillustris, quòd ante probationem Pontificiam, cognouerant eam, editisque perdoctis responsis primi sapientiâ viri probarant, cum alij Quintilianus, & Horatius Mandosij Pater, ac filius, Hieronymus Gabrielius, & Vincentius Baldinatius: tum duo clarissimæ postea felicitatis Marcus Antonius Burghesius, & Hippolytus Aldobrandinus: quorum ille Pontificis pater, hic Pontifex fuit. Namque Marcus Antonius inter liberos Camillum Burghesium habuit, qui ad Summum Pontificatum euectus, assumpto Pauli Quinti nomine, molientibus hæc nobis, terras regebat: at Hippolytus eodem Summo potitus honore Clemens Octauus fuit. Hi omnes, quoniam in Societate professâ nihil dubij erat, quin arctissimâ paupertate vtens Mendicantium in numero censeretur; etiam Collegia, & Probationum domos, quæ vnà cum illâ, ex instituti sui à Pontifice approbati naturâ, vnam religionem, non plures constituunt: ad quam & referuntur, velut ad finem, atque præparatio sunt, indè tanquam ex capite censeri, denominarique, & capitis frui debere beneficijs probarunt: præsertim quòd aliquid Pontificis concessu in commune possessum Mendicantium naturæ minimè obesse, aliorum exempla Ordinum demonstrarent. Postremò Franciscus Hieronymum Natalem Generalem Romæ Vicarium relinquens, secumque adiutorem Polanecum ducens, & Iacobum Mironem, qui Prouincias Aragoniæ, & Lusitaniæ interim viseret, pridie Kalendas Iulias lecticâ iter, vt Pontifici placuerat, ingressus est. Peropportunè paucis ante diebus ex Galliâ Euerardus redierat. Itaque tres Assistentes Romæ manserunt Natalis Hispaniæ, idem, vt dictum est, Vicarius Generalis: Palmius Italiæ, & Siciliæ: Euerardus Borealium Regionum: cui, per Mironis absentiam, Lusitaniæ quoquè, & Indiæ, & Brasiliæ commendatæ Prouinciæ. Vehementer omnes domestici, perinde atque externi, qui Borgiam norant, suspexerunt hac in profectione humilitatem hominis, obedientiam, alacritatem: cum ad interitum tali tempestate, & corpore ita affecto pergere haud dubiè videretur. Neque se ipse ignorabat: sed vadebat tamen constans, & gaudens, obedientiâ fretus: id modò ijs, qui mirabantur, respondens: Deus optimus, qui Vicarij sui menti voluntatem indidit, vt hoc onus imponeret; idem corpori meo vires addet, vt perferam. Et præcipuâ quadam afficiebatur lætitiâ, cogitans aliquid sibi obedientiæ causâ perferendum. Per obedientiam enim (aiebat) Christi Vicario debitam non modò difficultates absconduntur, & euanescunt; sed & condiuntur, atque dulcescunt. Illa me per maria, ac terras lætum vehet. Cùm Hispanorum quidam Procuratorum ad Patris comitatum accessissent, & mediocrem effecissent Religiosorum manipulum; præbuere materiam sagacissimæ pietati Franciſci præclaram exercitationem excogitandi. Totus in eo positus, vt peregrinatio ad gloriam Dei quamamplissimam procederet; ita diuisit inter comites horas precandi, vt totum diem perpetua esset oratio. Cuius itineris rationem cùm Cardinali Legato exposuisset; is quamplurimùm eam probans, imitaturum se dixit: aduocansque Franciscum Mariam Taurusium prudentissimum virum, & optimum, qui deinsuit Cardinalis, aliosque suæ familiæ Sacerdotes, inter eos pari modo tempora precandi distribuit. Dum hi demandatum iter contendunt, iam strenuè fœderatorum aduersùs Turcas classes instruebantur: ac Pontifex, qui multò plus in diuinis, quàm in humanis reponebat auxilijs, Religiosorum eas virorum è Capuccinis, atque Societate communiri sanctimoniâ, subleuari operâ voluit. Eius iussu, præter eos, quos Veneti duxere in classe Regis Catholici, Christophorus Rodericius nominatim lectus, & Ioannes Montoia, illo Romano defunctus, hic Siculum gerens Prouincialatum, cum quatuor lectis Socijs, ad militum animis, corporibusque opitulandum profecti. Præter hæc, cùm Episcopos quatuor Pontifex mitteret, qui Episcopatus Ecclesiasticæ ditionis inspicerent; tum ei, qui,

12 Hieronymus Natalis Vicarius generalis à Borgia relinquitur.

13 Borgiæ in obediendo fiducia

14 Horæ ad precandum à Borgia in itinere distribuuntur.

15 Missi de Societate in classem fœderatorum à Pontifice.

Digitized by Google

qui partem Vmbriæ, & Agri Picenì: tùm Episcopo montis Feltrij, quì Flaminiam visit, comites de Societate adiunxit: missique Ioannes Victoria, & Michaël Lauretanus: sed huic, Romam subinde in Germanicum vocato Collegium, Sebastianus Morales datus successor. Quibus hæc data à Patribus monita, vt obundis ex instituto religiosis ministerijs excolerent populos, tempestiuisque consilijs inseruirent Episcopis: ceterùm quamminimè in cognoscendis causis Sacerdotum, & ipsis corripiendis immiscerì se sinerent: ne Ordini inuidiam promouendis diuini obsequij rebus aduersam conflarent. Resque modestiâ, sedulitate, patientiâ, alijsque talium virorum virtutibus, cum Antistitum, & populorum approbatione, & commodo bellè succesit. Interim Romæ loco Franciscì Toleti in Concionibus ad Pontificem, & in Pœnitentiariæ munere Emmanuel Sà suffectus est: qui neque vt in ædibus Pontificijs interim habitaret, neque vt certam pecuniam, quæ Toleto ex munere Pœnitentiariæ tribuebatur, acciperet, Pontificio rogatu perpelli potuit. Quod cum sponte suâ, tum Borgiæ, qui ex itinere id vehementer commendauit, effecit. Præterque eum Concionatorem, qui in Vaticanis ædibus ad familiam Pontificiam verba faciebat, vnum voluit esse Pontifex, qui Canonicis Sancti Petri priuatim concionaretur in ipsorum Odæo. Insignes hoc anno viros Romæ mors abstulit, Antonium Vicecomitem Mediolanensem, & Carolum Vrsinum Romanum, magnæ virtutis, ac spei iuuenes: Tarquinium Rainaldum item Romanum, qui, & in Valle Tellinâ, & Nouocomi, & Mediolani prudentiam, eximiamque innocentiam cùm probasset; Interamnâ, vbi Collegio præerat, ægrotus venerat. Baptistam Pezzanum Parmensem, qui annos prope viginti domus Professorum, insigni cum exemplo virtutum omnium, procurator fuerat: & Franciscum Emerulum Belgam Brabantinum in Pœnitentiariorum Collegio ministrum: cuius, inter ceteras virtutes, comitatem, modestiam, obedientiam, Indicæ profectionis ab longo tempore conceptus eminebat ardor, propagandi Euangelij, obeundæque propterea mortis studio. Sed paulò explicatùs Hieronymi Rubiolæ natione Hispani, & olim Gandiæ primo & quinquagesimo huius seculi anno in Societatem adsciti referenda mors est: quam vitæ optimæ consentaneam Rector Senis obiuit duodecimo Kalendas Septembris. Quo die transfiguratio Domini anniuersarijs celebratur sacris (quod ipse mysterium peculiari quadam semper pietate coluerat) dum rem diuinam facit, maiore solito cœlestium deliciarum repletus gustu, appropinquare tabernaculi sui depositionem intellexit: idque multis deinde, quâ consueuerat, comitate (nihil enim suauius illo) prædixit. Itaque postridie, cùm iam morbo tentaretur, & familiariter instituto sermone cum Doctore, qui officij causâ visum venerat, diceret, sat certò se obitum suum celebrem interpretari varijs è sensibus, quos animo suo Deus offerebat; resedit in lectulo, ac longum produxit sermonem de felicitate eorum, qui religiosorum in cœtu viuunt: paulatimque abreptus impetu, fixos in cœlum oculos diu tenuit, identidem cadentibus lachrymis. Ex eo tempore nihil nisi de Deo voluit audire, vel de pio volumine, vel de sermone iuuisentium. In Sancti Laurentij solennijs, cùm diuinissimum sacramentum afferretur, quod ardentissimè concupierat, & postularat, positis in medio cubiculo genibus, suauissimè suscepit, cunctis mirantibus tantum virium in eo residuum, quem proximis diebus acuta febris, & continua grauissimè macerarat. Eodem postmodum æternitatis pignore, superante iam morbo, in viaticum præmunitus, cùm sacro perungeretur oleo; Sacerdotem rogauit, vti clarâ, lentâque voce verba solennia exequeretur, ne se eâ fraudaret dulcedine, quam in salutaris mysterij vsurpatione percipiebat. Atque ad Patres, Fratresque, qui omnes submissi in genua circumstabant, post absolutam vnctionem, versus; vehementer eis obedientiam cœcam, precandi studium, caritatem, & consensionem fraternam commendauit. Postque monitos vniuersos communiter, sua cuique singillatim commendauit munia. Adiecit deinde cupere se, antequam proficisceretur è vitâ, piorum virorum sodalitatem videre, quam ipse condiderat: atque vt ad se eodem die admitteretur, rogauit. Iusta postulatio visa

16 Et comites Visitatorum Ecclesiasticæ ditionis.

17 Emmanuel Sà Cõcionatur apud Pontificẽ.

18 Et ad Sãcti Petri Canonicos.

19 Insignes quidâ Romæ de Societate mortui.

20 Hieronymi Rubiolæ virtus in supremo vitæ actu.

Boni

Boni sodales, qui id nihilo minus optabant, studiosè conuenerunt: mistoque pietati mœrore, cùm circa lectulum flexis genibus constitissent; oculis in eos Pater, quos iam ægrè aperiebat, intentis: Deus, inquit, vos saluet, filij: En ego à vobis recedo: recedite item vos à vitijs. Nolite in viâ Christi lassescere. Cauete in Sacramentorum frequentatione intepescatis. Et quoniam nostis perfidiosum seculum esse; ne ei credite. Huius vitæ res, ventus sunt, fumus sunt, vmbra sunt: me videte, qui mox non ero. Quanquàm equidem lætus ad Dominum meum vado: neque hanc spem valetudine, aut regno mutarim. Dum tempus habetis, prospicite animis vestris. Videte ne vos ipsi vobis illudatis. Inania sunt quæcumque sunt præter pietatem: conseruate pacem: succidite cupiditatem: ad rem plus æquo attenti ne sitis. Illud ante omnia, per Christum IESVM, curate, vt malum pudorem, qui à benefactis retardat, penitus exuatis: vt Christiani estis, ita audacter Christum confitentes coram hominibus, confessurum vos postea coram Angelis Dei. Hoc à me monumentum habetis mei: huc oculos, huc spes, & curas vestras intendite: Deusque Pater, cum Filio, & Sancto Spiritu ijs donis, quæ maximè ad gloriam ipsius, & salutem vestrarum animarum expeti possunt, vos augeat: vosque vicissim supremo hoc in discrimine vestris precibus mihi adeste. His verbis optimi viri in vberrimas soluti lacrymas, ægrè potuerunt ab amantissimi Patris conspectu diuelli. His dimissis, postridie se dixit velle scholarum discipulos salutare: ac, tametsi medici non confidebant eo vsque superfuturum; præsensio tamen verior ipsius fuit. Superioris classis adolescentibus mane aduocatis, quos adhortatus est super omnia, vt improborum consuetudinem declinarent: seque & nobiles, & Christianos meminissent. Post meridiem inferioris classis pueros acciri iussit. Dumque illi aduocantur, ab infirmorum Prefecto impetrauit, vt propè altare, quod in cubiculo erat, stratâ in solo culcitrâ, in eam se se deponeret: circa quam pueris numero amplius septuaginta iussis in orbem fundi, & duabus in altari candelis accendi, ipsemet præiuit, Salue Regina: illoque innocentium, quasi Angelorum choro sequente, totam salutationem miro cum gaudio absoluit. Tum eos quoquè, vt pudorem, pietatem, modestiam colerent: vt obtemperarent Superioribus, aliasque virtutes sequerentur, admonuit: eo sensu, vt domesticorum quidam, erumpentibus nimio impetu lachrymis, subduxerint se se. Obscurâ iam nocte accersiuit Sacerdotem, ex quo supremam vnctionem exceperat: & tanquam negotium alienum ageretur: Pater, inquit, quando tu cœpisti, prosequere suprema mecum officia, atque animam meam solennibus Deo precibus commenda. Aderant cuncti Fratres deiecti in genua: ad singulas preces moribundus respondebat, Domini in Cruce pendentis effigiem assiduè manibus ante ora tenens. Vbi ad dimidium fermè precationum ventum est; sat est, inquit, in præsentiâ: reliqua suo tempore exequemur: & ad Crucifixum versus, suauissimè alloquens, suamque vilitatem, prauitatemque, & ipsius maiestatem, & bonitatem comparans, totus præ pietatis feruore colliquescens, identidem sacros pedes, & manus, & latus, osculabatur, & circumstantibus osculandum præbebat. Huiusce modi in colloquijs, & affectibus sanctis vsque ad vesperam diei posteri superfuit: tum iusso Sacerdote intermissam repetere sui ad Deum commendationem; spiritum quietissimè exhalauit, gratissimo suarum odore virtutum perfusa relinquens omnia: quæ cùm per omnem eluxissent ætatem; sexdecim postremis, quibus ægrotauit, diebus, vt in deficiente lumine euenit, clarissimè micuerunt. Et magnarum laudum certa capi documenta ex rebus exiguis licet. Laxiores indusij manicæ (vt euenit) ad cubitum collectæ prope iam moribundo summa nudarant brachia: quod cùm vidisset, operiri iussit, quoniam sancta obedientia sic iuberet: & quodam ex circumstantibus Sacerdote subijciente, tantam seueritatem non exigi eo tempore; nullum esse tempus respondit interpretandi leges, vbi seruari possent. Et leges opinor intelligebat, quas de vestitu decenti, deque modestiâ habemus. Nihil vnquam in toto morbi cursu popposcit: sique iuberetur proferre, numquid vellet; plura sibi aiebat, quàm meritus, dignusque esset, vltro præberi. Interrogatus aliquando quamobrem

21 Adhortatio ad exteros Sodales.

22 Et ad exteros scholasticos.

23 Disciplinæ custodia.

mœstior

mœstior videretur: Non bene me nostis (inquit) vereor equidem, si fortè quid rectè feci, ne velit id in hac vitâ Deus remunerari: ita gaudijs animum meum complet. Cùm sanguinem Medici iussu misisset; sanguinem illum Deo obtulit: & hoc assiduè faciebat, vt dolores omnes, quibus premebatur, angoresque Diuinæ Maiestati dedicaret. Libenter ad abluendum os, & gargarizandum vtebatur aceto, in memoriam aceti Christo Domino in Cruce porrecti. Aiebat nunquam tam vegetos sibi fuisse ad diuina sensus; quàm habebat collabente iam corpore: nec tam benè vnquam antea diuinam Scripturam, tantoque cum gustu intellexisse. Simul decubuit, oblitus omnino se Rectorem, in potestate omnium obsequentissimè fuit. Magnus Ciuium numerus, & copiosa vis lachrymarum funus cohonestauit. Collegium ipse primus fundauerat, summisque in angustijs rei domesticæ, diffidentibus Patribus sustineri posse, cùm ob bellum recens Ciuitas exinanita esset, deque remouendo cogitantibus, ipse obstiterat, & sustinuerat multos annos alacritate incredibili. Tantum ab errore, ac desperatione aberat hominum, qui difficultatibus interdum presi, per euersionem negotij totius, ad liberandos se curâ grassantur: quodque vel imbecillitatis eorum, vel temporis vitium est, inexpugnabili tribuentes necessitati, præclara cœpta alioqui æternanda corrumpunt. Ab ortu Collegij ad annum salutis humanæ millesimum quingentesimum sexagesimum octauum Rector Senis versatus, ad Florentinum Collegium regendum translatus est: paulòque plus biennio inibi moratum Romam acciuere, eius virtute, atque industriâ in sanctâ Vrbe vsuri. Sed breui Senas votis omnium, & vocibus expetitus hoc anno redierat. Vir fiduciæ in Deo præcipuæ, & quietę animi, ac lætitiâ in summâ paupertate admirandus: qui tantum cùm ferret onus; non modò nunquam molestus Præposito Generali, aut cuipiam Superiorum expostulationibus fuit, neque vt solicitudine eâ se liberarent petiuit; sed ipsorummet solicitudinem suâ patientiâ subleuabat. Quin adeo, aiebat, idcirco se non conqueri, quòd paupertatem sibi sororem adoptasset, & fiduciâ diuinâ recrearetur. Itaque inter sanctissimas hasce sorores duas non poterat non securus quiescere. Multa narrantur prouidentiæ diuinæ exhibita illi pignora. Interrogatus qua arte efficeret, vt nihil habenti Collegio nihil deesset; vrbanè vt solebat respondit: Quo propiùs inopia est, eò nos magis satagimus litanias multiplicando. Ferunt etiam cùm ne ad cibum quidem suppeteret quicquam domi, post effusas ad Deum preces, ad hominem satis opulentum, verum ab Societate alienum adijsse, & rogasse, vt nummos aureos quinquaginta ex Dei amore donaret: qui cùm miraretur, diceretque: Num ignoras me vobis inimicum? Respondisse, propterea se ad eum venisse, quòd speraret benignè facturum etiam inimicis. Qua ingenuitate, ac submissione fractum illum, quicquid petebatur protulisse, addito vt imposterum fidenter accederet: vbi facultas adesset, opem laturum. Profectò hoc fuit mel de petrâ, atque oleum de durissimo saxo elicere. Quæ serui Dei, si nossent ingenuâ submissione, verâque vti modestiâ; crebriùs renouarent miracula. Per autumnum Nouellariæ in Prouinciâ Longobardiæ Domus Probationis: per æstatem Calataieronæ Collegium in Siciliâ institutum est. Camillus Gonzaga Nouellariæ Comes, magnâ ætatis parte in militaribus studijs sub Carolo Quinto, & Philippo Rege eius filio exactâ; quod reliquum erat, sibi, Deoque victurus, celebritate dumtaxat Societatis, & hortatu coniugis motus, ei exædificare domicilium cum templo, & reditibus ornare statuit Nouellariæ, ad suam, & popularium suorum pietatem fouendam. Est Nouellaria, quam & Nuuolariam, alij Nugolariam vocant, Oppidum nec magnum, nec cœli persalubris in Galliâ Cisalpinâ haud Mutinâ procul: tamen cùm tantopere Domus ad instituendos Tyrones Borgia exoptaret, tamque liberaliter comes omnia, eiusque vxor Barbara Borromæa deferrent, & Sanctus Cardinalis Borromæus interpositus petitor instaret; admissa conditio est anni superioris Augusto mense. Hoc autem anno rebus mediocriter iam comparatis, Kalendis ipsis Nouembribus incoli est cæpta domus. Ad demerenda Cælitum patrocinia (Hæc enim auspicatissima Christianis exordia) de industriâ Comes possessioni ineundæ destinauerat

24 Fiducia in Deo

25 Amor paupertatis, quâ sororẽ suam vocabat.

26 Ab inimico eleemosinâ petit, & impetrat.

27 Nouellariæ domus probationis conditura Camillo Gonzaga.

Digitized by Google

uerat diem sanctis omnibus dedicatum. Ceremoniâ non magnâ, sed piâ res gesta est. Interfuit Leonettus Prouincialis, alijque Patrum, qui pridie recepti dominorum in villâ circiter mille passus ab oppido, vbi diluxit, præeuntibus cum Cruce duodecim pueris, quos Comes ex pietate sub nomine humilitatis alebat, ipso Comite, & Barbarâ coniuge, & popularium multis sequentibus, supplicantium ritu processerunt, psalmos, & litanias simplici modo canentes. Vbi ventum ad sacram ædem, hymno, Te Deum laudamus, decantato; Prouincialis templum, ac domum omnem asperſit aquâ lustrali, fecit sacrum, Christi Domini Sacrosanctum corpus comitibus, & familiarium haud paucis diuisit, tempori, ac loco aptum sermonem habuit: postque meridiem vesperæ psalmi pari simplicitate cantati. Vniuersa familia ab incunabulis vndeuiginti fuere. Tyrones numero quatuordecim translati Venetijs. Rector primus, idemque Nouitiorum Magister Antonius Valentinus, qui eodem loco complures annos ad exitum vsque vitæ, magnam in opinione sanctitatis, rebusque magnis toto circa illo tractu gestis permansit. Pauci dies abierant, cùm ad se vocatum Camillus, & Barbara in secretum conclaue vno ore sic alloquuntur. Nobis, Pater, exequi verbis non est quantum animo gaudij fructum ex operis huius auspicijs capiamus. Ceterùm simul intelligimus, quàm gratos esse Deo nos deceat, & auxilijs vti, quæ ministrauit. Proinde en tibi Nouitiorum par. Indigni quidem, qui tuis, hoc est Angelorum illi choro adnumeremur, sumus: verumtamen, vt famulatu Dei rudes omninò, & Nouitij sumus; ita voluntate parendi tuos puta. Ambos suscipe, rege animas nostras: pasce vel micis, quæ cadunt è mensâ filiorum tuorum. Vides captum nostrum, precandi aliquam, meditandique accommodatam viam præscribe. Conabimur, Deo propitio, fructum tibi non pœnitendum fideli obsequio procreare. Nequaquam defuit iustis optatis Rector: neque illis maior ad incipiendum alacritas, quàm ad pergendum constantia, ad proficiendum attentio fuit. Comes Camillus exercitatione spiritus diligenter excultus, cunctâque per homologesim ad eam diem retextâ vitâ, magnæ virtutis solida fundamenta iecit. Sed Barbara ad summa quæque concitatissimè ferri: volare magis, quàm currere. Totâ vi ingenij, totâ prudentiæ indole (quæ eximia erant) quantoque impetu antea inania seculi, iam submissionem, iam simplicitatem, pietatem, Crucem ardere, sectari, complecti: non dedignari puerorum, quos diximus, inopum, quibus fecerant ab Humilitate nomen, fœda capita suis lauare manibus: ijsdem, & egentium alijs interulas, tibialia, ac vestimenta alia cædere ipsamet, & consuere. Eadem sacris diebus adire institutam à Patribus catechesim, & populares puellas in populi conspectu patienter, & suauiter edocere: illuc verò incumbere, vt vitia cuiusuis generis ex Oppido, sed super omnia impia in Deum verba, quæ meritò vehementissimè detestabatur, exterminaret: si qua esset famæ inquinatioris fœmina, vigilanter accire, mirâque sapientiâ castigare; vt vnâ eius verecundiâ non paucarum libidines frenarentur. Confessarium, quasi Christi Domini sequestrem, & interpretem venerari. Nullam eius ab ore pati vocem in irritum cadere: quod vel indè perspectum est. Laudarat initiò Pater precandi genus à Ioanne Gersone traditum, quod spiritualem mendicitatem vocat: interiectisque mensibus multis, cùm idem rursus per obliuionem, quasi nouum proponeret, illa subiecit: Iamdiu, Pater, est, cùm id me docuisti. Ex eoque die diebus singulis hâc ego mendicatione per vnius horæ spatium vtor. Sisto enim me, velut inopem, ac mendicam coram Virgine Deiparâ, & throno gratiæ gloriosâ Dei Humanitate, Tum singulos obiens Angelorum choros, aliquid ex vnoquoque stipis rogo. Indè veteris testamenti, deincepsque noui Beatos generatim ad Virgines vsque precata, tandem in affixo Cruci Christo IESV consisto: me, meaque cara, & honesta omnia in eius plagis vitalibus, & diuino corde reponens, ac dedicans. Deique benignitate, & Sanctorum patrocinio non infructuosam sum experta mendicationem. Denique licebat augurari celeriter adeo vectam metâ, palmâque ocyus potituram. Anno insequenti Nono Kalendas Sextiles ingenti suo gaudio, parique superstitum motu potita est. Proxima fini religiosissimè multa, sapientissimèque fecit,

28 Primus Rector & Magister Nouitiorum Pater Antonius Valentinus.

29 Camilli Gonzagæ fundatoris pietas.

30 Barbaræ Borromææ eius coniugis feruor.

31 Genus orandi per modum emêdicationis.

Digitized by Google

fecit, ac dixit. Cupiebat omnes adesse seculi amatores, vt in se, velut in speculo, hominis inane contemplarentur. Susceptisque ex Patre Valentino, quem abesse nunquam sinebat, tribus postremis sacramentis; familiarem sibi illam piæ mendicationis exercitationem, præeunte eodem, repetens, vbi ad Domini plagas venit: Pater, inquit, hîc consistamus: hîc locus meus est: hic esse aptum mihi, bonumque est. Tum voces, tum gemitus ad illa vitæ diuinæ ostia ardentissimè ingeminans, orauit, adorauitque, donec vox morientem defecit. Societatem supramodum amabat, & obtrectatorum linguis eam sibi fieri cariorem, dicebat iam tum ex eo tempore; cùm quondam Mediolani per os Energumenæ Diabolum audiuerat in eam contumeliosissimè inuehentem. In aduentu Tyronum recentium lætitiam animi dulcibus interdum lacrymis depromebat, exultans, atque triumphans, quòd ad Christi Domini obsequia lectissimi quique, & florentissimi conuolarent. Aduocabat ad se peramanter: ac studiosè rogitans, quid quemque potissimum commouisset; responsa eliciebat, vndè magis, magisque ad Dei laudes excitaretur. Et celebrabat promptam adolescentuli, scitamque pietatem, qui primùm verbo Dei se compulsum respondit: deindè quærenti verbum Dei vbi inuenisset; in sacris literis subiecit: postea instanti quid sacrarum ipse literarum illâ nosset ætate; minimè obscuras esse in eâ parte, si quis audire vellet, adiecit: ad extremum interrogatus, quî potuisset mundum deserere tam speciosum, ac pulchrum; specioſus est, inquit, sed vitiosus: pulcher, sed putris. Persuaserat ipsa viro, domum vt illam moliretur: ipsa ad templi cultum, & supellectilem sacram, cum alia, tum de sponsalibus ornamentis suis multa contulit. Denique & annuum domui vectigal ducenûm nummûm legauit. Eidem, quæ postea perfecit Comes, debentur. Nam piâ cohortatione moribundæ commotus, menstruo sacramentorum vsu in hebdomadarium, sicut ipsa tenuerat, commutato, per annos quinque, & viginti perseuerauit, non solùm de Nouellarienſi domo, quam luculenter instruxit, & magno sumptu ædificauit; sed de cunctâ Societate plurimùm meritus, vt documento est vel illa proximè morituri benignitas: cùm cognito multos è Galliâ sub id tempus eiectos, in sexennium denis eorum impensas legauit. Sed de viri præstanti virtute tum erit vberiùs memorandum.

32 Mors Barbaræ Borromæ.

33 Eiusdem in Societatē amor.

34 Mundus speciosus sed vitiosus.

Calataierona vrbs in Siciliâ mediterraneâ est ad Pachynum promontorium vergens, in Syracusanâ diœcesi loco edito, ac saluberrimo sita: tum opulenta ipsa, & nobilis, & familiarum ampliùs millibus tribus frequens: tum vndique vrbibus cincta, & oppidis, in quæ liceat euangelicos identidem excursus facere. Qua cognitâ loci opportunitate, ipse fertur Sanctus Pater Ignatius expetiuisse Calataieronæ Collegium: sed res non nisi ab hinc biennio exitum habuit. Tum Ciuitas Principe Buteræ, & Marchione Piscariæ, qui Siciliam pro Rege temperabat, gratiâ, & auctoritate adnitentibus, Collegium instituere vectigalibus ex publico collatis induxit animum. Subm sis indè, qui necessaria prouiderent, hoc demum anno sub initium Augusti, præclaris exordijs, magno ciuium concursu, & plausu literariæ scholæ peruulgatæ tres, numerusque Collegij vsque ad vnum & viginti incolas expletus. Præfuit omnium primus Iosephus Fabritius, quem pro suâ mirâ lenitate, candidissimâque prudentiâ, & sanctâ facundiâ certatim ciues carum, ac venerandum habebant. Statim sacramentorum, itemque concionum, ac cœlestis doctrinæ crebrior vsus inductus: & alia pietati quæsita incrementa salutaribus monitis, & exemplis. Maximè probauit Ciuitas, vt officium sibi nouum, sæpiùs ab Collegis ostiatim mendicata vinctis inopibus adiumenta. Interim Collegiorum veterum nullum habuit latiorem hoc anno, quàm Mamertinum explicandæ campum industriæ. Amplam suggerebat materiam nouus Pastor Ioannes Rethana, qui quantùm sui gregis amabat vtilitates; tantùm Societatis fidei, solertiæque tribuens, vtrisque plurimùm commodabat. Ergo vt indè fieret initium, quod omnium est frugum bonarum semen, nunquam ante catechesis accuratiùs administrata est. Appetente magno ieiunio, nihil temporis, quanquam primò quosdam terrebat, impediente licen-

35 Calataieronæ Collegium conditur.

36 Iosephus Fabritius primus Rector eius Collegij.

37 Mamertini Collegij præclara labores.

Digitized by Google

licentiâ inchoatum opus. Prodibant è Collegio sacris diebus viceni, eoque plures in alias alij regiones vrbis, suum quique præ se è scholasticis pueris chorum agentes. Horum vocibus carmina prima legis æternæ canentium calles eodem tempore omnes personabant. Aggregabantur obuij quique agminibus, non pueri modò, sed ætatis cuiusuis, ac sexus. Indè sacras in ædes tum principem (vndè nunquam Archiepiscopus aberat) tum Collegij, tum alias, prout se se offerrent, cateruatim inductis necessaria saluti tradebantur, haud sine efficacibus hortamentis. Tota res magnum in modum (& nescias vtrum disciplinâ rudium magis, an peritorum incitamento) profecit. Iam illud, & è tranquillitate omnium, & præsenti salute plurimorum fuit. Grassatorum exulum magna, potensque manus regnum grauiter infestabant. Et horum animas, & communem calamitatem miserati Patres, cum Præside Regni post obitum Proregis egerunt. (Nam hoc anno euentu notabili, & Mediolani Gubernator Dux Alburquercius, & Neapolis Prorex Dux Alcalaæ, & Prorex Siciliæ Marchio Piscariæ, hoc est summa omnia Hispanici per has oras imperij capita occubuere: & omnes in Patrum nostrorum sinu: cùm quidem Prorex Neapolitanus nunquam ad confessiones ante adhibitos ad supremam vltrò vocasset) Cum Præside ergo actum est, vt ediceret, qui exulum in classem contra Turcas abijssent, per bimensem post reditum, quo tempore prospicere sibi possent, inuiolatos futuros. Quam conditionem cùm omnes accepissent, nonnulliſque in conflictu mortuis, ad centum redijssent; vltro significarunt Patribus, consilium sibi non esse ad latrocinium vltra redire: sequuturos in classe militiam, si Imperatori placeret. Austriacus appellatus deberi veniam, & in præmium nauatæ operæ ratus, volens concessit: ita magno leuata malo Insula est. Sed præcipuam laborum materiam christiana præbuit fœderatorum Principum classis, quæ in portum Mamertinum conuénit. Appulerunt è primis Venetorum triremes multarum nationum milite, non Italis modò, sed Dalmatis, Cretensibus, Epirotis, alijsque Græcis refertæ. Cùmque consistendi in portu iam diu potestate caruissent, permultos vehebant aliquot annis inexpiatos. Aderat Pater Marius Beringucius in Prætoriâ Augustini Barbadici, qui caritate suâ plerosque nobilium ad confessionem pellexit: & partim ipse, partim alij Patrum audiuerunt. Ad gregarium porrò militem, & nauticam expiandam turbam ratio talis instituta. In singulas triremes bini è Collegio missi vniuersam multitudinem ad dolorem peccatorum, sinceramque confessionem incitabant, instruebantque, propositâ liberali indulgentiâ, quam paulò ante Pontifex iobelæi formulâ promulgarat. Tum persuasum Trierarchis, vti remiges sinerent in Collegij templum deduci, vbi quietiùs, celeriùs, & religiosiùs audirentur. Ergo separatim singularum nauium remiges sub custodiâ instructo agmine ducebantur. Ibi Sacerdotes plures decem excipiebant, totidemque non Sacerdotes. Hi primùm ad confessionem repoliebant: deinde confessos ad cœleste conuiuium præparabant. Ita permultis non magno tempore expiatis proximo die Dominico, partim in Collegij templo, partim in alijs propter mare, sacramentorum maximum erogatum, immortalitatis pignus, ac nutrimentum. Minimè prætermissæ Pontificiæ triremes: sed in his propria Capuccinorum administratio fecerat, aliena auxilia vt minus necessaria essent. Curarum plurimum in Regis Catholici classem collatum. Rerum præfectura diuinarum in eâ penes Hieronymum Manricium erat: quam ita deferente Rege susceperat; vt Societatis auxilia prius vellet sibi promitti: vndè factum, vt Regis postulatu Pontifex Patres, quos supra memorauimus, destinarit. Is non modò Sociorum vtebatur industriâ, sed & Sacerdotum ceterorum, qui sponte operam in classem deferrent, neminem, nisi quem illi probassent recipiebat. Instante iam profectione nouum Pontifex ipsi propriè classi iobelæum largitus, omnia nouo ardore succendit. Rursus omnes, & primi quique summâ pietate curarunt confessione animos, & pane viuo roborauerunt. Pater Christophorus Rodericius regiam Quadriremem, volente Ioanne Austriaco, ne quid resideret, quod retardare fauorem cœlestem,

38 Tres præcipui Proreges hoc anno in Nostrorum sinu moriuntur.

39 Classiarijs adiumenta pietatis præbita.

Digitized by Google

ſtem, atque victoriam poſſet, ita perpurganit; vt reliquum nullum factum ſit, ne viliſsimarum quidem operarum inexpiatum caput. Tum cohortatione accommodatâ, & munimento ſalutis ſic inflammauit; vt nemo vel remigum victorum non maximè ad patrandam victoriam, vel ſubeundam pro religione beatam mortem animatus iret. Idem ab Ioanne Montoiâ in Neapolitanâ Prætoriâ factitatum. Certatim in ſuas quiſque triremes plerique Trierarcharum Sacerdotem è Societate vocabant. In regiam Rodericio conſcendendum fuit, quamuis ad operam liberiùs deriuandam in plures minus ipſe nobilem præoptaret, Ioannem Montoiam ſecum Aluarus Bazanus Marchio Sanctæ Crucis Neapolitanarum Præfectus triremium duxit. Alij alijs conſcenſis, indè ad alias, vt ferebat vſus, tranſiliebant. Nonis Octobris ad Echinadas Inſulas Chriſtiana claſsis, & Turcica concurrerunt: quo in conflictu maxima illa poſt hominum memoriam, virtute militum, ducumque, ſed præcipuè (quod clariſſimis intellectum eſt documentis) pugnante pro ſuis Numine, de crudeliſsimis, impuriſsimiſque hoſtibus eſt parta victoria. Sub ipſum certamen Patres ſtrenuè audiendis compendio confeſsionibus, confirmandis militibus, adhortandiſque vt fortiter, nec niſi rectâ mente pro diuino cultu certarent. Mox ipsâ in pugnâ prælato Crucifixo, incitandis, adurgendiſque pugnantibus conſtantiſsimè operam poſuerunt: vbi Montoiam narrant ita fidenti animo, conſtantique, ac ſereno vultu pollicentem victoriam inſtitiſſe, vt vltra hominem videretur. Iam cœptâ victoria, ad iuuandos morientes, curandos ſaucios vertére curam eâ caritate, vt ne ipſis quidem Turcarum moribundis, vulneribuſue malè multatis denegarent obſequia humanitatis: quorum nonnulli recepto baptiſmo morientes vitæ ſunt geniti immortali, ſalute in exitio repertâ. Pater Marius Beringucius dum religiosâ animi firmitate ipſo in impetu, ac tempeſtate certaminis incitat pugnatores: & quamuis hinc, atque hinc multi caderent, ipſo quoquè Auguſtino Barbadico ſummo Venetæ claſsis Procuratore, cum quo ibat, ante eius pedes ex vulnere, vndè mox obijt collapſo, perſtat intrepidus, vulnus ipſe quoquè excepit in genu: comes autem eius Nicolaus Sorbulus dum victrix claſsis redit, morbo in Phariâ inſulâ occubuit, etiamnum ſanctæ militiæ tyro, ſed virtutis maturus. Eodem tempore Meſſanæ plurimum exhauſtum laborum eſt, tum in continuis habendis, regendiſque precationibus, & ſupplicationibus quoquè ordinandis, tum in curandis, qui relicti fuerant ægrotis militibus, inter quos ingens fuit numerus Germanorum, nec pauci Hiſpani. Quod geminarunt negotium, cum victrice claſſe reuecti ægri, ſaucijque. His in officijs Rectoris Collegij Iacobi Suarij plurimùm curæ euigilarunt. Sed ſuper omnes Viſitatoris Prouinciæ, moxque Prouincialis Domenecci indefatigabilis deſudauit caritas. Cui cùm par calamitati pietas, pietati ſolertia, ſolertiæ efficacitas, hiſque omnibus auctoritas compar ſuppeteret, nimirum agendo per ſe, adhortando, incitandoque, atque edocendo, quorum maximè ea partium erant, vnus habebat plurimorum momentum. Auctore, & exactore illo, Archiepiſcopo maximè adiuuante, qui & comitem, ſeu ducem ſe præbuit in emendicandis per diuitum domos hinc linteis, indè culcitris, aliunde alio inſtrumento; receptacula ægrorum, oppletis iam veteribus, aliquot inſtituta. Domeneccus idem cum Auſtriaco egit, vt in bello deſideratis ſupremi exequiarum honores (quod apparatè toto factum regno eſt) haberentur. Ceterùm & Pontifex Sanctus Romæ, cùm victoriam Deo gratularetur, Latinâ eam oratione inter ſacra præſente ſe decorandi munus nominatim Patri Ludouico Gagliardo tum Seminarij Rectori mandauit. Inſtitit quoquè vt in Siciliam Germanicè periti aliqui mitterentur ad ſolatia militum Germanorum, qui ſummas inter calamitates neminem habebant, quî cum ſiue animorum, ſiue corporum communicare dolores poſſent. Miſſique exitu anni ex copiâ, quæ ad manus fuit, Sacerdos, & adiutor, Iodocus Carcinerus, & Antonius Vinklus, mirum quantum ad vtraque leuanda miſerorum incommoda valuerunt per ſummas ærumnas ſuas, inter quas etiam Vinkio mori contigit. Eiuſdem Beatiſsimi Patris iuſſu Prouincialis Auſtriæ

40 Patrum in pugna nauali labores.

41 P. Marius Beringucius ſtrenuè ſe gerit.

42 Iacobi Suarij Rectoris Meſſanæ, & Domenecci Viſitatoris Prouinciæ officia caritatis.

43 Pater Ludouicus Gagliardus Seminarij Rector orationem habet ad Pontificem.

44 Iodocus Carcinerus & Antonius Vinkius Germanicos milites ægrotos iuuant.

Digitized by Google

45 Prouincialis Magius in Poloniam à Pontifice mittitur.

Laurentius Magius hoc quoquè anno adulto vere Poloniam reuisit. Ferebat fama Sigismundum Regem de dimittendâ ob sterilitatem coniuge (ea Cæsaris Maximiliani soror erat) ducendâque alterâ agitare: quod in tam eminenti personâ exemplum erat toti Christiano orbi offensioni magnæ futurum. Ergo vigil Pastor non modò ad bestiarum vim ab Sancto Christi grege, sed morborum quoquè luem arcendam intentus; tum datis ad Regem, & ad suum Internuntium literis, tum destinato eam ob causam Laurentio, cuius nouerat auctoritatem multùm ad Regem valere, tanto flagitio ire obuiam maturauit. Simul primùm literas, & mandata Pontificis Magius accepit, quanquàm Melchior Bilia apud Cæsarem Internuntius, ex quo plura iubebatur cognoscere, iam diem suum obierat, & profectio in tempus inciderat Prouinciæ perincommodum; raptim absoluto, quem habebat, Prouinciali conuentu, dedit sese in viam. Et ille quidem expeditæ obedientiæ fructum non amisit: causam tamen Vincentij Portici apud Regem Internuntij egregia fides, & adiuncta prudentiæ animi magnitudo eo loci perduxerat, vt minùs necessariam ratus sit operam suam. Tum

46 Posnanensis Collegij exordium.

ex occasione Posnaniam ad ponenda Collegij fundamenta perrexit. Iam habebat in Poloniæ Regno tria Societas Collegia diuersis in Prouincijs: Bransbergense in Prussiâ, Pultouiense in Masouiâ, Vilnense in Lithuaniâ. His additum hoc anno quartum Posnaniæ in Occidentali Poloniâ, quam maiorem vocant: cuius ipsa Posnania est caput, vrbs haud Silesiâ procul, magnitudine inter medias, amœnitate situs in primis, Varta amne pluribus alueis partim naturâ partim arte muros subterfluente: ædificijs non inelegans, elegantium ferax ingeniorum. Debebatur ei proprio quodam nomine Collegium: tum propter singularem, quâ postulabat, humanitatem: tum propter insignes viros Stanislaum Varseuitium, Stanislaum, ac Benedictum Herbestos, Stanislaum Grodicium, aliosque, quos ipsa Societati dederat. Adamus Konarscius à Cobelino sacrorum vrbis Antistes fundauit, cum quo superioris anni exitu Varsauiæ conuentum supra est demonstratum. Pater Magius binos Sacerdotes Iacobum VViecum Vangrouitium, & Simonem Visocium, totidemque non Sacerdotes ducens extremo Iunio Posnaniam venit. Recepti sunt magnâ bonorum gratulatione, Senatus præsertim, qui statim gratulatores misit, & Canonicorum, qui, cùm populum pro concione ad gratias Deo agendas inuitassent, secundùm concionem Sanctorum Ambrosij, & Augustini hymnum solenni ceremoniâ, accinentibus festo sono campanis, concinuerunt. Initiò, quòd Episcopus rursus ab suo Rege in Germaniam, & Italiam Legatus aberat, & Sacerdotes ædis Sancti Stanislai, quæ destinata Collegio fuerat, demigrare cunctabantur; in Episcopi ædibus habitarunt. Paulò post tradita est domus cum adiuncto Sanctæ Gertrudis sacello: & alia, quæ Senatus iam pridem perbenignè decrerat: ac reliqua deinceps omnia, postquam Episcopus adfuit, composita, atque constabilita. Quo loco, secundùm Antistitem, in beneficijs & benignitate multorum, ante omnes prodenda literis perpetua, atque pro facultatum modo immensa beneficentia Vrsulæ Michelani ciuis Posnanensis viduæ. Illa quicquid inter primas difficultates mendicitati Patrum, quicquid ad nudas tegendas aras, ad sacrificales amictus, & alios cuiusuismodi vsus necesse fuit, vltro suggessit. Denique meritò Collegij parens habetur, id insuper commerita felicitatis; vt Hieremiam filiam maternæ huius pietatis æmulam, ac velut heredem haberet. Magnum incussit terrorem Hæreticis hic Posnaniam Iesuitarum aduentus. Itaque id in

47 Adamus Konarscius Episcopus Collegij fundator.

48 Societas etiam à Palatino hæretico laudatur.

primis adnituntur, vt cœpti operis disturbent exordia. Palatinus erat Lucas Gorca, homo extra hæresim (vti superiori volumine indicatum est) minimè malus, sed hæreticarum partium adeo studiosus, vt nimio etiam studio suis obfuerit. Dum enim hæreticum Ministrum adhortatur ad vitam componendam, quo posset non industriâ solùm, verum etiam auctoritate sustinere Iesuitarum impetus: ac leuiter increpat, ipsorum iubens intueri Iesuitarum exemplum, quos angelicam asserebat vitam in terris ducere; Minister nec corrigere mores habens in animo, nec obiurgationem, tamque disparem comparationem ferens,

pudo-

Digitized by Google

pudore, iràque confusus Posnaniâ aufúgit. Ceteri ergo Hæretici tanto magis in solicitudinem excitati, quanto clariorem videbant instare deliramentis suis perniciem; aliquot etiam orthodoxorum siue sponte (nam vbique sunt, qui vel prauitate ingenij, & quadam altercandi dulcedine, vel boni specie capti, cœptis quantumuis probabilibus aduersentur, sine Hæreticorum instinctu) denique & è Sacerdotibus, quos demigrare oportebat, nonnulli graue certamen mouerunt: quod tamen nonnisi ad Episcopi, & Senatus, & ceterorum ordinum constantiam, atque erga Collegium caritatem intendendam, atque insigniendam valuit. Et talia par illud egregium Sacerdotum Vuiecus, & Visocius, instar generosorum seminum, edebant prouentus futuri pignora, vt incenderet vulgo auiditatem plenæ messis primitiarum gustus. Confessiones, cathecheses, custodiæ publicæ, receptacula ægrotorum, & inopum, deductio ad patibulum damnatorum, & id genus operosiora munera curæ Visocio erant. Polonicè verterant summam Christianæ doctrinæ à Patre Ledesma collectam: eam memoriter, & cum cantu, vno præeunte, pueri pronunciabant. Quæ res, vt noua, & maximè accommodata ingenio populi, magno pietatis bono celebrari cœpta. Addebat Visocius explicationem quoquè grauiorem Romani ad Parochos Cathechismi: Vuiecus Collegij infantiam, & incrementa curabat: sed prima eius occupationum erant sacræ conciones, quas habebat, scribebatque. Erat homini vernaculæ orationis admodum apta, & acris, & plena dignitatis copia. Itaque Posnanienses, cùm anno superiore degustassent; iucundissimè, & confertim audiebant. Ceterùm, quia non erat scriptione minor, quàm actione: & res non cominus modò, sed & eminus gerenda erat; cùm tantum sit momentum in libris bonis siue ad pietatem alendam, siue ad repellendam impietatem; Patribus placuit hoc etiam telum in Poloniâ, vt in ceteris fiebat Prouincijs, expediri: & negotium ipsi datum Vuieco est. Vulgarant librum Hæretici, cui Confessio Sendomirienſis nomen fecerant: iudicium de eâ confessione (sic enim opusculum nominauit) scripsit Vuiecus vrgente Internuntio Portico, qui editum sumptibus suis volumen inter Proceres sparsit. Id primum nostrorum operum Sarmaticè prodijt. Sub idem tempus libellus de Imitatione Christi, & alij eâdem linguâ vulgati. Verùm quia explicationes, & cohortationes in Euangelia, quæ Dominicis, & alijs festis diebus leguntur in sacrificio, postillarum nomine Hæretici consarcinarant planè pestilentes, & manibus omnium, præsertim Parochorum, summâ cum pernicie terebantur; optimum visum est postillam salutarem suggeri, quæ nocentes excluderet. Ergo id quoquè opus magnâ expectatione moliebatur Vuiecus, & mox magnâ felicitate perfecit: deinde alia, atque alia adiecit opera preclarissimi vsus. Interim permulti ab Sectis tum concionibus, tum explicatione catechismi veritatem edocti, ad Catholicos remigrabant. Inter quos sacerdos, qui magno cum religionis detrimento non multò ante desciuerat: vnus item è Ciuitatis Iudicibus, & quidam antea religiosa sequutus signa, è superiore loco publicè execrati hæreses, in Catholicam religionem ritè iurarunt. His Posnanienſe Collegium generosis natum seminibus in proceritatem dignam nobilitate, ac pietate Polonicâ adoleuit. Interim Vilnense maxima capiebat incrementa, obstantibus & ibi nequicquam Hæreticis. Nam vbi maximum, atque pulcherrimum Sancti Ioannis Baptistæ templum traditum illi viderunt; non modò indignari, sed & furere, & seditionem moliri cœperunt. Verùm mira Dei in Lituanos, atque in Societatem benignitas facillimè cuncta pacauit. Feruebat diuinum opus. Varseuitium Polonicè dicentem terna minimum, & quaterna millia auditorum celebrabant. Præterea aliæ Latinè, & Italicè, & Germanicè ab alijs conciones habebantur. Magnus numerus ad religionem auitam reuocati, è Ruthenis potissimum, qui minimè videbantur ab Regno Dei abesse: quin adeo incrementis Collegij gratulabantur, & optabant apud Patres homologeses, & synaxes obire. Sed nonnisi, qui prius errores posuissent admittebantur. Gestiebat successu Episcopus. Philosophicam scholam incœptari Prouincialis Sunerius decrerat: eamque obrem Socio-

49 Primitiæ fructuum Posnaniensis Collegij.

50 Stanislai Vuieci lucubrationes.

51 Vilnensis Collegij incrementa.

Digitized by Google

rum manum per autumnum adduxit: sed incidit in tempus, cùm pestilentiæ lues gymnasium dissiparat. Patuit tum clariùs Episcopi in Collegium solicita caritas: Sociorum tres secum abduxit in villam, tres & viginti in alteram item suam villam euocauit, habuitque vtrobique suis impendijs paternè. Vndecim in vrbe manserunt: inter quos Varseuitius magno & præsentium exemplo, & absentium, cum Sacerdotibus duobus: quorum alter Lucas Crassouius dum pertinaci caritate confessiones omnium, quicumque se offerrent, excipit; indè lue, vt creditum est, afflatus, vitam pro salute ciuium fudit, sancto totius gentis Sarmaticæ auspicio. Is enim primus Polonorum dicitur in Societate admissus, idemque primus de gente eâdem inter nos Sacerdotum, ad Societatem cœlestem, quod exitu tam nobili contigit, emigrauit. Venerat proximo Februario Vilnam functus peregrinatione Roxolanâ interpres, & rebus gerendis egregius adiutor Proprouinciali Sunerio. Concionibus pomeridianis operam Vilnæ dabat, & confessionibus omni vacabat tempore. Infimam quoquè discentium classem, ex Magistrorum penuriâ, regendam vltro sumpserat, & omnia hæc tolerabat valetudine ita consumptâ; vt ab insanabili tabe proximo gradu abesse putaretur. Nimirum dulce erat, instar sacri cerei, in Dei obsequium ardendo totum, lucendoque consumi. Nec sanè leniùs quasi extingui, ac beatiùs potuit. Prægressâ enim per triduum leuiore febriculâ, quarto die magis adhuc leuatus videbatur: cùm repente vis mali tota sub noctem ingruit. Id vbi sensit, nihil quicquam nec animo, nec ore commotus, accito Rectori Varseuitio de noxis confitetur: & professus nihil se dolere, quòd proficiscendum ex his vitæ miserijs esset; incendi solitum moribundis sacrum cereum postulat, simulque ante oculos sibi collocat imagunculas quasdam in Romano Collegio Domini Cruciatibus impressas. In eorum meditatione circiter horæ quadrantem fixo obtutu, summâ attentione, cum suspirijs, ac gemitibus immoratus; ipsemet preces, quæ commendandis Deo abeuntium animis recitantur, in sacerdotali codice reperit, tradiditque appositio sibi custodi positis humi genibus recitandas: quibus nec dum absolutis, cùm idem ad singulas præsenti animo responderet; placidissimè consumptus est. Pultouiense quoquè Collegium lues eadem dissipauit: & quo die Vilnæ Crassouium rapuerat (primus ac vigesimus Octobris fuit) Pultouiæ rapuit Matthiam Debinskium famularium operum administrum, Cuius mortem cùm Rector Stanislaus Rozdrazouius nuntiasset, ita subscripsit: Totus Sanctus erat hic frater. Collegium, quod expetebatur in Rusiâ, Præmisliæque ponendum, conuenerat, vt Iaroslauiam transferretur, Sophia, quæ id fundabat, expressit. Aiebat enim religione se impediri, ne populum suum alienis posthaberet.

52 Patris Lucæ Crassouij obitus, & virtus.

53 Matthiæ Debinskij mors.

Prouincialis Magius æstate mediâ reuersus in Austriam, Viennensis Collegij rebus compositis, in Styriam excurrit, de Collegio Græcij constituendo cum Archiduce Carolo transacturus. Vt in sequenti anno incolæ mitterentur conuénit. Interim populo Græcensi, Principibusque acceptissimus, prosperrimoque euentu, Stephanus Rimelius rem diuinam procurabat. Ardentem per se religionis studio Carolum inflammauerat vehementiùs Bauariæ Dux Albertus, cuius filiam Mariam cùm hoc anno duxisset, id moniti genero socer sapiens sapienti dedit. Quod pertineret ad religionem, si conseruatam eam, ac restitutam vellet; non vnum Græcij, sed quam multa posset in suis Prouincijs Collegia Societatis excitaret. Hoc auxilio se pulcherrimè vti. Dolendum omnino erat, cùm tot vndique panderentur Euangelio portæ, per inopiam operarum, præclarissimas occasiones amitti. Namque sub idem tempus venerunt ab Stephano Bathorio creato Transyluaniæ Principe (Vaiuodam ipsi appellant) accuratæ literæ, quibus subsidia Societatis in eam Prouinciam postulabat: item ipse conteſtans in ijs maximam sibi restituendarum religionum fixam spem esse. Ex ordine minorum religiosus vir Albertus nomine, dum passim per Transyluaniam diuina ruunt, sustinuerat Sonlij, quod gentis Bathoreæ hereditarium Castellum erat. Is iam & ætate, & valetudine sibi diffidens; ne cuncta secum pessum irent,

54 Græciensis Collegij rudimenta.

55 Alberti Bauari Ducis de Societate iudicium.

56 Societas in Transyluania expetitur.

Ste-

Digitized by Google

Stephanum monuit, vt successorem maturè quæreret. Ea Stephano, dum omnia circumspectat, & fortasis Alberti eiusdem monitu, prima fuit causa postulandæ Societatis: quam principiò, dum paulatim viam in vrbes aperiret, Sonlij collocaret. Magius collaudato ponderosâ epistolâ, cum graui cohortatione, pio Principis studio; curaturum se apud Societatis Præpositum respondit, vt, si qua ratione liceret, in tantâ paucitate operarum, eius postulationi iustissimæ, & conatibus optimis ne deessent. Eodem tempore, & in Sueciam aperiebatur aditus. Regina Catharina Sigismundi Polonorum Regis soror, constantissimæ virago pietatis, cum ad suum profectum, tum ad educandum religiosè filium Sigismundum (eum qui tertius hoc nomine regnum Poloniæ nostrâ ætate obtinet) Sacerdotes de Societate duos postulabat. Auctoritatem Nuntij Portici, & Reginulæ Poloniæ sororis suæ interposuit: & votorum demum compos est facta, quæ tamen in præsens idoneorum inopiâ Patrum differre coëgit. Ceterùm dum tanta sacrorum penuria colonorum vrget; ecce tibi maximè insignis amittitur. Viennæ Adalbertus Bausekius Boëmus, quam acerbo naturæ, & rebus humanis, tam maturo virtuti, sibique obitu, quinto Nonas Maias cecidit. Eius exitu anni, quo Sanctus Ignatius terras reliquit, insigni miraculo vocatus ad Societatem, puero IESV in Sacrosanctâ Hostiâ viso, quemadmodum eo loco narratum est, consentaneam vocationi vitam egerat: vir mitis, innocens, candidissimâ animâ, humilitatis amabilissimæ, paratissimæ ad omnia obedientiæ: ad hæc doctus cum primis, publicèque in Academiâ Viennensi, temporeque eodem in Collegio nostro Theologiæ interpres: impiger idem, nauusque diuinæ vineæ cultor; cuius in ore, ac vultu innocentiam animi, caritatemque erga Deum, & quoscumque hominum legeres. Quibus virtutibus ita domesticorum amores, ciuiumque rapuerat; vt ægro nullum omissum sit, certatim omnibus omnia conferentibus, diuinum, humanumque remedium: & fuerint, qui vota facerent, atque enixè Deum Dominum precarentur, vicarios se offerentes, vt detractos sibi, illi annos adijceret, ne munimentum id religioni alienissimo tempore demeretur. Quæ spes vbi fefellit, quod reliquum erat, demortuo frequentiâ, dolore, lachrymis, ac lamentatione insigni iusta funebria persoluerunt. De eo Magius ita nuntiat: Tertio die Maij migrauit ad Dominum sanctulus ille, ac benedictus Pater Adalbertus, dimidium animæ meæ, propter multas eius virtutes: cuius mors, vt communi bono, perincommoda accidit, & Academiæ, & Collegio nostro, & Theologorum nostro Seminario: cùm esset ille vas omnium bonorum, & ad labores infractus: ita vulnus cordi meo tale inflixit, vt etiam num perdoleam. Collegio quoquè Pragensi non leuem attulit cladem pestifera febris, quæ totam ferè Boëmiam peragrauit. Sociorum quatuor sustulit, quorum tres imminentem sibi finem prædixerunt. In his Aegidius fuit Anglus Ioannis Pauli Campanæ in Tyronibus instituendis socius, mox Magister ipse futurus, excellenti virtute, ac prudentiâ iuuenis, laborum appetentissimus, eoque muneribus oneratus permultis: denique dulcis adeo caritatis; vt in omnibus omnium temporibus, & angoribus solatium, ac lenimentum esset. Postquam supremis munitus est diuinorum mysteriorum præsidijs, quò propiùs accedebat hora exuendæ mortalitatis; eo exultabat magis, ac gestiebat. Nil eius ex ore audiebatur, nisi: Venite exultemus Domino: Exultate Iusti in Domino: Exultabunt Sancti in gloria, & alia de genere hoc. Quibus lætitijs interuenire Satan est ausus: vt intelligamus quid bestia importunissima, nisi Deus coërceat, cum malè sibi conscijs agat. Sed in præsens quàm temerè se obtruserat; tam ignominiosè nullâ re in famulo Dei è suis reperta, fugit. Campana, qui hæc scripsit, sciscitante num quid haberet, de quo ipsum admonendum censeret; Haberem, inquit, non pauca, si totum supereſſet. Verùm nonnisi tres horæ supersunt vitæ: in alijs hoc breui spatio vtendum est curis. Et planè tertiâ post horâ excessit. Inter Collegij Fratres ad manuum opera adiutores, quidam erat eximiè pius, ac simplex, qui magnâ caritate culinæ labores obibat. Is biduo fermè, antequam Aegidius moreretur, dum complicitus in genua historiam Visitationis

57 Et in Sueciam accitur.

58 Adalberti Bausekij egregia virtus.

59 Magij de eo testimonium.

60 Collegiũ Pragense peste cõtactum.

61 Aegidij Anglĩ laudes.

Digitized by Google

Deiparæ, quæ eo ipso die anniuersarijs honoribus recolebatur, secum meditatur; totum vidit oculis corporis, quasi sole clarissimo splendere locum, vbi orabat; eâque in luce Christum Dominum vidit, qui dextero brachio Aegidium sustinebat. Quam rem Patri Campanæ pius coquus retulit: & postquam Aegidius ex humanis abijt, eum sibi ad Deum, Rectoris consensu, patronum adsciuit.

62 Duo Nobiles ab hæresi per Nostros reuocati.

Nihil infregit malum in corpora sæuiens Sociorum conatus in curandâ peste animorum. Itaque multos sanarunt: sed duos nobilitate præcipuos: alterum percarum Cæsari quinquennio ante in Augustanis Comitijs Hæreticorum fallacijs circumuentum: alterum adolescentem magnæ indolis è Ducibus Russiæ: qui cùm Pragam venisset è patriâ, cum vniuersâ suâ familiâ multam nobilitatem complexâ, hæreticum virus eiecit. Ad hæc Auellanedæ in primis factum est operâ, vt Cæsar multa è re Catholicorum decerneret: ac Boëmorum nobili globo petenti Augustanam confessionem, in Boëmicis Comitijs, quæ mense Iunio habita sunt, graui, ac seuerâ oratione pernegaret. Nam cùm ausus quidam esset inter postulati causas addere, quòd idipsum gratum Maximiliano futurum esset; mentiri hominem respondit. At Albertus Bauariæ Dux assiduè ad studium Catholicæ religionis addens, Ingolstadiensi Collegio nouum attribuit in Academiâ munus, & Sociorum subsidium postulauit, ad nouum Landishutæ Collegium, vbi Guilielmus Dux filiorum maximus degebat ædificandum: & literarum ingressum hunc fecit. Cùm nouo subinde merito, nouâ virtutum dignitate, gratiam, fauoremque nostrum sibi demereatur deuota Saluatoris IESV Societas, æquissimum arbitramur, vt ad omnem illius commoditatem, honorem, & quietem eò plus studij & patrocinij conferamus, quò totum illud eius institutum Ecclesiæ Catholicæ vtile magis, & necessarium cognouimus. Ac nostra certè Bauaria restitutæ auitæ pietatis, quam præsentium temporum morbi nonnihil labefactarant, magnam partem Societati debet. Nos ipsi ita diligimus eam sincerè, vt nihil tam cupiamus, quàm plura eiusdem Collegia, & eorum, quæ iam erecta sunt maiorem & auctoritatem, & dignitatem. His subiicit de Collegio Landishutæ instituendo, deque Ingolstadiensis Academiæ Philosophico cursu, & Pædagogio Societati penitus tribuendo. Pædagogii nomine Rhetoricæ, Humanitatis, & Grammaticæ disciplinas eo loci complectuntur. Academici Doctores, vbi hæc agitari cognouerunt, vltra modum commoti sunt. Consilio itaque inter se habito, multisque scripto collatis rationibus, quatuor è suo corpore ad Senatum Principis allégant, qui ostendant eam rem Academiæ splendori, frequentiæ, aliarumque disciplinarum, ac professorum earum dignitati, & rationibus obfuturam. Hi, & luculentis commentarijs, & actionibus vehementibus causam strenuè agunt: sed eâ maximè re Senatum, ac Principem offenderunt; quòd intemperantiâ verborum vsi, dum religiosos homines immodicè carpunt, suam prodiderunt minus bonam æmulationem, animumque interdum cum rectâ in Deum fide non penitus congruentem. Inter cetera conquesti, ab Iesuitis in Academiam inuectum iuramenti iugum. Sic enim appellabant inductam consuetudinem, vt & disciplinas professuri, & literarijs insignibus honestandi, ex formulâ Pij Quarti, in catholica dogmata sacramento adigerentur. Itaque cùm frustrà multum contendissent, etiam comminati se abituros, solamque relicturos Academiam, si Dux propositum teneret; responso edito vt irent, vel meliorum copiam affore Doctorum; pro beneficio habuere, vt quieti manerent. Tum Martinus Eisengrenius Procancellarius habitâ oratione plenâ Societatis laudum, decretum Principis promulgauit. Super hæc, quoniam qui de Societate ad id loci in Academiâ Ingolstadiensi docuerant, solenne conceperant iusiurandum de curandis Academiæ commodis, eaque res nonnullos ingenerabat scrupulos in consultationibus, alijsque actionibus Academicis, magnâque ex parte causa videbatur nimiæ seueritatis, qua Iesuitas vti Professores ceteri querebantur; censuit Princeps eo iureiurando posthac Societatis homines obligandos non videri, quos satis ad officium religiosorum votorum nexus adigeret. Itaque eâ solutis compede vniuersam Philosophiam, Rhetoricam, Humaniores literas

63 Ingolstadiensi Collegio pædagogiũ ex Academia attributum.

64 Alberti Bauariæ Ducis perhonorificæ de Societate literæ.

65 Academicorũ obstacula, & querimoniæ.

suo

Digitized by Google

ſuo prorſus arbitrio adminiſtrandas permiſit. Hoc tamen initio Patres, modeſtiæ causâ, inſtitere, ne ſibi ea procuratio, niſi ad experimentum vno anno capiendum, committeretur. Petrus Caniſius hoc anno primùm aduersùs Centuriatores, vtilem religioni, librum edidit de Diuo Ioanne Baptiſtâ. Agebatur de condendo ſapientum Collegio, quibus vna eſſet prouincia, ſtylus ad refutandas Hæreticorum fallacias, & veritatem catholicam confirmandam. Mouerat id conſilij olim Natalis: Hoffæus ſuperioris Germaniæ Prouincialis quàm fieri poteſt acerrimè promouebat: Principibus Bauaris mirè probabatur, & domicilium ei Collegio Landishutam deſtinabant. Sed & hoc (vt alia multa ſpei magnæ conſilia) præſentes diſturbarunt neceſſitates: quæ quicquid copiolarum erat, ad ſe ſe rapiebant. Georgius Schoritius cœptos in Marchiâ Badenſi labores perurgens, religionis faciem ad priſtinum nitorem renouauit. Interruperant (vt ſupra eſt poſitum) non nihil Cæſaris literæ felicem curſum: ſed tamen cum bonâ eius veniâ, id Præſes, quod inſtituerat, pergens, procul amotis deliramentorum Lutheri magiſtris, expediuit ſimplicis multitudinis aures, & animos cœleſti doctrinæ. Iam nouus in Rheni quoquè Prouinciâ latè patens Colonos poſcebat campus. In Buchonio nemore peruetuſtum, ac nobile Monaſterium eſt è Sancti Benedicti diſciplinâ ab Sancto Bonifacio Germanorum Apoſtolo, dum ſeceſſu, & meditatione cæleſtium requietem à paſtoralibus curis interdum petit Carolomanni munere, qui regionem circa ternarum leucarum attribuit, inchoatum. Ei Monaſterio, pariterque vrbi, quæ paulatim frequens acceſſit, Fulda propter labens amnis alioqui inglorius, nomen dedit. Denique Monachorum virtute, Principumque benignitate in eam amplitudinem ditio, & auctoritas Monaſterij creuit; vt inter Principatus Imperij cenſeatur, & Abbas ipſe ſit Princeps, ſeque Archicancellarium Auguſtæ, perque Germaniam, & Galliam Primatem inſcribat. Ceterùm lapſu temporum, & nouiſsimo religionum motu ſic toto Principatu catholica procubuerant ſacra; vt ſupremus immineret interitus, niſi clementiſſima prouidentia, maturè qui ſuſtineret, Balthaſſarem à Dernbach cognomento Grauelem Principem ſubieciſſet. Is, vt primùm anno priore nominatus eſt Abbas, antiquorum iuuenis morum, & religionis reſtituendæ percupidus, cùm animo ſuo quid oneris ſubijſſet, reputans, quanquàm Societatem nonniſi famâ præſertim Collegiorum Herbipolitani, Moguntinique, & Treuirenſis cognorat, tamen cum ſuâ ſponte, tum virorum optimorum ſuaſu auxilia ab eâ poſtulauit religioſorum ſex ſimul ad conciones, ſimul ad literarias ſcholas, vt (quemadmodum in epiſtolâ ad Prouincialem Vinkium diſſerit) adulti concionibus ab errore deducerentur, paruuli veritatem, vnà cum literis hauirent. Diſtat Fulda Herbipoli ſeptentrionem versùs leucis Germanorum modo duodecim, Moguntiâ quindecim, via, quæ Erfordiam fert, inter ipſam Erfordiam, & Moguntiam pari ferme interuallo ſita, magnam partem Haſſiâ, Thuringiâ, & Saxoniâ, & alijs tum hæreticis terris incluſa. Eò viſus eſt locus cum præſidio dignior ad Hæreticos imminentes vndique repellendos, tum aptior ad ſpeculam, ſicunde penetrandi ad eos occaſio panderetur. Nec dilationem res patiebatur, quòd ordo equeſtris concionatorem confeſſionis Auguſtanæ introducere, & in cœnobio Franciſcanorum, quod annum iam vigeſimum ab religioſis deſertum alieni quidam inhabitabant, Cæmeterio in forum, templo in receptaculum lignorum verſo, hæreticam excitare ſcholam moliebantur. Ergo Hermannus Thyræus, qui procurator Romam profectus, indè poſt obſeruatam in Vrbe aliquanto tempore domeſticæ diſciplinæ formam Prouincialis reuertit, inclinato Autumno Oſualdum Redlingium, qui præeſſet, vnàque Hermetem Albauranum, qui primus Collegio Spirenſi præfuerat, virtutis eximiæ, & commodæ facundiæ Sacerdotes, vnàque Magiſtrum Ioannem Macherentium, & fratres duos miſit, opus velut in ſtatione, quoad de Collegio tranſigeretur facturos. Magnâ eos gratulatione boni omnes, maximèque Abbas excepit: pauciſque diebus apud Parochum habitos in cœnobio, quod Hæretici ſuæ, vt diximus, ſcholæ deſtinauerant, collocauit. Ibi dum pro ſe quiſque, & Macherentinus

66 Caniſij opus de Sancto Ioanne Baptiſta.

67 Marchia Badenſis à Georgio Schoritio exculta.

68 Fuldenſis Collegij origo.

69 Primi incolæ Fuldenſis Collegij.

Digitized by Google

tinus in quadam gymnasij prolusione, & Osualdus in grauibus ad populum concionibus elaborat, & Hermes, quanquàm dudum offensâ valetudine, nihil cessat,

70 Pater Hermes Albauranus moritur.

quin adeo pietate populi, & ad diuina verba concursu incitatus supra vires emittitur, inter dicendum ictus apoplexiâ, magno Catholicorum dolore, tertio Idus Martias insequentis anni decessit. His ab initijs dum oritur Fuldæ Collegium, Moguntinus Antistes, & Spirenses Canonici, ad suorum firmamenta Collegiorum, tabulas rite confecerunt, Patresque probarunt. Ac Spiræ ampliores ædes, quas Canonici donarunt, Decani antea domicilium, Maio mense migratum est. Moguntia Theologiæ veterem Magistrum Petrum Syluium amisit, virum christianâ humilitate insignem. Hic in Societatem Louanij adscitus ineunte sæculi huius anno altero, & quinquagesimo, prout eorum temporum cogebat vsus, cùm plurimam in messem operarij quampauciſſimi diuidebantur, in alia ex alijs loca translatus, ac ministeria, primùm Louanij in Belgio, tum in Italiâ, Romæ, Florentiæ, Tyburi: dein Pragæ in Boëmiâ, postea Ingolstadij in Bauariâ, postremò in Rhenanâ prouinciâ Coloniæ, Treuiris, Moguntiæ, linguarum, & disciplinarum cognitione multiplici, & ipso manuum labore (nam præter alia Lainio amanuensis, & Polanco fuit) catechesi puerorum, atque opificum, grammaticæ cum latinæ, tum grecæ explicatione, professione Rhetorices, semel atque iterum philosophico orbe obeundo, denique theologiam, & è sacrorum interpretatione librorum promendo, & viâ, quam scholasticam vocant, tractando: atque inter hæc studiorum moderator, confessarius domesticorum, sæpè etiam extrariorum: item rebus domi pietatis præfectus, consiliarius Rectorum, ac monitor, vbique laboriosus, ac diligens sese, velut salutarem nubem, quocunque Sancti Spiritus impetus per obedientiam ageret, morigeram, ac sequacem præbens, vnus multiplex gentibus multis auxilium ministrauit. Ad facilitatem obedientiæ tantam haud obscuro videtur monitu diuinitus eruditus fuisse. Nam, vt primùm Romam venit, in quendam incidit Sacerdotum domesticorum, qui (ab nullo enim paradiso abest serpens) superbiæ spiritu, & erroris illusus, adiungere sibi per artes, detractâ Sanctissimo Patri Ignatio auctoritate, adolescentem simplicem nitebatur. Nec procul aberat Syluius, vt totum ei se dederet, cùm acerbissimo morbo correptus est, cum eo stupore mentis, ac sensuum; vt nihil à stipite, & saxo distaret. Sed adfuit innocenti gratia Dei, vt stuporem stupor excuteret. Statim vt paululùm mentis leuatus est torpor, simplicitatis lapsum cognouit, ac deplorauit: firmiterque emendatione propositâ, ita continuò morbus omnis euanuit; vt omnes intelligerent benigni illam Numinis admonitionem fuisse: & deceptus quoquè, idemque deceptor Sacerdos errorem magnâ ex parte suum deponeret. Natalem habuit Flandriæ pagum in Alosti vicinià, vocabulo Hautemum. Sexto Idus Iulias ad humilium præmia onere expeditus corporis viam iniuit. Magna Rectoris Collegij erat Lamberti Aueri & sanctitas, & sapientia: & Moguntiæ, circaque nomen illustre; longè ad conciones accersebatur: ac semel, iterumque hoc anno accitus Francfordiam est, vt in celeberrimis nundinis, & in conuentu, quem Legati Principum habuerunt, catholicos tractatus haberet. Ex æquo etiam cum Paulo Schalischio sic disputauit; vt planè satisfactum ille sibi, seque iam catholicum pronuntiaret. Sed inter maximas Lamberti virtutes pulcherrimè fulgebat misericordia aduersùs egentes. Enimuero fuerant hæc tempora per omnes ferè Christianorum in Europâ terras ita infælicia; multis vt simul grassantibus malis, haud aliud fermè sæuiret acerbius, pluresque conficeret, quàm fames. Hoc igitur misericordiam latiùs pandens Auerus, quo anguſtior erat annona, per multos menses plus centenis, sæpè centenis quinquagenis quotidie alimenta diuisit, sic vt simul animis salutaris doctrinæ esca præberetur: quod bini Socij, alij inuicem, atque alij succedentes studiosissimè factitabant. Valuit pietas erga pauperes Domini, vt Dominus ipse rebus Collegij benediceret. Itaque experiebantur Patres copiolas domesticas largiendo non minui, sed potius augeri. Valuit exemplum ad excitandam complurium benignitatem: qui & per se mul-

71 Petrus Syluius Moguntiæ occumbit.

72 Ad obediendū diuinitus monitus.

73 Lăberti Aueri pietas.

74 Excellens misericordia.

75 Deus pietatem large rependit.

Digitized by Google

multa largiebantur, & pecuniæ ſummas non leues, hi quinquagenos, illi centenos aureos ipſi tradidere Collegio diuidendos: tum alij veſtes, alij libros, alii alia contulerunt, quibus propriè literis operata paupertas ſubleuaretur. Tres ex Herbipolitano Collegio ſuſceptæ expeditiones, cupiente Antiſtite ſenſim corrupta ſuæ diœceſeos membra ſanitati reſtituere. Igitur anno ferè toto ſacri milites, tanquam in acie, variis in oppidis, ac præſertim Neuſtadii verſati, & ſacra vbique priſtina reuocata. Magni docendo, maiores viuendo Sacerdotes Chriſtianus Haluerius, & Gerardus Lapidanus talia maximè procurabant. Qui dum quaſi peregrinam militiam exercent, nec ſolertiâ, nec felicitate diſſimili res gerebat in vrbe Paulus Saurius. Multum valebat conciliandis pietati mortalibus: & is maximè Herbipolitanos ad frequentandum Collegii templum, animaſque ſuas culturæ Patrum ſubiiciendas, vt apud ignotos initio reſtitantes, leni quadam, & plenâ caritatis prudentiâ ſenſim allexit. Singulari etiam induſtriâ in tractandis adoleſcentum ingeniis, pietateque, ac literis imbuendis vtebatur. Quo in munere, & ante Societatem initam per aliquot annos Treuiris tempore eodem Paræciam curans, & poſtea etiam num tyro Societatis per ſeſquianum Francfordiæ ſummâ cum laude verſatus, demum Herbipoli claſſem Humanitatis primus fundauit. Sed iam totum ad doctrinam pietatis traductum ingenti ſanè incommodo vita in medio curſu defecit die Martyri Catharinæ natali. Patriam habuit oppidum ad Moſellam, Bernocaſtellum nomine. Iam Sacerdos, ac tricenario maior Treuiris ad Societatem acceſsit, in qua ſeptennio minus ſuperfuit. Ceterùm nullam videbatur vixiſſe vnquam niſi religioſam vitam. Ita puer innocentiam cuſtodierat: ita vitatis adoleſcentulorum erroribus, frequenti lectione piorum voluminum, præſertim de Sanctorum virtutibus continenti ſtudio precum humi cubans, aliterque corpus afflictans, erudire animum ſemper, & durare, producereque ad ſummam honeſtatis curauerat. Haud minore iacturâ amiſſus Traiecti ad Moſam ſexto Idus Nouembris Henricus Dionyſius Neomagenſis patriâ, quæ & Caniſios nobis, & alios dedit inſignes viros. Aliquot dies æger ſacrâ Chriſti Domini paſsione meditandâ ad horam ſe vltimam comparauit. Annum agebat circiter quinquageſimum primum: decem & ſeptem in Societate, quam Coloniæ inierat, cum egregiâ laude tractis; Traiecti vnus diu catholicam rem ſuſtinuit, non ſolùm præſtantiâ Euangelici Oratoris, ſed etiam raræ virtutis nomine inclytus. Multis quoquè annis Coloniæ in æde principe dixit, multoſque ab hæreſi abduxit, plurimos in orthodoxâ ſententiâ tenuit, firmauitque. Ac teſtabantur Carthuſiani Patres perinde eum verba facientem, quaſi alterum Sanctum Paulum audiri, & accipi. Puellæ ſurdæ, ac mutæ poſt obitum apparuiſſe, & aurium, & linguæ vſum reſtituiſſe viri fide digni affirmant. Ab Clero, Senatu, populo Traiectenſi, qua ſolent Epiſcopi, elatus eſt exequiarum celebritate, quam duobus deinceps diebus, variis aduocatis religioſis, amici continuarunt.

76 Herbipolitani Collegii res.

77 Chriſtiani Haluerii, Gerardi Lapidani, & Pauli Saurij opera.

78 Henricus Dionyſius Traiecti poſt egregios labores moritur.

79 Funeris celebritas.

Inter hæc, vt publicæ res in Belgio, ita priuatæ Societatis dubiæ erant: eò maximè, quòd non Hæretici modò, quorum vires inualeſcebant, clam, palamque aduerſabantur; ſed & Dux Albanus, qui pro Rege tenebat eas Prouincias, parùm ſe beneuolum oſtendens, multorum audaciam (vt euenit) confirmabat, vt nudarent voluntates, & obſiſterent. Ita non parum exhauſtum eſt moleſtiarum Antuerpiæ, vetitique Patres in ſacello ſuo diuina facere: nec quamuis Rex conſenſiſſet, ad ſedem figendam ſtabilem; impetrari poteſtas domus emendæ potuit. Sed admiratores moderatricis rerum ſapientiæ hæc ideo permiſſa interpretantur, tum vt multò luculentius poſtea domicilium Antuerpienſe Collegium poſſideret, tum maximè, ne quæ conſequuta eſt Albanum inuidia, Societatem pariter aggrauaret: fabularumque auido vulgo, & beatis Ieſuitarum obtrectatione Hæreticis capax materia ſubderetur.

80 Belgicæ res.

81 Antuerpiæ difficultates.

In Galliâ Virdunenſe Collegium, quod peſtilentiæ occaſione diſſipatum reſtituere cunctabantur Patres, quoad eius auctor Antiſtes Nicolaus Pſalmæus manſura fundamenta certiùs expediret, cùm ipſemet Antiſtes Pariſios eam ob rem ve-

82 Virdunenſe Collegium reſtitutum.

veniſſet, teſtificans (quod & in tabulis fundationis appoſuit) carendo potuiſſe cognoſci, quàm neceſſarium eſſet, reſque partim compoſuiſſet, partim prolixè polliceretur compoſiturum, reſtitutum eſt, & ad Sancti Nicolai collocatum magno bono, & gaudio Ciuitatis. Quemadmodum quod requieuit aruum ſemina excipit lætiùs, & reddit vberiùs; ita Virduni tum contigit. In pueros maximè quædam incidit cœleſtis flamma, ex qua felix totâ vrbe propagatum incendium. Interfuit ordinandis principijs, & Eccleſiaſten per Quadrageſimam egit, Prouincialis Oliuerius Manaræus. Ei viſum eſt paruulis diligenter excultis vti adiutoribus ad venationem animarum. Ergo omnibus in vniuerſum datum negotium, vt quotquot poſſent ab iurgijs, ab impijs, impuriſque verbis, ab inconſultâ iurandi conſuetudine coërcerent, pellicerentque ad ſacram confeſſionem. Id cum alij omnes ſedulò aggreſsi, tum præcipuè circiter triginta, ex quibus coacta Sodalitas eſt prorſus admirabili ſedulitate, atque conſtantiâ. Diſtributis inter ſe vrbis partibus in ſuam quiſque, tanquam catelli venatici, diſcurrebant, ac ſpectaculo ſanè ad laudem Dei aptiſsimo, reuertebantur ad Collegij templum ſuâ quiſque cum prædâ: hi quadragenos, illi quinquagenos, alij ſexagenos, eoque plures ad Confeſſarium deducentes, præſertim in celebriorum feſtorum peruigilijs. Iidem quemcunque vidiſſent, aut audiuiſſent dicto, factoue quid præter decorum committentem, dum blandè corripiunt, ſubmiſsè precantur flexis ſæpè ante illorum ora geniculis, dum comiter monent, docentque, vt abſtineant, aſsiduitate ſuâ fecerant, vt toto Virduno penè nullæ eiuſmodi fœditates apparerent, niſi fortè Nundinarum diebus, cùm agreſtes, atque exteri veniebant in vrbem: ſed ijs etiam diebus, pueris adnitentibus, ſagaciterque malas beſtias inſectantibus multò erant emendatiora omnia. Multas ipſi ſedarunt rixas: haud paucos ſe ad necem infeſtis gladijs petentes, ſuorum interpoſitu corpuſculorum, ſanctiſque clamoribus, perque IESV ſanguinem obſecrationibus diremerunt. Nonnullos etiam Sacerdotum pudore confuſos ad frugem perpulere meliorem: adeo vt eorum quidam indè intelligi nequitiam ſuam, lapſumque ordinem dictitarent, quòd eò veniſſent, vt quos oportuerat populi eſſe magiſtros, docendi eſſent à pueris. Militi viro bono venit in mentem vnius ex hoc puerorum grege conſtantiam periclitari. Exaſperat in iram vultum: efferat, diſtorquetque toruo obtutu oculos, minitatur, infremit, totum ſe ardere ſimulat, & aliquod eruptùrum in magnum facinus. Id puer conſpicatus, continuò placaturus accedit. At miles repentè in eum turbidus, minaxque cum ingenti clamore conuerſus: Ita ne (inquit) tu mihi hæc? Ergo mihi tu cenſor? Lues profectò, lues ſuſpendio arrogantiam iſtam. Et cum dicto productum funem pueri implicat collo, ducitque interminitans, quamprimum nanciſcatur arborem ex eâ ſuſpenſurum. Puer tanquam non ſua res ageretur: Eamus, inquit, quò vis: incedebatque vultu placido paratiſsimus mori: cùm poſt paulùm miles frontem ſerenat, collaudatâque pietate eius, atque conſtantiâ, minas in blanditias vertit. Quantò autem hi pueri ad ſtudia pietatis acriores erant, tantò ſimul ardentiùs tractabant ſtudia literarum, tantoque maiore profectu; vt libenter intrat ſapientia puras mentes. Geſtiebat hoc ſucceſſu Præſul, totuſque erat in renouando templo Sancti Nicolai, inſtruendoque Collegio, & benignitate vijs omnibus promendâ in Patres. Die Sancti Nicolai, quo primum die in templo inſtaurato ſalutis immolata eſt victima, non ſolùm prandium ijs, quale indulgentiam eius decebat, miſit; ſed ipſemet, cum familiâ ſuâ in Collegium venit, & prandentibus miniſtrauit ab exordio ad finem, repræſentans eam Domini reuertentis à nuptijs erga vigiles ſeruos benignitatem, de quo ſcriptum legimus Lucæ duodecimo: Præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis. Dei famuli nullâ ratione potuerunt euincere, ne modeſtiam ſuam hoc rubore perfunderet. Ab hac origine renatum Virduni Collegium Rectore Ludouico Codretto, publicata Kalendis Octobribus quinque in adiutorijs cuncta literaturæ, rhetoricæque doctrina perpetuo deinceps prouentu, & Ciuitati, ac toti circa regioni, & ipſi Societati benignè reſpondit. Idem annus, tan-

83 Puerorum inſignis pietas, & opera in animarum ſalutem.

84 Pueri conſtantia.

85 Benignitas ſua Epiſcopi in Collegiũ Virdunenſe.

Digitized by Google

tanquam ex longo, atque difficili partu, Camberiense quoquè Collegium in lucem tandem explicuit. Annum iam septimum degebat, aut latebat potius in parte cœnobii Franciscanorum maximo, cum suo, hospitumque religiosorum incommodo, nec absque iustis eorundem querelis, & multorum è populo offensione. Id eò euenit. Promiserat Dux in sumptus Collegii pecuniam annuam: domicilium parare Ciuitas debebat. Donec id pararetur, quod breui sperabatur fore, in prædicti cœnobij membro Collegium inchoari voluerunt. Mox & annuæ eius pecuniæ pensio Ciuitati imposita est. Quæ res pro nouo, & ad eam diem inusitato tributo accepta, perquam ingrata accidit: cùmque ostiatim, ac ferè nominatim titulo Collegij exactio fieret; longè plus indè colligebatur inuidiæ, quàm leuamenti reportabatur: tantoque iam minùs, vt nimium pressam, sufficere se ad parandi templi, domusque impensas Ciuitas ferebat. Ergo, siue quòd fatigatam Societatem intermisso incœpto abituram crederent, quod quidam religionis (vt erant tempora) parùm certæ volebant: siue quòd in cœnobio ipso, compendij causâ constabiliri vellent, vt interdum significabant, quamuis Dux sæpè instaret, vt sedes Collegio traderetur, & Senatus identidem primo quoque tempore attribuendam decerneret, & consilia alia super alia tentarentur, nihil vltra verba procedebatur. Interim, præter scholas, quæ & ipsæ iacebant, perparum ex vsitatis in animarum auxilia ministerijs attingebatur. Cum inuidiâ, cum inopiâ, cum mille difficultatibus luctatio erat, & hæc occupationum maxima erat. Non exequar quàm grauiter, & quoties Borgia hinc pro familiolæ suæ caritate, indè pro suâ modestiâ, ergaque Sanctum Franciscum, atque eius ordinem singulari pietate, institerit, vt aliquid certi conficeretur: nec quantum viarum ierit, ac redierit Ludouicus Codrettus, quantum molestiarum Andreas Auantianus, alijque Rectores exhauerint: ne sic quidem talia, nisi inuitus, delibat stylus: vt intelligatur, quàm minimè festinanda sit Coloniarum deductio, & quantopere etiam durandum in cœptis: tantoque simul gratior extet eorum memoria, qui difficultates huiusmodi sustulerunt. Cæterùm cùm finis nullus inueniretur, & Fratres Minores fortasse solicti, ne tandem vetustos possessores inquilini excluderent; sic ad exitum vrgerent, vt quosdam Patrum nostrorum fraudis, & anathematis aliena per vim cœnobia inuadentium pauor subiret; Borgia excedi vrbe iusserat. Sed extremis rebus de more Deus adfuit. Causam quamimpensissimè commendauit Dux: pari susceperé studio quidam eius administri: interuénit Augerius: commouit populum religiosâ facundiâ: egit acriter cum Senatu: eo iuuante domum conduxit: in eam vigesimo tertio die Iunij demigratum. Hîc, velut nunc primùm oriretur, gymnasium cœptum celebrari, additâ ad priores tres, quartâ exedrâ: auctoritatis non parum, & gratiæ, datis quoquè fabulis, acquisitum. Sacellum præterea exiguum, sed venustulum concinnatum: in eo diuina præberi cœpta, cùm in Sancti Leonardi apud Dominicanos conciones à Patre Nicolao Bulgerio haberentur: cuncta denique proniora facta. Sedenim, vt in alieno etiam num habitabatur, tamque inuidiosâ, ac necessitati imparia alimenta præbebantur, pendula adhuc omnia, et in incerto erant, cùm cæleſtis clementia eum quoquè nodum exoluit. Ioannes Triuultius patritiâ Mediolani gente, Protonotarius Apostolicus hoc ipso tempore Prioratum Sancti Ioannis Baptistæ de Megeua cum assensu Pontificis in Collegium transtulit: & tria postmodum aureorum nummûm millia in domicilij emptionem adiecit. Eadem posthac diuina bonitas paulatim alia superaddidit auxilia, vt iam Collegium benè constitutum, liberatâ Ciuitate inuidioso vectigali, sine cuiusquam incommodo, omnium commodis vtili, & grato labore seruiat.

86 Camberiense Collegium cõstabilitum.

87 Non desũt difficultates.

88 Collegiorum institutio non festinanda.

89 Pater Nicolaus Bulgerius ad cionatur.

90 Ioãnes Triuultius optimemeritus de Collegio Camberiensi.

Augerius per quadragesimam versatus Metis in Lotharingiâ neminem ex primarijs reliquit, quem non reuocarit ab hæresi. Idem conciones in summo templo, quæ ante diebus tantum Dominicis habebantur, vt frequentiæ auditorum fieret satis, quotidianas habebat: tum alias ad milites in arce, alias ad deuotas feminas in cœnobio. Ter in hebdomadâ catechismum exponebat: sæpè publica

91 Metis gesta ab Augerio.

mise-

miserorum diuersoria, sæpè carcerem solabatur: cùm interim nullum diem non multas horas in pœnitentiæ sellâ perseueraret, plerisque mirantibus vnum corpusculum tot esse laborum capax. Idem, compositis Camberij rebus, prouincialatu iam liber, in Claudium Matthæum exonerato, ad requiem legit sibi Mauriacum in montibus Aruernis. Sed, vt est nauorum otium negotio ignauorum efficacius; indè Aureliacum excurrit: vbi ita populum audita viri pia eloquentia concitauit; vt nullo templorum concionis capiente celebritatem, in foro necesse esset verba sub dio facere. Nec requies longa permissa est. Ad iuuanda Collegia Rhutenense, & Tolosanum, quæ magnopere ab rerum inopiâ laborabant, magno studio accitus, difficultates vtriusque fœliciter expediuit. Indè vocatus Burdegalam noui Collegij, de quo in plenum sequens narrabit volumen, fundamenta constituit. Interim Posseuinus, qui post res Rothomagi gestas, Collegium Lugdunense superiore anno in curam acceperat, dum ad ciues Gallicè, ad Italos mercatores Italicè, geminatis eodem die disputationibus verba facit; Vesontionem, quæ Comitatus Burgundiæ primaria ciuitas est, aduocatus, ampliùs, quàm pro spatio temporis religioni profuit. Claudius à Balma Archiepiscopus, quem postea Gregorius Tertiusdecimus in Sacrorum Patrum Senatum adlegit, coactâ Prouinciali Synodo Tridentinum Concilium promulgari cupiebat. Tres Episcopi, nonnulli Abbates, Academici multi Dolani, circiter mille trecenti Sacerdotes conuenerant. In horum pulcherrimo consessu constitutus Orator Posseuinus, diebus septem binas quotidie orationes habuit, quarum in matutinis, audiente etiam populo, decreta sacri Concilii, quæ ad doctrinam spectant, in vespertinis apud sacram duntaxat militiam, quæ ad reformationem, piè, & eloquenter exposuit. Ad hæc summam diplomatis Pontificij (quod Cænæ Domini nominatur) percurrit, quædam è grauioribus capita enucleatiùs tractans. Cum Archiepiscopo centum viginti nobiles ex Burgundiâ venerant, qui egregiè exculti. Multi Sacerdotum confessione generali conscientiam expiarunt. Postremò more suo Curiones populo Romanum, Ludimagistros Canisij catechismum explicare discipulis docuit. Magnaque horum, hisque similium, quos aduehendos Lugduno curarat, distracta librorum copia, vt omnem Prouinciam tacitorum id genus magistrorum præsidium fidele peruaderet. Auenione Tyrocinium in Collegij membro constitutum sub Benedicti Nigri disciplinâ. Abundabat vtraque Galliarum Prouincia sobole multâ, ac præclarâ. Interim & ipsæ matura cœlo pignora reddiderunt. Ex his minimè obliuiscendi Sacerdotes tres Hieronymus Olauius, Leonardus Masserus, Iacobus Syluester. Olauius, idem Isuntia cognomento, is est, qui fratrem habuit nostri ordinis lumen, Martinum Olauium, & ipse anno ab hinc quinto ex Victoriâ patriâ magnis sacerdotij fructibus, honoribusque relictis, Romam ad Societatem venit, vt eo loco narratum est. Lutetiæ, vbi Collegij ministrum agebat, Maij die vigesimoprimo religiosum curriculum breui spatio absoluit. Masserus ortu Parmensis penè à primâ tum suâ, tum Societatis ætate in eâ vixerat. Itaque primorum spiritum, & mores Patrum hauserat, conseruaratque specimen innocentiæ, caritatis, obedientiæ, demissionis, lenitatis, ac ceterarum virtutum. Missus Lugduno Turnonum, confirmandæ valetudinis causâ, cùm refectus propemodum videretur, repentino sanguinis, quem antea excrearat, vomitu oppressus, in Claudij Matthæi tum Rectoris sinu animam exhalauit. Claudius Turnonum tacito Dei nutu idcirco missum interpretatur, vt corpus in Societatis templo, consecratâque humo conderetur. Primus enim in Turnonij Collegij templo recèns consecrato est conditus: nec propterea aliud Prouincia consecratum habebat. Iacobus Syluester Normandus erat ex diœcesi Ebroicensi. Vt annos fermè sexdecim ad omnia, quæ obedientia demonstraret, accinctus, & alacer sanctissimè Deo seruierat, & vita cunctis fuerat domi forisque dulcis ad pietatem aculeus; ita mortem pulcherrimam, & efficacissimi exempli obiuit: ad vltimum vsque non mentis modò potens, sed & in sanctis affectibus perseuerans. Itaque vel supremam spiritus auram in gaudiorum cœlestium præconio, & Dei

92 Claudius Matthæus in prouincialatu Augerio sustituitur.

93 Posseuinus Vesontione multa gerit.

94 Auenione Tyrocinium inchoatum Benedicto Nigro magistro.

95 Hieronymus Olauius moritur.

96 Leonardus Masserus.

97 Iacobus Syluester.

lau-

Digitized by Google

laude consumpsit. Is Octobris septimum diem, Masserus sextum & vigesimum Martij postremum habuit.

In Sardiniâ publicum Sassaritanis luctum reliquit Pater Antonius Boscus. Sic proditum literis est: vno funere perinde cunctam ingemuisse Ciuitatem, tanquam nulla domus priuato careret funere, certatim etiam singulis priuatum in se aliquod ex eo meritum memorantibus. Per cunctas Parœcias æra lugubre sonuerunt. Exequias, velut parenti communi, Archiepiscopus, cum Clero, itemque Franciscani cœnobitæ, præter Sociorum priuatas in Collegij templo, maximo omnium Ordinum, ætatumque conuentu celebrarunt. Hanc omnium erga se magnam adeo caritatem caritate suâ erga omnes maximâ erat consequutus: cuius per annos ampliùs continuos nouem quotidiana experimenta, maximè purgandis conscientijs, templo affixus præbuerat. Modicè erat doctus, sed laboriosus, simplex, rectus, benignus affluentissimè. Patriam habuit agri Barcinonensis pagum, nomine Far. Ad Societatem accessit, cùm audisset sacrosanctam communionem in eâ plurimùm celebrari: statuens apud animum suum, oportere egregios Dei seruos esse, qui id factitarent: iustissima enim verò argumentatione. Quid enim consequentius, quàm vt cælestis efficiatur vita victu cælesti? Per autumnum in pagos Sassaritanos Archiepiscopi missu dum promulgatum à Summo Pontifice pro successu classis iobelæum circumfert, nec solùm dies, sed etiam noctis partem sanctis laboribus, & caritate suâ, & populorum necessitate stimulante, tribuit; morbum, & indè mortem, quæ immortalitatem repræsentauit, adeptus est. Postridie Nonas Octobris grauissimè laborans, repentè lætitiâ ingenti perfusus in hæc verba erupit: O mirificam, ò planè mirificam quâ cor meum exultat, lætitiam: & sciscitantibus, qui aderant, Sacerdotibus duobus, & fratre eius curatore, quæ tanta esset lætitiæ causa: Agamus, inquit, Domino grates de tam præclaro in nos merito: O beneficium excellens, ò meritum singulare. Et rursus quærentibus, quodnam diceret beneficium, & suspicantibus ex morbi impetu aberrare: Magnificam victoriam, inquit, consequuta est nostra classis de classe Turcarum. Agite, in gratiarum actionem Sanctorum Ambrosij, & Augustini pronuntiemus hymnum: & protinus exorditur: illi præeuntem sequuti, totum pronuntiarunt: breuique non errorem mentis, sed pridie partæ, nec dum aliunde cognitæ victoriæ miram fuisse cognitionem compertum est. Et ipse biduo post diuinas laudes, atque hymnos sine intermissione decantans, vt fidelis, ac bonus seruus, per gaudia intrauit gaudia Domini sui. Sassaritanum Collegium ad perfectionem adoleuisse hoc anno videri potest, additâ ceteris doctrinis præstantissimâ omnium Theologiâ, quam Bernardinus Ferrarius, & Michaël de IESV primi interpretati.

98 Sardiniæ res.

99 Patris Antonij Boschi fama, virtutum.

100 Vocationis eius causa frequentia Communionis in Societate.

101 Remota cognoscit, ac prænunciat.

102 Bernardinus Ferrarius, & Michaël de Iesu in Sassaritano Collegio primi Theologiæ professores.

In Hispaniâ prægrauem multis locis fecerunt annum febres pestiferæ, quæ putribus maculis minutis, crebrisque nunc rubentibus, nunc nigrantibus (quas tetriores sunt) corpora infecta perspergunt (peticulas Itali, tauardillum Hispani vocant, quidam medicorum miti vocabulo à similitudine notæ, morsus pulicum nominabant) anno superiore non solùm per Hispaniam, sed latè per Europam grassari cœptæ. Moris est hominum si quid triste ingruerit imputare ijs, quos alioqui infestos habent. Ita per Hispaniam cùm id mali vehementiùs in translatos Granatâ, latèque dispersos post bellum Neophytos Mauricos, vt miserijs prædomitos, & conquassatos incubuisset; tota in eos origo pestis conijciebatur. Indè miseros, pro commiseratione, & ope, odium publicum onerabat, tanquam & pereuntes perimerent. At Societas materiam caritatis quantò magis desertam, tantò enixiùs arripuit, haud quidem sine noxâ suâ ingenti, verùm maiore cum quæstu, quantum rerum ceterarum damnis lucra præponderant pietatis. Salmaticense Collegium dum valetudini seruit alienæ, ita suam anno ineunte perdidit; vt Patre Bartholomæo Canouâ studiorum moderatore, œconomiæ domesticæ ministro, homine ad agendas res vndique instructissimo, & aliquot præterea morte sublatis, tredecim tempore eodem iacentibus; intermittere literarias occupationes coactum sit, & dissipatum prope sit totum. Damnum

103 Hispanicæ res.

104 In Salmaticensi Collegio mortui Pater Bartholomæus Canoua.

Digitized by Google

105 Et Iacobus Carillus.

quoquè factum in Iacobo Carillo, quem summò consensu lectum à Toletana Prouinciâ procuratorem, dum ad Romanam peregrinationem accingitur, lues Abulæ correptum transmisit in Cælum. Tenasiam in diœcesi Conchensi pagum, patriam habuit. Iam sacerdotio præditus ad Societatem aggregarat sese Compluti quinquagesimo instantis seculi anno. Postque Complutense, duque Ocanense Collegia administrata, ipsam Castellam Prouinciam gubernarat religiosè, ac diligenter. Eadem procella & Complutense Collegium afflixit, malo Guadalaxarâ relato. Cognito enim luem illic immanem edere Mauricorum stragem: nec esse, qui despectu, odioque nationis, ad hæc contagionis metu, extremâ calamitate pressos respiceret; aliquot extemplò accurrerunt Patrum, Fratrumque. Conquirebant pecuniolam, tegumenta, cibaria, & deferebant ad miseros; sed validiore opus remedio erat. Passim in vijs strati publicis semianimes iacebantur. In

106 Aegrotis Mauricis succursũ.

tuguriolo quopiam familiæ numerosæ, parens vterque morbidi, cum morbido liberorum grege iacebant, frigore, fame, morbo confecti, squallore, ac pædore horrentes. Ergo sacri caritatis satellites tecta publicè designanda curant, in quæ miserabilia corpora deferantur. Tum ipsimet, cùm initiò nè mercede quidem emolliri homines, pellicique ad opem ferendam possent; animosè discurrunt: hunc ægrè se agentem subleuant, sustinentque: illum inter manus tollunt, humeros illi supponunt, palàmque, & in omnium conspectu deferunt in Nosocomium, populo admirante, & (quæ vis exemplorum est, quod exprimi ære nequiuerat) multis ad conferendam diligentiam incitatis. Indè, adiuuante Deo, salus Ciuitati parta, ægrotorum animis, ac ceteræ nationis, pietatis miraculo captis, Christi suauissimus odor afflatus: tantaque erga sospitales patronos opinio omnium, ac veneratio consequuta; vt abeuntes desiderio, gemitibus, & vberi fletu prosequuti sint: nihil magis expetentes, quàm domicilium apud se condi, vbi tanta caritas perpetuò habitaret. At reuersos è sancto labore Complutum, quod ab alijs propulsarunt, malum excepit: vt scilicet eorum corona duplicaretur: & quam alienis impenderant, à fratribus caritatem reciperent: & hi quoquè, qui domi manserant, non solùm mercedis, sed & laboris in partem venirent. Abstineo nominare hac procellâ ereptos: quòd nusquam disertè proditur eccui propriè mors ex obsequio ægrorum obuenerit. At Patrem Ioannem Martinium pretiosam indè coronam Toleti, Aprili inclinato, retulisse constat. Genus ducebat ex oppido Pinto nouæ Castellæ. Compluti Societate donatus, vixit in eâ annis fermè septemdecim, varijs locis Burgis, in Monte regio, Villarij, Madriti, ac demum Toleti, in multis item, varijsque muneribus: sed in nullo propensiùs, quàm in animis beneficio sacerdotalis absolutionis peccatorum nexu soluendis. Summæ illi deliciæ somno se, ac cibo fraudare, vt ad ægrorum, & morientium confessiones excipiendas dies, ac noctes accurreret. Nec verò dum mitteretur expectabat: sed hac in re, moderatorum sponte præcurrebat nutum, sedulò instans, vt si quem cuiusquam necessitas maximè importuno vacaret tempore; eum sibi quæstum nemo præriperet. Cùmque admoneretur interdum, ne se laboribus enecaret: Vitam, inquit, vacuam caritate non amo: præclarèque mecum actum existimaro, si nostræ professionis occupationibus, quam ob rem huc veni, contingat immori. Et profectò contigit. Nam cùm Toletum quoquè ex Granatensi bello multi Mauri generis ægroti venissent, eam bonus Pater suam messem, atque vindemiam ratus, flagrantissimo studio complectebatur miseros: ijs sternebat lectos, porrigebat potionem, ac cibum: aderat dulcibus alloquijs, quacunque re posset vel ad sanitatem recuperandam, vel ad mortem piè obeundam, opitulabatur. Cùmque præ multitudine vno sæpè in lectulo bini, terniuè iacerent; ad noxas confitentium arcano legitimo audiendas, inferebat se medium, & ad anhela miserorum ora applicabat aures, patientiâ, & caritate admirandâ. Vitio indè concepto, tanquam miles fortis in acie, quod optarat, lætissimus cecidit. Sunt qui Deiparam, quam vnicè venerari solebat, apparuisse moribundo, & cælestis solatij plurimum attulisse affirment. Ceterùm eadem mali pernicies per Bæticam sæuiens, maximèque Gaditanos premens, egregiè eos

107 Ioannis Martinij pia vita, & mors.

quo-

Digitized by Google

quoquè Patres exercuit. Præerat Collegio Petrus Bernardus operoſæ vir caritatis, & prodigæ commiſerationis erga calamitoſos. Is è prouinciali conuentu, qui Hiſpali habitus eſt, Gades reuerſus, reperit adhuc ita debacchantem luem, vt multos inficeret, eodemque prope momento conficeret. Epiſcopo, Clero, Prætore, & Magiſtratibus, cum pleriſque diuitum digreſsis, multitudo in faucibus deſtituta mortis, nullum corporibus, nullum animis præſidium habebat. Ingemiſcens ad talem caſum Petrus, ita cum abſentibus, ita cum iis egit, qui reliqui in vrbe erant è magiſtratu ciuili, vt de remedio agitarent. Confertur in commune numerus pecuniæ affatim magnus: deſtinatur in agro excipiendis ægris domus: medicamenta, miniſtrique morbidorum comparantur. Accerſitur Hiſpali Sebaſtianus Diazius medicâ potens arte, idemque præſentis animi, & ad talia pericula audentis. Epiſcopus quoquè bonum Sacerdotem deſignat ad diuinorum myſteriorum diſtributionem, Rodericum Francum, qui duos annos in Noſocomio fidelem operam incolumis contagio ictis nauauit: aliquot è Societate miniſterio eidem addicti, Iacobus Sotomaior Sacerdos præcipuè Sacramentis tribuendis: Iacobus Lopius, & Alfonſus Montoia laici: ille in corporibus curandis occupabatur: hic quotidie in equo vrbem, & agrum obibat inſulæ, circumferens mellita cruſtula, placentulaſque, & ſaccaro condítos ſuccos, & id genus alia ægris ſolatia: quoſque inueniebat abiectos, deferendos ad Noſocomium curabat. Petrus totum regebat, incendebatque negotium: qui & diuidendis eleemoſynis ab Ciuitate præpoſitus, vt cuiuſque requirebat inopia, cibos, veſtes, medicamenta comparabat, diſtribuebatque. Atque ſub veſperam egreſſus in forum ad emendationem vitæ populum, quò placaretur cœleſtis ira, breui, ſed mirè frugiferâ, vt erant ſubacta malo pectora, exhortatione compellebat. Pertinax interim lues cum Patrum caritate, conſtantiâque certans, vtrumque Iacobum Lopium, atque Sotomaiorem vicit, & coronauit. Pater Sotomaior Hiſpalenſis origine, clarus doctrinæ, clarior virtutum ornamentis, ſtudiorum orbe confecto, & licentiæ, quem vocant, gradum in iure Pontificio adeptus, aduocatum profeſſurus Granatæ domum quærebat: cùm ter, vt ipſemet literis mandauit, diuinâ voce (nec explicat clarâ, an tacitâ) iuſſus eſt nullam domum quærere, præter Societatem IESV. Acceſſit ad vocem impulſus adeo vehemens, vt hæſitantem ſe, & quodammodo inuitum, vi quadam pertractum dicat. At vbi Nouitiorum cœtui admixtus eſt; ita mens illuſtrata, & dilatata ſunt homini præcordia; vt beneficii pondus in religiosâ vocatione accepti perpendens, non Hiſpalenſis pontificatus thiaram, non quemuis ampliſſimorum honorum mallet, quàm inter Dei famulos totam vitam coquum agere. Et quidem, præ ſanctæ ambitione humilitatis, Sacerdotalem etiam dignitatem, quantùm permittebat addicta obedientiæ libertas, refugiebat. Inter inſignia, quæ acceperat, diuinitus dona, vehementiſſimum erat pro bono IESV, vt ipſe loquebatur, multa perpetiendi ſtudium. Ardebat in eius obſequium millies mori, mille in fruſta concídi. Eamque ob rem ad orientem, ſiue ad occidentem mundum, vel quocunque nutus Præſidum indicaret, vbi famem, ſitim, verbera, vulnera, ludibria Domini ſui causâ ferret, aſpirabat. Quæ omnia ſi contigiſſet experiri, fore nihil exiſtimabat comparatione eorum, quæ tolerare & deberet, & cuperet. Atque hæc ipſa cùm Borgiæ, vt religioſo patri, ingenuitate filij, ſcriberet, in iiſdem literis ſubijcit: Is, qui nouit cor meum, cor tuæ Paternitatis moueat, vt meis votis indulgeas. Nam præter alia, ego proſperâ ſum valetudine, mediocribus viribus, quocunque cibatu ſalubriter vtens: mari diu peregrinatus, vt qui Caſtellæ Indias adiui, natare ſciens, ac remum agere. Quòd ſi Dominus permitteret, vt in Indiam tendens in eius obſequium captiuus fierem, verberibus conſcinderer, auribus, manibuſque mutilarer, alijſque cruciamentis, quæcunque fingi cogitatione queunt, afficerer; videor mihi (vt nunc quidem Deus me corroborat) ardentiùs, quàm nunc expeto, re ipsâ tum ſuſcepturus. His, multoque pluribus anno ſeculi ſexto, & ſexageſimo, ardore ſui animi explicato, inter ſancta hæc deſideria, quod ætatis reliquum habuit, tantâ exegit perfectione virtutis;

108 Gaditanis ęgrotis conſultum.

109 Patris Petri Bernardi opera.

110 Qui è Noſtris ægrorum miniſterio addicti.

111 Patris Iacobi Sotomaioris egregia virtus.

112 Ingēs eiuſdem feruor.

Digitized by Google

vt ipsa oris modestia, & in sese collectio satis proderet assiduè eum coram diuino conspectu mente versari. Vbi autem vulgata pestilentia Gadibus est; continuò dandæ in discrimen pro Christi gloriâ vitæ occasionem, quam vel ex nouo terrarum orbe exoptabat venari, oblatam domi arripiens, tanquam ex longo collectam mitigaturus famem, Prouincialem fatigat, vti se ministerijs ægrorum addicat. Fortè ad sacrificium sacerdotalibus adornabatur vestibus, cùm lætum nuntium accepit, voti compotem factum. Itaque eodem loco arctissimè fratrem, qui nuntium attulerat, gaudioque immenso complexus, ad sanctum altare progreditur: ibique cum tenerrimo pietatis sensu, feruidâque alacritate sese pariter cum hostiâ sacrosanctâ in victimam offert. Velox ab sacrificio, perinde ac si amœnos in hortos voluptatis causâ procederet, ad Nosocomium pergit: nec minus pestifero alioqui ægrorum, in quibus Christum venerabatur, conspectu, tractatuque gaudet, quàm si in violâ versaretur, ac rosâ. Ita cùm diu sinè metu, sinè fatigatione, nullâ suimet, summâ languentium curâ, caritatis talentum exercens, ingentem conflauisset in cœlo thesaurum; ad eius possessionem, ac fructum vocatus est quarto Nonas Maias. Deiparæ etiam Virginis cultui addictissimus erat, solebatque dicere, si quando deteriùs solito haberet; pro remedio se Rosarium percurrere, & conualescere. Quæstuosa hæc detrimenta resarciebat abundè Deus vocandis ad sua signa multis, eximijsque tyronibus: quorum Complutensis Academia generosum semper, ac fertile seminarium, atque hoc cum maximè anno fuit. Ingentem in omnium animis ad Dei laudem suscitauit motum Petrus Valuius (Balbas Hispani, cognomento, à valuis, ac foribus ducto vocant) de quo mox dicetur, cùm motus significaro, quos & diabolus ad sua vbique intentus lucra concitauit adolescentuli causâ. Is erat Franciscus Hispania claro genere Madritanus, religiosum à puero nactus ingenium. Nam aliquot in Societate annis rectè consumptis, vitam deinde magnâ cum laude peregit inter Franciscanos Excalceatos: ad quos eâ ferebatur inclinatione animi; vt dum inter nos versaretur, ad imitandam eorum asperitatem multa faceret, & calceorum etiam sola perforaret. Hic igitur dum Compluti dialecticæ studet, vt primùm Societate receptus est, mater Petronilla Barria vidua, & potens, vehementer commota, leuiter inductum, & circumscriptum, adiecto oculo in eius hereditatem conquerens, ab regio Consilio diploma aufert, vt copia sibi fiat, quo loco voluerit, per quatriduum periclitandæ filij voluntatis: & Madrito Complutum aduolat. Negotium, ac iussum regium Toletani Archiepiscopi Complutensi Vicario, nomine Salas, propinquo suo dat. Interim Patres, cognito quid moueretur; Madritum Nouitium mittunt, vt, si opus foret, se pariter, atque Societatem Præsidi Consilij Cardinali Spinosæ purgaret. Vicarius ad Collegium cum ministrorum manu profectus, accersito Emmanuele Lopio Prouinciali, exhiberi è regio imperio adolescentem iubet. Is comiter abijsse Madritum respondet. Ille iræ haud satis potens, atque ad eludendum imperium absentiam simulari existimans: Non (inquit) fraudes, ac doli tui me fallunt. Mitte tergiuersationem, vel hoc loci, temporisque vestigio exhibe adolescentem, vel sequere in carcerem. Quærente Emmanuele quâ potestate taliaminaretur: Meâ, inquit, Vicarij Complutensis, cui vos, perindè vt ceteri Clerici, necesse est pareatis: & alia contumeliosè, minaciterque accumulat, & rapi Prouincialem iubet. Iamque ab hortis ad ianuam agebatur eo impetu, strepituque, vt quidam Ciuium indignans, ne quid contra dignitatem viri committeretur, tintinnabulo manu iectâ, vehementi sono Collegium totum ad opitulandum Præposito suo excierit. Supra centum in Collegio tum Socij numerabantur. Qui, cùm fermè omnes protinus accurrissent, plerique in flore iuuentæ, robustique viribus; tamen ea fuit omnium virtus, atque modestia, ea Dei tutela, vt quamuis nihil ad irritandum defuerit, non voce, non facto, non vllo motu quicquam religiosæ professionis decorum violaretur: tacitis ad Deum precibus rem agebant. Tantùm Michaël Gubernius, Alfonsus Deza, atque alij viri magnæ auctoritatis contestantes Nouitium Domi non esse, hominem in Prouin-

113 Erga Deiparâ cultus, ac fiducia.

114 Cõpluti turbæ Nouitij causa.

115 Modestia Sociorum Complutensis Collegij.

cialis

cialis abducendi cœpto perſiſtentem modò blandè, modò acriter deterrebant. Ille vehementiùs vſque agere: ſatellites, quibus venerat ſtipatus, iubere porrò per vim captiuum trahere, interdicere ſacris Collegium, iuſſo etiam ex altari detrudi tum Sacerdote ſacrificante, & Dominicus erat dies. Fit altercatio, ac tumultus, Patribus Pontificia Diplomata iudicandæ libertatis offerentibus: illo nihil quicquam penſi habente, ingerente conuicia, intonante carcerem. Rei fama celeriter oppidum peruagata, mortalium haud paucos, præſertim Academicos ad Collegium congregarat cum ferro, prohibituros, ſi foret opus, iniuriam. Tum Prouincialis, victurus in bono malum, ne quid grauius eueniret, ſpondet Nouitium intra horam quartam ac vigeſimam traditurum. Ita intermiſsâ vi diſceditur. Adeſt Nouitius: Vicario traditur: apud eum per quatriduum in omnes partes ab amicis, ab cognatis, à parente, ab hominibus laicis, ſacriſque verſatur. Nihil à quoquam exprimitur, niſi Dei inſtinctibus paruiſſe: ſponte ad Patres adijſſe: ſuppliciter, vt reciperetur inſtitiſſe: firmiter perſeuerare vſque ad obitum decreuiſſe. Ille fuit ſpectabilis planè congreſſus, cùm hinc mater, hinc filius, vterque flens: illa rogabat filium, vt domum ad ſe rediret: hic precabatur Deum proſtratus in genua, ne ab Societate, domoquè ſuâ abripi ſe pateretur. Ac ne illud quidem impetrare potuit mater, vt patrimonium ei, & hereditaria iura cederet: vſque dum Prouincialis, vt ouiculæ pacem vellere dato redimeret, & nomini bono conſuleret, quod diuitijs multis præpollet, id ipſum ſuaſit. Vicarius in tabulas acta retulerat: ſed cùm & Prouincialis literas Cardinalis Spinoſa accepiſſet, atque in Senatu regio recitaſſet; nihil ille, niſi grauem increpationem, tulit. Idemque, vbi perturbationis reſedit impetus, ſimul quò progreſſus eſſet planiùs animaduertens, ſimul manſuetudinem, & innocentiam Societatis perpendens; non modò reconciliatus eſt, ſed etiam ex eo tempore vehementer Complutenſi Collegio fauit. Verùm talia exempla primùm Religioſos docent, quàm oporteat eos vndique præmunita pectora, & prouiſa habere conſilia in multos eiuſmodi caſus, qui præter omnem opinionem eueniunt: vt animus ſemper hæc cogitans, inquit Magnus Gregorius, libro quinto Moralium trigeſimoſecundo capite, ſemper contra hæc thorace patientiæ munitus, & quicquid acciderit prouidus ſuperet, & quicquid non acceſſerit lucrum putet. Deindè admonent omnes quàm verè in ſermone de irâ dicat Baſilius: Iratos ante omnia ſeipſos, deinde alios omnes obliuiſci: quàmque principiò coërcendus impetus ſit, antequam in furorem excedat. Tum enim, vt idem ait, velut torrens, obuia quæque inuoluit, ac trahit. Non ſenectus venerabilis, non vitæ virtus, aut mores, non generis propinquitas, non acceptæ iam gratiæ, non denique aliquid aliud, quamuis æſtimandum, in honore eſt. Conſtantia adoleſcentis, & abdicatio hereditatis auctoritatem Collegij ſatis defendit, & ad eam clariſsimè illuſtrandam acceſsit opportunè paucis poſt menſibus Petri Valuij factum. Nihil notius eo viro, ac prope mirabilius erat Compluti. Quippe adoleſcens ex patriâ Comarâ illuc ad patruum Sancti Iuſti Abbatem, & Academiæ Cancellarium profectus, humanæ, diuinæque ſapientiæ diſciplinas ibidem ita perceperat; vt in gradibus literarijs primas ſemper laurearum, in omni ſcriptionum genere ſiue ſolutarum, ſiue vinctarum, latinè, græcè, hebraicè præmia prima ferret. Deinde Philoſophiam profeſſus, poſteaque Theologiam primùm ex Durando, tum ex Sancto Thoma, quæ primæ dignitatis cathedra eſt: demum Academiæ Cancellarius, & poſt obitum patrui, item Sancti Iuſti Abbas, idemque conſiliarius ſacrorum Quæſitorum, ſummâ apud ſummos in gratiâ, in magnâ apud omnes exiſtimatione, in lautâ re, cùm ſimul modeſtiæ, integritatis, humanitatis, & alijs chriſtiano ſapiente dignis laudibus floreret; ſanè beatus habebatur, & ampliſsimos quoſque honores habere in proximo putabatur: cùm hæc omnia decreuit paupertati Chriſti, & humilitati Crucis, & ſimplicitati obedientiæ poſthabere. Ceterùm nec breuis diei, nec leuis negotij fuit tam multam, tamque validam aciem ſub Crucis iugum redigere. Olim inter exercitia ſpiritus ineundæ Societatis voto concepto, dum procraſtinat; ſenſim languidior factus,

116 Turbæ ſedantur cognita Societatis innocentia.

117 Petrus Valuius Societati ſe dedicat.

Digitized by Google

factus, tandem & causâ valetudinis, qua infirmiore iam vtebatur, voti laxatione impetratâ, in decimum annum dimicationem protraxit. Quo tempore nihil illo in speciem, vt dictum est, vulgi opinione beatius, nihil re ipsâ, & ipsiusmet experimento miserius, latrante assiduè, & mordente conscientiâ, & subijciente constare votum rectè factum, non constare quàm rectè esset solutum, & Deum non irrideri. Denique trium Doctorum notâ sibi integritate, ac fide, stare cùm decreuisset iudicio; illis censentibus pro eâ mediocritate, qua temperata est Societatis disciplina, proque curâ, qua cuiusque necessitati consulitur, non videri tutam liberationem, gratiâ diuinâ corroboratus, adijt Complutense Collegium sub medium Septembrem: & Emmanuelem Prouincialem, vt se in Societatem reciperet, obsecrauit. Qui cùm distulisset, iam impatiens moræ Doctor postridie reuersus, ad pedesque eius abiectus, ita rogans, obtestansque institit, vt continuò domum admitteretur. Tum verò, tamquàm cohibitum tot annis simul effunderet impetum, vel diutinæ cessationis dispendia reparare contenderet, & Deo fœnus dilatæ pensionis exolueret; ita se virili pectore, ac sinu cordis expanso, in omnia perfectæ virtutis rudimenta, & ornamenta contulit. Diligentem cum animâ suâ rationem habere, sensa animi quotidie in libellum referre, in quo post mortem inuentum est, quàm vehementer cuperet, vel instituendâ apud Hæreticos, vel propagandâ apud Ethnicos religione operam, ac vitam ponere. Consuetorum inter Tyrones vilium munerum nihil reformidare, nihil non & ardenter expetere, & constanter exequi: omnes mirari, ex omnibus proficere; vltimum se omnium terre. Is, qui humanarum tot annis, diuinarumque rerum sapientiam, plaudente audientium coronâ, tradiderat, puerilis catechismi pagellam, quam memoriter disceret, ab Tyronum magistro supplicitèr de genu petebat: eidem exponebat quotidie totum animæ suæ statum, si quid deliquisset, si quid rectè successisset: inter precandum, meditandumque quemadmodum habuisset, quid profecisset per examen, quod particulare vocamus: quid noui bonus, maluse spiritus animo suggessisset: aliaque id genus subtilitate tantâ, atque simplicitate; vt celebrem illam Doctoris vim, atque præstantiam colligere huc omnem videretur, vt occultæ mundo sapientiæ discipulus quamoptimus fieret. Ac planè profitebatur ingenti cum animi sui gaudio, nunquâ se ad id loci Christi Domini Euangelium intellexisse, priusquam videret opere explicatum: & quicquid in Societate videret, aliud esse nihil, nisi Euangelium in rem collatum, vsuque, & actione expressum. Quippe dederat illi Deus bonum thesaurum cordis, vt quicquid reciperet, velut sincerum vas, & odore bono Christi imbutum, ipsum olére Christum videretur. Itaque non vniuersæ modò Societatis Institutum, sed tenuissima quæque morum, & quotidiani vsus rudimenta extemporalium concionum, quas Tonos appellamus, cantiunculas catechismi, lectiones super mensam, mensam humilem, & alias inter vescendum vsitatas patientiæ, ac submissionis formas, & cetera tal a obseruabat: quàm apta, & vtilia ad Societatis Institutum essent suspiciebat, deprædicabat. Indè quantùm Moderatores laxabant habenas, tantùm & ipse ad operosos, & abiectos currebat labores. Domum, viamque interdum publicam euerrere, cibum humi sumere, Nosocomium adire, cum tintinnabulo per vrbem puerorum agmen ad doctrinam christianam cogere. Quibus rebus longè aiebat se voluptate vberiore perfundi, quàm cum olim spectandus è superiore loco magistros, atque Doctores creabat, doctisque capitibus decoros apices imponebat. Canonicis Sancti Iusti, qui simul vniuersi salutatum venerant, gratulatumque de susceptâ salutis expeditiore viâ, deque illustri eâ re præbito exemplo mortalibus; dixit: Decennium se concertasse cum Deo, nec potuisse vllâ Dialecticæ vi, neque tota illâ, quâ præditus putabatur, sapientiâ, nexus eius misericordiæ, & salutarem captiuitatem effugere. Quòd si vel Toletanas reliquisset insulas, præ fœlicitate, quæ obuenerat, esset pro nihilo habiturus. Iam verò etiam videbatur siue è religiosæ vitæ moderatione, siue ex animi iucunditate valetudo corporis emendatior: sed nimirum ceteris beneficijs, quibus hominem magnus Pater familias tam diuturnâ patien-

118 Ius feruor.

119 Eius demissio.

120 De Societate existimatio.

121 Humilia cum voluptate exercet.

Digitized by Google

patientiâ ad vineam ſuam horâ tandem ſupremâ traxerat, addebat eum cumulum, vt ſufficeret vires, per quas tempus redimeret, ſpatijque diurni opus contentione operæ adæquaret. Octo circiter ante Chriſti natalem diebus, cùm quicquid tricarum ſæculi reſtabat, ſapienter extricaſſet: Nunc verò, veluti reſpirans, inquit, vacuo licebit, totoque animo Deo ſeruire; & indè nihil magis quàm mortem, & immutabile poſt eam iudicium verſare meditationibus, ac ſermonibus cœpit: tanto ardore; vt profiteretur ab naſcente Domino, morbum ſe quempiam aſperum, ſtrenarum vice, poſtulaturum; vt quoniam ipſe, quod ei offerret boni, nihil haberet; certè mali aliquid, ſi contingeret, ac dignaretur accipere, dedicaret. Apparebat tacitè animum præſagire appropinquantem finem. Igitur paulò poſt tertium ab relicto ſæculo menſem, ipſo Natali Domini, ternis de more ſacris factis, ab altari ad lectulum rectà digreditur. Febris non admodùm grauis ſacrificantem inceſſerat, quæ principiò nihil cuiquam ſolicitudinis, præterquam ipſi, mouit. Ortam enim ex pridianâ fatigatione ſuſpicabantur, qua viam publicam, haud citra ſudorem, purgarat. Ille tamen totum animæ ſtatum continuò repetitâ confeſſione generali, velut mox tribunali Chriſti ſiſtendus, accuratè compoſuit. Nec mora, erupit diritas febris ex eo genere, quod tum, vt diximus, graſſabatur, & hominem ab carceribus in meâ conſtituit, quoad mentis poteſtas manſit, geſtientem, quòd in famulorum Dei cœtu, vltimum ſpiritum exhalaret. Quid animi, & beatæ quantum fiduciæ morienti fuerit, indè Patres argumentati ſunt: quòd cùm vis mali caput (vndè iam diu grauiter laborabat) ſubijſſet, vbi primùm perturbata ratio eſt, ſæpius magnâ voce; Ad cœlum, ad cœlum abeo, & gloriam capeſſo, gloriam capeſſo, geſtiens inclamauit. Hæc enim prudentium veſtigia, & reliquiæ cogitationum videbantur, licenter iam foras, remotâ mentis cuſtodiâ, prodeuntibus, quæ vigens illa intus tenuerat. Inſequentis anni die ſecundo è mortalibus euolauit. Quòd ſi commouerat vniuerſam Ciuitatem florentiſſimi viri ab ſæculo fuga; multò commouit magis exceſſus è vitâ. Itaque & alij ſe ad eundem, in quem ille confugerat, receperunt portum, paris tranquillitatis in morte potiundæ ſtudio: & è Sancti Illephonſi Collegio tres Doctores vertentis anni curriculo obierunt, nihil acerbius eſſe illo cardine rerum fatentes, quàm quòd vocanti ad Societatem Deo proteruè obſtitiſſent, nec aliud inuenientes ſolatij, quàm promiſſa, ac vota, cum primùm valetudo concederet, ſi fortè concederet, obſequuturos. Fuit ad Valuij exequias omnium Ordinum concurſus ingens. Multi Religioſi è Sancti Franciſci familia cum Patribus noſtris, iuſta illi perſoluére: cumque ſuis omnibus Monachis Ludouicus Strada Monaſterij Sancti Bernardi Præſes adfuit; Sancti Iuſti quoquè Canonici, tanquam ſuo Præſidi, exequias celebrarunt. Denique tam celebritatem huius viri ad Societatem, & indè ad vitam alteram tranſitus habuit; vt Ferdinandus Illeſca, cùm Hiſtoriam Pontificalem ſcriberet, inter memorabiles eius temporis res hanc inſerendam exiſtimarit.

122 Pie moritur.

123 Animorũ commotio ad eius obitum.

124 Exequiarũ celebritas.

Inter hæc Borgia inſtitutum in Hiſpaniam cum Cardinali Alexandrino iter, qua pietate cœperat, contendebat. Valetudo, vt afflicta ſemper, ita grauioribus ſubinde moleſtijs tentabatur: ſed ſuſtinebat robur animi infirmitatem corporis; & quicquid feruor æſtiuus, quicquid longinqua vexatio, & aliæ peregrinantium ærumnæ inſpergebant amaritiei, detergebat obediendi dulcedo. Venientem ad vrbes, maximè in quibus Collegia eſſent, cum ſalutantium caternarum officia, quàm humanitati debita, tam laſſitudini grauia, tum operoſa negotia, & à domeſticis, qui ex propinquis vndique Collegijs accurrebant, & ab extraneis ſæpè ingeſta, neceſſariæ interſpirationis vice occupabant. Ille verò incredibili quadam indulgentiâ, alacritate, ſubmiſſione excipiebat omnes, & amplexabatur vti dulciſſimos filios: aures facillimè omnibus, & patientiſſimè commodabat; omnes conſolatione plenos, dictiſque, & factis adiutos, quoad fieri poterat, dimittebat. Iter per Galliam miſſo ab Carolo Rege præſidio tenuerunt. Barcinonem quarto Kalendas Septembris ventum. Quæ Ciuitas, vt Societatem à primâ infantiâ præcipuâ benignitate complexa, conceptum à principio

125 Borgiæ in Hiſpaniam iter.

126 Barcinonenſũ in eum officia.

cipio aduersùs parentem Ignatium, erga filios studium conseruarat; ita Franciscum & communi hoc nomine, & proprio eius merito singulari gratulatione excepit. Quippe tempus illud multi recordabantur, cùm Proregem eum habuerant, & inter sanctitatis præsentem admirationem, quanta iam tum edidisset eminentis virtutis documenta, quam multa reliquisset Christiani præsidis ad æternitatem impressa vestigia, memorabant. Disceptabatur difficilis controuersia inter Collegia Canonicorum Prouinciæ Catalauniæ, & regios Procuratores de pensione quartæ. Balearicus Antistes, cui cognitionem Pontifex demandauit, opportunè missum à Deo Franciscum, tanquam sequestrem ratus, causam adeum detulit: eaque viri sapientia, & auctoritas fuit; vt lucis vnius spatio, lætissimâ vtrâque parte, composuerit. Hic obuium habuit Ferdinandum Borgiam, vnum è liberis suis, quem Philippus Rex, parenti (vt facilè apparet) gratificaturus de industriâ legerat, præmiseratque ad salutandum, deducendumque Legatum. Literas quoquè ab ipso Rege accepit, per quas & destinatam in Hispaniam nouam Sociorum missionem, gratam sibi accidisse nuntiabat, & saluum ipsius in Hispaniam aduentum gratulabatur. Accessere & à multis Procerum, ac nominatim à Iacobo Cardinali Spinosâ regij Consilij Præside, & Roderico Gomio Syluâ, quorum in regiâ aulâ dignitas, & auctoritas longè prima erat, perofficiosæ, perque honorificæ literæ. Tum porrò huic tantæ in primo regni limine oblatæ honoris benignitati, quantò interiùs processum est, tantò honorificentiora vbique omnia successerunt: eo fauore, eâque omnium propensione voluntatum, vt arbiter ille summus, qui exactissimâ librâ rerum momenta singularum examinat, humanæque trutinæ castigans iniquitatem hinc demendo, illuc, vndè detractum est, apponendo, pondera, & rationes exæquat, professionis ante decennium obscuritatem, cùm impensam ab humillimo Patre Christi Vicario obedientiam, pro ignobili fugâ multi vituperarunt; hac reditionis celebritate, & gloriâ compensare visus sit voluisse. Et sapientia quidem æterna, sicut olim Patriarcham Ioseph per vexationem ad regnum; ita Franciscum ad Societatis gubernacula euocarat. Ceterùm, ne qua deterioris notæ suspicio apud quenquam resideret, hunc adiecit cumulum, vt quo loco visa erat imminuta existimatio, eodem glorioſissimè redintegraretur. Nam præter alia sacrorum Quæsitorum perhonesta iudicia, etiam opuscula, quæ (vt in loco dictum est, quæcumque tandem fuerit causa) interdixerant, vt omnis erroris expertia, & maximè pia, edi latinè censuerunt. Barcinone iter Valentiam captum. Quò appropinquantes, cùm Monuedrij (id inclytum olim Saguntum fuit) à Duce Gandiensi, & Archiepiscopo Valentino præmissis Procuratoribus splendidè excepti essent, postridie ad Monasterium nobile Hieronymianorum, cui nomen à Sancto Michaële Regum, mille, & quingentos passus à Valentiâ peruenerunt. Hîc Valentinus Archiepiscopus Ioannes Ribera Legato diuersorium adornarat. Hîc Carolus Gandiæ Dux, & eius frater Alfonsus, vnàque Franciscus Caroli Ducis filius Marchio Lombaij, illi Patris Franciſci filij, hic nepos, cum magno propinquorum numero, & cunctâ asseclarum nobilitate opperiebantur. Quos omnes spectaculum fuit gratum, ac pium cernere abiectos in genua, bonam à Sancto Patre precationem, dexteramque ad osculum cum studio maximo, & multis lacrymis postulantes. Videre licuit dignam Deo (vt Sanctus Paulinus in geminâ re loquitur) huiusmodi confusionem, purpuream, sericam, auratamque supellectilem pannis veteribus, & nigris seruientem. Verum modestissimus Dei famulus celerrimè se se eripiens, iussis illis adesse Legato, iustisque aduersùs eum obseruantiæ fungi officijs; ad dulciores in Christo filios, conseruosque suos in Collegium properauit. Cuncta Ciuitas ad spectandum effundebatur. Itaque solitudinem captans, viâque declinans regiâ, longo ambitu mœnia circumuectus, portâ Sancti Vincentij Collegio proximâ postridie Idus Septembris intrauit. Vis populi magna ad Collegium quoquè confluxerat, & matronæ principes, præsertim sanguine, vel affinitate iunctæ impleuerant templum: & Archiepiscopus, cum Canonicis, & Dux Carolus, cum proximis

127 Controuersias sedat.

128 Diuina prouidétia in honoranda humilitate.

129 Valentiæ Borgia honorificè accipitur.

130 Honoribus posthabitis, ad Collegium secedit.

Digitized by Google

ximis quibuſque ſtatim vt ab Cardinali recedere datum eſt, eâdem veſperâ ad. fuerunt. Proximo die Dominico, cùm rogatus ab Ioanne Riberâ Patriarchâ, & Archiepiſcopo Valentino Cardinalis Alexandrinus ſacris operaretur, adactus eſt Franciſcus ſuggeſtum conſcendere, audituſque in confertiſſimâ concione, cum admiratione, ac pietate pari. Edita dein concio eſt. Sed nimirum ſpiritus ille, quem viua vox, quem conſpicua in dicentis ore ſanctitas, quem comparatio veteris cum præſenti ſtatu adijciebat, mortuis paginis indi non potuit. Propriam ad Socios quoquè cohortationem de germanitate mortificationis, & orationis habuit. Collegium ſatis florens, ac frequens, nec minus frugiferum: at priſtinam illam caritatis ſuauitatem, qua ciues id à principio fouerant, non modicè dilutam inuenit, indè prorſus, vndè auctam decuit. Sed nunquam non obſtiterunt, obſtabuntque rationes priuatæ publicis. Anno ſexageſimoſeptimo theologicis ſcholis in Collegio publicatis, Magiſtratu prius (Iuratos appellant) vt Academiæ patrono, verecundiæ causâ conſulto, valdèque probante, & opem ſpondente, cùm accederet indè ſtudijs diuinæ ſapientiæ dignitas, iuuentuti profectus, vrbi decus, atque celebritas; Academiæ Rector, ſiue quòd auditorio parùm frequenti ſemper vſus, infrequentiore iam vteretur, ſiue aliâ causâ, cœpit rem in Academiæ ipſius perniciem, & ignominiam interpretari. Poſtulauit primò, vt ſchola pomeridiana, quòd tempore eodem ipſe doceret, in aliud traijceretur: quod, quanquàm perincommodè Collegio accidebat; pacis tamen amore datum eſt. Sub hæc Archiepiſcopi fine Martini Loaſſæ ſuum tempus interregnum ratus, coactos in vnum Canonicos, Iuratos, itemque Academiæ Cancellarium, ad ſuſtinendam labentem Academiam quamgrauiſsimâ potuit oratione ſuccendit: nec tamen expreſsit aliud, quàm vt quo tempore in Academiâ doceretur, ne quis ad Magiſtros alios clandeſtinè docentes adiret. Qui ſecus faceret ſpoliaretur acceptis ab Academiâ honoribus, excluderetur ſequentibus, & Academicorum ius nullum obtineret. Id eò pertinere videbatur duntaxat, vt clandeſtini tollerentur conuentus, quos quidam ex conductis ab Academiâ Doctoribus, cum ingenti ceterorum offenſione, abductis in priuata tecta auditoribus, compendij causâ conciebant. At vbi primùm inſtauratio redijt ſtudiorum; Gymnaſiarcha idem literas gymnaſij valuis affigit, per quas ex decreto eodem pœnis ijſdem inter Academicas ſcholas alio quouis ſiue ad Collegium, ſiue Monaſterium audiendi, diſcendique causâ adiri vetat. Tum Religioſi, quorum intererat (nam vacuum ab ſcholis Academicis tempus nullum reſtabat) apud Proregem Comitem Beneuentanum expoſtulant. Qui auxilium pollicitus, adeo nihil profecit; vt Iurati propoſitum à Gymnaſiarchâ decretum, quod ipſorum ſigno clam ipſis obſignatum erat, ratum haberent, & ſicunde vitioſum fuiſſet, de integro iuberent. Interim Ioannes Ribera creatus Archiepiſcopus, & conciliare partes conatus, nihilò magis promouit. Itaque Franciſcani pariter, Auguſtiniani, Carmelitani, & noſtri Patres regiam implorare opem coguntur. Rex negotium Archiepiſcopo demandauit, vt Academiam viſeret, Indè ſua Religioſis inuiolata manſere iura. Hæc maximè Valentina controuerſia fecit, vt Sanctiſsimus Pontifex Pius Quintus diploma, quod principio voluminis huius memoratum eſt, ad Gymnaſia Societatis, & ad ea itantium rationes tuendas conderet. Ceterùm, vt rarò litium diſceptatio intra iuris duntaxat puncta conſiſtit; acerba interim multa Collegium, & dictis, & factis pertulit: vſque eo, vt impotentiores quoſdam Antiſtes in cuſtodiam daret. Vndè tamen haud plus quietis, quàm inuidiæ acquiſitum, per ſummam enimuero iniquitatem. Nam putabatur à Rectore noſtro inſtincta ira Præſulis: cùm re verâ Ludouicus Santanderus (is erat Rector) hominum homo mitiſsimus, nihil magis contenderet, quàm ne quid cui ob eam rem moleſtiæ crearetur. Hoc igitur ſtatu Collegium, & Ciuitatem cùm reperiſſet Borgia; magnopete valuit auctoritas viri, & ſanctitas ad caritatem inſtaurandam: quam protinus confirmauit, fouitque Pater Iacobus Miro, dum Aragoniam Prouinciam viſit, præcipuè carus Valentinis, vt eorum ciuis, vt Collegij primus conditor, vt vir adeo ſpectatæ,

131 Gymnaſium Collegij Valentini vexatum.

132 Ex vexatione commodum Societati.

133 Res à Borgia in Hispania gestæ.

tæ, eminentisque virtutis. Valentiâ Legatus rectà Madritum: Generalis itinere Villaregium flexo, ab Ioanne Patieco Villaregij Domino, & Hieronymâ Mendozâ eius coniuge, non beneuolentiâ modò, sed & veneratione summâ excipitur: cum quibus postquam egit, vt ea domus probationis, quod ipsimet optabant, amplificaretur; Madritum cum Legato contendit. In hoc itinere, cùm inter obuios virum nobilem generoso insidentem equo paulò attentiùs clementer esset intuitus; is ratus nobilitatem, ac speciem probatam equi, egregiè instructum illum, ornatumque dono eidem misit. Sed famulus Dei, cum multâ gratiarum actione, non sine munusculis sacris remisit. Se enim non Ducem Gandiæ (hic enim quacunque incederet rumor personabat) sed pauperem religiosum esse. Madriti, non modò Regis, ac Dynastarum insignia ergà se studia expertus est; verùm etiam (vt omnes existimarunt) legationi longè maximum pondus adiecit. Interim, & curam rebus Societatis ordinandis, vnà cum Prouincialibus, qui ad se venerant, impendebat: dumque Miro Aragoniam inspicit, mox Lusitaniam inspecturus; Bæticam, Castellam, Toletum Francisco Vasquio: Balthassari Aluario, & Ioanni Emmanueli Leonio, qui Romam Procuratores adierant, reuerterantque breuiter cognoscendas, vt res ad se referrent, attribuit. In Castellâ restituti sunt, rogatu Episcopi, & Ciuitatis vniuersæ Segouiensi Collegio latinitatis magistri. Burgense domicilium decretum est, vt Professorum esset domus, quod proximo anno est factum, & nouum Legione susceptum Collegium. In Bæticâ, insistente Episcopo, Malacam Socij aliquot missi ad primordia Collegij. In Aragoniâ cœpta domus Probationis Valentiæ, coëmptis vicinis Collegio ædificijs. Multa simul constituit, quæ ad Mexicanæ Prouinciæ initia pertinebant: idque fuit destinatis in eam Patribus moræ pretium: qui cùm eius anni classi ad tempus nequiuissent occurrere, expectare sequentis cogebantur. His rebus, alijsque constitutis, Franciscus ad Regem Philippum per Marchionem Dianij suum generum ex augustissimo Crucis ligno cruciculam misit, cum epistolâ sententiæ talis. Cruciculam, eius partem, in qua nostrâ causâ Dei filius moriens mundum redemit, mitto Maiestati tuæ, vt præstantissima sacrarum reliquiarum in Orbis terrarum magnificentissimo templo reponatur, quod summi Dei, eiusque martyris Laurentij gloriæ ædificas: vtque auxilium habeas ad eam Crucem benè ferendam, quam Maiestati tuæ tot regnorum pondus imponit: quæ absque amore, ac patrocinio diuinæ Crucis esset prorsus intoleranda. Peccator, ex quo Crucem habes, esse sibi ex te solamen putabit, si existimes Sacerdotem ipsum tibi fidelem, ac seruum esse assiduè ab Deo precantem, tuam Maiestatem vt seruet, atque amplificet: quandoquidem id omne ad amplificandam impenditur Ecclesiam sanctam, in illius gloriam, qui eam è cœlo gubernat. Rex suâ manu in hunc modum respondit. Marchio gener tuus reddidit mihi epistolam abste, & lignum sanctæ Crucis: quod mihi gratum accidit: tum quia res per se magnificanda est, ab eoque pluris, qui tantum eâ indiget, vt ipse rectè admones: tum quia proficiscitur donum ex te, penes quem nequaquam periret fructus illius. Faxit Deus, ne pereat apud me: sed vt omnia ad eius Maiestatis obsequium conferantur. Et quanquàm noui assiduam tuam hoc ipsum mihi precandi curam; tamen commendo plurimùm, vt imposterum id facias: tantoque studio, quantum necessarium esse intelligis. Quod si feceris, voluntati, qua sum ego in te, semperque fui, satisfeceris. Quamuis autem Marchio Dianij idonea testimonia pertulisset ad Regem, quæ fidem faciebant è verâ Domini Cruce eam particulam esse; tamen voluit Rex id ipsum contestari Franciscum, affirmans vnum hoc illius testimonium, si cetera deessent, satis fore sibi ad fidem. Iam verò cùm Franciscus legationem egregiè apud Catholicum Regem iuuisset, multò apud Regem Sebastianum magis in Lusitaniâ iuuit. Res eâ tempestate Lusitani regni, & Societatis non erant vsquequaque tranquillæ, eædemque inter se ita complicitæ; vt de alteris ad liquidum referri, nisi de alteris attextâ narratione minùs possit. Tres erant, ex quibus administratio regni pendebat: Sebastianus Rex adolescens decimum septimum annum

134 Borgia mittit Regi Philippo particulâ è ſan. Cr. Cruce cum epistola.

135 Epistola Regis ad Borgiam.

316 Lusitanarũ rerum status.

Digitized by Google

num agens, eius patruus magnus Cardinalis Henricus, & Catharina Regina auia. His singuli erant è Societate Confessarij, Sebastiano Ludouicus Consaluius, eiusdem indè vsque à puero institutor; Henrico Cardinali Leo Henricius: Catharinæ Reginæ Michaël Turrianus, viri consilio, ac pietate muneribus iis pares. Regina Catharina, quemadmodum in loco est memoratum, regalibus precibus extorsit, vt Consaluius ab Vrbe Româ, & Assistentis munere euocatus, summè licet obluctans, & quæ euenere prædicens, pueritiæ Regis formandæ magister apponeretur. Et quidem vsque dum sub tutoribus puer Sebastianus fuit, rerumque summam moderata ipsa est; mirificè Ludouicus ei, & Cardinali satisfecit. At vbi tutelæ suæ factus est, & administrare Sebastianus regnum occæpit; Cardinalis, vt qui interiùs norat res, incorruptiùsque æstimabat, nihil vnquam, nisi summè, laudauit Ludouici operam; quin etiam cùm ageretur de remouendo eo ab confessionibus Regis; ne id fieret acerrimè decertauit: & paulisper amotum, vt reuocaretur, effecit. Regina verò postquam ab gubernaculis vacationem accepit, ægrè ferens (vt euenire solet) quodammodo se abiectam; conqueri de nepote cœpit, & interdum etiam de Ludouico, cuius consilio agi Sebastianum opinabatur. Id vbi sensit Ludouicus, offensionum semen, antequam adolesceret, ipso in exortu oppressurus, vehementer institit, vt aliquò summoueretur, vel in Brasiliam, vel in Indiam: eandemque profectionem summè poscebat Turrianus, cui nunquam probabilis tanta Principum familiaritas, nec conueniens Societati visa erat. Denique nec Generali Præposito, nec cuiquam omnium Societatis Præsidum probabatur ea consuetudo, atque coniunctio, seminarium vulgi rumorum, seges inuidiæ apud omnes, mali apud domesticos exempli. Nec pigebit literarum caput inserere, quas hoc anno Laurentius Magius Austriæ Prouincialis ad Borgiam mense Martio Pragâ dedit: vndè constet, quantâ res grauitate, quantâque libertate tractaretur. Hic (inquit) multus est sermo, & ex Hispaniâ scribitur, Lusitaniæ Regem multa facere cum regni dolore: & nostros, qui eum regunt, auctores esse, & velle eum Iesuitam efficere. Nec deest, qui dicat, eos obstare, ne Regis Galliæ sororem ducat. Nihil dubito, quin Paternitas tua omnia norit, & quamoptimè prospiciat. Nam res est eiusmodi, quæ, vt materiam sermonum, & inuidiæ subdit; ita magnam Societati perniciem, cum publici boni iacturâ creare potest. Nec verò crediderim quicquam nostros suscipere, quod non & rationi consentaneum, & præsenti tempori maximè conueniens sit. Ceterùm summè dolerem, si qua per eos occasio, aut iusta causa obtrectationi, & maleuolentiæ præberetur. Habeo enim compertum, nihil esse, quod odiosius acquirere Societati nomen queat, quàm si videamur in Principum, ac Regnorum administrationem velle nos immittere, & negotia eorum tractare. Per Deum, Pater, etiam, atque etiam hæc cura vigilet; obserueturque decretum de non tradendis nostris in aulas Principum. Nam liberalitas hac in re maximo nobis damno erit. Talia non Magius modò, sed alij grauissimi Patrum scribebant & aliunde, & ex Lusitaniâ ipsâ. Vbi, ad querelas, quamuis iniquas, tollendas, editum etiam est in Prouinciali huius anni conuentu decretum, vt quàm fieri posset, pauciſsimi in aulâ versarentur: & per Prouinciam edictum, ne quod cuiusquam negotium Patribus iis commendaretur. Quòd si quid ad pietatem magnopere censeretur referre; Præpositus Prouincialis admoneretur. Hæc sapienter consulebantur. Verùm quid ageres? neque impetrari ab Sebastiano, vt Ludouicum, neque ab Cardinali, vt Leonem, neque à Catharinâ poterat, vt Turrianum dimitteret. Nec sanè expediebat, vt optimi quique, & cuncta Prouincia, mortuo Borgiâ, iudicauit: quæ decretum in hæc verba condidit. Quæsitum est, an expediret, vt duo ex nostris Patribus, quorum alter Regi est à confessionibus, alter Cardinali, id muneris deponerent: tum quòd eam ob causam permulti de Societate detrahant: tum quòd plurimi nostros de secularibus negotijs assiduè conueniant, efflagitantes, vt sibi liceat per eos Patres apud Regem, vel Cardinalem huiusmodi negotia conficere: quod à tranquillitate vitæ regularis, & à nostri institutî

137 Tres è Societate à Confessionibus in Lusitania aula.

138 Cõsaluius pueri Regis magister.

139 Displicet Societati nimius aulæ vsus.

140 Sed necessariò fertur, atque è re christiana.

Digitized by Google

ſtituti ratione omninò abhorret. Viſum eſt autem non ſolùm id muneris non eſſe detrectandum, ſed etiam ingentes gratias Deo Optimo Maximo agendas, quòd eorum Patrum labore totum hoc regnum, & vniuerſa religio chriſtiana plurimum vtilitatis percipiat. Siquidem eorum ope, & conſilio fides, iuſtitia, morumque integritas, non modò in toto regno conſeruantur; ſed etiam apud exteras nationes longiſsimè propagantur. Nec verò imperitæ multitudinis, aut impiorum hominum detractiones hac in re curandas eſſe: quippe quæ ex eorum improbitate naſcantur, qui tantum bonum impedire nituntur. Hæc Prouinciali Congregationi viſa, tantùm addidit, quod iam ex proximo conuentu edictum retulimus. Ne Sociorum quiſquam ad Patres eos negotij quicquam deferret. Porrò, quod pertinet ad obtrectationum iniquitatem haud difficile

141 Vnde Societati obtrectationũ cauſa.

eſt fontem intelligi. Nam in Rege, ſi quod exemplum ſpectabatur rarioris virtutis, offendebat oculos mundi ſapientium. Leuiſsimi porrò homines, qui voluiſſent irrepere ad animum adoleſcentis corrumpendum, intercluſos ſibi aditus, rabie in cuſtodes versâ, querebantur. Ad hæc cùm ad antiquam multa ſeueritatem redigerentur, & Ordinum militarium diſciplina etiam regeretur, & bona eorum Ordinum, quæ iam tenebantur à multis, velut hereditaria, aſſererentur; nimirum pro intolerandâ iniuriâ, qui damnum faciebant, iuſtitiæ vigorem ducebant. Hinc linguæ in Ieſuitas acuebantur, hinc totum per orbem terrarum famoſæ literæ volitabant. Denique non exigua obtrectationum ſementis ex animo Catharinæ exulcerato ſumpta eſt: adeo præter æquum, vt non aliunde maior Societati laus deberetur. Nam familiares quoſdam eius, & aſſeclas, cùm ab honoribus, & officijs publicis Sebaſtianus remouiſſet; vltra modum illa commota, non niſi Patris Michaëlis, atque Ludouici operâ, qui nepotem ei ſolertiâ omni conciliabant, & quoſdam etiam è deiectis clientibus reſtituendos curarunt; prohibita eſt quin Caſtellam, vti minabatur, repeteret. Ad quam offenſionem tollendam, Ferianum quoquè Ducem Philippus Rex in Luſitaniam miſit, per occaſionem conſolandi de Caroli Reguli Hiſpaniarum obitu. Ita in præſens Duce adnitente, curâ maximè Patrum Ludouici, & Turriani vſo, quam fideliſsimam, & ſtudioſiſsimam exhibuerunt, lenita; abeundi conſilium poſuit. His paulò ante geſtis ſuperiore anno, adfuit Româ miſſus à Pon-

142 Ludouicus Turrianus à Pontifice ad Luſitaniæ regem miſſus

tifice Ludouicus Turrianus Sanctiſsimi Patris nomine duo poſtulans à Rege: primum, vt auxilium ferret Venetis contra Turcas communes Chriſtianorum hoſtes: alterum, vt regni in futurum paci, regiæque ſtirpi proſpiciens, vxorem duceret Margaritam Caroli Galliarum Regis ſororem. Tum Regina auia apud Pontificium Legatum multa conqueſta dicitur, rerumque fermè omnium cauſam in Conſaluium reieciſſe: atque in eandem ſententiam dediſſe ad Pontificem literas, ſiue ſuâ ſponte, ſiue familiarium impulſu: quanquàm mihi certum videtur nihil aduersùs Ludouicum de matrimonio ſcripſiſſe: vt optimè ſibi conſciam quantopere contra ipſammet abhorrentem à Gallicanâ affinitate Ludouicus ipſe certarit. Tamen, cùm Rex negaret vires in præſentia ſibi ſuppetere ad auxilium ferendum Venetis, deque vxore ducendâ cogitaturum diceret; tum maleuolis diſſipantibus, tum vulgo, vt aſſolet, quas res in Principibus non probat, earum cauſam in eos conferente, de quibus liceat impunitiùs obloqui; vulgatur, per Ieſuitas fieri quominus vtrumque negotium procederet. Quod quidem Conſaluius à principio prouiderat. Itaque cùm à Pontifice literas per Ludouicum Turrianum accepiſſet, vt perſuadere nuptias Sebaſtiano conaretur, atque etiam à Borgiâ, qui inſuper monuerat, vt ſeriò ageret rem; ne per ipſum ſtare crederetur; Borgiæ hunc in modum reſpondit. Quod vertendum mihi vitio ſcribis, ſi fortè res exitum non habeat, pro eo, quod cauſa Societatis agitur, non poſſum vehementer non commoueri. Memoriâ repeto, cùm Pater Lainius ad hoc regnum me Regi inſtitutorem miſit, multa me ſcripto ei offerre, quo procurationem defugerem: & capitum vnum hoc erat, quæ non probarentur in vulgus, eorum culpam in latera Regis auertendam eſſe. Ego ſic arbitror, ſi quid eſt à me peccatum, id eſſe, quod vehementiùs, & immoderatiùs in hoc

143 Pater Ludouicus Conſaluius quæ euenere prædixerat.

matri-

matrimonium incubuerim. Qui Pontifici narrant in manu meâ cor esse Regis, vt possim quocunque velim inflectere; ij de Sebastiano perinde existimant, atque de quouis eius æquali: sed qui eum norunt, non item existimant. Nam quod vult planè vult, præsertim hoc in genere, in quo toties concertauit, & vicit. Ego quemadmodum Sanctissimus Pater iubebat, quamacerrimè eum conuéni: sed aditum inuéni nullum: quin adeò declarauitse ad suum Consilium rem detulisse, & secum illud quoquè sensisse. Hæc, & multa alia, & vndè tum verè esset mora Consaluius scripsit. Ceterùm Ludouicus etiam Turrianus à Pontifice missus, vir sagax, & prudens, ac perscrutatus omnia diligenter, apertè vidit exulceratam Reginam, & eius aulam: & Patres non causâm dissensionum, sed omninò eos esse, qui ne in maius incommodum erumperent, hinc Regis, indè Cardinalis, & ipsius Catharinæ animum permulcendo continerent. Consaluius quoquè abundè Rusticuccio Cardinali datis literis satisfecit: quibus significabat nemini optatiùs, quàm sibi esse, vt primo quoque tempore iusti nexu matrimonij Rex illigaretur: tum vt stirps tam benè de Christianâ republica, deque Societate meritorum Regum in tuto collocaretur: tum etiam vt Sebastianum, in cuius ipse conseruandâ innocentiâ non parum exhauserat curarum, antequam feruens adolescentiæ æstus fortè transuersum raperet, nuptiarum sanctitas occuparet. Quòd autem Sanctissimi Patris voluntati idem obsequutus non esset; eam fuisse causam, quòd non ex Galliâ, sed ex Germaniâ coniugem sibi animo destinarat, alteram è Maximiliani Cæsaris filiabus, eâque in spe diu adoleuerat: quarum posteaquam vna Philippo Regi Catholico, altera Carolo Regi Christianissimo nupsisset; tum se ipsum, ne aliunde præriperetur occasio, auctorem ei etiam, atque etiam fuisse Nuntios eâ gratiâ mittendi in Gallias. At illum ægrum, quòd speratâ affinitate Cæsaris excidisset, non potuisse perpelli, vt continuò animum in Galliam inclinaret. His ergo rebus ex Consaluio, atque Ignatio Azebedio, cùm Romam superiore anno venit, alijsque fide dignis viris Pontifex probè cognitis, nullam de Societatis hominibus suspicionem aduersam admisit. Idem Azebedius, de quo Patris Michaëlis Turriani illud est præclarum testimonium, eâ esse veritate, vt relaturus esset fideliter aliorum sententias, etiamsi contra ipsummet essent; iussus à Borgiâ, cùm rediisset in Lusitaniam, perscrutari quam religiosissimè intima de rumoribus, qui contra Societatem gliscebant; scripsit ex liuore cuncta, & perturbationibus iniquis oriri. Et quidem ad diuinam gloriam expedire Societati miserandam esse potius, quàm inuidiosam: tamen versantium in aulâ Patrum laudabilem omnino esse, ac salutarem operam. Ceterùm Pontifex cùm peruellet matrimonium Regis ad effectum perduci; hanc quoquè rem in mandatis Alexandrino, atque Borgiæ dedit: eamque ita illi tractarunt; vt Sebastiani animum ad extremum expugnarint: nec per ipsum steterit, quominus matrimonium conflaretur: sed quòd interim inscio Pontifice Margarita Henrico Regi Nauarræ, qui deinde Henricus Quartus Rex Galliæ fuit, desponsa est. Quare mirum profectò est, quosdam memoriæ prodidisse, ab Religiosis Sacerdotibus moram adeo sanctis Pontificis Maximi orsis obiectam fuisse: cùm illi vni, quicquid ab Rege morarum fuit, amoliti sint. Quod qua obsecro religione reticetur? Quippe si dicta ante id tempus inter quosdam suspicio mittenda in literas videbatur; æquum erat, vt verus, ac diligens scriptor, quem non decet grauiorum rerum causas prætermittere, causas veritatis indagaret: fideliterque non tantùm, quæ in vnam partem, sed etiam quæ in alteram dicebantur, quæque in re essent, cognosceret, ac referret. Quod enim honestum adeò, ac laudabile factum est, quod homines siue quadam ingenij velut naturali peruersitate, ac malignitate, siue per imprudentiam, siue ex odio, aut aliâ perturbatione, respectuque rationum suarum non secus interpretentur? Quæ tam munita vnquam, ac felix sanctitas fuit, ad quam obtrectatorum morsus non aspirarent? Quòd si existentes interdum in vulgus rumusculos historiæ duntaxat, omissis sapientiorum iudicijs, mandes; cui sanctissimorum virorum non aspergi æterna possit infamia? Vt igitur sinceri iudicis non est inau-

144 Quantum egerit vt nuptias Regi persuaderet.

145 Ignatij Azebedij integritas.

146 Societati miserandâ potius, quam inuidiosam esse expedit.

147 Historici boni officium.

est inauditâ alterâ parte sententiam ferre; ita nec boni historici sermones, qui in contumeliam alienam cedunt, præsertim dum adeo grauis causa, totiusque religiosæ familiæ dignitas agitur, posteritati prodere, nisi pariter, quæ contra dicerentur, inuestiget, & apponat: atque adeo etiam quàm vero similis sit vulgaris garrulitas diligenti lance perpendat. Etenim hac in re quis non videt nihil simile vero apud mediocri prudentiâ hominem afferri posse, cur quisquam è Societate non omnibus votis nuptias Sebastiani Regis optaret? Quid, rogo, ipsi sperare commodi poterant, si eas impedirent? Contra verò Regis Ordini suo addictissimi, èque stirpe optimè meritâ procreati, quid propius fidem est, quàm propagatum genus cupere, tum publici, tum priuati boni studio? Vndè enim (vt quidem documenta præsentia admonebant, si cetera circumspicerent regna) tantumdem gratiæ, liberalitatis, addo etiam potentiæ sperare vnquam liceret? An religiosis Sacerdotibus, quibus vna proposita est summa Dei gloria, salusque mortalium, tantum vel stuporis insederit, vel prauitatis; vt vel non viderent quæ conuersio rerum, quæ damna instarent, si Rex non relictâ sobole decederet: vel si viderunt, vltro ea mala accersèrent? Scilicet humanarum magistri, diuinarumque rerum peritissimi ignorarent vel ex ipso solitudinum otio euocari homines, vt liberis procreandis in Regnorum successionem operam dent, idque sanctè, ac necessariò fieri, Quòd si vel potentiæ, vel pecuniæ (fingamus enim ad redarguendum errorem veram esse imperitorum fabulam) amor duceret; nonne plus imperij, & auri sperarent Rege obnoxio diu regnante, quàm semel in ordinem recepto, atque sepulto? Vt interim nihil dicam quantum cuique nationi aduersùs suos Reges obseruantiæ natura inseuerit, quantopere conseruatam eorum progeniem velint, quàm ægrè dominatui externo colla submittant. Quod studium in Patre Ludouico Lusitano homine vehementissimum fuisse necesse est, vt fuit, Mihi quidem, dum literas multorum spatio annorum à plurimis scriptas attentione, quantam adhibere maximam ingenij mei tenuitas potuit, verso, inuicemque confero, mirabilis omninò visa est trium illorum perpetua inter se Patrum concordia: eaque, si nil præterea argumenti suppeteret, vel sola persuaderet, rectè, sapienterque pro modo imbecillitatis humanæ (nam homines erant) administrata omnia. Omitto de Ludouico dicere, quem neque Societas Assistentem Præposito Generali, hoc est Consiliarium, atque custodem apposuisset, neque Ioannes Tertius Rex Confessarium sibi expetijsset, neque Catharina Regina, ex eiusdem Ioannis mandato, magistrum Sebastiano extorsisset; nisi viri pietatem, sapientiam, fidem singularem cognouissent. Michaël Turrianus is erat, quem Sanctus Ignatius oculi sui pupillam nominauit, & Prouincialem Bæticæ, & Lusitaniæ Visitatorem difficillimo tempore, etiam num propemodum tyronem decreuit: de cuius rectissimâ mente, & summâ religione nemo vnquam dubitauit. Leo autem Henricus animi magnitudine, & Christianâ submissione, suique despicientiâ, & ardentissimâ caritate: tum verò inuictâ quadam liberalitate, fiduciâque suscipiendi, agendique quicquid è Dei laude censeret, iure maximis quibusque componatur. Denique Cardinalis Henricus in tantâ sapientiâ, & sanctitate cum suâ, tum plurimorum, quibus intimè vtebatur, vnum illum vsque ad vltimum voluit conscientiæ rectorem, ac iudicem. Iam vt neuter horum, si perperam quid Ludouicus ageret, nec per se, nec ex aliorum sermonibus, cùm adeo loquaces aulæ sint, intelligeret, prorsus incredibile est, vt alteruter, amboue intelligerent, sed per collusionem, aut aliâ causâ dissimularent, longè alienius ab sanæ mentis iudicio est. Quid postremò? sermones iam adeo per omnes Europæ aulas dissipati, si quid solidi habuissent, num tantum flagitium sanctitas Borgiæ dissimulasset? num tulisset Cardinalis Henricus? num Pij Quinti mascula præterijsset integritas, dum adeò in hanc incumbebat curam? Atqui & Henricus cunctam Societatem, & in primis Ludouicum amauit semper, & coluit, & nihil magis timuit, quàm ne ab Regis custodiâ abiungeretur. Et Pius sanctissimus æquè, ac prudentissimus Pontifex operam Sociorum in Lusitanâ aulâ (vt tum erant res) ad continendos,

148 Quam aliena à veri specie ficta Societati nota.

149 Michaël Turrianus à Sãcto Ignatio oculi sui pupilla nominatus.

Digitized by Google

dos, conglutinandosque inter se Reginæ, & Sebastiani, & Cardinalis animos, cum fidelem, tum necessariam existimabat. Quanquàm Pater Generalis, quod absens nunquàm cónari destiterat, iam præsens cum alijs Lusitanis Patribus, omnes eò vires intendit, vt Reginam placaret, & bonam Patribus ex aulâ missionem impetraret: quam quidem Michaëli ab Reginâ non grauatè impetrauit. Ludouicus item, quò se paulatim abstraheret, Patrem Mauritium hominem minus inuidiosum substituens, coram Rege nunquam nisi accitus, & vi prope coactus apparebat. Hæc autem omnia fusiùs dixerim, non tam, vt quemquam arguerem, quàm, vt ne ipse arguerer: neu religioso in Ordine siue ex malignitate, siue ex nimiâ incogitantiâ obtrectatorum fœdissima nota insideret.

150 Indiæ calamitates.

Vt multis Europæ partibus infestum fuisse annum narrauimus, ita tempore eodem Goam, atque adeo totam Indiam cuncta, quæ mortalibus tristia, & horrenda sunt bella, fames, morbi vexarunt. Iam diu Reges barbari propinquorum Lusitanorum vel opes, vel iugum ferre non poterant. Itaque partim secundis aliquot irruptionibus in latrocinij modum ad audendum elati, partim Proregis Ludouici Ataidij per causas vlciscendarum iniuriarum imperium propagantis irritati cœptis, tres ad penitus Lusitanum, & Christianum delendum nomen coniurant Reges Idalcam, Zamalucus, & Zamorinus. Idalcan Goæ finitimus obsidendam vrbem Goam: Zamorinus Malabarum Rex classe oram maritimam infestandam: Zamalucus finitima sibi Ciaulum, ac Bazainum tentanda sumpsit: vt distractis Lusitani opibus nullius vim hostium sustinerent. Superiore igitur inclinato anno Idalcan ingenti armatorum numero Goam obsedit: & ad suas egressi partes tentandas Zamorinus, & Zamalucus. Porrò Goam obsessam ab hostibus intestinum prope perdidit malum, contagiosis febribus in omnes ordines latè vulgatis. Ad hæc in longum obsidione productâ, commeatuque, qui plùrimus ex Idalcanis terris solebat conuehi, intercepto bello, ad pestilentiâ afflictæ Ciuitati fames incubuit. Tot super angustias accessit Patribus nostris omnium prope acerbissima exercitatio ex alieno Proregis animo: qui suspicatus parùm eos fauere suis rebus; nullam occasionem vexandi Dei famulos omittebat. Illi tamen cuncta fortiter tolerantes, præter continuas ad Deum preces, oblata sacrificia, susceptas vltro pœnas, tametsi suis domi calamitatibus premebantur, totos se in vtilitates publicas effudere. Quatuor Sacerdotes in stationibus militum locis hosti opportunioribus perseuerarunt, magno sanè momento rerum, siue dum, ad propitiandum Numen, à sceleribus inhibent militem, siue dum ad strenuè dimicandum inflammant. Alij per vrbem morientium assiduè detergendis delictis, recreandisque iacentibus interim discurrebant. Alij de tenuitate domesticâ amplius trecenis fame periclitantibus quotidie ad Collegij fores alimenta præbebant. Nec leue onus erat Christianorum, qui è Salsettis ab hoste occupatis in vrbem defugerant, vitæ consulere. Soluta tandem post decimum mensem, magno cum Idalcanis detrimento, ac dedecore obsidio est. Nec feliciùs Zamaluco, & Zamorino conata cesserunt. Zamalucus (idem Meliques vocabatur) peditum abduxisse millia centum, equitum quindecim dicebatur, Elephantos octoginta. Diem Apostolis Petro, & Paulo dedicatum elegit, vt summam virium aduersùs obsessos experiretur: sperans quoniam eâ tempestate hyems in ijs regionibus asperrima est, quæ non frigore, sed imbrium perennitate censetur, Lusitanos vdo, ac pluuio cœlo comitem, ac pyreum pulverem hebetante, minus commodè tormentis vsuros. Sed ita fortiter dimicarunt, adeo magnificam victoriam perpetrarunt, vt hostes deinde ipsi describendo affirmarent: Deiparam Virginem, & Apostolos Petrum, ac Paulum conspectos hostilem aciem fugâ, & cæde sternentes. Lusitanorum certè (quanquàm illo si vnquam prælio militaris virtus enituit) nemo infitiabatur tantam rem à tam paucis, absque singulari Superum ope, geri non potuisse. Magnam in eo bello laudem Franciscus Mascarenia Imperator: magnam Rodericus Consaluius Ludouici nostri frater, meruerunt. Nos in eâ obsidione Petrum Colatium amisimus Sacerdotem laboriosum, & paganorum Christo

151 Goanorũ Sociorũ labores.

152 Lusitanorũ ex Zamaluco victoria.

Digitized by Google

153 Pater Petrus Colatinus ex vulnere accepto ab Infidelibus obit.

subigendorum percupidum: qui ante annos ferè septemdecim in Indiâ ipsâ ad Societatem adiunxerat sese. Bazaino Goam proficiscentem, dum Ciauli nauigandi opportunitatem opperitur, obsidio intercluſit. Hic multorum rogatu, cum erumpentibus in hostem militibus præportans Crucem egressus, plumbeâ ictus glande, Sacramentis Ecclesiæ munitus, octauo die animam exhalauit. Prope Goam non leuem Christiani fecere iacturam. Salsettanas inter alia Ecclesias Idalcan ferro, ignique vastauit: hominum autem maiorem multò edidit stragem morbus, quàm hostis. Georgius Temudus è sacro Prædicatorum Ordine Archiepiscopus sublatus est, qui pro suâ erga Societatem beneuolentiâ, & Patrum vicissim erga se obseruantiâ, simul atque morbus cœpit naturæ vires exuperare, in Collegio inter Sociorum manus mori optauit. Libentissimè exceptus, & summâ curâ habitus, post bimestrem languorem Collegarum coronâ pro eo precantium circundatus, cum præterea neminem admitti voluisset, animam Procreatori reddidit. Aderant fortè Goæ Cocinensis, & Malacensis Antistites, ad Prouinciale Concilium ab Archiepiscopo aduocati: & Gaspar, qui se Archiepiscopatu abdicarat. Hi cum Religiosis omnibus, & Clero magnificè, vt par erat, Pastori suo exequiarum iusta soluerunt. Nec Collegium suis vacauit funeribus. Quatuor Sacerdotes, duo laici obierunt magnæ omnes virtutis: sed duo in primis, auctoritate, & rebus gestis insignes Melchior Nunnius Ioannis Nunnij Patriarchæ frater, & Balthasar Diazius. Melchior ætatis annum agebat alterum fermè, & quinquagesimum, vigesimum octauum Societatis, variâ præsertim rerum diuinarum doctrinâ pollens, eoque nomine totâ Indiâ magnæ celebritatis, magnique vsus. Copularat cum scientiæ ornamentis lumina virtutum: quæ facilitas, modestiaque suauissima faciebant omnibus gratiora, facilemque ei ad animarum salutem sternebant viam. Diu præfuit Cocinensi Collegio, & Prouinciam Indiam aliquandiu administrauit. Aliquantum præibat ætate Balthasar Diazius, cui præcipua laus ab suggestu. Sic aspera dulcibus temperabat; vt cùm acerrimè inueheretur in vitia, tamen à summis ferè, & infimis gratiam iniret: & vulgò homines à publicis criminibus abstinerent, ne fortè illa Balthasar in concione describeret. Malacæ in primis, ob corruptissimos tum ibi mores, salubris, & grata vox increpantis fuit. Goanus populus concursu ad funus, & lachrymis viri desiderium honestauit. Is duodecimo Kalendas Septembris, Melchior Sancti Laurentij die natali humanis exempti. Accessere ad illas pietatis copiolas deterendas post morbos, & hostes, etiam flumina. Ioannes Rodericius (cuius duo germani fratres Christophorus in hac historiâ inclytus, & Garzias in Societate supererant) impiger, & pius Sacerdos in Bazaini flumine, dum Goam petit, demersus est. Paucos annos vixit in Indiâ, ex Bæticâ missus, cùm inter alia munera, & Tyronum institutioni, & Collegio Triguerensi præfuisset. Ad hæc Benedictum Fernandium, Cocini egregiarum virtutum, obedientiæ in primis, atque patientiæ relictis exemplis, diuturnus morbus absumpsit. Multo grauiore damno, pro temporum iniquitate, & religiosorum paucitate, in Molucis Ludouicum Goesium, qui Socijs ibidem præerat, & Andream Cabreram vitâ destituit. Ludouicus in viridi iuuentâ raptus est, tertiodecimo sacri famulatus anno, quem Goæ susceptum à puero, rectè deinceps coluerat. Andreas vtrâque & naturæ, & religionis ætate maior, simul ac Societatem oratione amici cognouit, sic adamauit, vt cùm primùm Hispalim inuecta est (Bæticus enim erat) ad eam se iam Sacerdos aggregarit: plurimas Deo gratias agens, quòd ordinem talem suis temporibus edidisset in lucem. Neque enim aliter religiosum se futurum fuisse: continuòque receptus à Borgiâ, & in Lusitaniam missus, annos complures Grammaticam docuit, non grauatè in eo labore vitâ perfuncturus. Sed tandem in Indiam, vtraque postea in Molucum, obedientiâ duce, profectus, ceteris rectè factis coronam imposuit. Hæc enim videtur strenuorum virorum debita merces, vt parem magnis animis, magnæque pietati materiam nanciscantur. Ceterùm tam multis euocatis ad quietem, non intempestiuum Indicæ solitudini subsidium ex Europâ mitteba-

154 Mors Archiepiscopi Gooni in nostro Collegio.

155 Patris Melchioris Nunnij obitus.

156 Balthasaris Diazij insignis cõcionatoris.

157 Ioannis Rodericij.

158 Benedicti Fernandij.

159 Ludouici Goesij.

160 Andreæ Cabreræ.

tur.

tur. Cum Prorege Antonio Noroniâ conscenderant egregij duo Sacerdotes Dominicus Cardosus, & Ferdinandus Nauarrus: Sacerdotes postea futuri quatuor, Balthassar, & Lazarus Lopij, Hieronymus Coëllius, Emmanuel Paiua, docti, & virtutibus ornati iuuenes. Duo præterea rerum domesticarum nauissimi adiutores, ambo ex Indiâ profecti, Fulgentius Freires, quem ad Patrum res cognoscendas in Aethyopiam missum ex Indiâ, captum à Turcis, & Memphim adductum, atque indè tandem redemptum in Lusitaniâ egregiam pestilentibus operam nauasse suis locis est demonstratum: & Balthassar Arausius, qui de rebus Indicis edocturus Patres, & quædam è Collegij Goani re curaturus, in Europam venerat. Prospero ad æquatorem vsque cursu prouectas naues, illic diuturnâ malaciâ inhibente, nimirum, vt inter intolerandum, & cuncta vitiantem æstum, inclementia morborum multiplex occupauit. Socijs vltro deposcentibus Prorex ægrorum curam delegat. Sed latius in dies manans malum, pauciſque iam integris, etiam curatores ægrorum arripuit, ingenti omnium mœrore, qui in caritate, & sedulitate eorum spem repositam omnem vitæ suæ habebant. Nonis Maijs Cardosus probatæ Sacerdos virtutis, Theologiæque doctor obijt, patriâ Goneanus à pueritiâ ab anno seculi quinquagesimo in Societate educatus. Indè Hieronymus Coëllius ortu Lamegensis, post multos in ægrotantium curâ susceptos labores, in ætatis flore, ac pietatis occubuit. Denique etiam Pater Ferdinandus Nauarrus, & Fulgentius Freires tolluntur. Nauarrus Eboræ, & Conimbricæ Humanitatem docuerat, & prope confecto philosophiæ curriculo, non mediocris ad res gerendas, & concionandum facultatis, ad eorum quoquè laborum præmium, quos meditabatur in Indiâ euolauit. Decimum annum in Societate, & perpetuâ Indiæ adeundæ cupiditate perseuerarat. Nam cùm ante religiosam militiam in Indiam cuiusdam nauis scriba abijsset, & periculis in mari obitis, ad mutandam vitæ rationem maximè impulsus esset; quos labores iam seculi causâ tolerarat, Dei gratiâ repetere cupiebat. Fulgentius ætate iam grauior vir erat non excultus literis, sed tamen naturâ intelligens, prudensque virtutis eximiæ, duabus præsertim religiosæ philosophiæ excellens laudibus, orandi studio, & obtemperandi: & in Indiam, quòd id rogarat, remittebatur. Adeò nusquam neque in vinculis Memphiticis, neque in pestilentiâ Olisipponensi sanctarum pro Christo Crucium famem explerat. His exanimatis, quatuor reliqui grauissimis conflictati malis tandem euasere. Lazarus quidem Dei manifesto muneri salutem suam acceptam retulit. Cùm enim particulam è ligno Sanctæ Crucis gestaret, humanis iam diffisus medicamentis, epotâ aquâ, in quam vitale lignum immerserat, valetudinem altero die recuperauit. Indè beneficium communicare cum alijs decumbentibus cœpit, vnique in primis, qui iam deploratus iacebat, salutiferi ligni medicatâ contactu aquâ saluti fuit. Nauigantibus in Indiam, Guineæque æstum, & promontorij bonæ spei tempestates, elapsis Mozambicum statio peropportuna est semper, ad tantisper instaurandas vires: sed hoc anno fuit maximè, quòd post plurimorum obitum, qui supererant viui, ægrè spirabant: atque ipse Prorex propior erat morti, quàm vitæ. Peropportunè quoquè aderat ibi Franciscus Monclarus, & socij, qui cum Francisco Barretto tentaturi expeditionem ad Cafres ante biennium venerant. Hi Socios, ac vectores vniuersos caritate summâ exceptos omni officij genere recrearunt. Indè repetitâ nauigatione ad Goam appulerunt obsidione iam liberam. Dumque suas ipsi, viciſſimque Goani suas exponunt clades, aucta potius ex communione, quàm lenita mœstitia est. Cetèrum tantus totâ Indiâ armorum strepitus non multum reliquit loci Euangelicæ tubæ. Affatim Cocini profectum: quadringenti ad Deum viuum ab mutis simulacris adducti. Magna erat Emmanuelis Texeriæ Collegio præfecti ad Cocinenses auctoritas. In supplicatione ob irritos barbarorum conatus ad gratias agendas institutâ, & in iustis funeribus, quæ militibus in bello desideratis publicè persoluta sunt, orator electus est. Coulani, & in orâ Trauancoris circiter mille donati baptismo. Sed barbaris audaciâ assumptâ ex falso rumore, qui ferebat Goam, & Ciaulum in-

161 Supplementō Sociorū ex Europa missum

162 Mortui in mari Doctor Dominicus Cardosus.

163 Hieronymus Coëllius.

164 Pater Ferdinā. dus Nauarrus.

165 Fulgētius Freires.

166 Lazarus Lopius mirè sanatur.

167 Sanctæ Crucis ligno contacta aqua ægris est saluti.

168 Baptizati è paganis.

169 Emmanuelis Texeriæ apud Concinenses auctoritas.

Digitized by Google

hostium potestatem veniſſe, omnia infesta habentibus, parumper socijs, & plerisque Christianorum ad Commorini promontorij quietiora loca recedendum fuit. Illic plus quingenti Christianorum numero adiuncti. Non pari felicitate Lusitani rem gesserunt in Molucis. Consaluo Pereirâ morbo sanè importunè sublato, Babu Rex Ternatinus Lusitanorum arcem, quam dudum obsidebat, ad supremam prope necessitatem adegit; vt ibi Socijs, ne cum Lusitanâ re fundi-

170 Res male geritur in Molucis

tus Christiana periret, aliquot annis non tàm prædicatorum munia fuerint obeundâ, quàm militum: quoad tandem auxilio ex Indiâ non maturè subuecto, vti suo reddetur anno, arx dedita Mahometano est, immensâ cum christianæ plebis latissimè per eas oras fusæ iacturâ. Ecclesiæ item Meacensi in Iaponiâ subductum est ingens columen. Vatandonus restituendi Ludouici princeps, ac rei christianæ defensor acerrimus, cum ditioni suæ finitimo Iquennæ regulo bellum

171 In Iaponia Vatãdonus interemptus.

gerens, præcipitatus in insidias, inuictus animo dimicans cecidit. Videbatur vnà concidisse christiana res. Verùm, Deo cuncta gubernante, non plus indè amisit præsidij, quàm securitatis adepta est, strage Bonziorum Fiyenoyamæ. Excelsus

172 Fiyenoyamæ vastatio.

mons proximus Meaco Fiyenoyama est, multiplici sinu modica sin se nouem valles complectens. Arx illa Iaponicarum religionum, atque princeps disciplinarum gymnasium habebatur. Ter mille Bonziorum domicilia vetustis temporibus dorsa, ac iuga montis, & vallium sinus implerant. Et quanquàm aliquantum frequentiæ iam bella detraxerant; tamen amplis vectigalibus instructi Bonzij, auctoritateque, & sagacitate armati, Meaco ipsi terrori erant. Intra fines eorum neque fœminam penetrare, neque inuehi carnem, aut piscem licebat: cùm tamen à Bonziorum neque animis, neque corporibus vllum vitiorum abesset genus. Ergo tartarearum illa bestiarum cubilia excidendi causa extitit talis. Azaidonus, & Asacurandonus, ille ex dimidiâ parte Rex Omi, & Nobunangæ affinis (nam sororem habebat in matrimonio) hic in regno Iecigeno Tetrarcha præualidus, consociatis opibus, ad Ozacani Bonzij, & Mioxindoni partes accedunt aduersùs Nobunangam, quem vnà cum recenti Cubosamâ Ozacam obsidentem intercluſuri in Meacum contendunt. At Nobunanga, quo erat vigore animi, quæ satis visa est, copiarum parte ad Ozacæ obsidionem relictâ, reliquis mirâ celeritate raptis, vtrumque vsque adeo pressit, vt recipere se in Fiyenoyamæ ardua subigeret. Tum vehementer egit cum Bonzijs, vt ad se transirent, vel hostes suos emitterent: redditurum pollicitus quicquid olim diuitiarum possedissent, sectamque eorum se complexurum, si parérent; contraque exitium minitans obstinatis. Nihil à Bonzijs expressum. Verum Cubosama, qui iam immodicas Nobunangæ timebat opes, multoque videbat potentiorem venturum excidio Azaidoni, & Asacuradoni, sapienti tractatu pacem conciliauit. Quæ vbi conuénit, Nobunanga, exulcerato aduersùs Bonzios animo, ad Regna sua recessit. Paucis post temporibus dum ad Ozacam redit, propter Fiyenoyamam transiens, quamuis primò Duces sanctitatem loci, & summam apud Reges omnes temporum superiorum auctoritatem opponerent; tamen dicens nequaquam se, nisi Bonziorum vitijs commoueri per fraudem mortalibus illudentium, proditores, atque rebelles excipientium, ac fouentium, perque eam causam leges patrias violantium, fœminis, & carnibus, & piscatu introductis; in cœnobia, & fana impetum fecit, & ingenti cum Bonziorum cæde suprema strage deleuit, vix vno exiguo tecto, aut sepulcro conditoris relicto. Ab eâ clade, quæ tanquam cœlestis militiæ principe duce, ad sternendam Euangelio viam die Sancto Michaëli sacro edita est, cùm rursus Meacum veniſſet Nobunanga, adeuntes ad se Patres Ludouicum, & Organtinum consuetâ humanitate admisit. Interim Franciscus Capralis omnium in Iaponiâ Sociorum moderator, in Ximo magnum præcipuè Amacusæ addidit Ecclesiæ incrementum. Amacusadonus ipse iam sub Bungensis Regis patrocinio pacatè imperans, Leone quoquè reuocato, & filius, alijque circiter bis mille Christo subiecti. Amacusadono Michaëlis nomen impositum. Sed vt nihil hac in rerum mutabilium scenâ fixum est, mirâque vicissitudine alternantur aduersa prosperis; proximè in-

173 Amacusanæ Ecclesiæ incrementa.

Xiquio

Xiquio Ecclesiæ non tam amplificatæ numero sunt, quàm tentatæ non leui procellâ. Ioannes Xiquidonus per summam impietatem à fide desciscens, execrabilibusque seſe superstitionibus implicans, vt & familiari dæmonum vti consuetudine diceretur; eò conatum flexit, vt moliretur ex omnium sibi parentium animis Christum Dominum exterminare. Impigrè Michael Vazius contra nitens, ad constantiam pusillum gregem, atque ad subeundam, si foret opus, necem gloriosam incendit. Sanè, si vsquam, in Laponiâ longè plurimùm populi religio ab Dominis pendet. Quippe quibus summum ius est omnium rerum; adeo seuerâ lege; vt ob vnius subiecti contumaciam domus, ac familia tota plectatur. Indè fit, vt quam in partem Principes vergunt; in eam metu, vel spe populares ferantur: atque ne toti familiæ perniciem creent, etiam in salutis æternæ negotio multorum vacillet interdum constantia. At Xiquenses hanc indignissimam tempestatem cum ceteri mirâ fide tulere, tum vna in primis familia. Gaspar erat Christianus inter suos honestus, & dives è Xiquidoni domo. Is iussus renuntiare Christo, quò melius Xiquidono famularetur, tanquam seruire duobus Dominis nequiret; nullam euadendi viam videns, verbo pariturum se affirmauit, scelerată quidem simulatione, sed, vt dein cum lacrymis aiebat, ex eâ tempus ad vxorem, ac filios in tutum transportandos assumens, ne suâ morte in Tyranni manus venirent. Nequaquam domesticos latuit ignaua Patris familias, & impia fides. Continuò filius Iacobus nomine, & vxor, relictâ domo, ad propinquos sex circiter leucis distantes migrant, affirmantes fieri non posse, vt conspectum sustineant hominis, qui dubitarit pro Christi IESV lege, ac fide vitam in discrimen offerre. Neque ante pacati sunt; quàm Gasparis non deserendi Christum, sed suos pariter seruandi consilium cognouerunt. Tum omnes transtulere se Nangasachum. Quæ fuga nimium quantum exasperauit apostatam: fortè quòd fidelis, ac fortis animi documentum Christianis reliquis prætulissent. Eius itaque iussu sicarij facinorosi nocte concubiâ, impetu in domum facto, Gasparem, atque Iacobum confodere vulneribus: & quidem ambos egregiè præparatos, doloreque, & confessione nuper criminibus expiatis: vt Christiani non tam ijs impio ferro vitam ereptam, quàm impositam æternæ vitæ lauream crederent. Ceterùm per hanc occasionem Nangasachum hoc anno valde celebrari cœptum est, recipientibus se eò Xiquiensibus, eodemque Lusitanorum appulsâ naui. Et decuit futuram olim clarissimorum Martyrum parentem Ciuitatem ex inclytis confessoribus magnam partem nasci. Iisdem circa regionibus pagi Tomachis, Tenguma, Xiquimis, alijque nonnulli, toti ad fidem adducti Melchioris Figeredij constanti labore. Iam & Facata multis ante annis deleta, nuper restitui cœpta ad tria millia domiciliorum numerbat, vbi locuples christianus suâ sponte sacram extruebat ædem. Illud curam non leuem iniecit, quòd Rex Bungensis cùm Bonzio ex hæresi Ienxuanâ Epicureorum sectæ simillimâ, qui Meaco venerat, se totum tradidisset, frigidus videbatur fouere Christianos: metusque erat, ne paulatim ab religionis sacrosanctæ patrocinio, Bonzij adeo pietati pestiferâ consuetudine, & fraudibus illecebrarum omnino auerteretur: qui, Deo protegente, metus incassum fuit. Interim Socij non christianæ tantùm serendæ fidei, propagandæque, sed etiam religiosæ disciplinæ conseruandæ, atque excolendæ, Capralis ductu, curam impendebant. Euangelicæ paupertatis inter cetera siue instauratus, siue confirmatus est murus. Vt est prope vulgaris illas per oras sericarum vestium vsus; paulatim inter eos quoquè, ad augendam religioni maiestatem valere opinantes, increbuerat. Quippe populum suorum Bonziorum splendida intueri corpora assuetum, peregrinæ religionis auctores in vili amiculo despecturum. Hac re ad Principum quoquè aures, & animos accessus patére faciliores: quod Sanctus olim Xauerius experiendo didicisset. Nec verò quicquam præter disciplinam committi: cùm Societati non certus, sed qui honestorum est patriæ Sacerdotum, sit cultus: & in totum quoquè fas sit, tuendæ causâ pietatis, religiosum ornatum dissimulare. Verùm Capralis nullum esse augustius religiosâ paupertate ornamentum edocens,

174 Xiquianæ vexatio.

175 Constantia familiæ Christianæ.

176 Nãgasachi incrementa.

177 Paupertas Euãgelica inter Socios communitur Patris Capralis opera.

Digitized by Google

cens, eoque insignes Christi Apostolos latè Euangelium propagasse: hâc viâ, quam Christus monstrasset, eundum: nequaquam aut Bonzianam leuitatem imitandam, aut laxandam interpretationibus disciplinam, sed obedientiæ virtute, quando id præciperetur, nitendum, & confidendum: quando idem esset, qui paupertatem nobis commendaret, quique hominum corda in manibus haberet Christus Dominus: Xauerium, tanquam sacrum, non tanquam vulgarem adhibuisse interdum honestandæ personæ elegantiorem cultum, à quo statim vilj suæ tuniculæ sese reddebat. Hæc, atque alia id generis commemorans, vt minimè prauâ mente, sed recti specie abducti exerrarant; omnes habuit in potestate, nec ægrè reduxit in viam, lineisque nigri coloris vestibus induit. Vnus Balthassar Acosta, quem iam non tam vmbra fallebat amplioris diuinæ laudis, quàm laxioris consuetudinis inuitamenta, transuersum egerant, abstrahi penitus ab degenerj vestitu nequiuit: quem aliquot post annis reuocatum in Lusitaniam, dum remitteretur ad suos, maturâ sanè morte ipso in itinere Deus donauit: tot fortè labores, quos ille in Laponijs erudiendis exhauserat, miseratus. Atque Euerardus tum Generalis, tanquam vnum Sociorum, iussit mortuum suffragijs solennibus adiuuari. Sed iam reliquias copiarum quas in Brasiliâ Azebedius ducebat, tempestate (vt supra dictum est) in Insulam Cubam abreptas, suo duci reddamus. Petrus Diazius, qui Azebedij loco Socijs superstitibus præerat, in Sancti Iacobi Cubæ Insulæ portu tempus instaurandæ nauigationis opperiens multùm accolis profuit, seduli Sacerdotis, Euangelistæque munera exequens. Ad Habanam, vbi Patres Prouinciæ Floridæ versabantur, fama peruenit: continuòque Antonius Sedennius indè ad eos salutandos, iuuandosque ad portum Sancti Iacobi perrexit. Huius hortatu ad Habanam longo, difficillimoque itinere Diazius, comitesque transgressi: indè Hispanorum in classe in Europam redeuntium, ad Angram Insulam Tertiarum principem deuenere: quo Ludouicus Vasconcellus Brasiliæ designatus Prætor, & Pater Franciscus Castrius cum socijs tribus, post longum & ipsi errorem, ab Sancti Dominici, (quæ & Hispanica dicitur) Insula, paulò ante appulerant. Lusitanorum militum, atque nautarum numerus ex admodum instructâ classe, in angustum contractus erat. Multos, in tam laborioso, diutinoque iactatu quindecim mensium, necessitas moriendi rapuerat: alij ad Antilias substiterant: non pauci postremò ex Angrâ nacti occasionem in Lusitaniam cæperant fugam. Itaque Vasconcellus reliquias in vnam duntaxat compulit nauim. E Societate quoquè non plus quindecim restabant: duo Sacerdotes Petrus Diazius, & Franciscus Castrius: Sacetdotij expertes ceteri: & horum iam tyrocinio perfuncti octo, Alfonsus Fernandius, Gaspar Goësius, Andreas Pais, Ioannes Aluarius, Petrus Diazius Sacerdoti cognominis, Ferdinandus Aluarius, Michaël Aragonius, & Gaspar Consaluius: tyrones quinque Franciscus Paulus, Petrus Fernandius, Sebastianus Lopius, Iacobus Fernandius, & Iacobus Caruallius. Exigua hæc manus è numeroso comitatu, cum quo Ignatius Olisippone soluerat, superabat. Quippe cùm flos vnà cum Ignatio occidisset; è triginta fermè residuis, alios Petrus Diazius vel valetudine amissâ, vel minus Brasiliæ idoneos longinquo vsu compertos, ad Prouincias remiserat suas: alios minus Societati commodos bonâ missione donarat: vt iam post multiplicem quasi succretionem, perinde vt in Gedeonis olim exercitu, nonnisi eximij, & glorioso digni exitu reliqui fierent. Iamque flatu prospero altum per Oceanum ferebantur, cùm pridie Idus Septembris sub occasum diei naues quinque veniunt in conspectum. Quatuor erant Gallicæ, Britannica vna. Hæ, dissimulato tantisper consilio, cùm primùm nox inhorruit, proras in Lusitanos conuertunt. Intellexit Ludouicus & hostes & hæreticos esse. Itaque aduocatâ statim concione, suosque ad prælium acriter ineundum, ac mortem, vt Catholicos deceret, pro religione oppetendam hortatus; arma expediri, culcitras opportunis locis pretendi, saxorum vim congeri, tormentarij pulueris cados promi celeriter imperat: dispositisque ad pugnam stationibus, peccata rite confitetur ipse, & ceteri; quibus eâ nocte non mali-

178 Balthassar Acosta moriens dñi ad suos remittitur, Societatis suffragijs donatur.

179 Duodecim sociorum in Brasiliam tendentium gesta.

180 Eorumdem Sociorum nomina.

181 Hæretici prædones occurrunt.

182 Ludouicus Vasconcellus Brasiliæ designatus prætor illis se parat opponere.

Digitized by Google

malignè spatium datum est. Hostili classi præfectus erat Ioannes Cadauillus acerbissimus hæreticus, in eâ ipsâ rostratâ, vt aiunt, quæ superiore anno Sancti Iacobi Onerariam, in qua Azebedius cum Socijs vehebatur, expugnarat. Is vbi dies cœpit inalbescere, Lusitanæ Onerariæ appropinquans, semel, iterumque edito bombardâ signo, iubet vela summitti, & deditionem fieri. Vbi non paretur, ter facto impetu, quinque Lusitanorum interemptis, septendecim ferè omnes in cruribus ita vulnerat, vt funibus alterâ manu apprehensis sustentantes corpus, nonnisi alterâ vim possent repellere. Quibus illud accedebat incommodi, quòd cùm Cadauilliana rostrata multùm supra Lusitanam onerariam emineret; Hæretici è superiore loco in subiectos Catholicos, atque ictibus expositos certiùs, & grauiùs iacula intorquebant, ipsi prope extra teli iactum summoti. Haud incruentum tamen prælium fuit: nec victis paulò magis, quàm victoribus siue animorum magnitudine, siue causâ glorioſum: cum illos clades victores effecerit, hos victoria pluſquam latrones. Super omnes Ludouici Præfecti animi excelsitas, ac virtus spectata est: qui ne tum quidem territus, cùm iam Oneraria hostibus impleretur, nec parmâ vnquam, nec gladio dimisso, ad extremum vsque spiritum animosè pugnans occubuit. Cadauer non cognitum in mare eiectum. Vir fuit fortis, & nauticæ peritiæ curioſus, & cum primis intelligens, verùm infelicitate memorabilior. Mare cum primùm intrauit destinatus quinque Nauium in Indiam tendentium ductor, anno seculi eius supra quinquagesimum septimo, prætoria, quam conscendit, firma, & recens antequam è portu Olisipponensi vela faceret, tantùm cæpit aquæ laxatis rimis accipere; vt cùm exhaurientium vis nulla sufficeret, prægressis comitibus differre nauigationem cogeretur. Mense mox Maio profectus, nequaquam eo anno peruénit in Indiam, sed in Brasiliam ad hybernandum concessit. Indè anno proximo Indiam tenuit. Sed dum Lusitaniam repetit, è regione Insulæ Santi Laurentij, naufragio facto, nauique, ac rebus omnibus, & hominibus fermè trecentis amissis, ipse cum Socijs tantùm triginta in scaphâ euasit. Ibi dicitur, cùm ex naufragorum miserabili multitudine ad scapham natando multi contenderent, & statim, vt manus in marginem iniecissent, à nautis, ne simul omnes perirent, detruncarentur; eius conspectum, quanquàm necessariæ crudelitatis, non ferens Ludouicus oculos auertisse, ac velo texisse. Scapha paucis diebus per magna discrimina Sancti Laurentij Insulam tenuit: inciditque (quod quidem inter aduersa raræ felicitatis fuit; nam alioqui barbarorum fuisset præda) in Lusitanorum ibi fortè negotiantium nauim. Eâ naui reportantur in Indiam. Indè Ludouicus in Lusitaniam, contra atque sperarat, nullâ, nisi periculorum, laborumque inæstimabilium copiâ auctus, renauigauit. Decennioque post Brasiliæ, vt dictum est, Prætor designatus, cùm tandem in Prouinciæ suæ conspectum, ampliùs bina leucarum millia summas per difficultates emensus veniſſet; nullâ vi, neque arte, nullis votis euincere vnquam potuit, vt terrâ potiretur. Sed coactum in Hispanicam Insulam secedere, tandiù tenuit, circumegitque, velut iratus Oceanus; donec ferro conficiendum importunitati Hæreticorum obiecit, cùm paulò ante ad Insulam Materiam ab redeuntibus ex Indiâ nauibus cognouisset, Ferdinandum Vasconcellum filium in obsidione Goanâ Mahometanorum telis extinctum. Ceterùm potest solatium, & honestamentum supremi casus videri, vt pater, ac filius modico interuallo hostium religionis manu ceciderint. Ludouico mortuo, qui supererant Lusitani, deditionem fecerunt. Socij tum omnes infra tabulatum fundendis ad Deum precibus intenti agebant; vnus in summâ extabat naui Castrius, vnius è gubernatoribus ad imam proræ turrim ex vulnere animam agentis homologesim accipiens. In ea deprehensum administratione sacramenti, & caritatis actione Hæretici enecant: isque primus è sancto manipulo, quam ab initâ anno ante decimo Christi militiâ semper optauerat, consecutus est necem in odium fidei illatam, ætate iam grandior. Sub idem tempus Petrus Diazius, qui ad id loci confessionibus eorum, qui sub tabulatis agebant, aures constantissimè dederat conspectus, in cubiculi foribus con-

183 Ioannes Cadauillus hæreticę classis præfectus.

184 Prælium committitur cum Hæreticis prędonibus.

185 Vascócelli excelsitas animi.

186 Eiusdem in nauigationib⁹ infelicitas.

187 Duodecim Socij Azebedio superstites in odiũ fidei occiduntur.

188 Pater Franciscus Castrius occiditur primus.

ficitur

189 Et Pater Petrus Diazius.

190 Et Gaspar Goës ius.

191 Gaspar Consaluius morté fugiens, eam occurrit.

ficitur, post annos ætatis circiter quinque, & quadraginta: tresque ac viginti magno semper exemplo in religiosâ disciplinâ traductos: quorum aliquot Conimbricensis Collegij minister, aut procurator egit. Tertius indè Gaspar Goës ius cecidit. His primo congressu cæsis, nudatisque, & in mare deiectis, Gaspar Consaluius animaduertens nullam spem vitæ relinqui hominibus Societatis; raptim exutis calceis, abiecto galero, tunicâ positâ, nauticæ se turbæ immiscet, vt, tanquam vnus è seruulorum numero, fallens hostem, vitam conseruet. Sed fefellit timidum caput ignaua opinio. Postquam armorum strepitus conquieuit, victores Hæretici multum in Onerariâ captâ nauticæ turbæ conspicati, ne in alenda tot corpora cibis abuterentur, aliquot eorum, atque in primis Gasparem dant è naui præcipites. Ita vitæ conseruandæ plus iusto cupidus, nec vitam conseruauit, & glorioſæ mortis decus amisit. Quanquàm spes est clementissimum Dominum eius quoquè misertum animæ: atque vt olim Prophetæ minus obedientis simplicitatem leonis dentibus; ita nunc religiosi degeneris leuitatem marinis fluctibus expiasse. Decuit tamen, vt qui vilissimi nautæ sordes religiosis insignibus prætulisset, cùm posset gloriosè occumbere, velut inutile pondus abijceretur. Vndecim reliqui dignam professione constantiam præstiterunt. Inuicem cohortati vltro in editiora nauis euadunt, nec modò latendi causâ in ceteram turbam sese non inserunt; sed etiam in vnum deditâ operâ conglobati, apertè profitentur se & eiusdem esse religionis, cuius tres modò perempti, & æquè paratos ad mortem, vt eidem Domino placeant, subeundam. Hæretici per contumelias interim, ac sæuitiam diuexatis, vbi nox adfuit, singulis post terga manus reuinciunt. Ingemuit fortè dum stringitur Michaël Aragonius, recrudescente dolore vulnerum, quæ in brachijs paulò ante inter vexationem acceperat. Eo gemitu non misericordiâ, sed furore instincti prædones, extemplò iactant in aquas: Francisco Paulo, qui erat proximus, quasi nollent incomitatos, pariter deuoluto. Fuit Aragonio patria Guissona oppidum Catalauniæ Vrgellensi Ecclesiæ contributum. Barcinone dum studeret, & apud Patres Sacramenta frequentaret, documentum edidit quantum animo Christianæ virtutis, quàm dignam religiosâ fortitudine indolem gereret. Nam inter disputandum in prætentâ Academiæ areâ, ab aduersario, quem modestè, sed acriter presserat, alapâ percussus, cùm circumfusa studiosorum corona abolere contumeliam ferro vellet; pacatè præoccupauit, & tantùm præfatus argumentum eâ ratione non solui, abiectus in genua alteram percussori malam obuertit, pari cum admiratione spectantium, & aduersarij rubore. Quarto post mense in Societatem septimo Kalendas Septembris seculi anno sexagesimo septimo adscriptus, & ad rudimentorum disciplinam missus Valentiam, omnium virtutum, sed præcipuè sui despicientiæ, & caritatis in alios exemplum fuit. Iamque accuratè doctrinarum studia persequebatur, nihil remissâ corporis vexatione, qua sæuissimâ vtebatur, cùm Azebedium sequutus est, cupidissimè assumptus, præter eximiam pietatem, ob ingenij, & doctrinæ laudem, vt in Brasiliâ philosophiæ studia constitueret. Ad Valentinum Collegium anno superiore de Azebedij, & Sociorum nece epistolam scripsit, ita exorsus. Vellem alius hæc scriberet: sed quando peccata mea obstiterunt, in eorum pœnam id suscipiam: memor etiam scriptum: Nescitis, quid petatis. Ceterùm affirmare habeo, nunquam mihi vitam posthac, quoad manebit, vitalem fore, quod occasione tam præclarâ exciderim. Tum, vbi glorioſum eorum certamen enarrauit, subijcit: magnus dolor habet nos orbos, quòd parentem sequuti non simus: sed ita confidimus à Deo nos quoquè in aduersi aliquid reseruatos, præsertim quòd Gallus Archipyrata iurasse dicitur, ne vir eques, bellatorque habeatur, nisi vel Ludouicus noster in eius potestatem, vel certè ipse in Ludouici venerit. Talia nobis vaticinia fiunt: sed speramus Deum, si in eius nos manus conjecerit, robur etiam subditurum ad id omne, quod in nos permiserit, perferendum. Vtinam daret mihi aliquid pro meis noxis in hac vitâ exoluere. Nequaquam enim sunt adeo sæuæ calamitates, quin tolerabiles sint cum ope diuinâ.

192 Michaëlis Aragonij vita & mors.

193 Fräciscus Paulus simul in mare deiijcitur

194 Aragonij insignis iniuriæ tolerantia.

195 Eiusdem epistola de Azebedij, & Sociorum nece

Hæc

Hæc & alia id genus Aragonius scripsit: & Deus ardentia vota, quo diximus modo, cùm tam multis ante ditasset ærumnis, explere dedit. Aragonio, & Francisco Paulo in profundum iectis, reliqui Sociorum, vinctis post tergum manibus, in cubiculum prætorium includuntur, vbi totam noctem in precibus, partemque insequentis diei prope ieiuni transegerunt, magno se interim animo ad extrema quæque comparantes, & inuicem succendentes. Iamque parabantur laquei, vt ex antenna suspenderentur, cùm Præfectus, prædæ spe, quòd inaudierat pecuniam eos ad sacras ædes in Brasiliâ ædificandas ferre, supplicium distulit. Sedenim compertâ mox inopiâ, Petro tantùm Diazio, & Iacobo Caruallio in captiuâ naui relictis, septem reliqui in rostratam victricem transferuntur. Noua illic patientiæ seges, noua laudum copia suggeritur. Hæreticis, qui in priore naui iam prope delassati, exaturatique substiterant, recentes, integrique ad diuexandum succedunt. Continuò ingens numerus circumfusi non modò ipsos, verùm etiam Romanum Pontificem, Ecclesiasticos ritus, Sanctos cœli incolas, augustissimum denique Sacramentum altaris, more suo contumeliosè, impièque proscindere, & famulos Dei, qui modestè, ac fortiter respondebant, pugnis, atque alapis cædere, procaciter conspuere, canes blaterare, fures, impostores: scrutatique singulorum vertices, dirè contundere, in quibus sacræ coronæ vestigia inuenissent. Ita scilicet honestabantur coronæ: & geminatis honoribus progignebant Clericorum diademata fortium virorum gloriam. Erat è Nouitiorum numero Petrus Fernandius faber lignarius omnium recentissimus religioso in albo, sed vir apprimè humilis, & veteranâ virtute. Is, contra omnino atque Gaspar Consaluius, per vim pileo, talarique tunicâ exutus ab hostibus, ne moriendi occasionem fallente cultu amitteret, aggregabat se studiosè ad fratres, vultu, oculisque ad modestiam accuratè compositis, tanquam ita compensaturus, quod de insignibus vestimentorum decerat: & locuturus virtute, quod silebat amictus. Modestiâ, quæ blandissima virtutum est, honestatis lumen, sapientis animi facies, vt luce nocturnâ animalia, offensi omnium osores virtutum Hæretici, atque ad ludibrij fomitem abusi, impauidum nouitium glomerati circumsistunt. Alij caput vtrâque manu arreptum subrigere: alij colaphis cedere: oculos alij digitis per vim distentis palpebris aperire: paxillos denique etiam mento subdere, ne queat os verecundè dimitti, intermiscentes ludibriorum acerbitati, & manuum plagis vulnera quoquè linguarum. Per hanc diram petulantiam, cùm se diu iniuriosa manus oblectasset; ecce noua acies ad concertandum de religione accincta. Specimen telorum id esto: quo Sanctos nequaquam colendos ostenderent. Non ne, inquiunt, in nostrâ potestate vos est? Quin igitur Maria Virgo, Sanctique ceteri, quorum inuocandum Numen censetis, si quicquam in eis opis est, vos è manibus nostris eripiunt? Similiter planè atque olim Iudæi Christo Domino: Si Christus Rex Israël est, descendat de Cruce. Ad quæ religiosi respondebant: si id expediret; haud dubiè Beatissima Virgo, Sanctique nobis à Domino, & vitam impetrarent, ac libertatem. Sed quia emori præstat; idcircò non impetrant. Hæc maximè Alfonsus Fernandius, qui loco ministri præerat ceteris, respondebat. Altercatione in cœnam vsque productâ discedunt ad corporis sagnam Hæretici: sacri verò Confessores, quod semper, si quod spatium interueniret molestiâ vacuum, faciebant, adhortantur se inuicem, & inflammant: à Deo robur exposcunt: caritatem Christi Domini pro hominibus mortui, & cruciatus sæuissimos cogitatione, ac sermone repetunt: gratias agunt, quòd tam præclaram sibi moriendi, reddendæque ei vitæ occasionem obtulerit. His animos magnos, ac promptos ad extremum certamen dapibus curant. Nec mora longa: expleto rapinis ventre, carnifices ad explendam quoquè mentis feritatem innocentium pœnis adsunt: singulos octoni ferè circumdant, exutosque tunicis quantâ maximâ vi, quàm possunt longissimè ab nauibus in altum eiaculantur. Petrus Fernandius, & Ioannes Aluarius natandi minus periti illico fluctibus hauriuntur. Iacobus Fernandius classem euntem tardiùs (nam repentina plu-

196 Superstitio Sociorum ærumnæ.

197 Petri Fernandij vexatio.

198 Disputationes hæreticorum.

199 Socij reliqui in mare deiiciuntur.

Digitized by Google

200 Iacobus Fernandius è fluctibus euadit.

pluuia ventos sopierat) validis viribus assequutus, in vnam nauium receptus, & seruatus est. Quinque reliqui natatu ad se inuicem directo, vnum conuenerunt in locum. Hîc luctantes cum auido mari diu sese sustentant, supremùmque mutuò salutantes, ac veniam delictorum petentes, quanquàm in summâ difficultate, atque defatigatione, Apostolico symbolo, & precibus multis communiunt. Iamque prouecta nox erat, cùm Alfonsus Fernandius psalmum quinquagesimum inchoat, alternisque ceteri sequebantur. Vbi ad versiculum, Tibi soli peccaui, ventum est; inter eum pronuntiandum, Alfonsus defectus viribus, haustâ aquâ suffocatur: spectatâ religione iuuenis, nec profectu mediocri in philosophicis doctrinis, ad quas profitendas in Brasiliam & ipse ducebatur. Subinde Andreas Pais IESVM inuocans: mox Ferdinandus quoquè Aluarius mergitur:

201 Sebastianus Lopius seruatur.

vt vnus duntaxat iam supereſſet Sebastianus Lopius, ex quo hæc deinde sunt cognita. Is in densâ caligine inter horridos fluctus, imbre è cælo cadente maximo, Socijs iam cunctis extinctis derelictus, vitæ spem omnem abiecerat: cùm elatum fortè quadam è naui lumen intuens, sumpto animo, vix se, vt dixi, præ pluuiâ loco mouentem classem assequitur: cùmque ad vnam, itemque alteram nauium misericordiam implorans nequicquam accessisset, minisque, ac telis reiectus esset; velut ad extremum perfugium ad vnam è scaphis contendit: atque in eam demum ab hæretico nationeHispano furtim exceptus, penulâ contectus, atque hostium immanitati subtractus est. Duo autem illi, qui in Lusitanicâ naui relicti fuerant, eodem ac ceteri genere mortis, eâdem animi magnitudine defuncti sunt. Ita ex omnibus, quos Ignatius Azebedius Olisippone abduxerat, nemo in Brasiliam peruenit, præter Antonium Leonium: qui, cùm in itinere substitisset ægrotus, recuperatâ valetudine, aliâ conscensâ naui, saluus peruénit.

202 Brasiliæ status afflictus.

Iamque Brasilia grauissimè laborabat, cùm id quoquè dubitaretur, ad quem nam eius Prouinciæ administratio pertineret. Statim enim vt Romæ cognita est Ignatij mors; declarauit Borgia Emmanuelem Nobregam Prouincialem. Quod vbi cognouit Ludouicus Grana in vrbe Saluatoris, existimans iam multo ante literas ad ipsum Nobregam in Collegio Fluminis Ianuarij agentem eâ de re perlatas; vt qui multò parebat, quàm imperabat libentiùs; Prouincialatum illico abdicauit. Haud multò post Nobregam quoquè superiore anno vitâ defunctum, in vrbem Saluatoris perfertur: quæ res hæsitationem attulit. Volebant Patres Granam rursus administrationem suscipere. Ille, quoniam Visitator Azebedius in discessu mandarat, si quid fortè humanitus Prouinciali eueniret interim dum ab Vrbe alius sufficeretur, vt qui Collegio Bayensi præesset, idem Prouinciam regeret; negabat ad se illud onus, quod ob nouum Prouincialem suffectum legitimè posuisset, ampliùs pertinere. Tandemque euicit, vt Antonius Petrius Bayensis Collegij Superintendens capesseret munus. Sed interim Emmanuele Nobregâ, alijsque è primis Brasiliæ columinibus sublatis, nec nouo subsidio, quod ex Europâ tandiu expectabatur, vnquam apparente, & nonnullis Sociorum (Diabolo, vt sanctum opus abrumperet, omnes tentante machinas) perægrè in arduâ eius syluæ culturâ perstantibus, eoque Europam Carthusiæ vocabulo fugæ laborum obtento, inhiantibus, cùm nulli præterea religiosi viri, Sacerdotes perpauci adessent; Societatis, & Christianæ totius Ecclesiæ res in Brasiliâ oppidò in arcto erant. Pernambuci grauissimâ laborabatur inuidiâ, conflatâ ab Sacerdote de Societate electo, qui sparserat Maurum Consaluium hæresim populo pro concione vulgare: & subdolâ arte mentiendi, id crimen persuaserat non paucis primorum: neque ipse coloniæ Præfectus sinebat Dei famulos quietos esse. Crimen falsæ doctrinæ Episcopus eò profectus discussit, calumniatore multis criminibus infami capto. Et illud notatum mox est, præcipuos insectantium breui è vitâ sublatos, & ipsum Præfectum datum in vincula, & abductum in Lusitaniam, non cum famæ solùm iacturâ, sed cum capitis quoquè periculo, suos nimirum famulos, & exercente Deo, & protegente.

203 Interfecti in odiũ fidei in Florida.

In his Brasilia versabatur difficultatibus, cùm Prouincia Florida suo ingenio glorioſas, & steriles non modò ærumnas, verùm etiam neces peperit. Omnibus

bus frustrà tentatis, cùm illud Ioanni Baptistæ Seguræ, quanquàm periculo intelligebat, & prædicabant omnes plenissimum, tentandum visum esset, vt in regiones non dum Christianorum odio ex militum iniurijs imbutas penetraret, Ludouico neophyto duce (quemadmodum superiore anno memoratum est) in Axacam prouinciam, se cum comitibus octo contulerat, omnia Neophyto pollicente: qui summo Dei beneficio particeps baptismi factus, omnique humanitatis genere in Hispaniâ à Rege, atque Dynastis, & nuper Habanæ, atque in itinere à Segurâ habitus; maluit Iudæ proditoris imitari perfidiam, quàm hominibus se, Deoque fidelem, & gratum præbere. Paucis apud Patres exactis diebus (vt feris hominum industriâ mansuefactis vsu venit, si fortè patria lustra nanciscì contingat) natali solo, vndè barbariem hauserat, pristinos suggerente spiritus, popularium inuitante licentiâ, ad hæc impunitate propositâ, sensim redire ad ingenium cœpit: donec impatiens christianæ disciplinæ, ab vsu famulorum Dei in totum abstulit se, atque ad populum indè sesquidiei itinere disiunctum contulit. Non redeuntem, semel, atque iterum, misso vno fratrum, Segura reuocauit. Quippe non ad alia modò, sed ad interpretis quoquè vsum prorsus necessarium hominis auxilium erat, quòd linguâ propriâ vterentur indigenæ nulli dum Sociorum cognitâ. Nullis delinimentis verborum, nullis promissis cùm pellici potuisset, nullis precibus flecti; iam haud dubiam pusillus ille Domini grex, tanquam in luporum faucibus constitutus, expectabat in dies necem. Nam ad effugium nulla patebat via. Hinc mare, indè vastissima barbaries obsidebat: & ad facinus, præter cetera, etiam spes prædæ rapacissimam gentem, atque egentissimam inuitabat: cui ex gua illa supellex ad sacrum maximè apparatum ex alio allata mundo pro diuitijs, ac miraculo erat. Quo rerum in statu Segura tum pro Ludouico frequentes indicebat preces, tum domesticos omnes adhortabatur, vt corpora sua, & animas in holocaustum continuum offerentes, expediti dies, ac noctes ad effundendum sanguinem essent. Itaque totum in precibus, sanctisque collocutionibus, & religiosis functionibus, & meditatione beatæ vitæ ponebant tempus. Iamque non solitudo, non solicitudo, imminensque in momenta singula mors ita perturbabat, vt cibariorum macerabat penuria, & fames: quicquid commeatus Habanâ secum detulerant dudum absumpto. Amplius quatuor mensibus in his angustijs, inque præparando ad mortem animo, ac Deo precibus, vt Ludouicum respiceret, fatigando transactis; statuit Segura tertiò barbari animum pertentare. Tres è Socijs ad eum legat: dato simul negotio, vt diligenter conquirerent si quid vsquam ad famis remedium offerretur. Pater Ludouicus Quiros, duoque non Sacerdotes Gabriel de Solis, & Ioannes Baptista Mendes vnà profecti. Quos Ludouicus Neophytus, postquam inani reditus spe alacriores dimiserat, conuerso itinere, quibusdam onustos sarcinulis redeuntes, cum globo barbarorum, nec opinantes aggressus, Quirio cor ipse sagittâ transfixit, duos eius Socios ceteri peremerunt, Dominico die, qui proximè Purificationis solennia exceperat. Segura spem inter, ac metum rogando Deo, vt legationem secundaret, anxius insistebat auidè Sociorum reditum expectans: qui vbi longiorem, quàm pro itinere, moram faciunt; iam scelus Apostatæ haud dubium habens, eo intentiùs cum suorum reliquis omne studium ad geminandas preces, & exposcendam ab Deo pacem contulit. Ecce autem quinto post trium cædem die, cùm stolidâ dissimulatione proditor multis popularium stipantibus, duobusque germanis simulant lignatum se pergere; rogant, quæ ad id, vt in desertam regionem secum Patres detulerant, ferramenta commodent: eâ fortasse causâ, ne Dei famuli, quibus nulla præterea erant arma, ijs propulsare vim latronum vellent. Sed frustrà adhibebatur artificium paratioribus illis ad ferendam, quàm barbaris ad inferendam necem. Nec poterat obscurari sermone fraus, quam res loquebatur: cùm detractis Patri Qurio exuuijs, religiosum in morem proditor ipse vestitus incederet, vt nihil ambigeres deuoratæ ouis pelle indutum lupum. Igitur, quod rogarant, cùm accepissent; contra inermes, atque mitissimos homines, de seque tam benemeritos, tanquam rabidi lupi con-

204 Ludouici Neophyti perfidia.

205 Sociorum patientia.

206 Tres primò occiduntur.

207 Deinde occiduntur reliqui

tra agnos, furore conuerso omnes concidére securibus, præter vnum adolescentulum Alfonsum nomine, qui è Societate non erat. Hunc alter apostatæ fratrum initiò seruauit, moxque Ludouici omnia extinguere indicia enitentis furori subductum, finitimo Cacique tradidit, per eum Deo glorioſum finem ſuorum manifestum Ecclesiæ suæ facere destinante. Barbari ab dirâ cæde ad direptionem pauperis tugurij, quod ipsimet sibi Patres suo labore concinnauerant, versi, neque sacræ, neque profanæ rei parcunt, profano vsu sacra temerantes: eò dementiùs, quòd sacri, profanique discrimen plumbea corda ignorabant. Sacrificalem patinam argenteam vnus Caciquarum sibi ab ceruice suspendit, & quasi pretiosum monile, & bullam nobilem glorioſus gestabat: alius sacerdotali casulâ pulcher incedebat: iam sacer calix pro magnifico erat poculo. Ad clausam multi arcam cùm accessissent, tanquam thesaurum ibi inuenturi; planè inuenere, si æstimare nouissent. In eam quædam religiosa, & Crucifixi mediocre signum Patres condiderant. Quod signum dum curioſiùs, & contemptiùs sacrilegi spectant; narrauit Alfonsus (cui quidem fidem abrogare non ausim, cùm alij rem absque dubitatione ante me vulgauerint) tres eorum continuò mortuos concidisse, ceteroſque conterritos in diuersa dilapsos. Idem referebat, post editum dirum nefas monitu suo, antequam sibi quoquè exitium moliretur, mortuorum corpora Ludouicum proditorem, suâ cuique in manu Cruce positâ, tegenda humo curasse. Ignorabant hæc Patres, qui in Cubâ insulâ manserant Rogerius, & Sedennius, tamen assiduâ animi solicitudine dirum aliquid præsagiebant. Itaque vnum è suis Salsedum nomine ad rerum statum cognoscendum, & commeatum deuehendum in Axacam mittunt. De cetero ipsi ad iuuandos Habanæ conuenas, & inquilinos feriò conuertuntur. Sedennius neutiquam oppidanâ contentus operâ, ad familias quoquè Aetiopum per Insulam latè sparsas, destitutasque omni culturâ pietatis, nunquam totum per annum vel diuinæ rei, vel confessarij copiam habentes, excurrit pari cum suo labore, & seruitiorum emolumento: cum (quod supra narraui) famâ perlatâ, multos è Societate ad portum Sancti Iacobi in orâ Insulæ meridianâ appulsos; illuc rei cognoscendæ, opisque ferendæ causâ, plus ducentarum leucarum ærumnosâ, ac periculosâ viâ, vt erant asperа montium, & inculta superanda terrarum, adhæc flumina infesta Crocodilis natatu trananda, contendit. Illis Habanam primùm deductis, mutuam Societatis caritatem cunctis mirantibus: deinde cum classe Hispanâ dimissis, rursus adfuit ex Hispaniâ Floridæ aperiendæ, ac subigendæ Præfectus Petrus Menendes, cum vniuersâ domo, multisque amicorum ad sedes figendas in terris subactis. Eius flagitatione, atque literis Borgiæ, qui quamuis nulla admodum spes magni profectus in Ethnicis conuertendis appareret, expeditionem deseri tamen vetuerat, incitatus Sedennius, cum Francisco Villaregio classem sequûtus est. Operam inter eundum curandis, expiandisque militibus, quorum pars maxima grauiter languebat, salubriter posuere. Vbi ventum ad Sanctæ Helenæ Castellum, geminatus est labor, diffusis ex recèns aduectis ægrotis in totum præsidium morbis: donec vtrumque & Sedennium, & Franciscum lues intempestiua sanè implicuit. Subsidium namque cùm aliud nullum superesset, moribundique confessarium poscerent, ad vnum confugiebatur Sedennium. Qui dum in medio febrium suarum æstu modò ad hos, modò ad illos agit se; mali vim eò pertinaciorem reddidit. Accessit noua in commune calamitas. In apothecâ tormentarij pulueris excitatum fortè incendium quicquid commeatus ex Hispaniâ Præfectus nuper aduexerat consumpsit miserabiliter. Itaque cùm Menendes ad noua procuranda annonæ adiumenta Habanam proficisceretur, quòd è diuturno morbo explicari Sedennius non poterat; secum, vt Habanæ reficeretur deducturus in nauim imposuit, solatio militibus Villaregio relicto. Inter hæc nauigium in Axacam missum ad commeatum Seguræ, Socijsque deportandum, resque eorum cognoscendas: neque ijs, neque Ludouico Neophyto repertis, Habanam redijt. Sed nauclerus pariter, ac Salsedus, referebant multis argumentis constare Patres ab indigenis interfectos. Signa, quæ Segura dixerat ad

cogno

208 Barbarorum stolida impietas.

209 Crucis cõtemptores diuinitus puniti.

210 Antonij Sedẽnij strenua caritas.

211 In Florida res aduersæ.

Digitized by Google

cognoscenda loca fixurum, nulla vspiam extitisse. Axacanos multa ex rebus quæ Segura detulerat, conspectos habere. Postremò duo indigenæ à militibus, qui in nauigio ibant, excepti, apertè affirmabant vniuersos extinctos. Quæ Rogerius vbi cognouit, minimè cunctandum ratus, vt certa explorarentur, & auxilium, si posset, afferretur in tempore, nauigium de integro adornandum curat. Ioannes Carrera magno animo subiturum se discrimen Sociorum causâ professus, conscenso nauigio, ad Sancti Augustini præsidium idem sub tempus, quo & Menendes cum Sedennio, venit. Hic milites necessarias vitæ copias, haud minus miserabili casu, quàm præsidiarij Sanctæ Helenæ, amiserant. Ita præter modum intumuerat, se seque effuderat mare, vt refluens & horreum secum, & propè omnia ad remedium necessitatis recondita abstulisset. Itaque herbis, erutisque radicibus mors arcebatur. Quæ videns Menendes, missum à Deo Carreram existimans, cùm hyems iam inhorresceret, tempestatem minùs commodam ratus Axacanæ nauigationi, pollicitusque, vbi tractabilius foret mare, ipsum se cum classe iturum; commeatu, quem ille aduxerat, vtriusque præsidij Sancti Augustini, & Sanctæ Helenæ fami subuénit. Eodemque conscenso nauigio, cum Sedennio, & Carrerâ Habanam versùs cursum intendit. Aliquantum spatij prosperè emensi in vada arundineti (Canaueralis Hispani vocant) propter frequentia naufragia in eo tractu nobilia, impacto, ruptoque nauigio, proximè ab interitu abfuerunt. Omnes numero erant duodeuiginti: omnes, Deo iuuante, emersérunt in aridam, rerumque maximam collegere partem. Sed nihilò succesſit leuius discrimen in terrâ à barbaris hostibus, qui periclitantium inter naufragium exciti clamoribus, ad prædam vsitato iam sibi venatu accurrerant. Sed territi Hispanorum tormentis, ad legendas naufragij reliquias digrediuntur, nostris spatio fugæ relicto. Ergo quicquid poterant humeris auehentes, trepidè viam corripiunt. Quantum ab siti, ac fame, quantum ab nocturnis frigoribus, hybernâque tempestate, ne ignem quidem audentes accendere, ne barbaris indicio esset: quid in fluminibus, & paludibus, & sinubus maris tranandis: quid ab ipsâ viâ, quam nudis premebant vestigijs: quid denique ex insidijs, vique barbarorum ærumnarum exantlarint, longum videatur persequi singillatim: quamuis nullæ glorioſiores, neque digniores historiâ ærumnæ sint, vt planè sunt, æstimanturque in cælo, proque dignitate libro vitæ ad æternam memoriam consignantur. Quibus in malis cum semper diuina manus sospitalis adfuit, tum clarissimè in sinu maris traijciendo. Canoas appellant incolæ genus lintrium, quod maximè ad eiusmodi traiectiones paratum habent. Eæ sunt excauatæ pinus, oblongæ, perque anguſtæ, vt leuissimo momento inuersæ effundant in mare vectores. Huius generis trunco dum nostri duobus barbarorum agentibus linguam maris secant; immanissimâ tempestate coortâ, in medijs leti faucibus assiduè versabantur: cùm Carrera ad præsidia maiora confugiens, sacratæ ceræ Agnum, & sacras Reliquias in mare demisit. Atque eodem penè momento, quo vndas potentia contigerunt pignora, tempestas insigni miraculo conquieuit. Ad Sancti Augustini tandem præsidium euaserunt: recreatique humanitate incolarum, indè cursu prosperiore Habanam tenuerunt. Neque hîc admodùm commodè fluebant res. E Floridanis Caciquis (Proceres gentis ibi Caciquas vocant, eodem penè vocabulo Sacerdotes alibi, & religionum Magistri Cacizij nominantur) ægrè pueri collecti tres fuerant, quos disciplinâ christianâ, & literarum initijs Patres imbuerent. Eos, flagitato diu baptismate, tandem ipse Episcopus, cùm idoneos mysterio iudicasset, abluissetque; è tribus duo, ante elapsum à vitali lauacro mensem, viuere desierunt: magno quidem Dei beneficio, suoque bono, quos sinceros in stolâ primâ etiam num recenti, vita suscepit beata. Ceterùm Menendis consilia, & expectatarum è Seminario frugum spes conciderunt: eò etiam vehementiùs; quòd alter puerorum vnica stirps magno Caciquæ, & vnicè carus erat. Qua de causâ ea, super alias, cura incessit, ne dolum malum suspicatus Pater, vt leuibus pendet momentis barbara fides, amicitiam, fœdusque violaret.

212 Periculaex periculis.

213 Tempestas cereo agno, & reliquijs sedata.

Digitized by Google

214 Peruuiæres.

Ita rebus in Floridâ collabentibus, in Peruuiâ firmabantur: & ab Limâ hoc anno spargi Societas per regnum in mediterranea cœpit, iactis Cuschensis Collegij fundamentis. Peruuiæ Regum, antequam in ditione Hispaniarum venirent, latum imperium, ingentes fuerunt opes. Ingæ Regibus erat nomen, regia Sedes Cuschum. Opulentiâ vrbs priuata, & publica, magnificentiâ ædificiorum,

215 Cuscum olim Vrbs Peruuiæ regia.

cultu superstitionis, incolarum celebritate totius Peruuiæ princeps: ad radices sita Cingæ, inclyti montis, duobusque alijs intersita, qui latera ambiunt. Montosa regio est: & quanquàm mediæ cæli plagæ, quam feruidam, horridamque antiquitas nominauit, in meridiem gradus septendecim deuexa subest; tempestatum tamen vices, frigoraque, pluuias, grandines, niues experitur. Ab vrbe exoritur, & nomen accipit: perque leucas decem porrigitur vallis regionum Peruuiæ longè prima, siue vtilium vitæ copiarum feracitate, siue frequentiâ, & humanitate Peruuorum. In vrbe spectanda multa supererant monumenta barbaricæ magnificentiæ, & superstitionis: sed Arx ante omnia, & regium Fanum, Peruuicè Coricancia, ideſt aurea domus, dedicatum maximo Idolorum gentis, quem

216 Eiusdem vrbis spectabile Fanum.

Punchaum, hoc est diei dominum, & lucis auctorem vocabant. Miraculum maximè faciebat molitio operis: quemadmodum ab rudibus mortalibus, nec ingenio, nec corpore validis, qui ante Hispanos nec ferramenta norant, nec trahendorum iumenta, & machinamenta onerum tam ingentia saxa, vix nostratium boum iugis viginti molienda, ex longinquo conuehi potuissent: atque dolabræ, &

217 Peruuij, saxa saxis excidunt, ac dolant.

scalpri vice, alijs saxis ita excidi, & conquadrari; vt vestigia leuissima iuncturarum extarent. Fanum Coricanciam in Dei viui iam templum commutatum Dominicani Religiosi habent, & dignâ loco pietate, ac maiestate colunt. Ingarum memoria nonnisi duodecim extat. Ante pagatim aiunt diuisam penes nobiliorem Caciquam rerum potestatem fuisse. Inter Ingas Guainacapacus famâ

218 Fanum Coricancia à Dominicanis vero Deo dicatum.

celebris est: qui Quitum vsque prænobilem, & vndecumque primariam vrbem imperium propagauit. Populares ei gratificaturi viam duplicem, per plana alteram, & temperata loca, alteram per montosam regionem, ac frigidam, inter vrbem vtramque Cuscum, & Quitum, leucarum interuallo haud minus quingentarum, aperuerunt, complanarunt, muniuerunt, marginarunt, eo opere, vt ad Ro-

219 Guainacapaci Regis celebris memoria.

manorum veterum in eo genere sumptuosas curas nihil accedat propius. Prouincialis Portillus Francisco Toletano Prorege Guamangæ relicto, sub prioris exitum anni, Cuschum cum socijs Ludouico Lopio Sacerdote, laicisque Antonio Consaluio, & Consaluo Ruitio intrauit. Excepti sunt perhonorificè, præcipuâ

220 Viarum magnificentia Romanis similis.

nobilitate obuiam progressâ cum Clero. Hospitium tum alijs, tum præcipuè Dominicanis, quorum ibi pereelebre in clarissimo, vt dictum est, olim Fano cœnobium est, comiter offerentibus, ad Hispanorum publicam hospitalem domum se receperunt. Extemplò suggestum Portillus inscendere, deducere

221 Cuschēsis Collegij exordia.

magnum agmen Peruuorum prælatâ Cruce per vrbis compita, conciliare pace s aliaque instituti Societatis repræsentare munia, quæ literarum commendatitiarum optimum genus appellare consueuerat, comitibus strenuè collaborantibus. Indè Collegij habendi cupiditas confestim ingenita: quod facilius fuit, iam animis hominum secundissimæ famæ gratiâ, & Gabrielis Quiedi, qui cœnobio Do-

222 P. Portillo strenui labres pro commendatitijs literis sunt

minicanorum præerat, perhonorificâ Societatis prædicatione præparatis. Tertio post mense adfuit Guamanga Prorex, cuius beneuolentiâ, atque auctoritate in optima vrbis regione, præcipuâque plateâ domicilium emptum, Ciuitate communiter, & Canonicis, apud quos, Episcopi excessu, summa potestas rerum

223 Gabriel Quiedus Dominicanus Societatem laudibus effert.

sacrarum erat, multisque priuatim conferentibus ad impensam. Eum locum Amarocanciam Peruui nominabant, ideſt colubrorum domum, ob colubros, & dracones insculptos, & colubrum ingentem, quem ex Andarum victâ Prouinciâ, velut sacrum, quidam Ingarum traduxisse ferebatur, ibidem asseruatum. Postea Ferdinando Pizzarro Francisci Pizzarri Peruuiæ principis domitoris germano, ea domus in diuisione prædæ obtigerat: enatisque subinde tumultibus, receptaculum facinorosorum omnium, & grassatorum fuerat. Vt meritò, cùm addicta religioso cultui est, prudentes dicerent Esaiæ carmen illud: In cubilibus, in

224 Domus attributa notabilis.

quibus

Digitized by Google

quibus priùs dracones habitabant, orietur viror calami, & iunci: & erit ibi semita, & via, & via sancta vocabitur; ibi quoquè locum habere. Mense Maio inita nouæ sedis possessio. Concinnatâ temporariâ ædiculâ sacrâ, & nouo Sociorum auxilio Limâ accito, apertus est Grammaticæ ludus. Iacobus Bracamontius Oarocirensi paræciâ, ob eas causas, quas sequens prodet liber, omissâ, primus Collegio Rector præficitur, Barzana concionator. Ad quotidianas impensas vni omnium maximè Iacobus Sylua, & præcipuè vxor Teresa Orgonia suppeditarunt, quod, & vectigalibus certis Collegium Teresa eadem cum liberis stabiliuit: omnibus laudibus, sed benignitate erga calamitosos matrona illustris. Limæ inter hæc corroborabatur Collegium. Ad duas latini sermonis scholas tractatio Philosophiæ accessit apud tricenos auditores. Ex his, alijsque Collegium frequentantibus instituta sub Deiparæ patrocinio Sodalitas, iuuante pietatem erga diuinam matrem pictâ effigie, quam Româ Borgia transmiserat ex eâ expressam, quæ à Sancto Luca depicta in Esquilijs asseruatur. Ceterùm tanto plausu natam Prouinciam, tamque expeditè tam multum proficientem, ferre nimirum Satan non poterat: & Deus quoquè volebat, per aduersa pariter roborari. Itaque cum primus ille clarissimus splendor quibusdam potissimum domesticorum subobscurari videretur, rumusculi domi glisce-rent, atque offensiunculæ; ex ijs demum non mediocris flamma, quam prodet sequens volumen, exarsit.

225 P. Bracamontius primus Collegij Conchensis Rector, & P. Barzana primus concionator.

226 Limensis Collegij incremẽta.

227 Sodalitas ibi instituta.

Digitized by Google

HISTORIAE SOCIETATIS IESV

LIBER OCTAVVS.

A.D.1572

1 Præcipua huius anni.

SEQVITVR annus ab salutis ortu millesimus quingentesimus septuagesimus secundus, qui Christianæ toti Reipublicæ Sancto Pontifice Pio Quinto, & priuatim Societati Sancto generali Francisco Borgiâ orbatæ & funestus, & honorabilis fuit. Poloniæ quoquè fine Sigismundi Augusti Regis: Vngariæ nouo Rege creato Rodulpho Maximiliani filio: maximis Geusiorum motibus Belgio: extinctis Hugonottorum Capitibus Galliæ, memorabilis. Nec minus priuatim nobis in Indiâ luctuosus, amisso viro, qui columen Prouinciæ erat. Funestum Societati fore ipsum quodammodo anni limen portendit, funeribus tribus in parente ordinis Romanâ Domo sex intra dies elatis. Sexto Kalendas Februarias Franciscus Truxillus pestilenti febre occubuit, qui Bæticus natione, ex militiâ terrenâ Senis ad cœlestem sexto, & quinquagesimo seculi eius anno transgressus, pauloque post in Siciliam missus: cùm laborum omne genus, prout obedientiæ demonstrabat, alacritate inexplebili amplecteretur, & grauioris tolerantiæ studio in Indiam mitti diu peteret, nec impetraret; præ cupiditate plurimùm Dei causâ laborandi, Societatique seruiendi, artificia multa, & in his ædificandi rationem percepit. Qua solertiâ multùm in extruendâ probationis Domo ad Sancti Andreæ desudauit. Cumque (vt illud fert pendulum opus, & plenum aleæ negotium) ex alto collapsus, crura læsisset, sculptoris artem edidicit: vt quando crurum infirmitas sedentariam indicebat vitam; Crucis amor necessitatem quietis in fructuosum laborum verteret. Nescit enim debilitari, nescit pigrescere Christi Crucifixi caritas: vt aduersùs desidiæ blandimenta fortis; sic ad eluctandam vim necessitatis ingeniosa.

2 Virtus, & obitus Franciſci Truxilli.

Quarto post eum die par mali genus Ioannem Corsum eripuit, qui Sancto Ignatio, deinde Lainio, postremò Borgiæ tribus Præpositis Generalibus fuerat cubiculi adiutor, tumque Vicario erat Hieronymo Natali. Obedientiâ erga Præsides, austeritate erga se, caritate erga domesticos, recto extraneis exemplo commendatissimus: cessationis vsque eo & ipse impatiens; vt, si quid à precibus, & occupationibus ministerij sui vacaret, aliquid è stamine acubus moliretur: eo laboris genere, vt reor, delecto, quòd intermitti expeditè, repetique posset.

3 Et Ioānis Corſi

4 Imperturbati animi exemplum.

Sanctus Ignatius hominem significaturus nihil quicquam cuiquam aduersantem; Ioannem Corsum pro exemplo nominabat. Eidem quondam cùm imperasset, vt alium è sanctis illis Fratrum primitijs Martinum Carnozam nomine obiurgaret quocunque reperisset loco, bilemque, & iracundiam adhiberet: moxque aduocato Martino, cognitoque nequaquam iracundè obiurgatum, quæsiuisset ex Ioanne, quare non obediuisset: is negauit sibi iracundiam esse: & instante Patre quemadmodum id affirmaret: Totam, inquit, in mare, cùm Barcinone veni Romam, euomui: significans tum, cùm ad Societatem accessit (Catalaunus enim cùm esset ad eam Barcinone Romam venit eius seculi anno primo, & quinquagesimo) omnibus se perturbationibus exuisse. Alio tempore cùm grauem Societatis causam Sanctus Pater domesticorum precibus commendaret; Ioannes volebat edici, vt singuli pro eâ causâ ter in die inter preces lacrymarentur: qui non feciſſet; ei nihil ad cibum præter panem daretur. In grauissimis supremæ ægrotationis doloribus nunquam intermisit versiculos è psalmis, hymnisque, & alias precationes proferre. Tantum habet emolumenti pia consuetudo, tantumque Deus summis temporibus impertit virium secundâ valetudine rectè vsis. Postridie Doctor Baptista Madridius, ex longinquâ

quâ morbi multiplicis molestiâ, ad priores duos accessit, prædicto, ac tanquam delecto emigrandi die. Namque iam pridem, cùm eximiâ religione Cœli Reginam coleret, optaretque in eius Purificationibus solennibus, instar Simeonis, in pace dimitti; in eius diei peruigilio excessit. Simeone hactenus felicior; quòd ille à complexu, hic ad complexum vitæ migrauit, ad nunquam dirimendum festinans occursum: & ille mortali sinu moriturum Saluatorem, hunc Saluatoris, vti confidere fas est, beatus sinus excepit immortalitate perfruiturum. Is est, qui Naualcarnerensi Sacerdotio in eam rem, Pontificis assensu, collato, & Complutense Collegium iuuit, & Naualcarnerense fundauit. Romam venerat æuo iam grandis quarumdam litium causâ, ibique cunctâ mirante Curiâ (inter primos enim assecias officijs, & solertiâ censebatur) ad obsequia Christi se, & sua conuertit. Hi Romæ principio anni rapti eo tempore, quo Pater Franciscus Borgia Cardinalem Alexandrinum sequens, Hispanienſi, & Lusitanâ legatione perfunctus, inter summas itinerum difficultates, vt erat hyems asperrima, regio perfrigida, via impedita, & ardua, ad hæc Vgnottis infesta, in Gallias transijt. Iam impetrarat à Philippo Rege triremem, qua reueheretur in Italiam, cùm allato ad Cardinalem à Pontifice Nuntio, vt in Galliam quoquè pergeret, & eodem ipse prosequeretur, omnia post obedientiam habuit. Et visus est Dominus famuli sui indulgere voluntati, vt peregrinationem iniunctam consummare, & perficere imperata posset. Cùm enim cuperet sanctus vir, vnà cum Cardinali, præsto esse in Galliæ regiâ, quò quicquid in se esset ad Pontificia mandata momenti conferret: præsertim quòd Philippus quoquè Rex curandum suo nomine inter Sebastianum Regem, & Margharitam Caroli sororem omni ope matrimonium commendarat: huic autem sanctissimæ voluntati dolores obstarent, quibus sæpè torquebatur multis, & peracerbis: tanquam cælestis benignitas agendi tempora, patiendique dispensaret; animaduersum est, quibus diebus iter Cardinalis faciebat; morbum interquiescere: quibus verò intersistebat; desæuire solitum. Qua ex re, tametsi exhausto viatori locus respirandi nullus relinquebatur, cùm quicquid temporis alij quieti dabant, ipse doloribus redderet; tamen boni publici studio voluptatem maximam capiebat: eòque properabat magis, quòd eodem tempore Nauarræâ Reginâ Regiam petente, ægrè ferebat occupari ab eâ Caroli aures. Blesium, vbi Carolus Rex, ac Regina senior agebant, septimo Idus Februarias Cardinalis, biduo post Franciscus perũénit. Hilaria erant ante Cineralia. Itaque Borgiam honoraturus ipsemet obuiam Carolus processit personatus cum penulâ, & grandibus ocreis, cum Procerum manu eodem habitu personatorum. Qui cùm ingenuâ libertate gentis, nobilique simplicitate circa comites Borgiæ inter deducendum ludibundi discurrarent; ignari eius moris hospites, contemptim se potius interpretabantur, quàm humaniter accipi. Haud quaquàm fruſtrà: sed minimè cum optato successu. Blesij aliquot dies exacti. Nec potuit Franciscus ab Catharinâ Regis Parente, atque Rege honorificentiùs haberi. Quinto Kalendas Martias Italiam versùs in cetero comitatu viam capessit. Cardinalem Alexandrinum de malâ Pontificis valetudine allati nuntij accelerare coëgerunt. Quippe indè ab Ianuario Sanctissimus Pater morbo conflictatus, inter modica ex interuallis laxamenta, nunquam virtutis pristinæ interrupto cursu, diu exercitus, tandem Kalendis Maij decessit. Pontifex vigilantiâ, & curâ, adhæc magnitudine sanctitatis, & animi illam solij augustissimi maiestatem merito æquare visus: præclarè meritus de orbe Terrarum, nihiloque secius de Societate nostrâ. Tertiodecimo die successit ei magno consensu declaratus Pontifex Cardinalis Vgo Boncompagnus, qui Gregorius Tertiusdecimus nuncupatus est. Continuòque rumor in Aquilonares Prouincias, ac nominatim in vtramque Germaniam emanauit, creatum esse Pontificem alieniſſimum ab Iesuitico nomine: atque adeo nationem vniuersam ex Vrbe Sanctâ, protinus expulisse: quod contra omnino erat. Nam Gregorius, secus profectò, ac multi opinati sunt, statim à principio benigniſimi eius animi, quem perpetuum deinceps Societati præstitit, nec documenta obscura, nec exigua dedit

5 Naualcarnerẽsis Collegij fũdator

6 Borgiæ iter in Galliam.

7 Carolus Rex obuiam venit Borgiæ.

8 Pontificis Pij Quinti obitus.

9 Gregorius Tertiusdecimus succedit.

10 A principio Societati benignus.

Digitized by Google

dedit pignora. Decimosexto Kalendas Iunias, cùm admissus ad eum, Farnesio Cardinali introducente Vicarius Generalis, Natalis, comite Palmio, dixisset, Societatem ad obsequium Dei, atque Ecclesiæ excitatam Seminarium esse, quo Pontifex in Dei laudem, atque populorum commoditatem vtatur: quartoque voto Sedi Apostolicæ ad peregrinationes in quascunque terras religionis causâ imponantur, obeundas obstringi: ac proindè rogaret, vt Institutum eius, vti fuerat ab initio conditum, probatumque, & priuilegia ei tradita confirmaret; Pontifex eximiâ comitate exceptis hominibus, & verbis auditis, respondit: se optimè nosse id temporum necessariam Ecclesiæ Dei Societatem esse: nec ignorare quàm præclaros vbique fructus, in Germaniâ præsertim, ferret: confirmaturum perlibenter quicquid superiores Pontifices dedissent. Ad se, vbicunque vsus incideret, fidenter adirent: bonum, ac propitium habituros. Hæc ore, vultuque optimo eloquutus, anteuénit tamen orationis benignitatem liberalitate rerum. Vehementius nihil tum Societatem vrgebat, quàm vt in integrum Instituta eius restituerentur. Itaque Natalis cùm protinus à fine Pij Quinti, sequutus Lainij exemplum, legitimâ testificatione adhibitâ, chorum operarijs diebus intermisisset (neque enim aliter, atque olim à Paulo Quarto mandatus erat) de professione autem, quoniam extare diploma videbatur, nihil mutasset; hinc maximè auspicandam putauit Sanctissimi Patris benignitatem. Sancto Cardinali Borromæo causæ cognitionem Pontifex delegauit. Atque interim ipse iam confectas à Pio Quinto, nec editas literas, per quas potestas Societati fiebat, quos Conseruatores vocant, Iudices in quibusuis causis assumendi, rite promulgauit. Natalis suâ maximâ curâ multos, ac ponderosos commentarios effecit, & Cardinali Borromæo tradidit, quibus causæ suæ æquitatem probabat. Ante omnia posuit, & ostendit religiosa Instituta, quæ Sedes Apostolica rite confirmarit, ab auctore Deo proficisci. Neque enim hac in re fas esse Cathedram Petri errori subijcere. Hoc posito fundamento, duorumque Pontificum Pauli Tertij, & Iulij Tertij, itemque Concilij oecumenici auctoritate probatâ, alia diuinæ comprobationis argumenta propria Societatis collegit. Deindè in vniuersum detrimenta subnexuit, quæ ex mutatione ita conditæ, probatæque disciplinæ oriri necesse esset. Indè propiùs causam aggressus, totam Societatis rationem, descriptionem, & quasi fabricam, singulis explicatis partibus, in conspectu collocauit: vndè planiùs cerneretur, nisi detruncata recuperaret membra, constare non posse. Postea separatim de choro, deque professione disputauit: & docuit quas Societati commoditates suæ de ijs rebus leges afferrent: quàm nullum ex ijsdem cuiquam formidari deberet incommodum, contrariæque rationes quàm facilè diluerentur, vti continuò singillatim ipse diluit. His fusè, grauiterque tractatis, perorationem talem subiecit. Institutum nostrum, si à diuino spiritu profectum est, vt planè est, si Apostolicâ auctoritate confirmatum, si ab oecumenico Concilio comprobatum: & quicquid præterea expeti testificationis diuinæ potuit, luculenter habuit: & inuecta commutatio tam grauem infert perniciem; infimis oramus precibus, vt, quod in cunctis faciendum religiosis disciplinis Tridentinum Concilium iubet, id in hac etiam minimâ fiat. Haud negetur nobis, quod omnibus datur: ne soli simus, in quibus Concilij decreta non obseruentur. Reformari iubet Religiones Concilium, vnamquamque secundùm proprium, ac suum Institutum: petimus, vt secundùm nostrum nos reformemur, & quod indè est mutatum, instauretur. Nihil intendit in nostrâ Religione innouare Concilium, vt disertè pronuntiat: id rogamus, nihil vt innouetur: sed, vt probatum est ab illo, sic maneat. Non prohibet Concilium, quin iuxtà pium Institutum nostrum Deo seruiamus, & Ecclesiæ: id obsecramus, vt nobis liceat. Tradit Ius commune priuilegia, sinè quibus profectò nulla Religionum consistit, non esse violanda: qua in re Sedes Apostolica Deum, cuius dona, sinè pœnitentiâ sunt, imitatur: oramus & nos suppliciter, priuilegia nostra ne violentur. Conscij quidem nobis nequaquam sumus, tale quicquam commeritos, quare leges nostræ abrogentur, & concessis beneficijs spoliemur. Ad extremum precamur, ne

11 Patres Natalis & Palmius cũ Pontifice de Societatis Instituto agunt.

12 Cardinali Borromæo Pontifex Societatis postulata cognoscenda tradit.

13 Rationes pro Societate à Natali congestæ.

14 Eiusdem peroratio.

15 Tridentini sensus de Societatis Instituto.

Beatissi-

Digitized by Google

Beatissimi Patris auctoritas Pij Quinti, quæ christiano fuit orbi salutaris, exitiosa sit nobis. Optimus Pontifex quia diuersæ assueuerat disciplinæ, opinionem de nostrâ præiudicatam habuit, nec tamen, nisi dubiam semper, atque infirmam. Nam chorum non nisi mandato simplici, & mollissimè iniunxit. De professione vel noluit ad nos pertinere diploma, quod edidit, vel certè Deus effecit, vt ita conciperetur, vt ad nos (quod prudentes consulti responderunt) minimè pertineret. Itaque & menti, quam semper habuit optimam, & luci, quâ nunc colluſtrari non dubitamus, consentaneum, gratumque fuerit, vt, quæ commodandi nobis studio innouauit, cùm pernicioſissima appareant, antiquentur. Borromæus Cardinales tres Ioannem Aldobrandinum, Gabrielem Paleottum, & Paulum Aretinum Placentinum in consilium adhibuit: deque eorum sententiâ priſtina Societati iura Gregorius, tantorum virorum vsque magis ornata iudicijs, & Borromæi sanctitate commendata, sub extremum Nouembrem restituit: quanquàm diploma aliquanto post editum est. Debebatur certè patrocinij ea pars quodam iure Borromæo: vt auunculi sui Pij Quarti beneficia tueretur, qui duas pariter huius Instituti partes, itidem choro, & Præpositi Generalis triennio, à priore Pontifice imperato, labefactatas redintegrarat. Inter hæc Gregorius Franciscum Toletum apud se conciones continuare voluit: & mox Viennam remisit, vt indè in Poloniam quoquè rediret ad Comitia creando nouo regi: & interim concionatorem Palmium eius loco substituit: & alium præterea domesticis concionatorem iussit apponi. Quosdam coram se de Societate obloquentes, liberè castigauit: post centum annos cognitum iri Societatem affirmans. Parùm beneuoli quidam illo, inter alia, carmine animum Sanctissimi Patris occupare tentauerant, Iesuitarum Collegia ingentes possidere facultates, Ecclesias, Monasteria, Abbatias, & quodcunque Sacerdotij genus, ac nomen est, in eâ transcribi: nec vsquam quicquam, præsertim in Germaniâ, relinqui. Polancus iam eo tempore Vicarius, quid res haberet, edocendum Pontificem ratus; tertio Nonas Decembris, ad agendas ob confirmatum Institutum gratias aditurus; singillatim in libellum relata quæcunque eius generis possidebantur, & Sociorum numerum, quibus alimenta indè ministrabantur, detulit. Quibus Pontifex diligenter perspectis, dolere se dixit, quòd essent perpauca: optare, vt longè plura, & ampliora essent, quò plures vineæ Domini cultores strenui, & viles alerentur. Instititque ipse, quandocunque se opportunitas obtulit, Collegia & vetera stabilire, & noua exordiri, quod hâc ipsâ æstate iam cœperat. Nam Caroli duo Cardinales, viri maximi, & Societatis peramantes Borromæus, & Lotharingus Romæ cùm essent (quo tempore, & Collegium Romanum seorsum viserunt, & præclaro ingenij apparatu pretiosis musarum aulæis omne genus, & diuersarum super mensam septendecim linguarum conciunculis honorati sunt) ad generalia, quæ Societati moliebantur, gymnasia fundanda, quædam vtè sacris vectigalibus conferrent, impetrarunt. Verùm ita euénit, vt primam eius negotij mentionem Lotharingus inferret, cùm maximè sermones, quos diximus, de immenso sacerdotiorum ad Collegia translatorum numero Pontificijs auribus ingerebantur. Itaque minimè promptas, ac procliues inuénit. Sed paucis interiectis diebus ipse vltro Pontifex sententiam se mutasse Cardinali eidem confirmauit: quòd animaduerteret, Religionem hanc ad maiestatis diuinæ magnam gloriam his temporibus Deo missam, firmarique, ac prouehi oportere: cohortans illum, vt primo quoque tempore cogitatam Academiam perficeret: futuram sibi instar filiæ, quam primam genuisset: simulque excitans, vt tuendam sibi in Gallijs Societatem susciperet: ignorans fortasse singulare iamdudum Cardinalem profiteri patrocinium, & præstare. In controuersiâ graui Collegij Conimbricensis: referente Cardinali Maffeio quiddam non constare, vndè iudicatio causæ tota penderet; Gregorius: Percuntare, inquit ex istis Patribus: boni viri sunt: etiamsi contra se cessurum sit, verum dicent. Tot iam grauati susceptis ante muneribus, cùm ægrè Romani Patres sufficerent procurationem Cathecumenorum, nouissimè ex quadam parte superadditam, tentabant

16 Pij Quinti de Societate opinio.

17 Cardinales tres Borromæus ad causam cognoscendam adiuuit.

18 Redintegratur Societatis Institutum de professione & choro.

19 Gregorius Tertiusdecimus Toletum, & Palmium concionatores adhibet.

20 De Societate præclarè sentit, ac loquitur.

21 Polancus Vicarius Pontificem de Societatis statu docet.

22 Cardinales Borromæus & Lotharingus in Collegio Romano literario apparatu suscepti.

23 Eidem Collegio sacra vectigalia impetrat.

24 Gregorij de Societate existimatio.

Digitized by Google

bant excutere. Patronus reclamabat Cardinalis Sirletus: Pontifex ex eo interrogauit, quid pro se Patres afferrent: & vbi ille respondit: Nihil, nisi non posse. Num igitur vis, inquit, vt ad id, quod nequeunt, adigamus? Quæ, & alia multa beneuolentissimi Patris argumenta eò gratiora, quòd non solùm ex animo, ac sponte manabant, sed etiam ex propensione quadam quàm ad constantiam solidâ, tam ad indulgentiam tenerâ, atque tractabili; nouum inijciebant vigorem Dei famulis ad vires tanto enixiùs pro Sanctâ, & Romanâ Ecclesiâ contendendas: pulchrumque indè, ac salutare terrarum orbi certamen existebat, dum ille excitandos benignitate, roborandosque auctoritate fideles operarios existimabat. Hos, præter cetera incitamenta, pudor ad officium adigebat, quò tam præclaram de se opinionem sustinerent: ne viderentur beneuolentiæ magnitudinem laborum magnitudine exæquare non potuisse. Neque enim volebat Gregorius indulgentiam suam otij, segnitiæque, sed negotij, & curæ altricem esse. Itaque quanquàm Cathecumenorum procurationem, vt diximus, nequaquam poni prohibuit; pœnitentiariâ tamen administratione in Vaticanâ Sancti Petri Basilicâ, quamuis ob eas causas, propter quas non libenter susceptam retulimus, enixè missio bona postularetur, absisti præcisè vetuit: negans, aliundè idoneorum sibi confessariorum, & linguarum parabilem copiam affuturam. Ad classem, quæ prosequendo aduersùs Turcas bello adhuc stabat in mari, Socios duodecim Pius remitti petierat: multos & ipse designabat, si res processisset: & nominatim Pœnitentiariorum Rectorem Christophorum Rodericium remisit. Duos item Sacerdotes in Corsicam destinauit cum Episcopo Marianæ: admodum lætus, quòd muniri Collegio viam diceret, ad solitudinum illarum nihilò Indicis meliorum culturam. Habuit postremùm id solatij Sanctus Generalis Franciscus, vt è vitâ decedens in iura, cum quibus acceperat, restitutam Societatem videret, & commendatam adeo benigno parenti relinqueret. Virum Dei non multò post, quàm Blesio ex aulâ Galliæ Regis discesserat, super alia cruciamenta febris inuasit: cuius per intermissionem Sabaudio primùm Duce, dein Ferrarienſi, quicquid vsui foret piè suppeditantibus, ingenti labore Ferrariam delatus, ibi magnâ cum vicissitudine melioris, deteriorisque valetudinis æstatem exegit, administratione Societatis in omnes partes Vicario Natali permissâ: quanquàm Polancum, simulatque Italiam attigit, ad Longobardiæ visenda Collegia, tum etiam Romam misit. Quo breui reuerso, cùm iam autumnus appeteret, Lauretum, voti exsoluendi causâ, & Romam indè pergere statuit. Nam quia Constitutiones, quo loco Præpositus Generalis decedit, vel in proximo (si fortè nullum inibi sit) domicilio Societatis declarari Vicarium, qui per interregnum præsit videtur edictum; id multis de causis, vt Romæ fieret, expedire ducebat. Solatio quoquè erat morienti futurum, inter tot filiorum preces, sacrificia, & quasi manus, supremum spiritum exhalare: ac præter communem sanctæ Vrbis religionem, mortalibus exuuijs eodem loco, vbi Ignatius, Lainiusque posuerant, relictis, indidem eos in cœlum, vndè præcesserant sequi. Itaque idipsum nominatim precatus erat à Deo, vt vitam sibi in sanctam vsque illam propagaret Vrbem: vel certè concederet Laureti deponere apud augustissimam cellam, in qua primùm ille mortalitatem induit. Huic religiosæ voluntati Ferrariæ Dux Alfonsus perdiu humanitate Principis, & cognati pietate reluctatus, ne fortè viâ malum irritaretur, tandem quia Medici non solùm consentiebant, sed magnopere etiam suadebant planè deploratam salutem, locique mutationem, ac præsertim Ferrariâ discessum non nisi ad spem pertinere affirmantes, potestatem abeundi fecit, prolixè additis quæcunque ad viæ, & morbi leuamentum pia liberalitas inuénit. Et sanè meliusculè factum ægro in viâ, quoad salutatâ Laureti magno sensu Deiparâ, & primo Saluatoris inter homines hospitio adorato, Maceratam peruénit. Tum demum, vt ad Vrbem appropinquare cœpit, morbus, tanquam diuinitus hucusque sustentatus, vehementer incubuit. Vbi Romana mœnia intrauit: Nunc, inquit, dimittis seruum tuum, Domine, lætus quòd in exhauriendis Christi Vicarij mandatis, & quarto professo-

25 P. Christophorus Rodericius destinatus ad classem contra Turcas.

26 Borgiæ vltimus morbus.

27 Romæ, aut Laureti mori cupit.

28 Laureti meliusculè habet

ſeſſorum exequendo voto, damnum vitæ feciſſet: & ſub ipſum portæ Flaminiæ ingreſſum iuſſâ conſiſtere lectică, pro foribus percelebris ædis Deiparæ, propè ſemihoram, coniunctis piè manibus, tacitus precés fudit: gratias in primis, vti verosimile eſt, agens, quòd eius tandem patrocinio vitam ad id loci retinuiſſet.

29 In ingreſſu Vrbis Deiparam per ſemihorâ exorat.

Accurrerunt ad complexum amantiſsimi Patris ex cunctis domicilijs Romani Socij: & quanquàm meſtiſsimum erat ſpectaculum videre morientem; tamen ſolatio erat recepiſſe adhuc ſpirantem. Ergo benedictione, plenàque indulgentiâ ab Gregorio, qui Tybure tum agebat, amanter impertitus, ac ſupremis rite communitus myſterijs, ad quorum ſolennes preces magnâ pietate reſpondit; biduo poſt, quàm Romam attigerat, noctem ſub mediam, ac potiùs aliquantùm iam inclinatam (quo fit vt ipſas magis Kalendas Octobris, qui fuit dies Mercurij, quàm pridie conſignandus ſit obitus) altero, & ſexageſimo ſuæ ætatis anno è vitâ ſolutus eſt, magnâ magnarum virtutum, præſtantiſque ſanctimoniæ famâ relictâ. Supremo tempore totus imminens, & anhelans in patriæ beatæ conſpectum, cupienſque cum Chriſto eſſe: ſi fortè, vt fit, nunquid vellet interrogaretur; vnico verbo reſpondens, IESVM, aiebat. Veniam erratorum ex Patribus ſubmiſsè poſtulauit: toti Societati rogatus, vt benediceret, ſiuit ab ſe impetrari: ijs, qui precabantur, vt in cœlo memor ipſorum eſſet; ſuauiter reſpondebat: ſi daretur illuc acceſſus; & ipſorum, & omnium memorem fore. Vicarium, quamuis multùm rogatus, Ignatij, Lainijque viam tenens noluit appellare, addens ſatis ſibi alioqui rationum eſſe reddendum rerum ſuarum. Indè duo, & viginti, qui tum fuerunt in Vrbe profeſsi quintâ feriâ congregati, Polancum, qui Maceratæ æger ſubſtiterat, cognito meliùs habere, iamque ad Vrbem appropinquare (vt ſtatim adfuit clitellario mulo in ciſtâ vectus) rite Vicarium ſuffecerunt. Nequaquàm latet me fuiſſe inter nonnullos rumorem, Franciſcum Maceratæ, dum vehementer inflaret Polancus, vt ille, quanquàm pœnè moribundus, trepidè in Vrbem deportaretur, accuſaſſe immoderatam hominis feſtinationem, ac prædixiſſe fruſtrà per eam rem Generalatum ſperare ſibi: ſed planè futilem, itemque rarum, ac languidum comperio rumorem fuiſſe, vt quem ipſi per ſe ſe ſpectatiſsimi, calumniæque minimè capaces redarguerent Polanci mores. Ortum apparet ex ſuſpicione vanâ, & prauâ interpretatione alicuius, qui Vicarium, ſi fortè Ferrariæ nominandus fuiſſet, Benedictum Palmium nominandum ſperaret. Ceterùm eximia Franciſci Borgiæ ſanctitas poſtulat, vt eius rerum, ac vitæ ſummarium vnum ſub aſpectum ponatur, more ſcriptoribus quoquè profanis vſitato. Nam Seneca controuerſiarum ſcriptor: Quoties, inquit, magni alicuius mors ab Hiſtoricis narrata eſt; toties ferè totius conſummatio vitæ, & quaſi funebris laudatio redditur. Anno ſalutis humanæ milleſimo quingenteſimo decimo, quinto Kalendas Nouembris primus ſtirpis, hereſque paternæ dominationis natus eſt, origine vtrinque clariſsimâ. Namque Pater Ioannes Gandiæ Dux tertius fuit è gente Borgiâ, quam ad id loci, præter alia decora, Summi duo Pontifices Calliſtus Tertius, & Alexander Sextus nobilitarant. Mater autem Ioanna Aragonia neptis Regis Aragonum Ferdinandi. Franciſcus vocatus eſt ex voto Ioannæ parentis, quæ præcipuâ Sanctum Franciſcum Aſsiſinatem pietate colens, ſacro eius ordinis cingulo periclitans in partu feliciter ſoluta eſt. Nec ſanè vacuum id ille nomen geſsit. Præſtantiam ſanctitatis prædixiſſe continuò viſa eſt auia Maria Henricia Aragonum Regis Ferdinandi patruelis. Hæc adoleſcentula Ioanni Gandiæ Duci ſecundò nupta; eodemque poſt ſuſceptos duos liberos Ioannem, & Iſabellam, viduata, annorum ætatis duodeuiginti, cùm Iſabella teneris in annis Deo ſe conſecraſſet in cœnobio Sanctæ Claræ, ſumpto nomine Franciſca IESV; vbi Ioannem, quem magnâ curâ, & pietate educarat, vidit patrem iam factum; in cœnobium ſequi filiam, vti iam diu meditabatur, decreuit: obſtantemque, ac remorantem filium, quòd ſuſcepti infantis vitæ diffideret, & multum rogantem, ne ſe ſe deſereret, donec pluribus, ac certioribus munimentis nixam Domum relinqueret, hoc affata ſermone dicitur: Nihil ſolicitus eſto: heres tibi non deerit: hic autem, qui

30 Occurrunt multi è Societate.

31 Mortis dies.

32 In morte geſta

33 Vicariũ renuit nominare.

34 Io. Polancus Vicarius Generalis.

35 Temeraria de eius ambitione ſuſpicio.

36 Borgiæ vita ſanctiſsima breui cõprehenſa.

37 Ortus, ac genus.

38 Nominis ratio

39 Prædictio eius ſanctitatis.

Digitized by Google

qui natus iam est, tantus apud Deum tibi patronus existet; magnopere vt nos Maiestati illi summæ ob tantum munus grati esse, & famulari impensiùs debeamus. Quam prædictionem non euentus modò firmauit, sed & eiusdem Mariæ Gabrielæ (hoc enim cognomen sanctimonialis optauit) cum singularis sanctitas, tum aliæ prædictiones. Ipsa quoquè Francisci ætas prima significauit, vbi esset conquietura maturior: sedata, facilis, verecunda, disciplinæ omni morum iuxta, ac literarum accomodata: cui pro crepundijs, religiosæ imagines, pro puerili negotio arularum extructio, pro lusu sacrificantium, & concionantium imitatio: cui, voluptati geniculatio frequens, catechismi memoriter, deque genu pronuntiatio, denique iteratio precularum. Parentem decennis amisit: tumque primùm ad impetrandam ægrotæ valetudinem, addidisse ad preces voluntariam sui verberationem fertur. Eodem anno ingens ipse periculum adijt. Nam inter tumultus, quo circa rebellantes populi concitarant, captâ, direptâque Gandiâ, ægrè fugâ seruatus est. Per quam occasionem Cæsarauguſtam præductus apud Auunculum Ioannem Aragonium sacrorum vrbis eius Antistitem aliquandiu mansit: grammaticæ, musicæque, item studijs equestribus operatus non sinè paribus incrementis ætatis, ac pietatis: adeo, vt iam tum acriter inciperet ad deserendum seculum stimulari, maximè commotus geminâ concione, alterâ de supremo iudicio, alterâ de Christi seruatoris acerbissimâ nece. Cæsarauguſtâ Bazam euocatus, quò multi propinquorum inter Gandiæ cladem euaserant; primùm ex morbo semestri periclitatus est, deinde ex terræ tremore, tam vehementi, ac pertinaci; vt sub dio quadraginta dies egerit in lectică, quæ pro tecto eadem, ac lecto erat. Sub hæc aulicæ militiæ rudimenta posuit Tordesillæ, apud Catharinam Caroli quinti sororem: quæ vbi in Lusitaniam abijt Ioanni tertio Regi collocata; Franciscus ad Auunculum Cæsarauguſtam redijt, annum iam quintumdecimum ætatis agens, & biennium in philosophiæ studijs, pariter in cælesti Philosophiâ proficiens, eximiâ diligentiâ posuit. Tum Gandiam reuersus non multo post tempore, nidum perosus, impetrauit à patre, vt in Caroli Quinti Imperatoris aulam Vallisoleti tum degentis concederet. Florentissima ætas annorum decem, & octo, species decora, splendidus comitatus, liberales, mirèque suaues adolescentis mores, in flore illo Procerum, velut in bono lumine gratiùs micuerunt: & ille sic humana cum diuinis miscuit, ac temperauit officia; vt spectandum proponeret pulcherrimum equitis, aulicique Christiani exemplum. Nullis deerat vsitatis aulicorum muneribus: sed vbi necessitas ad salutandas fœminas traheret; horrens cilicium applicabat corpori. Itaque hoc munitus præsidio, & alijs, quæ diligens adhibebat, illibatam ad nuptias pudicitiam detulit. Ludicra equestria haud sinè gloriâ celebrabat: aleam damnosam nec vsurpare, nec spectare sustinuit: ludos alios non nisi per quam rarò, ac modicè attigit, auocamenti duntaxat vice: & dicebat pretiosa ferè quatuor alea perdi, tempus, pecuniam, sensum pietatis, rectam conscientiam. Item ludos eiusmodi periculosos ab familiaribus suis, fœdos amores, procacia dicta, & quicquid est artium malarum arcuit. Vt nemini inuidebat ipse, obtrectabat nemini: sed gaudebat potius antecedentium præmijs, similia & sibi olim sperans: ita nec inuidos apud se, nec obtrectatores ferebat. Statas quotidie precationes, magnâ curâ, quotidie sacrificium, sanctioribus verò ferijs sacramenta frequentabat: magisque in dies auditione verbi diuini capiebatur. Oculos ergo ad se omnium, animosque illa humanarum laudum, & christianarum consensio (qualis gratia, cùm auro illuminatur, inest argento) rapiebat. Sed ante omnes Cæsari, coniugique Isabellæ probatus est. Itaque dum prænobili Virgini Eleonoræ Castriæ, quæ Lusitana ortu, Aluario Castrij, & Isabellæ Menesiæ Barrettæ filia apud Augustam agebat, conditionem quærunt; omnibus Franciscum suâ spontè præposuerunt. Eodem tempore Lombaiæ Marchio dictus est. Matrimonium fuit æquè sanctum, ac felix. Liberos quinque virilis stirpis, Carolum, qui postea in Ducatu successit, Ioannem, Aluarum, Ferdinandum, Alphonsum: fœminas tres, Isabellam, Ioannam, Dorotheam susceperunt.

40 Francisci optimæ indoles.

41 Puer periclitatur.

42 Profectus in pietate.

43 Caroli Quinti aulâ sequitur.

44 Aulicorum exemplar.

45 Pudicitiæ studiosus.

46 Quatenus ludis oblectatur.

47 Ludorum dãna assignat.

48 Omnium oculos & animos attrahit.

49 Matrimonio fungitur.

50 Filiorum nomina, ac numerus.

Digitized by Google

perunt. Franciſcus iam maritus ad Chriſtianam grauitatem multum adiecit. Paulatim ab alijs oblectamentis ad duo ſe maximè innocentia recepit: ad muſicam, & venationem, ſeu potius venaticum aucupium. Muſicen coluit virilem, ac ſanctam: nec ſolùm modulari vocem, & accommodare ad numeros; ſed & modos facere, & ſimphoniæ cantum deſcribere ſcitè norat. Et diu manſiſſe ferunt in templis titulo Gandiæ Ducis inſcripta cantica, quorum ipſe numeros compoſuerat. Ad venationem placendi quoquè Cæſari cura, qui tum totus erat in eâ, pellexit. Nam, vt ingenij ſordidi, & aſſentatoris eſt omnia Principum, etiam fœda imitari ſtudia; ita honeſtis obſecundare voluntatibus liberalis eſt animi, & ſapientis. Eandem Franciſcus ob cauſam diſciplinis etiam mathematicis curam impendit magnâ Cæſaris voluptate, qui ijſdem intentus, communicare cum eo, & retractare audita gaudebat. Sed venationem exercendi corporis gratiâ inchoatam, paulatim ad exercitationem animi (vt ſemper nouos pietati addebat gradus) erexit. Non modò libertas, quam ſolitudo per campos afferebat, & libera cæli ſpecies, & ingeſta oculis naturæ pulchritudo, atque varietas mirificè excitabant ad conſideranda cœleſtia, & æterna, auctoremque ex operibus cognoſcendum; ſed profitebatur poſtea ex ipſo venatu ſalutares animo ſuo cogitationes obortas. Venatio maximè erat per Accipitres, Falcones, Aquilas. Ergo animaduertebat ſapientiam Dei, ac poteſtatem, qui auibus illis tantum dederit leuitatis, ac virium, vt ſublimi volatu aciem intuentium fugiant: idemque tantum homini in res omnes dominatum conceſſerit, vt eaſdem ad ſe vocet, naturali libertate diſpoliet, manſuetas efficiat, ac velut ſatellites, aut milites ſuos ad aliarum capturam volucrum emittat. Vndè recordabatur, & reputabat illam primò hominum in omnia animantia, ante peccatum dominationem traditam. Alio tempore in ipſo volucrum certamine, in impetu, & quaſi arte ſequentis prædam, inuadentis, & conficientis accipitris, rabiem, & fraudes cogitabat Dæmonum animas dirè capientium. Sed præcipuè exercebat animum ad ſanctum quendam ruborem, ſuique deſpectum, cogitatione verſans, atque perpendens quàm exiguo beneficio fera volucris naturam mutet, condoceſiat, ad manum aſſueſcat hominis, eidem famuletur, commodoque, & voluptati ſit, quamuis vinciatur ab eo, & oculorum etiam lumine obiectis integumentis orbetur. Itaque talia ſecum agitans erubeſcebat, abijciebatque ſe, quòd manſueti animal ingenij homo, cùm nec alas, nec pedes, nec vllam vim habeat, per quam ſui Domini manum effugiat; tamen ſe ſe improbâ mente auferat, nec tam multa beneficia, & blandimenta cicurando, reuocandoque ſint ſatis. Cùm verò canem intueretur, quamuis rabidè eſurientem, & altè infixis dentibus, totoque immerſo roſtro prædæ deuorandæ inhiantem, ad vocem, aut ſibilum Domini continuò abſterreri, atque abſiſtere; enimuerò deplorabat peruicaciam mortalium, qui cùm vehementiùs appetitum aliquid in poteſtatem redegerint; nullis Dei vocibus, nullis pollicitationibus, aut minis abſtrahi, auellique poſſunt. His cogitationibus venationes, & aucupia Franciſcus in orationem verterat: illud quoquè interdum re, quàm dictu maius adijciens, vt cùm iam iam falco inuolaturus, & vngues, roſtrumque infixurus in hoſtem eſſet, (in quo ſumma ſpectaculi gratia ineſt) declinaret ipſe, vel auerteret oculos: & queſitâ ſe ſummis laboribus voluptate fraudans, eam virtuti donaret, cæleſtium luminibus ſpectaculum de ſe præbens tantò iucundius, quantò pulchriore ſe ipſe victoriâ, quàm volucris volucrem ſuperabat. Sub idem tempus ex graui quoquè tertianâ ad robur animi multis modis profecit. Nam planiùs experiendo, reputandoque cognouit imbecillitatem humanæ vitæ, quàm tenui pendeat filo, quàm caduca ſit, & omnia ſubſidia Terræ, Principum beneuolentia, ac ceteræ opes quàm fruſtrà ſint, niſi ſuſtineat Deus. Deindè in æſtu febris flammarum infernarum acerbitatem, & ignis purgatorij cruciatum æſtimans, non modò æternas damnatorum pœnas exhorruit, ſed etiam animas, quæ purgarentur, ita miſerari cœpit; vt indè ſit orta illa, quam deinceps ſemper obtinuit, auxitque eas iuuandi ſedulitas. Denique eodem tempore profanorum librorum lectione

51 Muſica delectatur.

52 Et venatione.

53 Et mathematica.

54 Venatione ad pietatis exercitationē vtitur.

55 Dæmones venaticis auibus ſimiles.

56 A feris grati eſſe docemur.

57 Et Deo obtēperare.

58 Inſignis Borgię ſui victoria in venationis guſtu.

59 Ex morbis mūdi fallacias percipit.

60 Ex æſtu febrili purgatorium ignē æſtimat, tortiſque animabus miſereri diſcit.

Digitized by Google

61 Libris spiritualibus delectatur.

prorsus abiectâ, piorum inchoauit, qua magnopere tenebatur, præsertim noui testamenti. Id iam conualescens, etiam cùm ad exercendum gestaretur per agros, summâ voluptate lectitabat, insistens locis, atque sententijs acrioribus, & ad mores ferè spectantibus, quas clauso codice aliquandiu reuoluebat animo: atque illud aiebat primum sibi rudimentum meditationis fuisse, vndè postea ad celsissimum fastigium contemplationis ascendit. Indè Carolum sequutus ad bellum, quod is in Prouinciâ gessit, seculi eius anno trigesimo sexto: cuius perpetrato delectus, qui res gestas Augustæ nuntiasset, nouos ad virtutem stimulos habuit ex anginæ morbo, quo prope confectus Segobiæ est: quanquàm iam minùs mortem pauebat: vt qui sacramenta (rem ea tempestate raram) singulis mensibus iterabat. Biennio indè post Isabella Augusta decessit, cuius mortem suum appellare natalem Franciscus solebat. Nam idem delectus à Carolo, qui corpus Granatam in auorum Regum sepulchrum deueheret: vbi deuectum traditurus de more fuit, patefactâ arcâ, deformatum adeo reperit; vt minimè agnoscens, nequaquam solenne concipere iusiurandum ausus sit, affirmans illud esse: sed id tantùm iurauit, credere se, certumque habere, pro curâ, fideque, qua deportatum, & custoditum erat, esse cadauer Augustæ. Ingesta repentè oculis tanta fœditas, pariterque cum eâ cogitationi prior species, ac venustas recurrens, ad hæc pompa simul omnis, ac scena pristinæ felicitatis oblata, iam euersa, extincta, exinanita, tam acriter percussit, tamque altè penetrauit in animum; vt continuò decreuerit, nihil ampliùs vllius pretij ducere periturum: nulli post hæc obsequia sua Domino mancipare, quem eripere posset mors: sed ad mansura totus bona conuerti, atque ad immortalis Domini famulatum per labores quosuis, ac dolores eniti. Adfuit nimirum potentissimus diuinæ gratiæ radius, qui totum ita peruasit, vertitque, & roborauit; vt fixa eo momento consilia nullo vnquam deinceps, quoad vita per tres, ac triginta annos mansit, debilitata euentu, fortiùs semper, ac fortiùs inualuerint. In hoc æstu dum deplorat amissa tempora, dum peritura, atque æterna inuicem comparat, dum Deo se penitus tradit, ac dedicat insomni traductâ nocte; postridie Magistrum Ioannem Auilam audijt, qui inter exequias Augustæ de fallacijs humanæ vitæ, deque eorum miserandâ fatuitate, quos ab solidorum bonorum æternitate hæc inanium leuis vmbra auertit, ac deijcit, ad Francisci sensum tam aptè dixit; tanquam suspiria eius, atque deplorationem nocturnam audisset, & cor in conspectu habens, iacula in id vnum certâ manu dirigeret. Itaque vehementer eâ confirmatus oratione, domum accito Auilâ, & sua ei consilia familiari colloquio exposuit, & cohortationem, & monita, ab intelligente, ac pio magistro accepit peropportuna. Acceſſere, tanquam defigendo penitus clauo, amitæ literæ Franciscæ IESV, quam supra memorauimus puellam, olim in Sanctæ Claræ Cœnobium, quod hac tempestate regebat, Gandiæ se abdidisse. Literarum sententia hæc erat. Ego, fili mi, quo die conuersus es, cœlesti sponso, pro tuâ corporis, sed multo magis animi salute supplex instabam: vidique te ad Christi pedes abiectum, pro fletu, & gemitu peccatorum veniam exposcentem: & ipsum pariter vidi Dominum suam tibi diuinam porrigentem dexteram, leuantemque, & consolantem pollicitatione opis suæ. Agito illi gratias, vt ipsa quoquè ago, & accuratiùs, amantiùsque, quàm à me fit, cura, vt ei seruias. Quibus ex verbis intelligi licet, & parenti, & filiæ, ideſt Mariæ Gabrielæ, de qua item supra narratum est, quæ iam hoc tempore vitæ cursum sanctè confecerat, & Franciscæ eius filiæ, sanctitatem Francisci diuinitus præmonstratam. Qui demum summam consiliorum ineens, hæc apud se statuit: primo quoque tempore ab aulâ domum secedere, quò tranquilliùs, atque expeditiùs sibi, Deoque viueret. Quòd si fortè coniux præmoreretur; tum se nuditatem, & opprobrium Crucis toto animo complexurum: siquæ ætas ferret, etiam in sacrarum familiarum aliquam transiturum: quod concepto voto spopondit Deo, ac finxit, annum agens ætatis vndetrigesimum, ennatis seculi anno trigesimo nono, cùm primùm Summo Pontifici Societatis fundandæ Institutum oblatum est, & ab eo

62 Isabellæ mors Borgiæ patalis fuit.

63 Totus ad Deũ conuertitur.

64 Confirmatur amitæ literis.

65 Voto se obstringit arctioris vitæ ineundæ.

Digitized by Google

ab eò laudatum. Granatâ reuersus in aulam noua omnia, ac prorsus aliam, ac reliquerat, sibi videre rerum speciem videbatur. Nempe alios ipse retulerat oculos. Instanti ab Carolo, bonâ vt eius venià secedere Gandiam liceret; negato secessu, Catalauniæ administratio Proregis nomine demandatur. Cæsareis in literis ea nominatim expressa causa, quòd illa procuratio semper virum, sed id maximè loci requireret, cùm grassatores ita vi, numeroque inualuerant; vt nihil cuiquam vspiam tutum: non vijs, non in agris, pagisue, aut oppidis, magnam iam partem sublatis commercijs, reliquum fieret. Administrauit eam Prouinciam annos circiter quatuor ex lumine recèns hausto diuinitus: vitamque egit ex regulâ, ac normâ, quam sibi nouam proposuerat. Ante omnia latrones, & grassatores, qui, vt dictum est, omnia infestabant, sustulit: tantâ cum approbatione Cæsaris; vt de eâ re, gratias ei per literas egerit. Et sanè ita rem Franciscus ab initio capessiuit commiseratione publicæ calamitatis, vtque scelera, quæ tam multa, atque atrocia assiduè patrabantur, intercideret; vt non dubitarit ipse met aduersùs quinque, & quadraginta, qui turrim insederant, proficisci: negans vnquam vllam sibi prioribus annis venationem æquè iucundam accidisse: quòd hîc sibi non hominum, ac belluarum vis, & ars; sed iustitia Dei, velut comes, atque satelles venanti adesset. Nec tamen non ex intimo sensu pereuntes noxios miserabatur: quin etiam solitus erat, de quibus supplicium sumeretur, non modò curare, vt quamoptimè præparati vltimam necessitatem subirent; sed etiam vt tricena iuuandis singulorum animis sacra fierent: vt nec finis optabilior perditis hominibus, nec exequiæ possent contingere honestæ magis, ac salutares. Aduigilauit, vt ius rectè, tempestiuèque diceretur: faciles, & expediti omnibus tempore quocunque patebant aditus. Aures, & animum summâ clementiâ, & commiseratione miserorum calamitatibus commodabat: parique patientiâ, & lenitate ineptias deuorabat impotenter, & rusticè quiritantium. Si fortè opulentorum quispiam debitam pauperibus pecuniam differret exsoluere; repræsentabat de suâ: tum ex debitoribus exigebat. Discentium scholas spectari iussit, ordinauitque. Rem militarem studiosè curauit. Mœnia inchoauit vrbis ex eâ parte, quæ in mare spectat, & primarium ipse lapidem propugnaculo Sancti Francisci posuit, quod eâ tempestate ædificatum est totum, vnà cum longo murorum tractu. Annonæ, quæ arctissima erat, aduecto ex alienis prouincijs frumento, prouidè consuluit. Subleuabat egentes, præsertim è lautiore fortunâ lapsos. Virginibus orbis conferebat dotem ad nuptias. Sacris cœnobijs succurrebat. Nemini non solatio, ac leuamento erat: magnopere intentus, vt publica, & per exemplum quoquè nocentia scelera deleret. Quòd si quid grauius committeretur; angebatur acerrimè, plurimùm metuens, ne per incuriam accidisset suam: nec partem capiebat quietis, donec quicquid posset remedij non admouisset. Porrò, ad virtutis suæ profectum, cùm induxisset animum iudicia humana, susurrosque leuium capitum despicere, & hoc velut fundamento posito, omni posthabito mundi respectu, palàm, atque apertè profiteri Christi discipulum; dedidit se impensissimæ meditationi, precationi, & contemplationi: tam indulgenter affluente diuinâ suauitate; vt, cùm horas interdum quinas, senasuè cœleste illud protraxisset negotium, lachrymis perfusus dulcissimis; demiraretur, & gratias Deo summas ageret, quòd lapideum sibi cor in carneum commutasset, petramque, & rupem conuertisset in stagna, & fontes aquarum. Quin etiam blandissimæ illæ diuinarum rerum imagines ita rapiebant ad se, ac tenaciter vinciebant; vt ex oratione digredientem, deterior tantùm sui pars sequeretur: & animo residente in cœlo, corpus propemodum solùm humanis actionibus interesset. Ad hæc, quò & tempus tractandis cœlestibus lucraretur, & quicquid per epularum peccasset abundantiam vt abstinentiâ lueret, simulque corporis vt castigaret obesitatem; cœnâ sibi in totum interdixit. Tum in dies vltra progrediens, cùm per quadragenaria ieiunia, nihil ad panem, & aquam, nisi coctas herbas, aut leguminum aliquantum duobus annis absque valetudinis noxâ adhibuisset; subijt voluntas totum annum eiusmodi inediam con-

66 Prorex Catalauniam sanctissimè administrat.

67 Grassatores ipse met inuadit.

68 Venatio optima.

69 Caritas in supplicio afficiendos.

70 Omnes promptè, ac benignè audit.

71 Debita solui curat.

72 Rem militarem non negligit.

73 Egenis subuenit.

74 Iniquorũ scelera dolet, ac delet.

75 Meditationi vacat, ac precibus.

76 Abstinentia se macerat.

Digitized by Google

continuandi, & continuauit. Eâ pœnâ corpus maceratum, & quasi limâ extenuatum sic est; vt è torace prioris anni iam laxitatis dimidium superaret. Cilicia, flagella, vigilias, alia tormenta superaddebat inediæ: studiumque assiduum suis voluntatibus aduersandi planè vltra communis prudentiæ modum. Ita scilicet suæ gratiæ vires prodere amabat Deus, & incubantem mortalium plerisque torporem compungere. Nihil tamen Franciscus non vsitatum viris sanctis, nihil prudentibus inconsultis suscipiebat: quorum præcipui fuerunt Prædicatorum ex ordine viri singulares Ioannes Mico, & Thomas Gusmanus. Incurrebat maximè in hominum oculos, & linguas, & religiosis quoquè viris dubitationis non parum afferebat Sacramentorum celebritas, quæ iam Dominico quoquè die, & sanctioribus alijs instaurabat. Per ea tempora cùm Barcinonem Antonius Araozius ab Vrbe veniisset, confirmata iam Pontificiâ auctoritate Societatis secum ferens diplomata; lætus Franciscus totam ex eo rem cognouit, & literas ad Ignatium scripsit simul gratulans tanti effectum operis, simul interrogans in mysteriorum diuinorum vsu, quid ponendum sibi temperamenti ipse censeret. Hæc prima cum Ignatio, cumque Societate commercij exordia Francisco fuerunt. Sed illa frequens diuinorum tractatio, precationisque, & asperitatis insueta ei personæ consuetudo, quæ prestigijs interdum Satanæ vacare non solet, quàm benè fundata esset; illustriore, atque adeo indubitato compertum est argumento. Crucis Domini inuentæ dies anniuersarius Barcinone præcipuâ celebritate, & gratulatione colitur. Eo die prima omnis nobilitas virorum æquè, ac fœminarum solebat in Prætorium conuenire. Ergò quò puriùs, atque liberiùs hilaritatem sacri diei vsurparent, optarunt matronæ principes, & à Prorege institerunt, vt ex animi sui sententiâ solæ cum Proreginâ eum diem, omni virorum interuentu excluso, agitarent. Quod ita Francisco probatum est; vt libenter custodis quoquè, ac ianitoris munus, quod deferebatur in se se, reciperet. Eo munere dum fungitur, ecce tibi Procerum quidam præcipuæ claritudinis per eos fortè dies Barcinonem aduectus, in Prætorium aduenit, & ad Gynecæum rectà contendit; modestèque repulsus, quòd eum diem ab arbitris, & interuentoribus liberum Dominæ exoptassent; vehementiùs, quàm creditu facile sit, excanduit; repulsamque eiusce modi contumeliam non ferendam interpretans, vociferansque, sibi vbique semper, & in Regiâ ipsâ, atque Cæsareâ penetraliâ aditum patére; tandem furens audaciâ barbarâ, pugionem stringit, admotoque Proregis pectori: Profecto, hic, inquit, aditum, si aliter non inueniat, faciet. Prorex, tam inopinato casu, grauique discrimine deprehensus, nihil tamen est perturbatus: animum suum, & quamuis iustam iram, habuit in potestate, placidèque, nec sinè maiestate christianâ: Quid à me, inquit, Dominæ postularint, quidque ego susceperim officij candido, bonoque animo declaraui. Quandoquidem id excellentiæ tuæ adeò ægrè est; consilium mihi nequaquam est aditu prohibere. Non enim, neque Dei, neque Cæsaris rationes, & gloria ferunt, vt hîc ambo causâ leuissimâ pereamus. Quo dicto auertit se, & expeditum reliquit ingressum. Nec posteà persequi iniuriam voluit. Quin potius laborauit, ne temerarium facinus, & violata Maiestas impotenti homini apud Cæsarem fraudi esset. Hoc ergo, si vllum tempus, ostendit, quàm firmo nixa fundamento esset Francisci religio. Non enim potuit violentior turbo, sæuiorque tempestas in animum nobilem, & honoratam personam ingruere. Patuit enim indè sanctissima Christi Domini instituta, quantò ad veram gloriam, & humanas quoquè opes opportuniora sint, quàm seculi peruersa dictata: sapiens enim Francisci clementia & maximam in præsens ab omnibus, ac potissimum ab Imperatore laudem retulit, & à posteris cum admiratione prædicabitur: cùm, si voluisset aliam viam insistere, haud dubiè duas gentes, familiasque peramplas coniecturus in angustias inexplicabiles fuerit, & cum magnâ etiam partium strage funditus perditurus. At verò stolidam alterius ferociam nemo vnquam non iurè vituperabit, ac detestabitur. Percepit etiam ex eo facto miles egregius ab Imperatore cælesti tantum liquidissimæ, & sanctissimæ voluptatis; quantum ante nun-

77 Corpus vexationibus torquet.

78 Animæ moderatoribus paret.

79 Sacramenta frequentat.

80 De Societatis Instituto Sancto Ignatio gratulatur, & eundem cõsulit de Sacramentorũ frequentia.

81 Iniuriam æquo fert animo.

82 Borgiæ virtus firmissima.

nunquam acceperat. Exempto post hæc humanis parente Ioanne Duce, cùm Ducatus ad ipsum peruenisset; enixis precibus ab Augusto impetrauit Gandiam secessum: quò vbi peruénit; sedulò circumspectans ecqua re communia possent augeri commoda; Nosocomium instaurauit, instruxitque: & oppidum ipsum, quod, vt maritimum, periclitari per æstatem ex prædonibus Mauritanis solebat, diligenter communijt, æneisque bombardis firmauit, magno sumptu: quò, & securi agitarent oppidani, & agrestibus paratum in discrimine perfugium esset. Sub ea ædes quoquè amplificauit Ducum: & Lombaiæ Cœnobium Prædicatoribus, Collegium Societati Gandiæ condidit, benignèque censu, & instrumentis diuini cultus ornauit. Tribus ferè annis religiosissimè in Ducatu exactis, seculi anno quadragesimo sexto, ad maiora conanda, coniugis expediuit, & quodammodo emancipauit exitus. Pro dubiè ægrotantis salute vehementiùs in preces intento vox interior audita: In manu tua est, vt supersit: ceterùm sic habeto, è re tuâ vt supersit nequaquam esse. Quæ fuit adeo certa vox; vt affirmarit postea, dubitare se nihil potuisse, quin à Deo accidisset. Itaque modestè confusus ob electionem indulgentiâ sibi tantâ permissam; ipsum rogare Dominum institit (qui, sicut nouit, ac regit omnia, ita quid cuique expediat & præcognitum habet, & præstitutum) vt in eâ re, ac ceteris omnibus ad suum prorsus arbitrium de se se consuleret: continuòque ita procubuit, ac desperata est salus Eleonoræ; vt pijs dumtaxat placaminibus, quæ Dux omnium generum studiosissimè offerebat, sustentata adhuc videretur. Liber matrimonij nexu, suusque iam totus, repræsentare non distulit, quòd, nuncupato iam pridem voto, promissum diximus. Ergo ad perfectionis aliquam scholam, & ad obedientiam processurus, quanquàm ad Sanctum Franciscum præcipuo studio ferebatur, & ex eius ordine religiosissimo viro Ioanne Texeda vice magistri plurimùm vtebatur; tamen multâ deliberatione Societate delectâ, ei se votis simplicibus anniuersario Dominicæ Ascensionis solenni, quod in Maij decimum diem incidit, dedicauit. Maiora deinde eiusdem vota paulò post sesquiannum pridie Purificationis Deiparæ (consentiente Pontifice, vt in Ducis cultu, ac potestate, quoad liberorum firmaretur ætas, in quadriennium permaneret) Hispanicis concepit verbis, formulâ tali. Ego Franciscus Borgia Dux Gandiæ, peccator abominandus, idemque Domini vocatu, & hac professione indignus, vnâ fretus, quam mihi nunc adfuturam spero, Domini huius benignitate, solennia paupertatis, obedientiæ, & castitatis vota, secundùm Instituta Societatis, voueo, ex beneficio ad me ab Ignatio Præposito Generali misso. Quam ad rem precor Angelos, & Sanctos Cœli, vt patroni mihi, ac testes sint: idemque peto ab Magistro Andrea (Ouiedus erat) & Magistro Francisco Honofrio, & Magistro Saboia, & à Fratre Ioanne Texedâ, qui præsentes interfunt. Gandiæ, Sancti Ignatij die Kalendis Februarij, salutis anno millesimo quingentesimo quadragesimo octauo. Vbi primùm ad Societatem applicuit animum, notabile illud euénit. Septem deinceps continuos dies inter preces vidit sublimem in aëre, suoque imminentem vertici nobilem tiaram: metuensque ne Ecclesiasticorum id argumentum honorum esset; magno rem angore deprecabatur. Denique septimo die anxium cor in has preces effudit. Obsecro ne irascaris, Domine Deus meus. Vltra sustinere iam nequeo. Nisi id abfistit, perpetuamque mihi paupertatem, atque in Religione perseuerantiam polliceris; recipio, ac spondeo, nunquam me Ecclesiasticæ militiæ daturum nomen. Nam periculosius hoc habeo portenti, quàm quod amoliri iam molior. Quibus dictis extemplò tiara, & omnis indè timor euanuit. Vtrum à Deo species fuerit offerente honores, si acciperet, an Satanæ siue terriculamentum ab Religione eo metu arcentis, siue blandimentum ad illiciendam, deprauandamque rectam mentem; pro arbitrio quisque interpretetur. Franciscus postea, tum, cùm Generalis est creatus, significauit prodigium exitum habuisse. Rebus domesticis magnâ sapientiâ, ac pietate compositis, interimque ex Ignatij nutu Theologicis ipse doctrinis imbutus, Romam Anno Iobelæi quinquagesimo venit, etiam nunc Ducis orna-

83 Condonatam à Borgia iniuriâ diuina dulcedine remuneratur Deus.

84 Borgia Gandiam secedit, & cum laude Ducatum gerit.

85 Vxoris ægrotantis vita in Borgiæ manibus à Deo ponitur.

86 Vxoris mors.

87 Io. Texeda è S. Francisci familia Borgiæ Magister spiritus.

88 Borgia Societatis simplicia vota primò emittit, deinde maiora.

89 Emissis votis in Ducatu permanet.

90 Votorum formula.

91 Votorum testes.

92 Post initâ Societatem tiarâ videt in aëre sibi imminentem.

93 Vouet Ecclesiasticas dignitates renuere.

94 Romam venit.

Digitized by Google

ornatu, veneraturus Apostolorum limina, seque coram Sancto Præposito traditurus. Indè reuersus in Hispaniam anno proximo, religiosum induit cultum, & sacerdotio consecratur. Tribus post annis creatus Hispaniæ, & postea Indiarum quoquè Commissarius ab Ignatio; in eodem munere sub Lainio quoquè perseuerauit, vsque ad annum seculi sexagesimum primum: quo anno, vt à graui vexatione liberaretur, vocatus à Pontifice in Vrbem, bis Societati Vicarius præfuit: primùm vbi Lainius in Galliam, & indè ad Tridentinum Concilium abijt: iterum vbi idem è vitâ decessit. Quæ cùm suis locis explicata sint fusiùs in annalibus nostris, itemque proprijs voluminibus descripta extent; hactenus delibasse id loci satis fuerit. De percultis in Religione, perfectisque virtutibus, rerum potius, quàm temporum ordine æquum est aliqua subnectamus. Fuit vita viri absoluta vndique, & consummata cunctis Religiosorum ornamentis, ad eximiam perfectionem exaggeratis: fragilium contemptu rerum, studioque paupertatis, maceratione corporis, diuturnâ precatione, contemplatione celsissimâ, sed in primis infimâ animi submissione mirabilis. Namque, vt grandis natu, ex opulentâ, ac delicatâ fortunâ, non leuiter degustatis illecebris seculi, dein planè earum inanitate compertâ, gradum ad solida euangelij bona fecit; nouum vitæ genus excelso, ardentique animo, prout eam ætatem, amplitudinemque tum generis, tum ingenij decebat, arripuit. Cùm à puero Sanctum Franciscum Assisinatem, cuius, & nomine excitabatur, singulari animi propensione coluisset, eiusque vitæ seueritatem suspexisset, nactus deinde etiam, quem paulò ante memorauimus, Ioannis Texedæ consuetudinem, non absimilem Seraphico Patri austeritatem, totiusque disciplinæ tenorem instituit. Principiò maximè incubuit eò, vt ædificij, quod in summum euehere perfectionis euangelicæ culmen meditabatur, altissima iaceret fundamenta humilitatis. Itaque huc meditationes, & precationes, huc piorum lectionem librorum, huc sermones, huc denique curas conferebat omnes: quicquid ad oculos, quicquid ad aures accideret, quicquid ageret, vbicunque versaretur, vndecunque occasionem, ac materiam abijciendi sese, ac demittendi captabat. Quarum rerum præclaras quoquè, & perutiles etiam num homo de seculo obseruationes, & exercitationes scripsit, in duobus maximè libellis, qui piorum in manu sunt, quorum alteri Opera Christiani, alteri Collyrium est nomen. Plurimus ignium infernorum cogitatione consistebat, cùm diceret illic omnino habitandum aut viuis, aut mortuis. Proinde descenderent in infernum viuentes, qui nollent descendere morientes. Cùm verò se, tanquam ex inferis ereptum, reputaret; nullum vsquam locum aiebat esse, qui sibi non ruborem deberet afferre: ideoque rogabat Dominum, vt in omni loco dominationis eius daret sibi confundi, tanquam vbique benè, commodèque vitra merita haberet. Quoniam etiam nequaquam, vt Sanctus Stephanus, dignus esset, qui videret cœlos apertos, vt videret apertos inferos precabatur. In sermone, quem feriâ quintâ maioris Hebdomadæ Septimanæ ad Nouitios habuit, sex annis, dixit, ad Iudæ pedes se, vt sede aptissimâ sibi, constitisse: at eo die, cùm ibidem Christum Dominum inueniisset illos abluentem, & tergentem, & osculantem pedes; omnino sibi nusquam rerum locum relictum. Ex hac perenni exercitatione, vt peramæno erat ingenio, & est amor acutus; promptè omnia ad sui contemptum, & cum quadam venustate deriuabat. Ita sæculi anno quinquagesimo cùm solemni Ducis Pompâ Romam ingrederetur, obuiam missis, vt fit, vacuis Cardinalium mulis: Nunquam Romæ factum occursum aptiorem dixit, quoniam bellua exciperent belluam. Ita Vallisoleti, cùm primùm religioso in habitu apparuit, accurrente ad spectandum populo; Burtamantio comiti insusurrauit, videri homines, tanquam ad nouum Elephantis, aut immanis feræ vinctæ conspectum accurrere: Nec dubiè, inquit, nisi Religionis hoc amictu Deus, quasi catenâ vinxisset; omnes ego bestias feritate superarem. Ita in Lusitaniæ vrbe Portu, cùm allatum dono mactatum iam suem ipse, qui tum fortè Ianitoris explebat vicem, humeris exceptum per multos, angustosque gradus in sublime cel-

93 In Hispaniam redit, & religioso habitu, ac Sacerdotio decoratur.

96 Hispaniæ, atque Indiarum Commissarius ab Ignatio creatur.

97 Societatis bis fuit Vicarius.

98 Perfectior eius vita in Societate.

99 Humilitas summa.

100 Inferorum cogitatione infestior.

101 Scite dicta ex humilitate.

Digitized by Google

cellam silentio subuenisset, mirantibus postea id factum Patribus: Quid mirum, inquit, porcus vt porcum ferat? Eâdem solertiâ & aduersùs Dæmonem vtebatur. Inter meditandum ex rebus omnibus erubescendi, seque postferendi causam sumanti, accidit vox ad aures: Erubesce etiam ex me: quam intelligens Satanæ esse: faciam omnino, inquit, ac meritò: nam ipse, ob superbiæ crimen vnicum, amisso Deo, Infernis ardes ignibus, & æternùm ardebis: ego verò, qui tam multa in Dominum meum commisi, nec dum vror. Nec rarò postea, ad excitandum in sese pudorem, comparatione eâdem vtebatur. Alio tempore strepitu eiusdem in conclaui audito: Benè est, inquit, quòd consortionem meam non refugis: ad eandem iam diu mensam, ex lance eâdem vescimur. Idem hostis in Nosocomio versantem dicitur humanâ specie admirabundus increpuisse, quòd is vir inter eas quisquilias agitaret: cui Pater: Amplius ego demiror te, qui superbus adeo cùm sis; congressum meum, tam vilis, ac scelerati capitis non exhorreas. Inciderat sermo Methymnæ Campi de Energumeno, quem Pater recitans Euangelium Sancti Marci, statim vt pronuntiauit ea verba: In nomine meo Dæmonia eijcient, dicebatur liberasse: ad quem ille sermonem rubore perfusus: Faciamus ita sit, inquit: quid porrò mirum fuerit, si diaboli iussa cùm toties ego fecerim, ille semel fecerit mea? Alio tempore dixit: Fortasse, non vt hostem, sed vt generis eiusdem negotiatorem fugerit: quod vulgò aiunt, figulus figulum. Iuuat, & quantâ sui contemptione loqueretur in literis specimen afferre. Ad Patres, Fratresque Lusitanos Ognato scribens: Simon, inquit, vester, ac meus Pater, qui viua epistola est, melius enarrabit, quod ad hunc vestrum pertinet indignum, atque minimum fratrem. Minimum dico, quia quicquid ipse est proximè accedit ad nihil. Nam ceteroqui satis video in sanctâ humilitate, me haud mereri minoris nomen, quin potius maior sum, vti fuit Cain: quia ego ille sum, qui Abelem occidit, in quo accepta sunt sacrificia. Maior item sum, vti fuit Esau, qui fuit venator: ego verò non solùm fui venator ferarum; verùm et am animarum, irretiens eas, capiensque Diabolo. Denique non sum minor vti Beniamin: verùm sum ex fratribus maioribus, qui Iosephum vendiderunt. Hæc loquor, in Christo charissimi, quò misereamini vestri fratris, tantoque enixiùs rogetis pro eo Dominum, vt velit ita minimum esse, vt adnumeretur in minimis Regni Cœlorum. Decimo quarto Kalendas Iunias, Domini anno millesimo quingentesimo quinquagesimo primo. Franciscus peccator. Sic enim subscripsit literas, quoad admonitus ab Ignatio est, vt ad morem communem seruens animi studium in actionibus conspicuis inclinaret: ex eo tamen austeriore spiritu plurimùm retinuit semper. In rerum creatarum vsu quotidiano, si quid commoditatis afferrent, indè ruboris capiebat materiam, quòd Christum Dominum, & Sanctos eius aliter accepissent: vt culter lapideus, Crux, & claui Dominum, ignis Laurentium, Stephanum lapides, Sebastianum sagittæ, alios alia. Sin autem se quoquè malè acciperent; gaudebat, quòd Sanctorum conditione aliquâ dignaretur. Aiebat quoquè nullum esse tempus, quo non deberet cum verecundiâ sibi vilescere, ob nouum onus vel grati animi, si rectè quid faceret, vel supplicij, si perperam. Cum quibusuis ageret, ita agebat; vt sese inferiorem gereret pristinæ dignitatis indicijs, quæ interdum, vt ab incunabulis insita, vel non sentientes sequuntur, prorsus ex ore, ex vultu, habituque toto abrasis. Eò tantùm interdum Ducatus meminerat; vt quoniam certa fiebant sacrificia pro ijs, qui fuissent Gandiæ Duces; se quoquè inter eos, hoc est inter mortuos numeraret. Deinde, vt gratias Deo ageret, quòd aditum in Societatem indè expeditum inuenisset: nihil alioqui in sese agnoscens, quare fuisset recipiendus. Postremò patiebatur interdum à comite nominari inter vias, cùm faciendi sacri facultas aliter non daretur. Tum enim comiter aiebat, tempus esse secularis potestatis auxilium implorandi. Denique vt nihil magis, quàm infimum quemque vbique locum petijt; ita nihil pertimuit magis, quàm cùm de se ornando purpurâ agi cognouit. Ex infimâ illâ sui opinione, summâque despectione, haud minor vexandi corporis ardor, nec minus impensa cupiditatum

102 Eius literæ sui cõtemptu plenæ.

103 Rebus creatis ad animæ profectum vtitur.

104 Omnibus se postbabet.

105 Sæculares titulos non admittit nisi ad spirituale lucrũ

106 Vexatio corporis, ac mortificatio.

tum frangendarum cura oriebatur. Amicos vocitabat, & adiutores quicquid ad mortificationem prodesset. Si feruor, aut gelu, aut imber: si podagra, dolorue alius: si quis aduersariorum gnauiter exerceret; mente, ac fronte compositâ aiebat: Quàm bellè nos iuuat amicus! Cum quadam etiam veneratione excipiens, vt satellites summi Regis, quibus vllâ ratione obsistere nefas esset. Cogitabat frequenter quid animi foret homini, si fortè catenâ eâdem cum truci leone colligaretur. Haud enim dubiè precaretur ex omnibus, & flagitaret vnum è tribus: vt vel mactarent bestiam: vel fatigarent, domarentue verberibus: vel certè exoluerent. Quòd si baculum ipse nanciscereturquàm sedulò ad sui tutelam retineret, & nunquam manu deponeret! Tales aiebat esse nos cum vetere homine copulatos. Itaque in persimili timore semper, & custodiâ vigilandum, & auxilia postulanda, & habendum semper in manibus Crucis baculum. Stultissimè autem facere, qui ad iniurias, & contumelias, & alia veteri homini

107 Hominis veteris, ac noui colligatio.

108 Diuinorum beneficiorũ cognitio.

parùm grata commoueantur, & nolint suum leonem attingi. Quòd si magnum quid fuit Danielem paucis diebus inter leones seruatum; quantùm, inquit, donum Dei est, quòd tandiu me, qui non Daniel, sed peccator sum, ab huius leonis faucibus liberarit! & famæ periclitanti non mortales per Prophetam, & Angelum semel; sed cæleſtes escas per sese toties ministrarit! Geminum erat illud: si quem serpens, aut draco immanis horrendo hiatu assiduè appeteret iam iam voraturus; quid is deberet ei, qui exitiale monstrum nunquam cessaret percutere, & continere, nec apprehendere prædam sineret? Id nos, multoque ampliùs debere Christo, ab Dæmonis nos, ac deprauatæ naturæ rabie perpetuò vindicanti. Aliàs sese contuebatur in ardente fornace, vt olim Babylonij pueri, constitutum, quam assiduè Dæmones, & cupiditates inflammant: & statuebat non secus atque illi faciebant, habendum semper in ore: Benedicite. Interdum videbatur sibi videre hominem inimicorum cinctum coronâ, cui crudelissimè, & petulantissimè insultarent; & alias super alias plagas nunc hi, nunc illi, sine vllo fine ingererent: quæ species commiserationem cuiuis barbaro commoueret. Talem aiebat se esse inter dirissimos, ac procacissimos inimicos, ideſt suas perturbationes, & hostes infernos. Quibus cogitationibus præmunitus, quicquid molesti accideret non solùm pacatè; sed & suauiter perferebat. Non semel euénit deterrimè vt conditos cibos per imprudentiam oblatos à Fratribus, ita sinè offensione caperet; vt probaret etiam, & laudaret. Et Bustamantio interdum quærenti, quî talia posset laudare; cum gemitu respondit: Ah Pater, si inferna gustasses! Veniam verò poscenti Nouitio, qui oluscula ei præcipuâ diligentiâ paraturus, absinthium inter notas herbas ignotum incoxerat; nunquam aptiorem sibi escam sumpsisse dixit: vnumque nosse illum, quâ ipse re opus haberet. Sed illud Bustamantio maius, quàm optabilius experiri documentum patientissimæ submissionis Francisci contigit. Totam noctem suspirio, ac pituitâ æstuans Bustamantius, cùm nihil nisi tussisset, & excreasset; vbi diluxit, animaduertit nequaquam, sicut putabat, in parietem fœdissimas sordes, sed in Franciscum, ac sæpè in ipsum os eiectas, tacito, atque immoto illo. Cùmque ad eam speciem confusus cohorruisset; vetuit Franciscus angi: locum enim nullum consputatu digniorem fuisse. Vrunt quidem acerbiùs, vltro illata cruciamenta, quàm sponte suscepta. Ceterùm, qui non contentus illatis, accersit voluntaria, constantiam probat, non tantùm solidam, sed etiam efficacem. Huiusmodi erat Francisci. Namque medicatas potiones, ac pilulas amaroris intolerandi sorbillare lentè solebat, ac mandere, ad perceptam olim in lautioribus epulis detergendam suauitatem, & ad aceti, felliſque Domino in cruce porrecti excitandam memoriam. Instituit perpetuò vsque ad exitum, supplex à Deo, vt in cruciatibus, sibi deliciæ, & in delicijs cruciatus essent: honores pro ignominiâ: vituperationes pro gloriâ. Vt quicquid non esset Crux Crucem existimaret. Denique, vt torqueretur assiduè cor, quod rebelle Deo fuisset: & voluntati, quæ obstitisset diuinæ, vbique gauderet obsisti. Rogauit quondam Bustamantius: Quæso, Pater, impetra mihi, quod tibi ipse petis. Nec dum tertia

109 Patientia insignis.

110 Crucis, ac cruciamentorum amor.

abie-

abierat hora, cùm vehementissimâ febri, & capitis dolore adeò immani correptus est; vix vt mente consisteret. Atque hæc nimirum Francisci vota esse, hanc sibi optare ipsum felicitatem intelligens: simulque doloris acerbitati imparem sese professus, eundem rogauit, vt preces conuerteret. Quo statim impetrato, eodem vestigio morbus euanuit, & Bustamantius iucundè rem postea, nec sine rubore commemorarat: audaciam increpans suam, qui attentare pusillus gigantum onera voluisset. Affirmabat Franciscus acerbam sibi futuram vitam, si sciret moriendum sibi eo die, quo die nihil asperi subijsset. Ita omnes huic studio operatos habebat dies. Ergo celebrent licet annales Romanum Imperatorem, qui dies beneficijs numerabat, eumque aiebat perditum, quo non benè de quopiam meruisset; huic viro vita crucibus censebatur: & si vel vnus dies non aliquâ insigniretur; perditam omnem rebatur vitam. Minùs igitur mirer talia habuisse pro condimentis. Siquidem in Ognatensi secessu familiariter indicauit, ingustabilem sibi fore cibum, quo die corpus suum luculento flagro non cecidisset: fuitque cùm comes verberum ictus amplius octingentos numerauit. Cilicijs specie ipsâ horrificis vtebatur. Aliquot quotidiè horas, appresso ore solo, cùm perseueraret in precibus; & dentes indè pleroſque amisit, & os ita putruit; vt nisi maturè esset occursum, fuerit periturus. Tergum quoquè ita contuderat, & lacerarat flagellis; vt religio demum subierit immodicæ sæuitiæ. Quanquàm conscientiâ rectæ mentis recreabatur: cùm diceret, regiam ad cœlum viam peccatori vnicam esse dolorem, ac pœnas. Denique, auariſſimi instar negotiatoris vndecunque lucra captantis, imminebat semper, & excubabat in vexationem sui, nullo tempore, locouè remissâ curâ. Inter peregrinandum, apud locupletes hospites, nec in mensâ cibos, quantùm consequi poterat, nisi Societati vsitatos, contingebat: nec in mollibus lectis, sed in culcitrâ recubabat humi positâ, quam vesperi, digressis arbitris, è lecto detractam, in locum manè suum, ne res cognosceretur, sedulò reponebat. Consuérat quin etiam vellere sibi cum dolore crines: vellicare artus: calceis arenam, & scrupos inserere: in feruenti sole, itemque in gelu, ac niue lentiore gradu incedere: tolerantiæ materiam quantùm alij declinant, tantùm ipse conquirens. Quemadmodum autem si quis fortè gladio feriat, quem minimè velit, proijcit ab se cum irâ gladium, conteritque, & proterit; ita sibi suos aiebat proculcandos sensus, qui Christum ipsum ferire ausi essent, & perimere: nec sua membra, nisi vt confixores Domini clauos, intuebatur. Nec fessa ætas, aut diuturni languores eam debilitarant acerbitatum famem, vt apparet ex pio colloquio, quod paulò ante exitum habuit Madriti cum Ioannâ sorore suâ, excalceatarum Sanctæ Claræ Antistitâ. Sic enim affatus est: Soror, conueniens professioni nostræ exercitatio hæc est, vt quater, ac vicies quotidie (horis nimirum singulis) nos tanquam in mortis momento constituamus: vt simus ex his, de quibus ait Apostolus: Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Mecum quidem satis benè iam agitur, cui dicere fas est: quotidie morior. Consentaneum huic patientiæ paupertatis erat Euangelicæ studium: tanto comendabilius in Francisco; quanto ab re ampliore transitum ad summam inanitatem fecerat. Quod item studium illa sui contemptio, vt asperabat ex vnâ parte; ita mitigabat ex alterâ. Minimè enim accidebat acerbum, id impetratum re, quod voto quæsierat. Declarauit id Franciscus ipse Dynastæ miranti, quî tandem posset itinerum Hispanicorum ærumnas, in egestate rerum omnium, tolerare. Nil mirum est, inquit: non enim perindè, vti reris, imparati vadimus: consueui præmittere, qui diuersoria, cetera-que vtilia accurent: suspensoque Procere, ac sciscitante, quosnam eiusmodi antecursores diceret; subiecit: Mi Domine, cognitio mei, & reputatio meritorum meorum, qui tartari flammas commeritus sum, antecursores, & metatores sunt mei. Diuersorium ita nullum defertum, ac miserum est, quod ab instructoribus diis non ad delicias adornetur. Eam simul ob causam paupertate delectabatur, vt suauissimam Christi benignitatem, & promissorum eius fidem experiretur. Quarum rerum sæpè mirabilia prorsus accidisse sibi documenta profitebatur.

Deni-

111 In voluntaria sui afflictatione sæuissimè studiosus.

112 Vexationum mira genera.

113 Sensus corporis animæ hostes æstimat.

114 Frequés mortis memoria.

115 Studium paupertatis.

116 Cognitio sui antecursoris loco est.

Digitized by Google

Denique non in vestitu solùm, calceatu, victuque, ac ceterâ priuatæ castigatione vitæ suæ, sed in publicâ etiam temperatione Societatis, videbatur interdum, vltra morem, ac modum excedere, in Collegijs præsertim inchoandis minimo censu, & moliendis ædificijs: quæ nec ad diuturnitatem firma, nec satis ad vsum accomodata, planè non pauperum domicilia, sed paupertatis diceres. Obsecundare si voluisset animo suo; Professorum Domos oppidatim, pagatimque sparsisset. Sed vt in viro perfecto cohærent sibi, mutuòque respondent cunctæ virtutes; ita sancta Francisci desideria redigebat ad normam nihilò inferior virtutibus ceteris obedientiæ vigor. Statim vt Ognatum secessit, austerum præsidem habuit: à quo sic exercebatur; vt etiam in extruendâ domo, velut infimus operarius, fatigaretur. Mandauit deinde Sanctus Ignatius, vt quoniam pietatis abreptus æstu sæuire sine modo, modum ipse in sese sæuiendi censebat; in his, quæ ad regendam valetudinem pertinerent, comiti obtemperaret. Is adiutorum ex ordine laicorum erat, Melchior Marcus nomine: cuius ita dicto Franciscus auscultauit; vt nulla propemodum queat seruitus durior cogitari. Non ita aulici assentatores alienos induunt mores. Nihil è sententiâ suâ, sed ex Marci arbitrio omnia faciebat. Vescebatur ad Marci nutum: ad eundem abstinebat: si collibuisset Marco, ambulabat: nec illibentiùs quiescebat, si Marco id potius arrisisset. Et alia id genus, velut planè mortuus suis, Marci duntaxat (aut veriùs Christi, quem audiebat in Marco) sensibus vteretur, & viueret. Et exercebat bonus frater ita strenuè dominatum; vt si qua ipsum res interdum aliquò auocaret; vicarium fermè relinqueret edoctum quid interim fieri vellet: admonitumque vt diceret ita Marcum iussisse. Nam ea vox cunctationem Francisco omnem eximebat. Cùm ad iuuandum coquum in culinam, exercendæ humilitatis itabat gratiâ; non sustinebat ab eius præscripto, vel latum, vt aiunt, vnguem recedere. Itaque cùm iussus quondam esset in æreis duobus vasis ferre aquam; obuius fortè quidam Pater gerenti nunquam extorquere vas alterum potuit: quòd coquus ferre ipsum vtrumque iussisset. Nomen obedientiæ vsque eo venerabile habebat; vt antequam Commissarius crearetur, si quando ad habendam concionem, aut aliud quid inuitaretur ab ijs Rectoribus, quibus non subesset; ita facturum diceret si iuberent: malens imperio secum agi, quàm precibus: non quòd molimenta ad obsequendum requireret; sed vt id videretur reddidisse, quod dabat. At erga eos, qui sibi aliquando præfuissent, ex vnâ eius rei memoriâ venerationem perpetuam conseruabat. Difficilè explicatu est Sancto Ignatio quantâ non alacritate solùm, sed etiam religione pareret. Acceptas ab eo literas antequam resignaret, procumbens in genua, supplex orabat Deum, vt quæ literæ illæ mandata ferrent, ea sibi & intelligere rectè daret, & facere: nec secus deindè, atque oracula delapsa cœlo capiebat, exhauriebatque. Cuius obsequij gnarus Sanctus Pater, nihil ferè Francisco præscribere, sed leuiter tantùm suam adumbrare sententiam erat solitus, libertate illi permissâ consilium ex re præsenti capiendi. Tum verò cum indulgentiâ Patris obedientia Filij pulchrè certabat. Pro iussis habebat nutus. Nec aliter successori Sancti Patris Laynio morem gessit. Atque eam simul adhibuit constantiam in mandatis sanè arduis, præsertim in summittendis Romam auxilijs; vt nullis multorum clamoribus, nullis obtrectationibus retardari vnquam potuerit: id modò cauens, vt nemo non solùm iustè, sed ne vllâ quidem ratione, quoad liceret, offenderetur: sin autem quid necessariò subeundum foret inuidiæ; vt id à Præpositis in suum caput auerteret. Quæ cùm talia sint, superuacaneum videatur apponere quàm pium exhiberet Pontificibus summis, & absolutum obsequium. Profectò hinc meritum maximè crediderim, vt obedientiæ immoreretur. Ex quarto Professorum voto præcipuam capiebat animo voluptatem: neque destitit vsque ad vltimum sese inter orandum ad expeditiones in quasuis longinquas, & barbaras terras Deo paratum offerre. Amabat autem obedientiam eo nomine suauiùs, quòd, vt virtutem Christi intuebatur. Nam quanquàm ceteras quoquè virtutes, ad clementissimum Magistrum, ac Dominum imitandum, velut cœlestem formam homi-

117 Obedientiæ insignis.

118 Quanta erga S. Ignatiũ veneratione fuerit.

119 Quanta erga Laynium S. Ignatij successorẽ.

120 Quanta erga summum Pontificem.

121 Obedientiam vt Christi virtutem amat.

hominibus propositam in sese conabatur exprimere: tamen singulari quadam propensione pro exemplo spectabat obedientiæ: vt qui vitam maluisset, quàm obedientiam perdere, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis. Soldbat quoquè obedientiam vocare nauim, in qua Religiosi, inter humanæ vitæ fluctus, tranquillum, atque perpetuum, ne somno quidem interruptum ad æternitatem cursum teneant. Eandem tanti faciebat, vt diceret, sperare se Societatem tribus maximè præsidijs conseruatum, & amplificatum iri: orationum, & sacramentorum vsu: aduersariorum molestijs: obedientiâ. Nam primum illud coniungere eam cum Deo: sequens ab mundo seiungere: postremum inter se, & cum capite membra copulare. Non raro vsu venit, vt quemadmodum parentes multa filijs optant, quibus carere se ipsi nihil dolent; ita religiosi homines sua citiùs, quàm propinquorum commoda aspernentur. At Franciscus, quem erga suos, ac nominatim erga liberos, rem naturæ commendatione carissimam, conseruanet animum; nec Imperatorem Carolum Quintum, nec Pontificem Pium Quartum latuit. Namque Cæsar cùm (haud scio an tentabundus) narrasset Sancium Cardonam Aragoniæ Almirarchum vehementer conqueri de filio eius Carolo Gandiæ Duce, quòd per iniuriam obtineret regionem, quæ iuris Cardonæ esset; respondit Franciscus ignarum quidem sibi vndè ius staret: ceterùm rogare Cæsarem, vt Cardonæ non ius modò inuiolatum conseruaret, sed clementiam quoquè adiungeret: & subiciente Carolo: Ita ne liberorum causam agis? Aequum videtur, inquit, in maiorem necessitatem, quæ Almirarchi forsasse sit, gratiam inclinare. Pius autem Quartus cognito solutionem ab lege postulari Aluaro Borgiæ Patris Francisci filio, vt cum sororis filiâ iustarum nuptiarum ius esset, ad quam Alcanicij Marchionatus hereditate peruenerat; miratus nullum à Francisco factum sibi verbum eâ de re, vltro accitum expostulans interrogauit: quid ita, cùm perspectam satis haberet Pontificis erga se, suosque propensam adeo voluntatem, tacitus quieuisset? Cui Franciscus; tametsi multum à multis impulsus esset, vt id negotij susciperet; impetrare tamen abse nunquam potuisse, vt faceret: quòd pro certo haberet, Pontificem, tacente se, veniam sponte suâ daturum, si res è diuinâ gloriâ foret: alioqui potius rogaturum fuisse, vti verè, impensèque rogabat, modis vt omnibus prohiberet. Priorem enim, ac potiorem sibi religionem Pontifois, atque Apostolicæ Sedis existimationem, quàm quodlibet liberorum suorum commodum esse debere. At enim, inquit Pontifex, in hac causâ quid auctor es nobis? Hoc, inquit, cùm hinc patruus, indè auunculus æquo propinquitatis interuallo idem matrimonium petant; vt optio virgini ipsi detur vtri malit nubendi. Sic quippe, & habita ratio partis vtriusque videbitur, & liberius matrimonium erit. Tum Pontifex, præter integritatem viri, prudentiam quoquè suspexit: sed Aluarum legem soluit cum eâ præfatione: Ad Dei gloriam pertinere, vt quando Franciscus Ecclesiæ Sanctæ, tam multis seruiebat modis, & vsque eo filios in Dei gratiam obliuiscebatur; eorum res Apostolicæ Sedi precipuæ curæ essent. Ita factum est, quòd interdum Franciscus, expostulantibus de immodicâ obliuione propinquis, solebat dicere, vt tanto clementiùs eorum memoriam conseruaret Deus, quanto puriùs ille cuncta post Deum haberet. Vbi filiam Lernæ Comitem Isabellam amisit, cunctis sanè laudibus cumulatam fœminam; Lusitaniæ Principem Ioannam demirantem, nihil eum dolere, sic fertur alloquutus: Depositum Dominus, qui crediderat, idem repetijt: non igitur tristitiam alieni redditio, sed vsura gratiam postulat: præsertim cùm ad sempiternam quietem ab sæculo tam malo, quæ Dei clementia est, euocatam speremus. Illud ipsum miranti Comiti stabuli Castellæ: Ego, inquit, quo primum tempore ad sua me obsequia vocauit Deus, meumque cor ex me petijt; ita præbere totum, ac penitus studui; nihil vt perturbare illud deinceps siue vita, siue mors posset. Nec aliter sanè fiebat non in funeribus modò suorum, quibus præmortuus ipse iam erat; sed quicquid omnino eueniret. Et duo habebat ijs temporibus in ore verba: alterum: De nihilo dolendum nihil: quippe nihili peritura ducebat omnia: alterum: Num-

quid

122 Obedientiam Religiosorum nauim appellat.

123 Societas tribus conseruanda præsidijs.

124 Victoria amoris erga necessarios.

125 De mortua filiam cur non dolet.

126 De sola Deiglo riæ iactura dolendum.

quid vlla Dei, & gloriæ eius iactura facta? quando salua hæc sunt; vndè angor? Hoc animo cùm esset erga carnem, & sanguinem; caritatem tamen, vti summam in Deum, ita in omnes homines maximam obtinebat. Auditus est sæpè cùm diceret: Famulo Dei existimandum nequaquam sibi caput vnum, duos oculos, duas manus: verùm omnium capita, omnium manus, omnium oculos suos esse, vt omnium dolores sentiret tanquam suos: & calamitatibus omnium, perinde vt priuatis, succursum vellet. Nam hoc demum pacto constare vnius omnes corporis esse membra, communiaque læta, & tristia habere cum ijs, qui gaudent, aut dolent ex Apostoli præcepto, & exemplo, qui ad omnium infirmitates infirmabatur. De paupertate suâ largiebatur mendicis quantum plurimum poterat, tenuitatem stipis pondere exaggerans caritatis: æquè suâ beatus inopiâ, & miser alienâ, ex vtrâque thesaurum colligens immortalem. Cogitans quod Sanctus Augustinus de Deo docet, eum, quod petitur, si quo minus concedit, non id tam negare, quàm in vtilius quippiam commutare; apud se decreuit, & ipse neminem dimittere suæ petitionis expertem: sed vel precatione ad Deum, vel alio beneficio id supplere, quod petenti concedi vel non posset, vel minimè expediret. Erga eos, qui sibi aduersarentur, & obtrectarent, incredibilem pietatem præseferebat, nunquam vocem vel emittens ipse, vndè aut purgaret se se, aut accusaret illos, vel audiente se patiens à quopiam mitti. Si defendere facta non liceret, mentem, & consilium excusabat. Ipsi, aiebat, rectè se putant facere: studio ducuntur bono: alia enim alijs videntur: peiora certè meis debentur culpis. Si quid fortè delinquunt; precor Deum, vt parcat. Nec vnquam, si tempus ferret, ipsâ re caritatem in eos expromere, & superare beneficijs maleficia desistebat. Molestiarum, quas anno seculi vndesexagesimo pertulit, gratam in omnem deinceps vitam, & anniuersariam, tanquam de singulari beneficio, memoriam conseruauit. Porrò erga Societatem, suæque curæ commissos alumnos plusquam paternum gerebat animum: nec erat, qui non id & sentiret, & fateretur: imitans diuinum etiam in eo morem, si fortè quis deliquisset: vt recordationem delicti, perindè ac si nullum fuisset, post emendationem obliteraret: quo de argumento inferiùs plura dicentur. Quid autem mirum in diuinos vsque adeò transisse mores, cui tanta cordis munditia, & commercium tantum erat cum Deo? Præoptabat mortem vel noxæ leuissimæ, & hoc precabatur à Deo. Imò & illud interdum addebat, vt vel dolores inferni potius toleraret, quàm quicquam, quamuis leue, si fieri posset, peccaret. Sæpiùs diebus singulis totum sese perscrutabatur, ne quid vspiam adhæresceret labis: in iudicium mentem, eiusque vires, item linguam, & manus, & cunctos sensus, ac membra singillatim vocans: & quicquid deprehenderet aberratum (purissima autem illa acies non pauca dispiciebat, quæ benè etiam oculatos fugiunt) ad sacrum iudicem per homologesim bis quotidie deferebat, semel antè sacrificium, iterum ante quietem. Sic autem in perscrutando sese morosè persistebat; vt sæpè inter meditationem seriò statueret inquisitionis tempus contrahere, quo plus otij in reliquas curas relinqueretur. Itaque quantum alijs vigilandum est, ne iustum in eâ re modum non expleant; tantùm erat illi cauendum, ne transiliret. Nouum quotidie vigorem induens concitabatur vsque magis, magisque profectibus ad profectus. Nihil apud animum suum decernebat in mediatione crebriùs, & supplex precabatur à Deo; quàm, vt de integro diuinum seruitium capesseret: perinde ac si tum primùm tyrocinium auspicaretur. Et mirum profectò est iam & senex, atque Præpositus, quantopere insisteret in postulandâ in Societate, ad finem vsque, perseuerantiâ, perfectâque votorum, ac speciatim castitatis custodiâ. Principio cuiusque anni, & augustioribus quibusque ferijs, cùmque anniuersarius rediret dies, siue votorum simplicium, siue editæ professionis, siue accepti beneficij insignioris, siue grauioris susceptæ procurationis, siue denique toleratæ vexationis, quos dies habebat diligenter notatos, & quotannis cum ingenti gratiarum actione, ac studio maximo recolebat; tum maximè insistebat, vt velut aquila iuuentam instauraret.

127 Caritas in proximos qualis esse debet.

128 Omnibus satisfacere curat

129 Beneficijs maleficia cõpensat.

130 Qualis erga Societatem, ac subditos se gesserit.

131 Munditia cordis.

132 Bis quotidie confitetur.

133 Studium renouandi spiritus.

Assu-

Digitized by Google

Assumebat autem tam longa spatia ad præparationem dierum eiusmodi; vt vix dum absolutis prioribus, alia superuenirent. Paulò ante Generalatum nouem dies, totidem mensibus, quibus Christus Dominus in vtero Virginis fuit, tum alios tres ac triginta consequentes dies, tribus ac triginta annis, quibus idem vitam mortalem vixit, ad id vnum præcipuâ curâ dedicauit, atque exegit; vt ab ipso Domino aptaretur ad nouam vitam, quam obscuram, & despectam in angulo quopiam Societatis agitaret. Instauratio autem præcipua hæc capita complectebatur. Rogabat veniam de susceptis tempore exacto noxis, deque perceptis eodem tractu beneficijs agebat gratias: tum ad decurrendum stadium sub auspicio Cœlitum alicuius, pro tempestatum ratione, nouum capiebat impetum, designatis nominatim actionibus, in quas potissimùm intendendam curam censeret. Denique ad id benedictionem, & opem à Domino deposcebat. Considerabat interdum sese velut senescentem, sensimque degenerantem arborem: dabatque operam, vt amputatis vetustis ramalibus, insertoque de Christi Cruce generoso surculo, vegetior, feraciorque regerminaret. Sed maximè delectabatur, & vtebatur assiduè similitudine instrumenti musici, vel horologij machinalis: quæ cùm facilè laxentur, atque discordent; perpetuâ indigent curâ, vt ad iustum libramentum, ac temperamentum reuocentur. Simul autem Dominum precabatur, vt suos tum animi, tum corporis sensus, velut fides, aut fistulas quasdam, tangere, & inflare ipse vellet: eosque sonos elicere, qui gratissimi ad aures eius acciderent: dolens eò se organum deterius inanimis esse; quòd artificis manui repugnare illa nesciant, ipse nollet obtemperare. Complureque alios ex ijs symbolis excerpebat sensus, quibus ad sua in dies renouanda studia, & acriùs intendenda stimularetur. Corpus interdum ipsum, velut citharam, aut aliud id genus instrumentum cogitabat: tum semper, tum maximè in oratione pulsandum à Spiritu. Quare operam dabat, vt in id potissimum tempus scitè temperatum, & ad harmoniam compositum haberet. Quanquàm orandi consuetudo loca iam omnia in sacella verterat, negotia omnia in somitem orationis. Dum diuinæ scientiæ studeret, quæ Sanctus Thomas primâ Theologicæ summæ parte complectitur, in formam litaniarum redegerat, vt ipsum studium oratio esset. Itinera quanquam laboriosè propter imbecillitatem obibat; eò tamen cupidè suscipiebat, quò liberior ab interuentoribus Deo vacaret, dum montium conspectu, & fluminum, & agrorum, & vndique patentis cœli specie, velut alis subuehitur ad cognitionem, amoremque, & laudem Procreatoris. Quanquàm ne ipsorum quidem hominum congressibus magnopere impediri se sustinebat. Quippe nisi sermones ad cœlestia pertinerent, mens perosa humanas nugas, relicto humi corpore, libera petebat cœlum: & interdum Patres admonuere, vt attenderet: nam videri responsa reddere aliena. Ipse autem profitebatur haberi fatuum malle, quàm tempus perdere. Ceterùm & illâ vtebatur industriâ, vt ex omnibus, qui se adirent, ad suum aliquid profectum exciperet; & si qui vnquam in memoriam inciderent, eos statim Domino commendaret. Egregiâ aduersùs instabilitatem mentis industriâ, per quam fit, vt orationem, id, quod interpellare solet, intendat. Maximè capiebatur contemplatione, quam secundùm mediam noctem habebat, Quinas in eâ summâ tranquillitate, senasue, prope non sentiens, deuorabat horas: hac vnâ in re Marci interdum indulgentiam tandem auocantis, trahentisque miseranter implorans, vt diutulè adhuc sineret. Orationem suum vocabat centrum: ita ferebatur ad illam, ita in eâdem acquiescebat. In eâ reponebat, atque reperiebat omnia. Magistro, atque rectori horologij comparabat: itemque æstui maris, cùm effluens vndas reuocat ad portum, & fixas in aridâ naues ad nauigandum subleuat. Humanæ mentis incitationem, & voluntatis effrenes impetus per eam mirabilius, quàm solem ab Iosue sisti. Huius generis quatuor & viginti præclara elogia cùm ex vnâ meditatione in ephemeride adnotasset; hæc verba subscripsit: Pro his quatuor & viginti effectibus gratiæ agantur in horis vigintiquatuor. Sunt enim admirabilia opera Domini, pro quibus laudandus est in æternum. Amabat orationi deditos viros, eosque libenter, ad propagandum illum in Societate spiritum,

134 Senescenti arbori similemse reputat.

135 Vel instrumẽto musico, aut horologio.

136 Orationis studium.

137 Industria in mentis euagationibus.

138 Quid de oratione censeret.

139 Orationi deditos amat, ac promouet.

Digitized by Google

ceteris præficiebat. In meditandâ Christi vitâ assiduè versabatur: & extant scriptæ ab eo (quanquàm non perlimarat) in omnes, quæ totum per annum in sacrificio leguntur Euangeliorum partes, ingeniosæ, succique plenæ, & super omnia piæ meditationes. Coniungebat semper cum sui confusione, & actione gratiarum: adijciebat oblationes, atque postulationes. Inuenimus in Tabulario Societatis Romano complures libellos, & multos perijsse (iacturâ sanè inæstimabili) eiusdem generis ex his constat: qui tamen supersunt; vel vni sunt satis ad æstimationem Francisci virtutum. Ex chartâ sunt ex acceptis literis decerptâ. Itaque & subscriptiones pleræque etiam num, & ceræ nonnullæ cum signis manent. Nullo cultu, nec tegumento, sic rudi filo ab ipsomet consutum fuisse opus ipsum declarat. Paupertatis, simplicitatisque viri nobile documentum. Igitur in ijs libellis adnotata sunt, quæ singulis diebus ab initio anni quarti ac sexagesimi, vsque ad septuagesimum meditatus est, quæ postulauit, quæ obtulit, ad quæ obtulit, sensus omnes, & lumina, totum denique cum Deo negotium: quas res nemo, opinor, nec sinè ingenti admiratione, nec sinè singulari pietatis ardore legerit, nec item sinè pudore, ac suimet despectu, tanti comparatione viri. In ijs videre est multum sæpè temporis ita transactum; vt ex vicenis quaternis dierum, ac noctium horis nulla omnino sinè nouâ præteriret consideratione mysterij, & actione gratiarum, & postulatione beneficij, & oblatione sui. Et quidem in hac postremâ eò processit; vt singulis prope momentis, eam continuaret, instauraretque, Etiam nunc iterans, hoc est, Etiam nunc me tibi trado, dedoque. Offerebat autem ad durissima quæque, ad labores Indicos, ad peregrinationes longissimas, ad Martyrium, quod flagitare nunquam desinebat. Offerebat nouos, si haberet, Ducatus, dignitatem, vitam, omnia. Et offerebat pro ijs omnibus, pro quibus Christus Dominus quo primùm momento est conceptus in Virginis vtero, pro quibus in Præsepi, pro quibus in Cruce obtulit sese. Interdum autem alia Patri, alia Filio, alia Sancto Spiritui offerebat. Et solertissimâ quadam religione, ac religiosissimâ solertiâ, sua quædam singulis Diuinis personis accommodare nouerat, tum in oblatis, tum in postulatis. Agebat totius mundi negotia. Nulla nec publicè, nec priuatim ingruebat calamitas, nihil impendebat periculi, nulla grauior suscipiebatur deliberatio, quin supplices coram summâ bonitate sterneret preces. Et crebrò perpetuam supplicationem non quadraginta modò horarum, sed & hebdomadarum, ac mensium complurium per Societatem distribuebat. Humanarum quoquè ordinaria necessitatum genera singillatim diuinæ pietati commendabat: quam ad rem, vt prompta in subitos casus, perpetuaque haberet præsidia; hebdomadaria sacrificiorum, ac precum per cunctam Societatem, quasi tributa, arbitrio Præpositi Generalis impendenda induxit: quo thesauro successores postea nullum habuerunt grauissimi muneris gratius leuamentum. Et ipse homines nominatim quamplurimos, præsertim qui de Societate benemeriti essent, vel preces eius expetijssent, vel conferre ad publicas vtilitates possent, præcipuèque Cardinales duos, ob singulare erga Societatem studium, Alexandrum Farnesium, & Carolum Borromæum, qui iam magnorum in numero cœlitum magnus religiosè colitur: pro quo etiam dum precaretur, solebat magnâ suauitate compleri: vt intelligere liceat ad aures diuinas viri sancti, pro sancto preces accidisse gratissimas: gaudente Domino Franciscum quoquè suam conferre opellam, ad locupletandum eum virum, cui tantum sanctitatis, & gloriæ destinarat. Ad omnia Christi Domini mysteria dulcissimè afficiebatur, præsertim ad Incarnationem, & Mortem: quarum alteram vt matutinum, alteram vt vespertinum sacrificium offerebat. Optabat cunctis in rebus sentire Christi cruciatus: vt vel conspectus ipse virgarum, & trabium, & ferri, & vestium, & aliarum huiusmodi rerum instaurarent memoriam dolorum, quos Christus per eas res pertulit: vitam quoquè assiduè moriens agere ad pedes Crucis, assumptis in hoc patronis Deiparâ, Ioanne, & Magdalenâ. Denique singulis horis pro mortuo suâ causâ Domino emori. Optabat ad conspectum Crucis sentire eos dolores, quos Virgo parens, vbi filium vidit in eâ

140 Ephemerides de eius luminibus, ac sensibus in oratione.

141 Eiusdem in scribendo paupertas, atque simplicitas.

142 Oblationes inter orandum.

143 Postulationes.

144 Hebdomadarium sacrificiorum, ac precũ tributum in Societate instituit.

145 Erga passionẽ Domini studiũ

eâ pendentem, sensit. Septem Christi sanguinis effusiones diebus singulis septies venerabatur: primam in Circumcisione, alteram in horto, tertiam è flagellis, quartam è spinis, quintam è plagis exulceratis dum expoliatur ad Crucem, sextam è clauis, postremam è lanceâ. Sic autem venerabatur; vt gratias de ijs agens, donum aliquod per easdem peteret tum sibi, tum alijs. Alia temporibus alijs. Sæpè septem dolores cordis, quorum primus erat dolere de peccatis: alter quòd serò ipsum cognouisset Dominum: tertius ad conspectum Christi vulnerum: quartus ad conspectum vulcerum suorum: quintus ex commiseratione proximi, reputando, quæ ipse Dominus pro illis egit: sextus è Christi solitudine: septimus, quòd haud dum mortuus ipse pro Christo esset. Simili veneratione venerabatur septem plagas: nam manuum, pedum, & lateris vulneribus, pectoris, ac dorsi laceratione adnumerabat. Nunc easdem, nunc totam Christi patientis historiam particulatim recolebat in horis sacerdotalis officij. Magnâ quondam pietate perfusus est intuens in gremio matris Iesum infantem. Secumque disquirens, cui nam Regina Cœli talem filium educaret; subijciebat: mihi educat, mihi illa famulantur obsequia, mihi paratur sanguis, mihi corpus acquiritur, mihi vita proficit. Maximè autem commouebatur perpendens quantâ se voluntate Deus puer iam tum sacrificio dedicaret, & in victimam adolesceret. Supplex precabatur sibi concedi, vt omnes, & omnia videret in Christo, proque eodem obliuisceretur omnia. Immergebat se penitus in eiusdem Domini, omnem exuperantis scientiam, caritatis considerationem: quamplurimos in eâ gradus, & quamcelsissimos contemplabatur, vt equidem non alibi augustiora legerim. Vltra verò omnem vim eloquentiæ est, aduersùs præsentem in sacrosanctâ Eucharistiâ Dominum quantâ pietate ferretur, quanque sanctis, ac dulcibus afficeretur motibus. Vbicunque degeret secretam sibi curabat cellam ad aræ maximæ latus. In eum velut portum, quàm licebat creberrimè, ab negotiorum æstu recipiebat sese: ibi ante Deum suum effundebat cor suum: ibi diuinitatis commercio, & dulcedine fruebatur, beatæ vitæ prægustans suauitatem. Septies, cùm minimum, die quouis solebat inuisere. In singulis salutationibus, & sub Sancti cuiuspiam ductu, quasique admissionali patrono adibat: & dona quædam propria, pro temporum varietate, variè deposcebat. Communionem quoquè, quæ spiritualis vocatur, instaurabat. Porrò sacramentalem nullo vnquam, ab Societate initâ, die nec valens, nec æger prætermisit. Nam eam ob causam, cùm alio tempore concinendis abstineret sacris; hebdomadæ maioris obibat solennia: nec inter peregrinandum graue ducebat vnam à viâ leucam, alteramue deflectere, vel locis de cetero parùm commodis pernoctare. Quæ cùm quidam curiositatis, aut regustandi amici causâ subeant; optimè collocata censebat ad regustandas cœli delicias, & congressu Maiestatis summæ fruendum: & cogitabat quantùm Domino, pro tam promptâ sui copiâ, deberetur. Nam cùm nullis officijs adæquari vnquam posset vel vna communicatio; quid tam multæ promererentur? Cum ingenti, prolixâque præparatione ad sacrificium accedebat, & peragebat in sacello priuato longâ cum morâ, tantoque studio, quantùm humana imbecillitas capit. Edita typis extant pulcherrima eius monita præparationi ad Sanctissimam Communionem vtilia: sed quæ ad Missæ sacrificium adnotauit, ex vsu deprompta suo; quia vulgata non sunt, & cuipiam Sacerdotum commodo fortasis erunt; cursim perstringere non pigebit. Antequam ad sacras vestes adiret, memoriâ repetens tum Sacerdotibus ad Altare olim Mosaicum accessuris interdictum vini gustum, tum prælotos à Domino sacrosancta Mysteria instituturo Discipulorum pedes: seque & seculi curis ebrium, & non vestigia tantùm, sed & manus, & caput sordidum recognoscens; præter pœnitentiæ sacramentum, lacrymis diluere curarum merum, & in acetum vertere, ijsdem culpas, & sordes eluere conabatur: confusionem interea, timorem, caritatem, & affectus alios ex infinitâ magnitudine, & maiestate immensâ mysterij suscitans. Dum verò sacras vestes indueret; velut lupum se in vestimentis ouium intuebatur: & Dæmones suorum scelerum conscios videbatur audire

146 Septem Christi sanguinis effusiones septies in die veneratur.

147 Septem cordis doloribus afficitur.

148 Septem in Christo plagas veneratur.

149 Deuotio erga Sanctissimã Eucharistiam.

150 Septies in die eãdem inuisit.

151 Communionẽ spiritualem, ac sacramẽtalem frequentat.

152 Sacrificãdi studiosissimus.

153 Qua præparatione, & pietate sacrificium faceret.

154 Quæ faciebat ante sacrificiũ dum vestibus indueretur.

Digitized by Google

per irrisum exprobrantes: en Saul inter Prophetas! Ecce Adam, quasi vnus ex nobis. Tum singula sacri cultus ornamenta pretiosa, ac mollia, cum contumelioso Christi amiculo, catenis, & cruce comparabat: & cogitans, quæ ex vestimentis eiusdem virtus exiret; induere animum studebat eius sanctæ mulieris, quæ secum aiebat: si tetigero tantùm fimbriam vestimenti eius salua ero. Sub hæc, submissis ex alto pudore, ac pauore luminibus, ad Altare procedens, veterem sibi illam; ac seueriſsimam subijciebat comminationem Exodi vigesimo nono: Omnis qui tetigerit montem morte morietur: &, Sacerdotes autem, & populus ne transeant terminos, nec ascendant ad Dominum, ne fortè interficiat illos. Inter sacrum mirabatur esse sibi homuncioni nequissimo, & exuli cantanda cantica Domini in terrâ alienâ, & cantica Angelorum, & eorum, qui Agnum sequuntur quocunque eat: à quibus quantùm se dignitate, ac munditiâ distare sentiebat; tam illa oris suo carmina parùm consentanea fatebatur. Erubescebat quoquè agendas in oratione sequestri partes inter Deum, & populum, homini, qui per tot inuenta perdere animas consueuisset: legendum diuinæ volumen sapientiæ sessori cathedræ pestilentiæ: promulgandum Euangelium veterano per facta, atque exempla Euangelij impugnatori. Sed vltra modum verecundiâ, & confusione operiebatur oblationem apparans, secum versans, quidnam animi gereret, qui vnicum, & percarum Patri filium, quem idem crudelissimè enecasset, accederet oblaturus. Rogabat igitur submississimè Patrem cœlestem, vt id ab se officij ne respueret: & gratias agebat immensas, quòd pro inexuperabili suâ benignitate, nequaquam respueret. Iam verò consecrationis mirificæ summo appetente opere totus commouebatur, & cohorrescebat, tanquam audiret etiam num intonantem Dominum: ecce appropinquat hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorum: se illum esse sceleratorum deterrimum interpretans, cuius iam iam tradendus in manus filius hominis, & filius Dei esset; quam cogitationem ita acrem, potentemque in sese experiebatur; vt nimium censeret durum, qui ad eam non emolleſceret. Verum enimuerò est prorsus inenarrabile quàm pijs permisceretur sensibus, quamque variam, atque multiplicem adhiberet venerationem in Hostiæ sacrosanctæ contactu. Hac proprie causâ sanctissimos viros Simeonem, ac Iosephum, & ipsam præcipuè Deiparam, quorum sinum, & vlnas Christi beauit infantia, vt optimè gnaros, expertosque debitorum illi obsequiorum; tanquam magistros assumebat, & cælestis vrbanitatis præitores: enixissimè rogans, vt celsissimum ministerium, quemadmodum ipsi gessissent, ita sibi impetrarent gerere, simulque interim animo sentire, quod ipsi senserant. Nunc horrore pertundebatur, admirans non percelli se, vt quondam manu ad Arcam porrectâ Ozam mysterij huius tenuem adumbrationem. Nunc dulcissimè confirmabatur, disserens, cùm se Agnus in lupi traderet potestatem, quid ni se lupus agno permitteret? Totiesque in manus se Domini offerebat, quoties sumeret illum in suas. Aliàs ad singulos attactus singulas Cruces, quas quinque sibi acutè distinxerat, precabatur: vel vt sentiret dolores, quos in Caluario primùm Ioannes, deinde Magdalena, tum mæstissima Parens, postremò ipse Dominus sustulisset. Aliàs optabat ijs affectibus commoueri, qui Deiparam subierunt, cùm filium in præsepi, cùm in circunciſione, cùm in oblatione ad templum, cùm demum in Caluario, sinu, & vlnis excepit. Aliàs quoties attingebat, cupiebat vicissim salutarem manus Domini tactum sentire, & nouum semper aliquod, pro tempore, ac necessitate, donum postulabat: memor prodeuntis è Domino etiam num mortali virtutis, qua tangentes salui fiebant. Et profectò omnium deberet obuersari animis iustissima Chrysologi admonitio: Audiant Christiani, inquit, qui quotidie corpus Christi attingunt, quantam de ipso corpore sumere possint medicinam, quando mulier totam rapuit de solâ Christi fimbriâ sanitatem. Miseri, qui quotidie corpus Domini tractamus, & sumimus, & à nostris vulneribus non curamur. Igitur ad quos thesauros admouere quotidie manum liceret Franciscus animaduertens; id elaborabat, vt vacuam nunquam reciperet. Frequens precabatur è Cœli Regina,

155 Quæ in sacrificio sibi propo. nebat,

156 Quales habebat sensus in oblatione, & consecratione,

157 Quales in hostiæ contactu.

ginâ, vt per eius opem tractare ita sibi donaretur ea mysteria; quemadmodum ipsa, post ascensum in Cœlum filij, susceperat. Hunc ex Apostolis, alijsque Beatorum, prout cuiusque solennia agerentur, instabat, participem se vt facerent eius venerationis, qua sacrificium illi peregissent: consimili submissione, & geminæ caritatis amplitudine pro ijs omnibus, & ad vniuersa illa concilianda dona offerens, pro quibus illi obtulissent. Sacram Hostiam cùm adorandam sublimè tolleret, auebat cruciatibus impertiri, & exulcerationem sentire, quæ ipsum Dominum, dum Crux attolleretur, excruciauit. Ad conspectum verò, & tractationem Calicis, fundendi studio sanguinis inardescebat, tacito clamore cordis ingeminans: Quis mihi det, vt moriar pro te? & ad æternum Patrem mente sublatâ (vt ingens incendium in sui materiam incrementi vertit omnia) magnopere compungi earum comparatione fœminarum solebat, quarum altera, post absumptum in commune alterius filium, abscondit suum: talem se ipse arguens, qui Dei filio, vel ad cibum impertitus; suum vicissim, hoc est carissima quæque sua cum illo malignè communicaret. Nil verò vsurpabat frequentius, quàm vt sacrificium pro ijs offerret omnibus, pro quibus sacrificij ipse auctor obtulit sese: tum primo, quo Virginis in vtero conceptus est, momento: tum in Præsepi: tum in Cruce, eoque puncto, quo expirauit. Iam ad consummanda mysteria, tanquam illico in sinum Domini editurus spiritum, accedebat. Quibus in cogitationibus ita defigebatur animus, & incalescebat; vt etiam vultus igneſceret. Post hæc cogitans sepulto iam Saluatori fidelem saxa præbuisse custodiam; sese, vt infidelem crediti sibi thesauri custodem, infra saxa, & sepulcra abijciebat. Ergo ipsum met rogabat Dominum custodem vi, ac fide inuictum, vt cor ipse suum, instar sepulchri, signaret, & custodiret, & se ipse ab omni iniuriâ tueretur. Denique ab Altari digressus, nunc in complexu, nunc ad pedes amantissimi Domini gratijs agendis, adorandoque, & amando illo, sese-que ei tradendo, & agendis tum suis, atque Societatis, tum Ecclesiæ totius, & mundi causis, sine fine perseuerabat demissus in genua, & immotus: vt interdum prouecto iam die abstrahendus propemodum, & rapiendus ad mensam esset. Summopere auebat in exitu vitæ sacrosancto communiri Viatico: idque precabatur, vt ipsamet horâ mortis, si fieri posset, acciperet, vel saltem spirituali communione, eo articulo muniretur: admirans in hoc beneficio immensam Christi Domini clementiam, perinde atque Regis, qui non contentus exulem seruum reuocare in regnum, ipsemet reducturus, ad exilij vilitatem adiret. Id muneris videbatur diuino quodam instinctu consequutus, vt inferens pedem in templa, sagacissimè statim sentiret quo loco veneranda mysteria seruarentur: nec ipse vnquam, lampades licet interdum, & cetera argumenta fallerent, falleretur. Ceterùm constat alia quoquè multa præcognouisse diuinitus. Anno quidem seculi eius altero & quinquagesimo, cùm ognatum Gandiâ nuntius aduolasset significaturus Carolo Duci natum filium; occupauit ipse percunctans, quàm bellè infans Franciscus haberet: miranteque nuntio quis nam sibi, qui nihil ad celeritatem reliqui feciſſet, præripere euangelia potuisset: salua, inquit Pater, sunt tibi præmia tua. Ter ego salutationem Angelicam pronuntiabo. Cetera Duci scribam, vt ipse persoluat. Francisco Brioni grauiter ægrotanti, semel atque iterum prædixit, nequaquam ijs temporibus moriturum, sed breui, vt successit, validum fore. Segobiæ Ferdinandum Solerium ex tertianâ decumbentem inuisens, reperit opperientem febrim: & comiter increpuit: quid ita opperiretur? Cùmque ille dixisset: Tu ergo Reuerende Pater veta accedere, & ego desinam opperiri: Ita sit, inquit, in nomine Domini: Tertiana febris ne post hac ad Solerium accedito. Et continuò auditum imperium euentus ostendit. Procerum Hispanorum quidam grauiter disidebat cum filio: Franciscus reuocare in concordiam voluit: sed duriter auditus ab illo, preces conuertit ad Deum, ac facillimas aures inuénit. Febris Procerem venantem arripuit, statimque subijt animum ex repulsis id accidisse Francisci monitis. Eius ergo se potestati permisit. Seruus Dei sacrum pro homine fecit, febrique continuò abactâ, resarciendæ

158 Quæ à Sanctis postulabat.

159 Ardor animi etiam in vultū erumpit.

160 Quibus gratiarū actionibus vteretur post sacrificium.

161 Sanctissimo Viatico præmuniri cupit: Deique benignitatē admiratur.

162 Eucharistiæ præsentiam digno. scit.

163 Multa prænoscit diuinitus.

164 Febres ab ægris remouet.

Digitized by Google

quoquè pietati rationem iniuit. Vltimùm è Castellâ discedens, Patri Ioanni Suario Romam ægrè cum spiritu peruenturum se, ipsum autem Castellanæ Prouinciæ rursus præfuturum prænuntiauit. Suo comiti Marco iam prope moribundus prædixit, suum post excessum in Indiam profecturum: quod subindè euénit, cùm quidem alia omnia Marcus eo tempore cogitaret. Hæc ex commercio Dei, & consortione cum Patre luminum hauriebat. Nec semel conspectus est orantis ex ore fulgurans cœlestis splendor, vndè & cubiculum in tenebris colluceret.

165 Dæmonũ contemnit molestias. Conabatur Diabolus varijs sese formis obijciens, diuinos interpellare illos congressus: sed dum tentaret illudere, ludibrio erat. Nihil Franciscus commouebatur. Fuit etiam cùm gradibus aræ maximæ circumiecti clatri deciderunt in caput precantis: & ita loco motus non est; vt ne manus quidem, quas habebat sublatas, demiserit.

166 Sãctos studiosissimè colit. Studiosissimus cultor Sanctorum erat. Notabat mirâ subtilitate virtutes eorum, sibique eas postulabat à Deo, & imitari studebat. Kalendis Maij Anno seculi sexagesimo septimo, quoniam Sanctus Iacobus fertur in genua adorandi, orandique gratiâ centies procidisse; eam pietatem imitari constituit: & geniculationes ita distribuit; vt quoties Gloria Patri iteraretur in Sacerdotali psalmodiâ; toties ipse genua flecteret: quod fiebat tricies & quinquies: in Horaria exercitatione vicies semel: pari numero in salutationibus diuinissimæ Eucharistiæ, plagarum, & effusionum sanguinis Domini: semel proximè ante cubitum: semel statim à cubitu: quinquies in Rosario ad singulas precationes Dominicas: semel in psalmo è quinque psalmis Mariæ: semel in litanijs: semel in meridie, iterumque sub vesperam ad signum salutationis Angelicæ: duodecies ad orationem, Agimus tibi gratias. Ex quibus omnibus proposita summa conficitur. Quam exercitationem quandiù deinceps continuarit, quanquàm est incompertum, &, cùm illa ipsa opera, quibus genuum flexiones adiunxit, quotidiana, atque perpetua habuerit; vero simile est, illam quoquè retinuisse: tamen rectè existimanti, etiam sine illis, necesse est mirum videatur, hominem grauissimis impeditum negotijs, & exhaustæ funditus valetudinis, tam multis, tamque varijs muneribus suffeciisse.

167 Erga Sanctos per octiduum cultos quid præstaret. Quorum Sanctorum per octiduum celebrantur solennia, consueuerat præcipuas octo virtutes seligere, & singulas diebus octidui singulis meditatione, & imitatione versare. Sæpè etiam quatuor & viginti, cuiusque Sanctorum virtutes obseruabat: vt diurnis, opinor, nocturnisque adæquaret horis, & vnaquaque horâ suppeteret, quam propriâ curâ recoleret. Per eorum quoquè patrocinia, prout cuique aptum erat, alia, atque alia dona ingeniosissimè tum sibi, tum alijs precabatur. Specimen sint, quæ petijt ex Sancto Luca: Pietas erga Deiparam, Euangelij intelligentia, Crucis mortificatio, Scholasticis nostris auxilium. Menstrua eorundem sortitio per ipsum maximè, qui ex annuâ olim paternâ in domo vsitatâ acceperat, in Societatem inducta. Reliquias eorum, vt impensè colebat; ita quàm posset ornatissimè habendas curabat: nusquam meliùs famulari aurum pronuntians. Ad excitandam populi pietatem vim ingentem sacrarum imaginum excudendam Romæ curauit: perque omnes etiam Indiarum Prouincias non imagines modò, sed formas quoquè dimisit.

168 Sanctorum menstruã sortitionem in Societatem inducit.

169 Sanctorum reliquias exornari, eorumque imagines excudi curat.

Præcipuam quoquè curam impendebat iuuandis animis, quæ noxarum residua igne purgarent: & ingenuè aperuisse dicitur Hieronymo Natali, non paucas earum sibi visas, cùm exolutæ pœnis euolarent ad gaudia, agerentque gratias, & relaturas pollicerentur è cœlo.

170 Pietas erga animas purgatorij. Hoc autem cùm exerceret patrocinium, pudore, vt in alijs eiusmodi, suffundebatur: existimans quàm parùm conueniret, se, cuius aiebat esse animas ad inferos trudere, interpellare pro liberandis. Ex eodem diuino lumine prudentiam capiebat, qua tum priuatas suas res, tum publicas administrabat. Quanquàm infitiari nequaquam interest sanctæ contemplationis otio potius, quàm negotijs deditum fuisse. Atque equidem non in prudentiâ modò, sed in cunctis sanctissimi viri virtutibus præcipuè eam suspexerim, quòd cùm haud pauca, si vellet animo indulgere suo, vt interdum indicauimus, aliter in Societate esset temperaturus; nihil tamen vnquam sibi permisit. Qua in re, significat ipse met in ephemeride, protectum se se singulari Dei munere, deque

eâ

eâ tutelâ ſtudiosè gratias agit. Ergo fide ſummâ creditum ſibi depoſitum cuſtodiuit. Ad Inſtituta Sancti Ignatij accuratiſsimè ſua facta, & conſilia reuocauit omnia: eadem & piè veneratus eſt, & religiosè tutatus: vt meritò inter notabilia numerari queat teſtimonia, per quæ Deus palàm fecit vitæ hoc genus ſibi cordi, curæque eſſe; quòd cùm eodem tempore rerum Chriſtianarum ſummam Pius Pontifex Quintus, & Societatis Franciſcus Præpoſitus obtinerent; non omnem eius diſciplinæ ordinem commutarint. Quin potius duobus in capitibus, quæ nouauit Pontifex, quoad eius, citra peruicaciam, potuit, acerrimè Franciſcus obſtitit. Animaduerterunt Patres ex eo maximè tempore, quo creatus eſt Generalis, tanquam nouum hominem induiſſe, ad regulam Societatis, ac formam omnino factum. Nimirum, qui dederat munus, addiderat facultatem. Nihil habebat ſæpiùs in ore, nihil lectione, & meditatione magis terebat, quàm ſancti Fundatoris conſtitutiones: quas vt confirmaret, & commendaret impenſiùs; lucubrationem inchoauerat, per quam teſtimonia ex Euangelio earum ſingulis conuenientia colligebat. Dignum Præpoſiti vigilijs opus, & gratum futurum poſteris, niſi peregrinatio Hiſpanica interrupiſſet. Regulas ſingillatim ita meditabatur; vt gratias agens de vnaquaque quòd tradita eſſet, deque eo, quod ad ſeruandum egiſſet: dolens autem ſi quid omiſiſſet, & aliquâ pœnâ vindicans; accuratiorem impoſterum cuſtodiam ſibi proponeret, & ad propoſita re præſtanda auxilium imploraret: nominatim expendens virtutes, quæ regulâ quaque continerentur, ſingulas in ſingulis ſalutationibus diuiniſsimi ſacramenti. Quin etiam eò proceſsit, vt peculiares faceret, & indiceret preces ad id, vt quæ Sanctus Pater decimâ parte Conſtitutionum conſeruationi Societatis vtilia præſcripſit, accuratè ſeruarentur. Anniuerſariam Sancti Patris memoriam ſingulari pietate peragebat: ſæpèque aliàs ſpiritum eius à Domino precabatur. Lainium quoquè colebat perſtudiosè, & ambos interdum ita iungebat; vt Ignatij prudentiam, ac lumen, Lainij lenitatem, ac ſuauitatem votis expoſceret. Admirabatur ſapientiam Dei, ac bonitatem, qui leonem, ac lupum feciſſet ouium paſtorem. Talem quippe ſe feram habebat: tantùmque aberat, vt ſibi placeret ex impoſitâ perſonâ. Socios autem, vt oues occiſionis, & dedicatas ſacrificio victimas contemplabatur, ſuſpiciens opera Dei in illis. De cetero totus erat, vt expreſſas in Euangelio boni Paſtoris partes, quarum ſummam collegerat, curâ, & caritate repræſentaret. Orabat Dominum, vt id ſibi ſentire pro ouibus daret in ipſo, quod Paſtorum ipſe Princeps de eiſdem ſentiret. Creberrimè vitam, & ſanguinem, & quicquid in ſe eſſet, offerebat pro ſuo grege. Toti Societati ter ſingulis diebus benedicebat, & non rarò ſæpiùs. Interdum vicies quater in die iterabat: Serua eos in nomine tuo. Quòd ſi quam cuiuſquam culpam reſciret; non ſecus, ac de ſuis dolebat, atque ex ſe ſumebat ſupplicium. In conſultationibus ad eam ſe componebat æquitatem; vt conſilia ſuſciperet, tanquam illico expiraturus. Ad hæc quò totam quaſi præſentem in oculis, & corde ſuo perpetuò haberet; Prouincias omnes in hebdomadæ diſtribuerat dies; & Prouinciales earum nominatim, ac præcipua negotia, ſtatutis in orbem diebus, ſummæ bonitati, itemque Sanctorum, qui in quaque Prouinciâ tutelares haberentur, patrocinio commendabat. Et quoniam duodeuiginti numerabantur Prouinciæ; ſacrificia totidem ita diſponebat, vt perpetuâ ſerie pro aliquâ fierent; quorum nouem Sanctiſsimæ Trinitati, alia in honorem Angelorum, & Beatorum hominum generatim addicta offerebat. Solebat quoquè Profeſſorum familias Patri, Collegia Filio, Probationum domos Sancto Spiritui dedicare, & cuſtodienda permittere. Sibi autem vnum è tribus continenter orabat, vel opem ad rectè Societatem adminiſtrandam, vel vt munere liberaretur, vel demum, vt eriperetur è vitâ. Quas preces cùm faceret, magnâ quadam ſolebat impleri fiduciâ eas auditum iri. Vt autem in Sacroſancti Chriſti corporis veneratione, prout dictum eſt, fixus hærebat; incredibile capiebat gaudium, cùm vel Sacerdotes ſacrificantes, vel ceteros ad menſam cæleſtem accumbentes, aut coram intuebatur.

171 Mira fidelitate Societatem rexit.

172 Conſtitutionũ amor.

173 Affectus, ac reuerentia erga Sanctum Ignatium, atque Lainium.

174 Societatẽ mire ſtudio regit.

175 Aliorũ culpas in ſe punit.

176 Conſiliorum ratio.

177 Prouincias, ac domos ſuperis commendat.

178 Sanctiſſima Patris Franciſci vota.

Digitized by Google

batur, aut mente considerabat. Aiebat enim, vt Pastor quiuis è rure lætaretur egregia quædam præberi gramina commisso sibi gregi; sic gestiendum sibi, & Christo Domino gratulandum, quòd ouiculas suas beatis cæli pascuis saginaret. Se quoquè ipsum per eiusdem communionem diuini pabuli, eâ cupiebat, orabatque participari virtute, & gratiâ; vt iucundus indè gregi, & gratus efficeretur: quia & cibus eidem in eodem Domino fieri optabat. Ceterùm multis in omnes partes nominibus tanto viro Societas debet. Obscuram suo accessu illustrauit, indigentem subsidijs vitæ sustinuit, exiguam alumnorum numero auxit, quos multos, atque præstantes exemplo, atque auctoritate pellexit, compluribusque domicilijs propagauit. Gandiensis Collegij, vbi primùm omnium Academiam habuimus, fundator, ac parens: item primus auctor Romani fuit. Exercitationum Sancti Ignatij comprobationem Pontificiam (bonum sanè inestimabile) eidem debemus. Postremò salutares etiam aliquot mores iam Præpositus Generalis induxit: & Prouincias duas Peruuianam, ac Mexicanam ad ceteras adiecit: præcipuâque incubuit curâ, vt domos probationis, in quibus reponebat plurimum, quasque sic adamabat, vt diceret in corde suo, si aperiretur, domum probationis inuentum iri, secretas à Collegijs excitaret, rectèque ex Ignatij præceptis regeret. Itaque qua nunc in his vtimur disciplinâ, potissimùm ei debetur. Inter cetera ex sacris literis pias sententias collegit, & obseruationes notauit diuersis actionibus, quibus Tyronum quotidiana vita distinetur, ad eas religiosè obeundas, scitissimè accommodatas. Lenitatem in administratione maximè laudabat: atque ita ingenium, quanquàm aulicis à pueritiâ imbutum moribus, euangelicâ bonitate perfecerat, vt nihil illo simplicius, candidiusque. Verùm singula persequi, præsertim, quæ iam alij in descriptâ Sancti viri vitâ ab tenebris vindicarunt, huius festinati per orbem terrarum discursus non est.

179 Quantum illi Societas debeat.

180 Domos probationis enixè curat.

181 Lenitatem in administratione commendat.

182 Baptista Sacius egregius prædicator.

Sexto Kalendas Decembres in eâdem Romanâ domo decessit Baptista Sancius, sacer ille, mirèque per Hispaniam vtilis, eòque nostris in Commentarijs sæpè laudatus orator. Totus erat in meditandis, contemplandisque diuinis, morum habitu rectissimus: ad populum argumenta non nisi grauia, scelerum fœditatem, ac pestem: contraria his bona virtutis: nouissima humanarum rerum: Christi Saluatoris caritatem, eiusdemque seueritatem iudicis pertractabat. Indè fiebat, vt è materiâ hac perfolida in officinâ contemplationis fabricata, atque exacuta tela, manu incitata rect: operis, & exempli, quasi amento contorta dum vibrat; nimium haberent pondus, altèque in audientium mentes salubri plagâ descenderent. Sed parùm supremis temporibus, adfuit, quin athletæ acerrimo ludificator Satan insanabile vulnus infligeret. Hausta ab Ioanne Auilâ primæ rudimenta sapientiæ, diutina exercitatio excelsarum contemplationum, amor secessus, ingenium tristius, & asperè increpandis populorum vitijs assueta lingua (fuit enim in hoc genere coërcendus) præstigijs opportunum fecerunt. Nam Paulatim eò deductus est, vt Magistrum Ioannem Auilam, & præcepta eius incomparabilia existimans, ea sola miraretur, ac prædicaret: communem orandi viam pro oratione vix numeraret: si quid festiuius in consuetis remissionibus audiret pro blasphemiâ, risum pro dissolutione haberet: eòque se magis, ac magis ab sociali consuetudine abiungens, Societatem non magnifaceret: labi diceret: & quæ minùs probaret, non vt quorundam propria, sed vt communia passim carperet. Ad quam sectam (nihil enim ita pellax, & quasi viscatum est, vt censoria, ne dixerim criminatrix, lingua, cui suffragetur virtutis opinio) in Placentino Collegio cùm multi iuuenum adhærescerent, euocatus est Romam. Anno superiore, dum ingrederetur Hispaniam Borgia, Italiam ipse intrauit. Summâ caritate Romæ susceptus, primæ auctoritatis Patribus Ioanni Fernandio, qui sacras literas in Romano Collegio explanabat, Francisco Turriano scriptori nobili, Iacobo Paëzio perdocto Theologiæ interpreti tractandus, atque curandus datur. Nequaquam tractabilem principiò sese præbere: non modò dictata tueri sua, & medicinam respuere; sed & appositos sibi medicos velle curare. At Ioannes Fernandius, qua erat & ingenij, & caritatis

183 Periclitatur in via virtutis.

acri-

Digitized by Google

acrimoniâ circumclusit hominem, & pressit grauissimè. Ostendit quanti res periculi esset præceptionibus alijs, quàm præpositi à Deo rectoris, cum labe obsequij, inhærere: quàm alienum ab humilitatis, hoc est à recto, tutoque spiritu, vnum se credere dono orationis à Deo donatum: condemnare ridentem, quantò grauior culpa, quàm ridere: cùm contemptus alienus nunquam vitio careat: at modicus in loco risus & laudem mereri, & mercedem à Deo possit: facetaquoquè narratio quantò veniâ dignior, quàm vitæ alienæ acerba insectatio: ad hæc quàm peruersum priuati hominis sententiam, quæ accomodari ad communem Præsidum debeat, facere normam disciplinæ: & hanc, si cum eâ non congruat, ire pessum arbitrari. Postremò quàm publicè noxium, susurris id ipsum spargere, & communes vitantem conuentus, ne ioci fortasse auditio maculet aures, aliena facta in cubiculo, sinistrâ cum interpretatione, garrire, vndè lædatur simplicitas audientium, fama violetur absentium, fratrum caritas saucietur, affligatur auctoritas Ordinis, ad remedium proficiatur nihil. Quantò æquius esse angustè de se, deque alijs benignè sentientem, si quid emendandum censeat, rectâ viâ incedere: & Præsides, quorum interesset, modestè, sed liberè admonere. His, & id genus salubribus monitis, si quid optimo viro Satan imposuerat, discussum est. Fuit in potestate suadentium, ac demum cum sanctitatis opinione, visus etiam prænosse diem migrationis, mortali liber velamine, vt nemini dubium fuit, ad contemplandum sinè speculo, & enigmate, cui tantùm assueuerat, fruendumque summo bono concessit: maiore etiam in ore demortui splendore quodam micante. Polancus iam Generalis Vicarius excessum eius in commentariolo suo adnotauit, his verbis. Sub finem Nouembris Pater Baptista Sancez professus quatuor votorum, vir deuotione in Deum, & concionandi dono clarus, vt vixerat, sanctè ad Dominum migrauit. Affirmauit bonam viri mentem alacritas obsequij, qua Romanam peregrinationem, vix dum è morbo emersus, valetudine alioqui nullâ, ac podagrâ sicdè debilitatus suscepit: ijs, qui mirabantur iter inceptari, quod planè videretur non posse perficere, pacatè respondens: sibi non esse propositum peruenire Romam, sed obedire eatenus, dum mors obedientem inueniret. Autumno huius anni Prouincia Longobardia tribus aucta domicilijs, amplificato vno, nouis duobus. Sanctus Cardinalis Borromæus inchoati à se Mediolani lætus successu Collegij, ad expellendam penitus ab Clero inscitiam, & quam excelsitate suæ caritatis moliebatur, inducendam præstantium vineæ dominicæ operarum copiam, videns accuratam deesse disciplinarum altiorum tractationem, iam pridem id agebat, vt professor Theologiæ Collegio adijceretur. Interim Deus, qui mirabili serie, vt naturalis huius incolumitatem vniuersitatis orientium, & cadentium rerum vicissitudine, ita Ecclesiæ quoquè suæ statum per varias conuersiones tuetur, atque propagat; obtulit occasionem consilij cumulatiùs exequendi. Humiliatorum ordo extinguitur. Hi Monasterium Mediolani opportuno situm, nobilique loco habuerant, adiuncto capaci templo in honorem Nascentis Deiparæ: Braidam vetustiores tabulæ, vulgus Breram vocat. Hoc loco ex doctrinis vniuersis, quas tractare Societas consueuit, Academiam excitari posse Sanctus Carolus existimauit: deque eâ re anno superiore cum Patre Generali, dum in Hispaniam proficisceretur, egit. Cuius promptam voluntatem cùm inuenisset; egit cum Paulo Cardinali Ecclesia, qui Præpositurum (sic enim nominabatur) Braidensem, commendationis nomine, possidebat, vt in hanc rem, domum, ac templum, & millenos annui census aureos conferret: cetera ipse de Aronensi Abbatiâ expleturus. Arona oppidum est Borromææ gentis, ad lacum Verbanum. Inibi sita Abbatia est Gratiani, & Felini Martyrum, quæ apud Borromæos iamdiu hærebat, eumque Sanctus Carolus primum habuerat militiæ sacræ honorem. Hanc Braidensi Academiæ ita addixit, vt quoniam Aronensibus quoquè suis consultum volebat, ibi pariter Collegium, aut Probationis domus fieret. Ergo cùm ad hæc omnia Gregorij Pontificis auctoritas accessisset; Academia in Braidensibus ædibus, Professorum domus in Sancti Fidelis, vbi ad id loci Col-

184 Remedia adhibentur.

185 Sancij obitus, & virtus.

186 Obedientia insignis.

187 Braidensis Collegij initia.

Digitized by Google

188 Professorũ Domus Mediolanensis.

Collegium fuerat, hoc autumno constitutâ: & aliqui Aronam missi domicilio reparando: vt vbi maturum esset, quod aliquot post annis factum est, Probationis domus inchoaretur. Ita Sanctus Carolus per hæc tria domicilia opus à fundamentis, (sicut virum adeò perfectum decebat) ad culmen euexit, & consummauit: vt dum Collegio Tyrocinium, Professorum domui Collegium alumnos summittit; vni, eidemque auctori initia, media, summa deberentur. Non mediocre ad hæc efficienda momentum habuit Leonettus Clauonius Longobardiæ Prouincialis pro opinione virtutis, atque prudentiæ, & magnâ auctoritate, quâ apud Sanctum Carolum valebat. Sed illi cùm seges iam læta proueniret, maturitatis conspectum, ac messis lætitiam mors inuidit: seu potius breuem fructum Deus cum æternis gaudijs commutauit. In Collegio Sancti Fidelis sexto Idus Octobris occubuit. Vicetiam habuit Patriam: iuris prudentiæ iam doctor ad Societatem se contulit, in qua non plus tredecim annos in perpetuâ ferè Collegiorum Foroliuiensis, Lauretani, Mediolanensis, postremò totius Prouinciæ administratione vixit. Inter præclara dona, quibus hominem Deus ornarat, meritò numeramus magnopere probatum, magnoque vsui Cardinali Sancto Borromæo fuisse. Collegium in Italiâ præterea nullum hoc anno receptum est. Instabant omnium flagrantissimè Theatini, incitantibus Valignanis, auctore Ioanne Oliuâ Archiepiscopo, & Iacobo Alarconio Samnitium Prorege. Iamque & aliquantum vectigalis conflarant, & ædes cum ad habitandum, tum ad diuina destinarant. Verùm differenda res visa, dum firmamenta validiora subijcerentur, atque eluceret inchoata iam in eâ prouinciâ, grauiterque nutantia domicilia quorsum euaderent. Concessum est tamen ad magni ieiunij labores par Sacerdotum. Ab Romano Collegio, vbi vetus populi magister etiam num discipulus (ita tum obedientia, & occupationes ferebant) Theologiæ studia persequebatur, Carolus Regius missus est. Inerant viro pleræque earum partium, quæ Christianum oratorem consummant, innocentia singularis, permodesta libertas, vita omnis ad exempli formam exacta, sedatum ingenium, acre iudicium, popularis, & grauis oratio, grandis vox, neque ingrata, quantælibet coronæ sufficiens, os quoque probum, & bona latera, & iusta corporis amplitudo. Itaque cùm singulis diebus concione frequentissimâ, Archiepiscopo, & Prorege Samnitium audientibus, è primario suggestu, ac præterea sæpè ad Virgines in Cœnobijs, & pios alios cœtus verba faceret; nimium quantum profecit. Ante omnia duo curauit, tanquam, & emendandæ fundamenta, & emendatæ stabilimenta Ciuitatis, vt frequenter sacrarum precum, & Sacramentorum morem induceret. Certos notauit dies, in quos pro Concione ad diuinam mensam populum inuitaret: plus enim inuitationi, quàm comendationi est ponderis: & celebritas concurrentium maiestatem auget operi, pluresque allicit: denique certi designatio temporis prolatantium torporem discutit. Ergo cùm statim initiò in diem, qui Domino sacer primus illuxit, inuitasset; accessere eo die permulti. Inuitauit deinde rursus in quartum, hoc est eum, quò mirè multiplicati panis historia recitatur. Tum verò millia fermè bina conuiuarum numerata sunt. Sodalitates prælatâ Cruce ordine conuenerunt. Archiepiscopus æquè magno suo labore, ac totius gaudio Ciuitatis, in Pontificio habitu præbitor Sacri Conuiuij fuit. Eodem ritu in diem Annuntiationis Deiparæ, eodem in octauum indixit Paschæ, instaurauitque cœleste epulum, & supremo die ipsemet præbuit. Hæc enim verò conuiuia, distributores Dei mysteriorum decent, in quibus non sumant ipsi mortales, sed ministrent vitales dapes, geminoque cœli pane fidelium mentes verbo Dei, & corpore Christi saginent. Ad consuetudinem precationum introducendam, Præsule multùm probante, hunc industrius exhortator ritum excogitauit. Ciuitate distributâ in regiones septem, suus cuique regioni assignatus est hebdomadæ dies, suumque templum, in quod ad campanæ sonitum supremâ fermè lucis horâ, cuiusque regionis populus conueniret. Ibi clarâ omnium voce, ex formulâ à Christo traditâ, adorato cælesti Patre, salutatâque Deiparâ Angeli verbis, tum Symbolo Apostolorum, ac generali

189 Sancti Caroli Borromæi in Societatẽ merita.

190 Leonettus Clauonius Prouincialis moritur.

191 Fuit Sãcto Carolo gratissimus.

192 Theatini Collegium postulant.

193 Carolus Regius ad eos mittitur.

194 Eiusdem dotes

195 Sacramentorũ ac precum frequẽtiam inducit.

Digitized by Google

rali confessione pronuntiatis, modò Carolus, modò Socius, breuem super oratione, aptumque loco sermonem habebat. Sub hæc dimidium horæ in meditatione ponebatur: indè totam exercitationem solenni ex albo Cælitum inuocatio claudebat. Tali instituto primâ Ieiunij Dominicâ inchoata oratio, haud pœnitendo fructu, vsque ad extremum continuata est. Auctoritate simul Archiepiscopi institutum, vt horâ primâ noctis ex principe templo signum ad preces pro defunctis peccata purgantibus campanæ pulsu daretur. Sodalitates insuper vehementer adiutæ. Vni earum indigentium addita cura, eâque ratione diuisa, vt quaterni singulis hebdomadis diuidendam inter inopes stipem emendicarent. Præter hæc eius, atque socij labore in carcere sæpè, quotidie in templo Archiepiscopali cathechismus vtiliter explicatus, dataque opera, vt salubre id cœptum in posteros perennaret. Quibus rebus, vt nouo colluſtrata nitore religionis species Theate est; ita Collegij impetrandi inflammata cupiditas.

196 Sodalitates adiutæ.

In Poloniâ Vilnæ Collegium, quod per autumnum superiorem pestilentia dissiparat, recenti anno collectum, non tamen funeribus caruit. Vincentium primò Caskouium amisit natione Massouitam ad manuum opera adiutorem, tyrocinio nec dum decurso: iuuenem cum ceteroqui optimum, tum eò potissimum memorabilem, quòd paulò antè Patri Lucæ Crassorio, & vni Fratrum Gregorio Boskeuio pestilentiâ ereptis, singulari constantiâ, & caritate ministrarat. Bransbergæ receptum Proprouincialis proximè secum aduexerat Vilnam. Is Ianuarij die vigesimo quarto: at Februarij septimo egregius adolescens Stanislaus Mieleckius amissus illustri natus familiâ, altero die quàm decubuerat, haud sinè pestilentiæ notis confectus, cùm esset robustus corpore, nec minus animo. Itaque simul sensit adesse mortem, interritus hoc tantùm; In nomine Domini, inquit. Quinto ante die religiosa ingenti ardore instaurauerat vota: eoque, & proximo die sacrosanctum Domini Corpus, veniâ impetratâ, susceperat. Scilicet præscia Dei bonitas sic vitæ alteri præparabat. Palatinus Polodiæ auctoritate magnâ, famâque Senator consobrinus eius id agebat, vt apud se ad rem componendam domesticam aliquandiu illum haberet. Indè quanquàm properatò, non tamen intempestiuè existimatus est abijsse, quò imminentibus ipse periculis, Socij molestijs liberarentur. Sacrum stadium quatuor ante annis Viennæ ingressus, iamque Vilnæ philosophicum iniens curriculum, felici commutatione, expeditoque compendio apprehendit vitam æternam. Præerat ei curriculo vetus athleta Thomas Zdelaritius, ingens Collegij columen: sed is quoquè post bimensem ad metam vitæ, aliquanto Collegij maiore damno, peruénit. Sexto idus Aprilis (vt Varseuitius Rector Collegij loquitur) & sanctè obdormiuit in Domino, dum tertiò ea verba repetit: Domine Iesu, suscipe spiritum meum. Egerat vitæ circiter quadraginta annos, octodecim Societatis omnium testimonio, ac nominatim Varseuitij eiusdem pietate præcellens, exempli probatissimi, filius obedientiæ, consolatio, & requies Superiorum: adeo semper ad omnia & paratum à voluntate, & instructum à facultate reperiebant. Bonus idem sacro suggesto, bonus tribunali pœnitentiæ, bonus clauo etiam religioso. Multis verò & modis, & annis laudatus in scholis, dum Latinas literas, dum Græcas, dum Philosophiam in Austriâ profitetur. Ex noſtratibus linguis Germanicam non ignorans, Vngaricam tenens, callens Illiricam, vt ortus in Zagabrienſi Diœceſi Drauum inter, ac Sauum. Hæc, atque alia Socij Vilnenses, quanquàm pro humanitate non poterant non dolere vulnera; non tamen magis in damnis, quàm numerabant in lucris: existimantes Collegium, quod tam miris incrementis prouehebatur in terrâ, his solidari fundamentis in Cœlo. Eidem Sigismundus Rex è vitâ decedens bibliothecam suam legauit. Nonis Iulijs Rex decessit, præsumptis ritu catholico Sacramentis. Societatem principiò perperam cognitam non magni fecit: deinde receptam in regnum, sensimque interiùs inspectam magis dilexit, fouitque. Ad substituendum gentis more nouum Regem comitijs indictis, Pontificis nomine Cardinalis Commendonus Lublinum ad ea comitia profectus, plurimùm interesse arbitrabatur, si Varseuitium, pro celebritate, virtuteque viri, apud se ha-

197 Poloniæ res.

198 Vincentij Caskouij obitus.

199 Et Stanislai Mieleckij.

200 Et Thomæ Zdelaritij.

201 Sigismũdi Regis mors.

Digitized by Google

202 Varseuitius secularibus negotijs se immiscere renuit.

se habuisset. Verùm Stanislaus clarè demonstrans negocia eiusmodi, ab Societatis ratione aliena, neque se apud Lithuanos, neque apud Polonos gratiam inituru, quin potius suspicionum, sermonumque causas, vel vtriusque, vel alterutris præbiturum; in Collegij sui religiosâ mansit custodiâ. Viri virtus, & nomen, latiùs in dies inclarescebat. Habuit totâ quadragesimâ de pœnitentiæ sacramento conciones magnopere salutares. Consecuta indè meliora multorum consilia: permultæ à multis etiam sexagenarijs ab initio ætatis reuocatæ confessiones: tanto concursu; vt ad confessiones leuioris negotij Sacerdotes extrarij adiutores assumerentur. Quem pœnitentiæ ardorem casus quoquè dirus incendit. Die

203 Horrenda pœnitentiæ dilatę pœna.

Parasceues, dum Sacerdos noster pro concione in Episcopali templo vincula Christi Domini tractans, illa Prophetæ verba exaggerat: Funes peccatorum circumplexi sunt me: & clementissimum Dominum culpis constrictum humanis ostendit; hæretici hominis famulus, qui nihil ab exordio, nisi perpetuo ploratu, ac gemitu sese afflictabat; in grauiores singultus erupit: & dum assidentes hortantur, vt memor sui sit; magnâ, ac terribili voce proclamauit: Memor sum: Scio quid fecerim. Is (vt postea palàm aperuit) cùm pridie statuisset de peccatis ab longo interuallo confiteri; totam noctem in eâ cogitatione fixus, turbulentam, & inquietam duxerat. Ergo dum tumultuosè clamat, & cum proximorum quoquè iniuriâ furit; turbatâ concione, notus Sacerdos, & alij quidam iussu præfectorum templi apprehensum foras educunt. Concio pacatè continuatur. Ille egressus ex arce, cùm pontem transisset, visus sibi fertur atrum videre puerum trahentem se, & dicentem: sequere me: Indignum est de templo te ignominiosè deturbari. Itaque statim retorto gradu Sacerdotem, à quo eductus erat, in vestibulo offendit, strictoque gladio fugientem sequutus in medio templo trucidat. Omnia tumultu complentur, concio soluitur, sacrilegus capitur, qui passim rogantibus, cur tantum facinus perpetrasset; aiebat, peccata esse in causâ, quæ per annos septendecim confessione non expiasset. Lictores inter ducendum admonuit, ne vincula remouerent: adhuc enim aliquos secum nequam spiritus adesse. Nequaquam visa est differenda vindicta sceleris vsque eo atrocis. Itaque post horas octo in iudicium producitur. Sedata iam omninò mens erat, atque composita. Supplicium ita non deprecatur; vt se, & commeruisse vltima pœnarum, & libenter subire velle profiteatur. Vnum orat, confessarij catholici copia sibi vt fiat. Ferebatur dixisse, non quem occiderat, sed Prophetam, qui detonabat è pulpito, fuisse mactandum: tamen idem concionator vltro caritatis officium postulauit, hominisque confessionem excepit, contritionem eius, ac fiduciam in Deo demirans. Absolutum ad supplicij locum deduxit, studiosè confirmans, pariterque varias precationes inter eundem exequens. Ille verò prius quàm excepturus ictum carnificis, humi procumberet; silentio facto, frequentissimam multitudinem, quæ ad spectaculum confluxerat clarâ voce admonuit: periculo suo saperent: fugerent moras confessionis: cauerent peccatorum vetustatem, ne in casus tam horribiles, quos in se videbant, inciderent. Tum precatus pro se preces ad Deum, magno animo ceruices ferro subiecit. Creditum est permissum diuinitus exemplum: vt non Catholici modò; sed alieni quoquè ad pœnitentiam excitarentur: adeo terribile, & efficax fuit. Super hæc ampliùs centum, Varseuitij maximè auctoritate, curisque Romanæ Ecclesiæ restituti: atque in ijs nobilium multi, & Vlricus quoquè Hosius, Cardinalis Hosij germanus frater, quod iam diu bonus Cardinalis optarat, cunctisque opibus tentarat casso labore. Varseuitius eum, paulò ante, quàm proficisceretur è vitâ, ad cognitionem veritatis, detestationem erroris, & catholicam homologesim perduxit. Idem beneficio pari in eodem vitæ cardine Capitaneo Bistricensi, & Lauarsciensi, regio lignorum Præfecto adfuit. Vltrà annos viginti non modò sacramentis, sed & omni catholicorum nihilò minus, quàm Hæreticorum conuentu miser abstinuerat. Iam iam expiraturus omnium iudicio putabatur, cùm reconciliatus Ecclesiæ, & peccatorum absolutione donatus à Varseuitio, singulari Dei beneficio, lucis prorogationem in dies quinde-

204 Varseuitij virtus, & fructuosæ curæ.

205 Nobiliũ conuersiones.

cim

cim visus est impetrasse. Quo spatio magnâ religione, magnoque peccatorum dolore exacto: condito etiam testamento, in quo multa religiosis cœnobijs legauit: demum mysterijs omnibus permunitus emigrauit. Sed rei catholicæ momentum longè maius reuocatus ad eam Ioannes Chotkouicius Archimarschalcus generalis magni Ducatus Lithuaniæ, Capitaneus Samogitiæ, idemque Liuoniæ administrator fecit. Varseuitio iam olim puer Vuitembergæ, dum pariter Philippo Melanchthoni famoso, & hæresum, & literarum magistro dant operam, familiariter vsus erat. Itaque aduocato ad se dubitationes de religione suas, maximè de Ecclesiâ, deque altaris sacrificio in coronâ Principum aliquot, & doctorum proposuit: eumque, & Balthassarem Hostouinum, quem comiter Pater duxerat, per horas continuas quinque disputantes, & singula prolatis Doctorum veterum testimonijs confirmantes, mirâ cum attentione, & alacritate audiuit. Indè Patribus honorificè dimissis, voluminibus, vndè prolata testimonia erant, Irenæi, Tertulliani, Cypriani, Augustini, & Chrysostomi apud se retentis, vt memoriâ, ingenioque valebat, ijs locis mirè vexauit præpositum Caluinisticæ turbæ Ministrum: qui captus vndique, & irretitus iaciendis in Iesuitas conuicijs, rubori tegumentum, & lenimentum dolori quærebat. Hæc gesta primo Vilnensis Collegij anno. Ex eo die hæreticis conuentibus Ioannes abstinuit, & sæpiùs cum Varseuitio egit, & Canisij catechismum maiorem, & Augustinianam Hieronymi Torresij confessionem lectitauit, quoad demum hoc anno Varsauiæ Patrem Franciscum Toletum allocutus, decreuit Ecclesiæ penitus se, & palàm reddere: & coram Cardinali Commendono hæreses execratus, confici diploma eius execrationis voluit posteris relicturus. Eodem tempore religionis catholicæ profiteri se acerrimum propugnatorem cœpit: interrogantique Palatino Vilnensi, qui hæreticus erat, cur à fide defeciisset; negauit se defeciisse. Nam in hanc fidem, inquit, cùm salutaribus aquis initiatus sum, sacramentum dixi. Is subinde, præcipuè apud Hæreticos, vt adsciscerétur Catholicus Rex, statimque coronaretur effecit. Ceterùm qualem Varseuitius sese præberet, testimonio est elogium Patris Stanislai Rozdrazonij, qui per autumnum à Pultouiensis Collegij gubernaculis Vilnam traductus, in Vrbem hæc scripsit. Audiui Patrem Varseuitium concionantem ad populum, & exhortantem fratres, agentem cùm Proceribus. Deus bone, quàm beatam puto Societatem, cui tantum virum in his partibus dedit? Quàm beatam Poloniam, quæ nunc eo fruitur viro? Deus sit benedictus, & Beatissima Maria. Petri quoquè Scargæ sensim nobilitabatur industriâ, tum splendore doctæ facundiæ, tum commendatione religiosæ vitæ. Ad pium officium ab Vincentio Portico Nuntio Pontificio ductus Plociam, vt Annam Poloniæ Reginulam, quemadmodum ibi vocabant, Sigismundi sororem de fratris obitu consolaretur, tum publicis in templo concionibus, tum priuatis collocutionibus, multos ex eâ Aulâ Procerum ab opinionum impiarum ambagibus expediuit. Posnaniæ inter orientis Collegij præclaros partus spectabilis fuit Valentini Iungadani conuersio natione Lipsiensis, & hæresum in Ridsinâ præconis: qui cùm publicè ante duos annos Lutheri zizania Posnaniæ sparsisset, à Iacobo Vuieco Vangrouicio Collegij Rectore reuinctus, ab eodem, postquam praua dogmata in magna celebritate è suggestu recantauerat, ad aram Collegij maximam ductus est, ibique ritu solenni catholicam disciplinam professus ab anathemate absolutus. Nec mora, vt, quod prauè texuerat, benè retexeret, quo beneficio dignatus ipse erat, participare orsus quamplurimos; postridie alterum satorem letalium seminum ad Vuiecum duxit, qui item non magno est negotio Ecclesiæ orthodoxæ redditus. Latè interim per Sarmatiam pestilentia, quæ superiore anno sæuierat, recrudescens, vti literarios, sacrosque conuentus distraxit; ita caritatis exercendæ rursus campum aperuit. Pultouiæ quam diris-simè seuijt, vt interdum homines, dum per vias incedunt, subitò perculsi, consectique concíderent. Vnicum nobis fratrem eripuit. Pater Nicolaus Sedcouius, qui ad solatium oppidanorum manserat, epoto latice (manna vocant) è tumulo Sancti Andreæ manante, mirabiliter est sanatus. Sed in eo clementiam

206 Petri Scargæ industria.

207 Et Iacobi Vuieci.

208 Valentini Iungadani, ac socij ab hæresi conuersio.

209 Pestis Pultouiæ sæuissima.

210 Manna Sancti Andreæ sanat pestilentem.

Digitized by Google

Dei Pultouiense Collegium, itemque Posnanense experta sunt: quòd cùm peracerbis, ac potentibus aduersarijs vexarentur; vtrumque pestilentiâ vindice tranquillitatem recuperauit.

211 Michaëlis Burgensis virtus.

In Germaniâ Rodulphus Maximiliani filius, qui dein Imperio successit, Possonij Rex Vngariæ creatus, egregiam religionis rebus spem fecit. Ibi Patris Auellanedæ, Hispanum Oratorem sequuti, comes Michaël Burgensis Scholasticus, nec dum Sacerdos vitæ suæ cursum confecit, nequaquam inter homines vulgaris excellentiæ prætereundus silentio: adeo humilitatis, caritatis, laborum tolerantiæ, atque omnium demum virtutum, non domesticis modò, sed etiam alienis, atque aulicis singulare documentum, atque admirationem reliquit. Obseruantes Franciscani Patres, vt apud se ægrotanti omni pietate adfuerant; ita mortuo summâ ceremoniâ iusta funeris persoluerunt.

212 Conuersio nobilis matronæ Principis.

In magno numero supra centum viginti ad legitima sacra Viennæ reuocatorum Matrona fuit prænobilis, quæ vna ferebatur columnarum septem, quibus regnum Lutheranum in Austriâ niteretur. Est operæ pretium occasionem nosse mutatæ sententiæ. Lutheranus minister, postquam ritu eam suo à peccatis absoluerat, petijt, vt illa sese vicissim absolueret. Id stomachata matrona, cùm pernegaret credere se, tantum potestatis muliebri sexui à Christo datum; obiurgata est acerbiùs à ministro, quòd inueterata Lutheri discipula, tam parum in doctrinâ Euangelij profeciisset. Illa verò diutiùs importunitatem hominum, & dogmatum vanitatem ferre non sustinens, ad Collegij conciones venit. Gloria suggesti per hæc tempora apud Ecclesiastem, & scriptorem nobilem Georgium Schererum erat: incertum sapientiâ, an modestiâ clariorem: Primâ statim dictione labefactata, priuatis deindè multis, & grauibus (vt adminiculum sectæ nullum non probè callebat, mordicusque tenebat) reuincta concertationibus, ac deuicta, vero demum, sanctoque Euangelio dedit manus.

213 Georgius Scherus egregius concionator.

214 Hussitarũ administrator cõuersus Patris Blesemij opera.

Pragæ ipse supremus Hussitarum, vt vocant, administrator, cum bonâ suorum manu ad Catholicos, multùm iuuante Collegij Rectore Henrico Blisemio, rediit. Subortus indè tumultus plebis, in quo proximè ab summo periculo catholica res, & Iesuitæ, in quos potissimùm Hæreticorum furor exarserat, abfuerunt. Sed per Dei clementiam seditione euanescente, non modò Collegium stetit incolume; verum etiam admodum vtili fundo, Cæsaris beneficio, auctum est, commutatâ in eum pensione, quam Fiscus instituto Ferdinandi præbebat.

215 Guilielmus Prussinouuski fundator Olomucensis Collegij moritur.

Et Olomucii, Guilielmo Prussinouuski Episcopo mortuo, non nihil subortum disidii inter sacros viros in successore subrogando: cùm alii Ioannem Grodecium Præpositum Brunensem legissent, alii Pragensem Archiepiscopum postulassent. Grodecius haud multo post Canonicorum consensu, & Pragensi Archiepiscopo postulationis beneficium remittente, successit: cuius, & dignitatem, & Probationis domum, quam Societati Brunæ fundarat, Gregorius Pontifex sub anni exitum confirmauit. Episcopus Guilielmus haud aliter sese atque vnus è nostro numero, tum studii veritate, tum vocis quoquè professione tulerat.

216 In Collegij templo sepulturæ mandatur.

In templo ab se fundati Collegii, vti optauerat, datus est sepulturæ. Tum ipsum, cum raptus est, maximè laborabat, vt quæ in Seminarium, quæque in Collegium contulerat & Cæsar, & Pontifex rata haberent. Cæterùm cùm infectâ re, ac ne testamento quidem condito, tantùm non repentè oppressus decessisset; non paruam parùm beneuolis, ad turbanda incœpta, fenestram reliquit.

217 Turbæ exoriũtur, ac reprimuntur.

Ingentes proinde molestiæ, velut in pupillum Collegium, subitò inuaserunt: haud scio an oppressuræ, nisi in successore Grodecio parentem recuperasset. Porrò extra Seminarium etiam Conuictorum florebat Domus.

218 Mors insignis adolescentis.

Inter quos memorabilis contigit adolescentis obitus, domo clari, pietate, & innocentiâ clarioris. Clementissima Dei Mater sæpiùs videndam se videnti, venerantique inexplicabili suauitate præbuit, & prædixit exitus diem. Qui cùm fideliter respondisset, prædictionis fides fidem visis adstruxit.

219 Olomucij, & Brunæ religionem fustẽtant concionatores è Societate.

Iam cœperant Olomucii Hæreticorum declamationes celebrari sub dio: sed superarunt voces veritatis. Societatis præconibus tribus in templis, ac præsertim Ioanne Merquitio Saxone, in parœciâ Sancti Mauritij loco nobilissimo personantibus,

vni-

Digitized by Google

vniuersa multitudo ab stultis fabulis ad sapientiæ incorruptæ voces auditum auertit, Haud minùs Alexander Hollerus Brunæ profecit frementibus incassum nouarum superstitionum cultoribus: qui cùm & libellis seditiosis publicè affigendis creare illi infamiam, inuidiamque, & conspiratione initâ, à suggesto arcere conarentur, denique extrema omnia intentarent; sub Camerarij (magistratus Imperij est) primùm operâ, qui vnà cum coniuge concioni interfuit destinato à coniuratis die, deindè Cæsaris edicto coacti sunt quiescere. Porrò Brunensis Populus ita vulgò vel prauis corruptus opinionibus, vel corruptorum commercio quasi efferatus erat, animumque ab religione abduxerat; vt quanquàm principiò interessent nonnulli dum Ecclesiastes differeret; statim tamen, cùm ad sacrificandum Sacerdos appareret, templum vacuum fieret. Igitur non solùm disputationibus, sed blandis quoquè artibus tantò enitendum magis Alexandro fuit, paulatimque pietate, facundiâ, comitate efferata ingenia cicurauit. Græcij Stephanus Rimelius pari cum successu interim restituendis in locum, vndè erant deiecti, ritibus insudabat. Quo Apostolico in opere cùm ingens in compluribus veritatis studium excitasset, id nuper consequutus erat, vt solenni Christi corporis die supplicatio, post annum vigesimum, ex quo fuerat intermissa, magnifico apparatu perageretur: quam opifices ordinatim, cum suis quique insignibus, Germanico more cohonestarunt, stupente Ciuitate, obtorpescentibus Hæreticis, Carolo Archiduce lacrymas præ gaudio non tenente. Quò ægriùs boni vniuersi, ac præsertim Archidux, qui plurimùm homini tribuebat, sibique ipse, & coniux à confessionibus legerant, immaturum bono publico eius è terris abitum pertulerunt. Postridie igitur Iulij Nonas magno Catholicorum luctu, Hæreticorum gaudio, nostro detrimento, bono suo, populari lue raptus est. Hohendingam in Sueuiâ patriam habuit: decennium in Societate, summâ religione, obedientiâ, & modestiâ, partim discens, plerunque docens nunc literas iuuentutem, nunc populos pietatem, egit. Perfectionem Collegij, quod Archidux Græcij approperabat, eadem popularis morbi calamitas differri in mitiorem tempestatem coëgit. Oeniponti, atque Halæ subactam pietati restaurandæ materiam terræmotus ingens (cui præcesserat fames, successit lues) quantus in eo tractu ante id tempus nullus memorabatur, subiecit. Pridie Nonas Ianuarias, ad secundam noctis horam cœptus, ante ortum solem cunctam regionem ingenti omnium pauore quadragies tremefecit: perdurauitque deinceps, interiectis subinde modicis interuallis, ad dies quadraginta. Multis locis labes factæ, terra descendit, tecta hausta, vel ita conquassata; vt fuerit ad securitatem ruina manu anteuertenda. Effusa gens in agros, nec stabilem ibi sedem habebat, & frigorum vi, quippe hyeme summâ, enecabatur. Ergo occasione vsi sacri præcones, populos ad Numen placandum, quò præsentius erat exitium, hoc enixiùs hortabantur. Sed non admodum opus erat calcaribus alienis: ipsa enim mala, vt Sanctus Gregorius ait, quæ nos hîc premunt, ad Deum ire compellunt. Itaque, præter excitatas ad precationem mentes omnium, atque studia pietatis certatim obita, plerique retextâ apud Sacerdotem anteactâ ætate, minùs timidam horæ supremæ vitam exorsi sunt.

220 Ioannes Mer. quitius.

221 Alexãder Hollerus.

222 Græcij religio. nẽ incipit restituere Pater Stephanus Rimelius.

223 Pater Stephanus vita perfungitur.

224 Terræmotus Oeniponti, & Halæ.

Ceterùm quoquò te vertas tristia vbique, ac misera humani exilij monumenta occurrunt. Dum hîc pestilens latè aër interficit: hîc terra nutans tumulum vnis aperit: illic ciuilibus dissidijs sese atterunt regna; in Belgio coniunctim bella, ac pestilentia debacchantur: per quæ pariter cœlestibus athletis multiplicata virtutis palæstra. Louanienses diuinæ tutelæ singulare pignus experti. Cùm enim, circumfremente ingenti cum exercitu Auriaco Principe, Louanium ægrè defendi posset, plurimique Religiosorum, quos in primis Hæretici oderant, solum mutarent; etiam Patres, habito inter se consilio, cedendum turbini censuerunt. Tondentur Sacerdotes, ne sacerdotalis coronæ vestigia in vertice ad iniuriam proderent: induuntur populari vestitu, gladijs alligantur, pecuniolâ instruuntur: tum bini, terniue in diuersa, vt spes inuitabat salutis, digressi, & quidam in Rhenanam Prouinciam benigno Prouincialis inuitatu profecti, vno,

225 Belgij calamitates.

226 Louaniense Collegiũ Deus tuetur.

Digitized by Google

alteroue in Ciuium domibus relicto, qui custodirent, quæ possent. Pridie Kalendas Septembres dissipatio facta, cùm iam hostes per insidias, & proditionem Mechliniam occupassent, & vix effugium vsquam pateret; tamen Deo duce salui omnes euaserunt: initioque Decembris, turbine illo ex Brabantiâ recedente, ad pristina munera redierunt. Per eam occasionem simul Conuictoribus dimissis, nec postea receptis; procuratione illâ Collegium etiam imposterum liberatum. Grassante Duaci pestilentiâ rari exempli, commodique in publicum fuit caritas Sociorum. Duo Sacerdotes, cum adiutore, qui id maximè flagitabant, ab ceterorum consuetudine segregati, suas pro salute publicâ deuouerunt animas. Ex eo generoso triumuiratu Pater Rogerius Bolbertus Anglus, qui non admodum vernaculæ peritus linguæ, sacrosancto viatico moribundis, & supremâ vnctione muniendis plurimùm tenebatur, contagione perculsus, vbi primùm brachia sibi quibusdam notis leti nuntijs interpuncta animaduertit; eas notas, tanquam diuinæ benignitatis pignora, suauissimè exosculabatur: ijsque pignoribus, post recepta diuina mysteria, quæ socius periculi Pater Vincentius Verius præbuit, ac renouata in extremâ lucis auræ religionis vota, commendans in manu Domini spiritum suum, pronuntiansque nomen sanctissimum IESV, postridie Kalendas Septembris beatæ vitæ possessionem iniuit. Duacenì pro Sancto habebant: & monumentum, quod solo extaret, communi impensâ, ad posterorum memoriam, ei cogitabant extruere. Persimili caritatis generositate Tornaci Pater Ioannes Mortagna, cum aliquot Socijs, cùm Tyrones in loca tutiora amouissent, consueta perrexit obire in proximos Sacerdotum officia. Sed placuit diuinæ clementiæ, quæ spatia viuendi mortalibus inæqualia summâ æquitate dispensat, his omnibus, quamuis vndique prope octingentis contagiosorum circundarentur domibus, nec operam cuiquam suam negarent; prolixius dare negotiandi tempus, quo thesaurus meritorum cœlestium cumularetur. Socij verò Antuerpienses ad illustrem liberalitatem calamitate bellicâ vti sunt. Mechlinia ab regijs recepta, quòd sæpiùs se hosti tradidisset, & ad Vrbium ceterarum instabilem fidem terrore firmandam, diripienda militi data est. Vrbs indè opulenta, ac nobilis ad summas redijt omnium rerum angustias. Non vestes, quibus saltem fœminæ tegerentur: non quibus templa, aræque sternerentur, erant: non cibus, quo propulsaretur necessitas. Eâ re cognitâ Petrus Trigosus, qui tum Antuerpiensi stationi præerat (is qui deinde transgressus ad Capuccinos opinionem Societatis, & caritatem, vt apud animum suum auxit potiùs, quàm ex vllâ parte imminuit; ita nullo id loco præseferre, ac prædicare desitit) mercatoribus admonitis, id esse tempus, quo declararent, quæ præcipua sint negotia, & lucra Christianis; continuò magnam vim ex ijs corrogatam alimentorum onustâ naui Mechliniam summittit. Tum suadere ijsdem pergit, vt quicquid ex prædâ, quam ferè omnem miles Antuerpiam venum tulerat, nancisci queant; suâ pecuniâ quamminimò redimant, vt dominis, si apparerent, eodem pretio redderent, ne à propolis redimenda essent caritas: vel certè, si Domini non extarent, inter indigentes distribuerent. Quod consilium cùm pijs mercatoribus placuisset, ad octo aureorum millia in ijs emendis impenderunt. Præter hæc Trigosus milites ipsos aggressus perpulit, vt ampliùs centum vestimenta partim virorum, partim fœminarum religiosarum gratuitò seruis Dei redderent. Simul Episcopum adijt, Collegium Canonicorum, Prætorem, nationum Consules: omnesque graui oratione cohortatus ad opem ferendam permouet. Alij alia: Episcopus, & Canonici statim, præter ingentem panis numerum, multum quoquè stragulorum ad cubandum miserunt: cùm accepissent, nudâ humo miserorum afflicta sterni corpora. Dein ipse met Episcopus vna Canonicorum, atque Trigoso comitibus, subsidia ad eosdem iuuandos ostiatim emendicauit: & Ciuitas æquè benignè pietatem laudauit mendicantium, atque mendicorum calamitates leuauit. Apud pleroſque hæc pia Trigosi industria ingentem commendationem reperit. Et Cardinalis Granuelanus Mechliniensium Antistes, per fratrem suum Federicum Champignij dominum, id tempo-

227 Seminarium dimissum,

228 Duaci pestilentia grassatur.

229 Pater Rogerius Bolbertus ex pestilentia obsequio moritur

230 Tornaci etiam morbidis patuant operam Pater Mortagna cũ Socijs.

231 Mechliniensi cladi succursum à Societatis hominibus.

ris

ris Antuerpiæ Prætorem, gratias illi accuratè egit. Ceterùm non defuere, qui aliorum rem interpretati iactarent, viam inuenisse Iesuitas, per quam pecuniam, quam vellent grandem, auerterent ad condendum sibi Collegium. Et fraudis eius suspicio ita tenax hæsit quibusdam, vel certè simularunt hæsisse; vt cùm deinde Ludouicus Requesenus Belgio præesset, veterique suo more Societatem amantissimè foueret, nimirum id eò fieri dicerent, quòd ex Mechlinienſi prædâ collecto fraudulenter auro, repositoque Patres eius fauorem emissent, mutuo dato, vt simul maiore vi Hæreticos bello persequeretur. Documentum profectò notabile malignitatis humanæ: quàmque nihil sperandum sit vnquam fieri tam rectè posse, quin peruersa mens ad ludificationem sui præstrigiatrix, acutâ prauitate aliquò detorqueat. Leodij, vbi iam statio quædam sub Henrico Somalio agebat: Brugis, vbi Franciscus Costerus, & Nicolaus Hartemius: & Neomagi in Geldriâ, vbi Ioannes Zantenus memorabili successu conciones, disputationes, aliaque contra Hæreticos, & vitia pietatis arma tractarunt, Collegia magnopere expetebantur. Sed Geusiorum insani motus, & plus quàm nimio per id tempus secundi progressus, moram plerisque bonorum consilijs afferebant. Venerat Neomagum Bransbergâ Zantenus, vt rebus sese domesticis expediret. Sed interim in suggestum productus, cùm Ciuium animos mirè teneret, & subortis tumultibus vndique à rebellibus cuncta occuparentur; tanti vox eius existimata momenti est, vt diu retentus inuitus sit: dato portarum custodibus negotio, vt non minùs exitu illum, quàm hostes aditu prohiberent.

232 Malignitatis humanæ exemplum.

233 Ioannis Zantenii res Neomagi.

Fluctuante Belgio, releuari aliquantum visa est Gallia, Hæreticorum magnâ ex parte sentinâ exhaustâ: cùm Sancti Bartholomæi die, post deprehensas in Regem insidias, Hugonottorum memorabilis illa toto regno edita est cædes, Gaspare Coligno olim Admiralio, principibusque factionis extinctis. Cumulauit bonorum lætitiam Henrici Nauarræ Regis, post promulgata eius cum Caroli sorore sponsalia, erga rectam fidem propensio: deque eâ in suis terris restituendâ edicta. Illi instituendo sæpè adhibitus est Ioannes Maldonatus, cuius & doctrinæ, & virtutis latè celebrabatur nomen. Idem ab Duce Montispenserij ad ipsius filiam Bullionij Ducis vxorem Hugonottam mittitur. Audierat hæc resipuisse Caluinianum Ministrum, à quo quatuor antè annis fuerat circumuenta, eumque ad se mitti postularat, vt cognitâ eius facti ratione, sibi ipsa quo què consuleret. Verùm cùm haud planè de bonâ Ministri fide constaret, metusque esset, ne magis eam inter Hugonottorum sanguinem expressisset pauor, quàm pietas adduxisset; Maldonatus visus est Duci mittendus: idemque ab Cardinali Borbonio iussus viduæ Condeæ Principis animum ex itinere pertentare. Haud fruſtrà tentata res. Auditis eius de catholicâ fide disputationibus, vidua ad sanam reuersa mentem, paulò post etiam Parisios ex Condensi oppido redijt. Sedanum verò Maldonatus ad Bullionenses Duces progressus, sensim prius cum vxore Ducis, dein præsente viro, & errorum ministris decem dies disputans, magnopere omnes ad resipiscendum commouit. Illud præsentis lucri fecit, quod cùm octauum iam annum nulla Sedani fuisset audita Catholici concionatoris vox; ipse concionatus est publicè, & ab Duce impetrauit alijs Catholicis, è parochi arbitrio, concionandi potestatem. Ceterùm cùm opportunè insisteretur ad insaniam salubri terrore concussam penitus rationum luce captis è mentibus excutiendam, tum alibi, tum præcipuè Parisijs amplus patuit Socijs laborum ager. Quaterni vrbem, & circumiecta oppida ad inducendum cathechismi vsum Episcopi iussu peragrarunt. Quorum alijs dum felix è labore prouentus solatio est; alijs certamina cum Parochis, nouum id criminantibus institutum, appendix coronæ fuere. Notior tamen in dies fiebat Societas, paulatimque procedebat, arte quadam patientiæ, & caritatis excipiens commodè flatus aduersos. Itaque & Collegio ex legato Petri à Sancto Andrea, qui fuerat Senatus Præses, non nihil accesit emolumenti: eò sanè cumulatiùs, quòd litibus statim exortis per eam occasionem nouo Senatus decreto Societas in Regno Galliæ confirmata est: & posse eam legata iure capere declaratum. Ceterùm quantum-

234 Memoranda cædes Hæreticorum in Gallia.

235 Ioãnis Maldonati curæ pro religione.

236 Parisiensium Sociorum labores.

Digitized by Google

cunque id lucri caro stetit. Grauissimam vexationem controuersia prope de nihilo peperit: eò etiam acerbiorem, quòd ansam præbuisse nos videbamur. Etenim cùm Præses paulò ante exitum accito ad se Maldonato significasset, Collegio quædam se ad templi ædificationem legasse: isque præsentium Collegij necessitatum rationem habens, suasisset, vt sublatâ ædificandi templi conditione, liberè, si quid vellet, legaret, idque rite factum esset; hinc posteà criminationum, & calumniarum materia sumpta est. Per triduum in frequenti Senatu à disertissimis oratoribus oppugnati sumus. Nec iam veteri tantùm carmine reijciebantur à testamentis Iesuitæ, vti extranei, & ciuium iuris expertes; sed quòd insinuarent se in testamenta: quòd voluntatibus morientium insidiarentur, easque ad suam libidinem peruerterent: quòd pecuniam in aliena regna emitterent, ideoque libera legata vellent: vt magnoperè enitendum, diuque fuerit, non pecuniæ causâ, quæ admodùm mediocris, nullum habebat dignum tantâ contentione pretium; sed vt ne famæ iactura grauior fieret, neu summa rerum, quod quidem studiosi religionum nouarum agebant, in periculum totâ Galliâ vocaretur. Cesit tandem veritati calumnia, æquitas causæ, & innocentia probata est Societatis, magnâ & Maldonati, & Sociorum omnium admonitione; quantâ cum pernicie à prascriptis Ordinis, quæ habemus in hoc genere perquamseuera, quamuis per studium alioqui probabile, vel leuiter aberretur. Præter alia, quæ ferè passim flagitabantur Collegia, & Musipontanum, vt initiò memoraui, receptum; duo sunt instituta, Burdigalæ alterum, alterum Niuerni. Est Burdigala Aquitaniæ metropolis, vrbs maritima: eòque non solùm Ciuibus apprime honestis, sed etiam supremo senatu, quem Parlamentum vocant, ac mercatorum commercio frequens, ac nobilis: sed, vt alibi, ita hîc partem ciuitatis haud modicam hæreticum virus contaminarat. Habebat gymnasium publicum olim clarum sexdecim instructum magistris: quod, cùm vitæ, doctrinæque integræ viri deficerent; Societati Burdigalensis Senatus tertio ante hunc anno, cum reditibus annuis, obtulit. Sed partim ob difficultatem temporum, partim quòd Societas nimis grauè, inuidiosumque non libenter amplectebatur negotium, verebaturque, ne ius vellet in id pristinum ciuitas obtinere, æternum querelarum fontem; nihil est actum: Deo aliunde expeditiora parante exordia. Procurabat Burdigalæ Infantis (vt vocant) Lusitaniæ Cardinalis Henrici negotia Lusitanus vir nobilis, ac pius Dominicus Leitanus: qui cùm perfamiliariter vteretur Francisco Baulono Burdigalensi Senatore, magno natu, nullâque sobole; auctor ei fuit, vt Collegium Societati Burdigalæ fundaret. Non posse gratius Deo rerum, quas vellet nollet abiens è vitâ relicturus esset, sacrificium facere: nec posse solertiùs in sempiternum sibi quæstum peritura vertere: nec denique aliter posse meliùs in omnem posteritatem de patriâ suâ mereri, ijs præsertim temporibus, quæ religiosorum talium auxilia flagitarent. Carolus Rex pium viri consilium probat, ædesque olim, vt ferebant, à Carolo magno extructas cum sacello attribuit. Accersitur ex Aruernis Augerius, qui per sacrum Aduentum, & maiora huius anni ieiunia, non ijs modò, qui rectum fidei tenebant iter, constantiam attulit; sed ab errorum quoquè abruptis complures auertit. Quadringenti, & eo amplius patres familias, cum vniuersis domesticis, quadragenarij ieiunij disputationibus permoti, vnà cum vno ex Antesignanis errorum, veritatis callem repetierunt. In solenniis Paschalibus cùm superioribus annis vix sena hominum millia ad diuinam mensam censerentur; septendecim millia numerauit hic annus. Hæreticis indè lupis is dolor incussus eâ causâ, metusque iniectus amittendæ prædæ; vt collocatis ad templi ianuam, vbi Augerius verba faciebat, suo de grege satellitibus, explorarent sedulò, num quis è ciuibus iam ab se effascinatis ad Euangelica amuleta confugeret: ac si quem depreh endissent; illico, anathemate scilicet formidando, ab cætibus suis arcebant: ne salutis viam, quam reperissent ipsi, monstrarent aliis. Nec Tartarus, eiusque operæ quieuerunt, quoad tam præclara orsa in summum vocauere discrimen. Regi, eiusque parenti, atque Birago Senatus Præsidi callidè vafri homines insusurrant, seditiosum genus homi-

237 Vexationes eorundem.

238 Burdigalense Collegium instituitur.

239 Dominici Leitani erga Societatem benignitas.

240 Fraciscus Baulanus Senator Burdigalæ Collegium fundat.

241 Augerij vtiles labores.

242 Perturbatur Collegij institutio.

Digitized by Google

hominum Iesuitas esse: nec vllo modo sinendos Burdigalæ considere: ne in vrbe maritimâ, tantique momenti, pro religiosorum Collegio, receptaculum alienigenarum regno insidiantium statuatur. Quæ tanto artificio, tamque fucatâ improbitate obtrusere; vt Rex, quod concesserat, abrogaret. Tum Burdigalenses communi consensu, Archiepiscopus, & auctor operis Baulonus, ceterique Ciues catholici mittunt è suo corpore honestum virum Bruchonium nomine in Regiam. Suscepit etiam enixè rem Fabius Mirtus Apostolicus Nuntius: cuius fidelem, atque strenuam operam nullo res nostræ loco desiderarunt. Illud denique impetratum, vt Collegium fieret, sed cum eo ne alienigenæ inhabitarent. Dissimulata tamen conditio est, tum quòd declarauerunt, neque Italos, neque Scotos in externis censeri: tum præcipuè quòd spes ostendebatur breui tollendam, vti euénit. Anno enim insequenti Regio diplomate potestas facta est ex quauis natione homines, vt in alijs Collegijs Societatis; ita Burdigalæ habendi. In præsentia rebus, vt licuit, constitutis, Iulio mense Edmundus Haius Franciæ Prouincialis (huic enim Prouinciæ Collegium contributum) primos deducens colonos adfuit. Hi fuere Carolus Sagerius, cui Protectoris munus impositum, Bertrandus Roserius, Claudius Vialonus Sacerdotes, cum Ludouico Richeomo inclyto & gestis in Societate, citra summum, cunctis præfecturæ muneribus, & summâ Gallicani styli præstantiâ. Duo præter hos ad ministeria familiaria adiutores adducti. Dumque ad literarias exercitationes classes instruuntur; Sagerius explicare aggreditur primam ad Timotheum epistolam Pauli: Richeomius græcos Synesij hymnos: Bertrandus cùm assidua circumferretur precatio per templa vrbis (peculiari curâ ab Archiepiscopo iuncta) diuini verbi circumferebat præconium quocunque precatio indiceretur. Nec Edmundus, nec Sagerius ab eodem cessabant munere. Quibus laboribus magnâ ex parte factum, vt menstruo spatio mille ducenti hæreticas opiniones exuerent. Literaria dehinc palestra ab quinque præceptoribus ineunte Octobri exposita tantum habuit concursum, & plausum; vt, præter pueros elementarios, vix vllus discentium reliquus fieret. Niuerni, Dux vrbis eius Ludouicus Gonzaga pietate, prudentiâque clarus Princeps, Collegium liberaliter instituit: neminem passus, nisi vnum, qui res ad morem Societatis componeret, Niuernum præire, antequam satis instructa essent omnia: quò colonis minus incommodi ex præparato, & plus gratiæ ad populum ex nouitate foret. Principio Nouembris quatuor latinitatem discentium auditoria, ac cetera Societatis instituta munia quamoptatissimo euentu, Iuliano Buglerio Rectore: Niuernensibus non labores modò probantibus sacrarum operarum; sed liberalitatem etiàm commendantibus Ducis: qui nihil parcens impendio, subsidium sibi tam opportunum misisset. Inter hæc ad Collegia inchoanda egregiè factus administer Ludouicus Codrettus Lutetiæ vitâ perfunctus, ad Beatorum Collegia pridie Idus Nouembris subuehitur. Idem Florentini, & Politiani, & Montisregalis, & Auenionenſis, & Camberienſis infantiam rexit. Et habebat ad primam difficultatem sustinendam, ac perrumpendam aciem animorum satis, & virium: amantissimus paupertatis, incommodorum tolerantissimus, appetentissimus laborum, doctrinâ idem, & eloquentiâ vltra medios: sed studio animarum, & exhortandi inexplebili quadam siti secundus nemini. Quæ omnia singularis commendabat modestia, & bonitas: quæ cùm menti inesset; foris in totâ vitæ actione emicabat: omninò vir non modò extra querelam æquè suam de alijs, & aliorum de ipso; sed & qui præter se, nec paruifaceret quemquam, nec à quoquam parui fieret. Allobrox erat ex oppido Salanciâ, Societati non multis, post quàm condita est, annis adiunctus.

243 Collegij exordia.

244 Primi Collegij coloni, eorúmque labores.

245 Mille ducenti hæretici mense vno conuersi.

246 Ludouicus Gonzaga Niuernẽsis Collegij Fũdator optimus

247 Iulianus Bulgerius eiusdem Collegij Rector.

248 Ludouici Codretti in inchoandis Collegijs præstãtia

249 Virtutes aliæ.

Compluti in Hispaniâ Petrus Saauedra decessit, qui ortus in Toletano vico Esquiuiâ, seculi anno decimo, celebre virtutis, & scientiæ nomen anno quinto & quinquagesimo religiosæ obedientiæ mancipauerat. Is olim alligatus vxori, destinatusque à Carolo Quinto vnus è Consilio Quatuorvirum, quod anno nati Saluatoris millesimo quingentesimo quadragesimo octauo in nouæ Granatæ Regno Imperator instituit, exercitijs spiritualibus à Patre Francisco Villanouâ,

250 Petri Saauedræ virtutes.

Digitized by Google

251 Per exercitia spiritualia sententiam mutat.

uâ, dum ad iter se parat, susceptis, sententiam mutauit, maximè caritate suorum retentus. Ergo quæstuosum Tribunal remisit, idque maiore compendio, quàm lecti Collegæ adiuerunt. Nam duo ex his, cùm aliquot post annis redirent benè nummati; non longè ab Hispaniâ cum vniuersâ pecuniâ, totque laborum præmijs obruti perierunt. At ipse totus ex eo tempore à consilijs Villanouæ pendens, vitam in populi turbâ planè paucorum instituit. Publicus Aduocatus causas magnâ prudentiâ non nisi suscipiebat æquas: magnâ ingenuitate repudiabat, quas iniquas rebatur: magnâ susceptas fide, curâque tractabat. Sed tribus maximè præsidijs ad profectum vtebatur: memoriâ mortis, benignitate in pauperes, crebritate Sacramentorum. Paruulam filiam fermè quadrimulam ita

252 Mortis memoriam sibi suggeri curat.

instituerat, vt ad se identidem in conclaue adiret, ac diceret: Pater, memineris tibi esse moriendum: quod puella simpliciter interdum in magnâ etiam consulentium coronâ factitabat: & Saauedra eam, quò lubentiùs salubre carmen occineret; munusculis allectabat. Eandem iusserat pauperibus, quotquot ad fores rogarent, sedulò ferre stipem, eâque porrectâ non absistere, quoad manum eisdem oscularetur: vt in suâ Christum Deum imagine assueſceret venerari. Homolegesim, ac synaxim frequens instaurabat: nec ferè vnquam sinè vberi fletu.

253 In pauperes veneratio.

Colebat inter Cælites veneratione præcipuâ Beatum Didacum Complutensem è Sancti Francisci Ordine, eum, quem postea Pontifex Sixtus Quintus in numerum Sanctorum adscripsit: singulisque diebus in dedicato ei sacello sacrificium præsente se fieri curabat. Hîc verò memorabile dictu narratur, & ipse met in actis, quæ ad rite cognoscendum de Beati sanctitate fiebant, iuratus affirmauit.

254 Miraculũ Sancti Didaci erga sacrã Hostiam.

Singulis diebus, cùm diuina hostia attolleretur, audiebat sanctum cadauer intra loculum commoueri, tanquam ad præsentem Dominum adorandum assurgeret, simulque suauissimum afflari odorem sentiebat, qui aliquanto tempore permaneret. Interim vxor occumbit. Quæ mox expiratura, cùm rogaret, vt si conditâ se nouas amaret nuptias, vnum videret illud, communibus pignoribus vt parentem potius, quàm nouercam adduceret; continuò demissus ante Crucem in genua, perpetuam ex eo tempore castimoniam vouit, pollicitus insuper sacerdotium se subiturum, & quam primam immolaret victimam, pro eâ facturum. Quæ cumulatè præstitit: nam breui succensus est amore vitæ perfectæ. Verùm cùm anceps hæreret, vtrum Societati, an Sancti Francisci Ordini daret sese; non alium, quàm ipsummet Sanctum Didacum, cuius promptam quocunque loco, atque vsu experiebatur benignitatem, legendum sibi arbitrum dixit. Ergo dum enixissimè in eius sacello ad internoscendam Dei voluntatem cœleste precatur lumen; audito ex vrnâ strepitu venerandi corporis, quasi sese agitantis; simul vocem (quanquàm explicare non poterat, vtrum sonorâ, & corporatâ fuisset, quæ aures, an interior, quæ solam impelleret mentem) accepit: quæ planè denuntiabat in maiore Deum habiturum obsequio, si ad Societatem adscriptus esset. Quo ab oraculo domum reuersus, è paruulis filiabus, quas habebat quatuor, & natu maximam decennem idem interrogat, & idem consensu omnes affirmasse dicuntur. Tum ille protinus ardore immenso ad religiosa festinare septa. Verùm cùm Pater Villanoua non sineret loco moueri, antequam filiarum prospexisset infirmitati, resque domesticas christianâ maturitate composuisset; scriptum edidit generoso plenum, sanctoque Spiritu, interque alia multa his verbis: Quoniam, inquit, ferè ante biennium castitatem deuoui; idem nunc votum sponte meâ ratum habeo, approbo, deque integro, si opus est, suscipio. Ad hæc, quoniam decreram nihil statuere de me, neque consulere, nisi Patris Francisci Villanouæ Collegij Societatis Iesu Compluti Rectoris voluntate, cuius me obedientiæ, meæ diffidens voluntati, atque sententiæ, ne aberrarem, ac potissimum Deo, dominoque meo gratificaturus, apud animum meum sponte subieceram; decretum idem agnosco, atque affirmo, volens ita intelligi, vt ad laudem Dei perinde me, tanquam emptitium mancipium suum agat, ac verset. Hoc enim studeo, hoc volo, quicquid in me voluntatis, quicquid libertatis est, Christi causâ funditus abdicare, ac perdere, vt

255 Saauedræ ad Societatem vocatio.

256 Eius ardor.

me

Digitized by Google

me totum possideat, qui creauit me, & conseruat, cuius sum, cui me trado, vtque Diaboli seruitute, quæ nostro summo bono ita exosa est, liberer. Rursus quoniam Patris eiusdem iussu adesse tantisper meis, atque seruire cogor, atque cupientem (ne caducarum spes, & cupiditas rerum iter mihi ad Dominum meum pro sceleribus meis impediat) paupertatem vouere ille prohibuit: ne perituris animus adhæresçat, sed ad Christi comitatum sit expeditior; statuo, ac spondeo Domino meo Iesu Christo, simul primùm illi placuerit, quoquo modo placuerit, paupertatem voturum. Quarum rerum vt memoria vigeat; hæc ego quinto Nonas Maias (quo die cum sanctâ Cruce admirabilis in cœlum Christi ascensio colebatur) meâ manu scripsi Compluti, & Patri eidem, dominoque meo Francisco Villanouæ tradidi. His non tam ad firmitatem consilij, quàm ad lenimentum desiderij peractis, moræ tamen impatiens, quamcelerrimè potuit, quæ necessitudinibus naturæ debebat persolutis, anno post in Domum Dei receptum inuénit. Soceri curæ filias reliquit, quem bonum fuisse virum, vel literæ ostendunt, quas egregias, nec luce indignas Pater Franciscus Borgia ad eum consolandum dedit. Non dubito, inquit, quin Doctoris ad nos Saauedræ aduentum dolueris, quantum pater adeò bonus, adeò bonum filium amas. Ceterùm tantò maior est mihi causa leuandi doloris tui; quantò præbuit tibi Deus, vt melior esset pater, quàm ceteri soliti sint. Nam illi de suis filijs nihil, nisi bona terrena, carnisque, & sanguinis præsentiam fugacem amant, Verùm ipse, qui nosti quantulum hîc boni sit tendentibus eò, quò nos tendimus, huiusque exilij, quàm breuem ducant absentiam, qui æternam carorum sperant præsentiam; consolaberis temet, & gaudebis in Domino, qui carne mortificans spiritu viuificat. Non amisisti, quem diligebas, vt filium: quandoquidem vero parenti dedisti. Nequaquam præsidium ille tui deseruit, qui sub præsidium Dei se contulit, vt præstantius indè, & filij tibi, & patris, quibus debet, officium præstet. Proh quantùm roboratur humana imbecillitas, quantùm valet debilis, qui sibi diffidens, se, suosque Deo commendat! Si vitæ subsidia, & quicquid boni est ex Dei benignitate nos expectare necesse est; cui dubium, quin quanto illum amore magis, & obsequio demerebimur, tanto plus referemus bonorum & nobis, & nostris. Recessit à te quò propiùs ad Deum accederet: domum suam deseruit, vt in domum iret Domini sui: abijt à filijs suis, quò maiorem partem haberet in filijs eius, qui nobis est & pater, & dominus. Enimuerò, quos hæc carissimi Doctoris Saauedræ conuersio dolore affecit; consolabuntur (quæ Dei bonitas, ac misericordia est) læti de eo in dies nuntij: intelligentque, eum veras nunc tandem Indias, & immensi thesauri venas inuenisse: quandoquidem non in terræ occidente, sed in cœli quærit oriente, qui ortus est ei, atque nouâ specie, & claritate resplenduit. Dominus hæc, à quo sunt, & propter quem sunt, ampliora faciat. De me affirmare habeo, vt bonorum, quæ carissimis mihi in terrâ exopto, summum hoc est; ita non posse non gaudere quamplurimum, & summas Deo gratias agere, dum quem tantopere in ipso amabam, ita paratum video, vt sit è numero pauperum, quos eligit Christus ad cœli diuitias. Abs te autem pro tuâ tantâ religione, atque sapientiâ peto, vt ad diuinam voluntatem vsquequaque accomodans tuam, dolorem ponas, gaudium capias, & quibus necessariam videris, consolationem adhibeas. Hoc enim fortes, qualis ipse es, auxilium debent infirmis. Ego, quanquàm nihil admodùm valeo, tamen omnia me, & tuis debere, & fratris nostri Saauedræ rebus existimabo: daboque operam, vt vbique eum tanquam verum, ac germanum fratrem suscipiam, ita merentem, vel vno hoc nomine, quòd ad communis Domini famulatum accessit. Id enim nos omnes, vt conseruos, & me ante omnes, obstringit. Hæc scripsit Franciscus, & perinde postea gessit. Subinde viri operâ vti cœpit, apud sequeq; deinceps, quoad in Hispania mansit, fidelem, ac strenuum in negotijs priuatis, ac publicis administrum, & adiutorem habuit: & vbi vocatus est à Pio Quarto Pontifice, secum in Vrbem duxit. Vndè remissus in Hispaniam; Collegio Maritano præfuit, quoad diuturno capitis dolore acerrimè cruciatus, cuius leuamen-

257 Epistola Patris Francisci Borgiæ de vocatione religiosa.

Digitized by Google

258 Sanuedręmo:s

mentum nullum, nisi quandiù sacrificaret, reperiebat; Complutum curationis gratiâ profectus, ibi decimo Kalendas Sextiles sub mediam noctem decessit: multùm rogatis Patribus, vt sacrificia sibi, & preces, quibus maximè confidebat, approperarent. Quod de Sancto Dominico, alijsque nonnullis memoriæ proditur, id de hoc viro innocentissimo narrant: Deum vsque eo habuisse indulgentem; vt diceret nihil se petijsse vnquam, quin impetrasset: adhibebatque ad impetrandum ingentem fiduciam, & vim vberrimam lacrymarum, quibus totus in oratione, & sacrificio, flumine iugi, perfundebatur. Interque cetera filiæ natu maximæ, quam prorsus Medici desperarant, sanitatem impetrasse: & vxoris de statu solicito, ipsammet visam clarissimâ in luce gratias agentem, quòd & nomen Societati dedisset, & pro ipsâ, quod receperat, primum sacrificium immolasset: affirmantemque iam beatâ vitâ se frui. Ceterùm quàm indulgenter habebatur à Deo; tam exercitum vehementer à Dæmone tumultuoso strepitu, monstrosis figuris, alijsque terriculamentis: quibus tamen cruciaretur vexator, vexatus coronaretur. Iuuandi etiam animas ita cupiditate arsisse; vt cùm grauissimè ægrotantis hominis confessionem in Nosocomio excepisset, ad eum nocte intempestâ redierit, quòd minus rectè confessum opinaretur: neque animo falsum esse. Cùmque acri hortatu obstinatum citiùs perire æterno exitio, quàm peccata prodere, vt se miser respiceret, compulisset; repetitam ab eo totius vitæ confessionem, ac statim, vt absolutus est à peccatis, etiam per admirandam Dei clementiam vinculis corporis exolutum. Hæc de religiosi huius viri donis cælestibus memorantur: & illud prætereà post decimum annum eius venerandum corpus integrum in sepulchro, nulloque corruptum vitio inuentum esse. Tanta est benignissimi numinis indulgentia erga seruorum suorum non animas modò, quas ad beatum sui conspectum statim purgatas admittit, sed etiam aduersùs frigida, abditaque humi cadauera, quibus, vel in sinu mortis, quandam tribuit immortalitatem. Eat Sacerdoti comes Adiutorum è classe anno eodem in Societatem militantem, eodem in triumphantem receptus Ioannes Baptista, cui Oranum Africæ oppidum & patria, & pro cognomine fuit. Ab eodem Villanouâ, quem paulò ante sæpè laudauimus, receptus Placentiæ: æuum ibidem omne (documentum non leue constantiæ, probatæque virtutis) raro omnium laudum exemplo peregit. Vt primùm familiariter Societatem nouit, in cultum pietatis totus incubuit. Quæ Christus Dominus nostrâ causâ pertulit, & propositam hominibus moriendi necessitatem meditanda sibi sumpsit: ternam in hebdomada verberationem suscipiebat: frequens continuabat ieiunium: cilicium vix vnquam ponebat: quicquid labore manuum operosis diebus quæsisset, Dominico die pauperibus erogabat: interim precibus instans, vt ab se quid maximè postularet palàm facere Deus ne grauaretur. Colluctabantur interdum, nec sanè leui concussu, caro, & spiritus. Tranquillâ tandem mente, velut in compito, gradum fixit, quam viam cœlestis monstraret index, continuò ingressurus, ingenti cum ardore magnas ærumnas, & fœdissima probra Christi gratiâ perferendi. Denique ad Societatem eo consilio curam flexit, vt coquum in eam per omnem ætatem ageret: nec ministeria obiret, nisi vltima quæque, in quibus vilem pro Christo, despectam, atque ærumnosam vitam traheret: vehementer cupiens in Indias mitti, si fortè martyrio dignaretur. Quas res, nec cogitare, nec loqui, nec audire sinè multis lacrymis poterat: morsibus etiam, & artuum acri vellicatione subinde tentans, num forcipis laniatui ferendo esset. Quos animorum impetus ad cœlestia signa multi sanè afferunt: sed sub signis obtinent non ita multi, pudendo scilicet in deterius lapsu, frugi tyrones, veterani nequam, sopitâ virtute, vbi debuit excitari. Procul à Ioanne Baptistâ tale flagitium. Capessiuit magno animo bellum, maiore gessit. Nihil modestius illo, nihil laboriosius, nihil obsequentius. Rapidus semper incessit, & ad gradum magis semper, ac magis adiecit. Per omnia versatus patientiæ, & caritatis, & humilitatis officia: ad extremum, vt industrius, & aliquid literarum sciens, rem Collegij familiarem procurare iussus, ad omnes admouebat manum labo-

259 Orationú eius efficacitas.

260 Dæmonum victoria.

261 Iuuandarum animarum ardor.

262 Corporis integritas post mortis decẽnium.

263 Ioannis Oranensis virtus.

264 Adhuc in seculo.

265 In Societate.

Digitized by Google

labores: gaudebatque per vrbis vicos, ac fora nunc illo, nunc alio sub fasce conspici, ac derideri: vt, quam principiò apportarat abijciendi sui voluntatem, exercendo augeret: quantòque minùs benignam exercitationi materiam demandati genus officij præberet; tantò eam curiosiùs humilitatis solertiâ venaretur. Et erat viri humilitas adeò comis, suauis, benigna; vt omnium amor Placentinorum esset. Quòd si quem perturbatum ille nosset, studiosè adibat, & opportunâ religiosi dicti festiuitate tranquillum reddebat. Decimo Kalendas Maias occubuit. Damnum Respublica, & Societas priuatim nostra in obitu fecit Cardinalis Spinosæ. Seguntinum Collegium, quod ille meditabatur, nemine post eum cœpta prosequente, Socijs reuocatis, intercidit. At Madritanum hoc primùm anno, publicatis literarum studijs, absolutum. Non sinè molesto certamine fundamenta posita; quod ferè consueuit bonorum esse cœptorum autoramentum. Repugnabant siue suâ sponte, siue cuiuspiam Ludimagistrorum inductu Præsides Ciuitatis, Ad Consilium regium causa delata. Scholas aiebant escam esse captandis adolescentibus; per hos deindè capi hereditates. Religiosorum institutione generosas indoles eneruari: socordes animos, ac minutos effici, bello, & magnificis factis inhabiles: ad confessionis sacramentum per vim compelli: & quia ne vestitu quidem permitterentur pro arbitrio vti; pro munditijs, & elegantiâ sordes addisci. Carpebatur & magistrorum doctrina, & laudabantur, qui ad id loci docuerant. Sed ante omnia patrimonijs insidiæ timebantur: vsque eò, vt omni eiusmodi iure tabulis vellent iuratis cedi. Iamque Constitutionum nonnulla capita in iudicium vocabantur, tantoque strepitu; vt Cardinalis Spinosa, integerrimus æqui, & Societatis propugnator, magnopere desideraretur, & Consilium regium supersederi iuberet ab scholis aperiendis. Tum Prouincialis, quandoquidem in eum locum processerat res, nequaquam putauit è diuinâ gloriâ esse, vt per silentium obtrectationibus, & calumnijs auctoritas, ac vires accederent. Quid Societati moris sit adolescentibus, quos habet in disciplinâ, suum in numerum adscribendis; quàm nihil metuendum Madritanis, magis, quàm alijs tot Hispaniæ ipsius, & Lusitaniæ, Italiæ, Galliæ, Germaniæ, atque aliarum terrarum Ciuitatibus, vbi Collegia essent: nulla adhuc hereditatum tantâ calamitate, quanta per inuidiam iactabatur: quid gymnasijs nostris propositum sit: quò religiosorum magistrorum disciplina tendat expositum: docuitque eam eiusmodi esse; vt æmulationum stimulis, & actionibus dramatjcis, & declamationibus vehementer excitaret, acueretque ingenia, nullo modo debilitaret: nec verò cultu pietatis, aut literarum infringi bellicam indolem; sed produci, ac roborari. Porrò quales magistri sint, re ipsâ cognitum iri; ad pietatem inuitari omnes, ac pelliçi, vt decent tum magistros, tum discipulos christianitatem professos: neminem verò cogi; cum minimè ignoremus, nihil aduersarium magis esse virtuti, quàm si non voluntaria, sed expressa, ac ficta sit. Ad extremum quid Societas huiusmodi gymnasiorum spinosâ, clamosâque curâ sequeretur, liquidò si vellent intelligere; intuerentur Belmontem, Naualcarnerum, & alia eiusdem notæ Oppida: protinus cognituros, non auram inanem, non aurum periturum, nil denique, nisi cum Dei gratiâ publicam, ac priuatam ciuitatum, atque hominum salutem esse propositam. His in consilio publico recitatis è scripto, cùm abundè confutatæ essent calumniæ; vt etiam planum fieret institutæ Societatis, quæ & Pontifices, & Tridentinum Concilium comprobassent, nihil non laudabile continere; ipsæ Constitutiones, Pontificumque diplomata exhibita sunt non grauatè. Peruolutarunt, quàm libuit scrupulosè, omnia: eâque re non modò omnis suspicionum nebula euanuit; sed etiam Societatis integritas, ac vita omnis interior, magnâ cum approbationis, & fauoris accessione, patefacta est. Quatuor itaque Madriti institutæ classes latini sermonis indè vsque à primis elementis: quibus deindè quinta oratoriæ artis accessit, cum plurimorum ingenti nobilium adolescentium bono: ex quibus ad domesticos primùm eorum, deindè ad familiares, populosque subiectos vtilitas permanauit. Prouincia Castella Legionensi Collegio, & domo probationis Villagarziensi aucta.

266 Eiusdem mors.

267 Seguntinum Collegij Cardinalis Spinosæ morte delectum.

268 Madriti scholæ cœptæ nõ sine pugna.

269 Calumniarum in Societatem purgatio.

Digitized by Google

270 Legionense Collegium inchoatur ab Antistite Io. Sancti Aemiliani.

cta. Vtraque discedens ex Hispaniâ Borgia receperat. Ioannes Sancti Aemiliani Legionensis Antistes, vir omni virtutum laude cumulatus, eo maximè consilio, vt idoneos vineæ Domini operarios proferret, quà tum re eius Diœcesis (vt pleræque aliæ) maximè laborabat; Collegium Legione, nobili, ac peruetustâ in vrbe fundauit. Nec suo fraudatus est voto. Inductæ hoc anno latinitatis, ac Theologiæ moralis scholæ, quas deinceps septingenti fermè auditores celebrarunt, ea cœperunt educare germina, ex quibus Legione, latèque circumiecta per oppida fructus vberrimi prouenerunt. Habitarunt initiò Socij, Iacobo Velâ præfecto (nam Rectoris nomine primus paulò post Antonius Marcenius præfuit) conductâ in domo, Episcopi impensâ, difficulter sanè, atque anguste, multaque exhausere ab rerum inopiâ incommoditates. Quæ cum ipsis noui Collegij fundatoribus alacriter susceptæ, amplam in cœlo mercedem, tum posteris domicilij, ac templi, quæ breui Antistes à fundamentis extruxit, & ceteras commoditates, quibus paulatim auctum Collegium est, pepererunt. Antistitis ea fuit modestia; vt nusquam in conditis ab se nec domo, nec templo (quod quidem bis extruxit, nam fortè collapsum, firmius, ornatiusque restituit) extare monumentum voluerit, morienque mandarit, vt corpus suum prope lustralis aquæ fontem humi simplititer sinè tumuli honore conderetur. Quanquàm in eâ re parendum sibi Collegium, ne modestior pater, quàm filij grati essent, nequaquam putauit: nec modò alabastrite in tumulo, cum gentilitijs signis, in sacello principe venerandum cadauer condidit; sed etiam exequiarum honores, conuentu cleri, & populi, laudatione quoquè de suggesto adhibitâ quotannis instaurat. Villagarziæ domum Probationis, vnàque Collegium Magdalena Vlloa pari nobilitate, ac sanctitate matrona condidit occasione tali. Nupta erat Ludouico Quixadæ antiquæ nobilitatis, multisque titulis illustri viro. Is ante biennium in Granatensi Mauricorum bello, è sclopeti ictu decedens, omnium facultatum, quas multas possidebat, vsum coniugi Magdalenæ reliquit: addito, vt arbitratu suo, vel Collegium Sacerdotum duodecim (capellaniam vocant) vel Cœnobium Virginum conderet. Magdalena, post multas ad Deum preces, religiosissimi viri Prædicatorum ex ordine vsa consilio Dominici Vlloi germani sui, decreuit ex viri pecuniâ Collegium, quod ille mandarat Presbyterorum condere: deque suo Tyrocinium, & Collegium addere Societatis, vndè alterum illud Collegium vsquequaque penderet. Sexdecim initiò, quos Bartholomæus Ferrius rexit, incolæ missi. In Sancti Ludouici Regis Gallorum solenni primùm Magdalenæ fax, tanquam fundatrici, oblata est: ac tertio Nonas Nouembris primarius lapis noui templi, quod in eiusdem Sancti Ludouici nomine dedicatum est, solenniter positus. Ab his profecta initijs, quæ postea Magdalena, pietatis iuxtà, ac pecuniæ locuples, sedula imitatrix beatissimæ illius cognominis suæ, quæ tam pretiosis obsequijs, adeoque liberali studio Christum Dominum venerabatur, ibidem Villagarziæ, religione non solùm magnâ, sed etiam magnificâ gessit. Sed erit de benignissimâ hac inopum omnium, & sacrorum Ordinum, & in primis nostri parente, post hæc haud vno loco memorandum. Nam, præter complura alia liberalitatis experimenta, eidem Collegia etiam à fundamentis condita, & affatim instructa Ouetanum, & Santanderense debemus.

271 Antonius Marcenius primus eius Collegij Rector.

272 Villagarzienſis Tyrocinij, & Collegij initia.

273 Alterius Magdalenæ Vlloæ pia in nos beneficentia.

274 Res Indiæ.

Nec solùm Collegijs nouis, sed Mexicanæ quoquè Prouinciæ, de qua posteà referam, ordiendæ, ex Hispanijs hoc anno educta examina. At Lusitania, quanquàm tot egregia capita primùm Olisippone pestilentia, deindè in Oceano hæreticus furor abstulerat; sanè laude insigni constantiæ, nec minore documento fœcunditatis suæ, præclaram manum in Brasiliam misit: quibus auxilijs respirare ibi Societas, pariterque christiana res cœpit. In Indiâ, quo die Sancti Pauli conuersio ad aras redit, in Goani Collegij nouo templo primum sacrum, duodecimo postquam inchoatum est anno, celebritate maximâ Episcopus Malacensis fecit, & Archiepiscopus Gaspar, quem dein iussit Pontifex, post Georgij obitum, repetere magistratum, dixit ad populum. Accesit post merid em de con-

Digitized by Google

de conuerso Apostolo elegans drama. Nullum totâ Indiâ magnificentius, ac celebratius eo templo nuncupatum ferebatur. Idem sub tempus in Salsettis sacræ ædes, interim dum lapide struerentur, leui materiâ restitutæ, reuersique in eas catechistæ Patres animarum pastores. Cetera item in vrbis Goæ, suburbanisque parœcijs per belli turbinem intermissa repetita studia conseruandæ fidei, & propagandæ. Nec paruus, vt tali tempore, progressus est factus. In Salsettis, præter alios alibi complures mortales, Pagus integer quingentorum circiter capitum fidei additus: Pagus item inter Coulanum, & Paymelum oræ Trauancoris: inque Pago nomine Param ingens excitatus ardor, plusque ducenti viginti baptismo lustrati, præter ingentem numerum Paymeli, Retoræ, Mampoli, aliisque Pagis consignatorum. Cocini item, præsertim in vico Palurti, valdè amplificata Ecclesia. Consaluus Visitator, post res Indiæ compositas, iussu Præpositi Generalis, remotiora orientis, Sinas, & Iaponiam aditurus, mense Aprili Goâ discessit, opportunum Iaponiæ subsidium vehens, si iustissimo mundi rectori Deo perducere saluos placuisset. Ex itinere Cocini alteram latinitatis classem addidit, & publicam de quæstionibus rectè, perperamque factorum iussit scholam haberi, & Tyrocinium ordinauit. Hoc anno primùm in Europam ex Indiâ Procurator, è Constitutionum præscripto, missus est Ludouicus Bendania. Eodem tempore Petrus Bonauentura ex Insulâ Machao, & Alexander Valla ex Iaponiâ reuecti, in Europam redituri, conscenderunt: sed successu planè diuerso. Alexander primus non solùm de Societate, sed omnium planè mortalium (quod memoriâ constet) ab Iaponiâ reuersus Romam venit. At Bonauentura, vnâque Ludouicus Procurator, haustâ fluctibus naui, vectoribus, & cunctis rebus, in itinere perierunt. Deinde etiam Baptista Ribera rediit. Ita trium insignium virorum Ferdinandi Alcarazij, Petri Bonauenturæ, & Baptistæ Riberæ, magnâ cum præclari euentus spe, instituta ad Sinas, & Iaponios expeditio prope euanuit. Alexandro, quanquàm in Iaponiâ quietiùs agitabat, nec sinè fructu, tamen, quòd ante in Indiâ non admodum se probarat ob ardentius ingenium, partim permissa, partim iuncta reuersio est: eò magis, quòd valetudine pessimâ vtebatur. Qui, post accessum in Vrbem, adhuc iuuandorum ardens Indorum studio, in Lusitaniam rursus est missus, præpositusque rebus Indiæ, & Brasiliæ procurandis, & ad extremum multis in Europâ, & vltimis Asiæ finibus pro religione perfunctis laboribus, in Africâ Sebastiani Regis tristissimo bello cecidit: vt nullam terrarum partem non suis ornaret ærumnis: & appareret terras minus patére, quàm caritatem. Bonauentura, & Ribera, quòd se nihil proficere querebantur, redire permissi. Hi cùm Romæ multâ in existimatione domi, foris, que essent, nec sane mediocribus ad agendas res instructi donis, vbi venerunt in Indiam; nequaquam tantam visi sunt, quantam par erat ab sanctâ Vrbe humilitatem tulisse, atque modestiam, vni se Generali Præposito subiectos ferentes. Quo factum est, vt, dum nec ardori suo modum ponunt, nec se ad regionum vsum satis patienter accommodant; paulatim præclaram spem, post tot impendia, aditaque pericula, & tam longam nauigationem, corruperint. Ijdem perpetuam Societatis, ac propriam constantiæ laudem interrumpere visi sunt, quam cuncti per illas oras admirabantur: cùm viderent tantâ vrgeri stabilitate sanctum Euangelij opus, tantâque firmitate teneri propositum; vt vnum omnibus, consenescere in labore; vitamque consumere, votum esset: nemo manum à stiuâ seiungere: nemo ad Europæa commoda retorquere oculos auderet. Quam vigere in Societate laudem magni decoris, ac momenti est. Valde enim interest, tum ad negotia fidei promouenda, tum ad domesticam disciplinam, qui sibi Indicam expeditionem deposcunt, eam animi altitudinem afferre; vt perfectum se holocaustum in auxilium proximorum offerentes Maiestati Diuinæ, statuant sibi omnino in Cruce illâ moriendum: id quod multis hoc anno, maiore ipsorum, quàm Indiæ bono, contigit. Quippe sex è Goano Collegio, non in Europam, sed ad cælestia domicilia demigrarunt: quorum maximè memorandi Gaspar Villela, & Antonius Quadrius. Venerat è Iaponiâ Goam

275 Ludouicus Bẽdania primus ex India procurator Româ missus.

276 Pater Alexander Valla primus è Iaponia Romam reuersus.

277 Petri Bonauẽturæ, & Baptistæ Riberæ ex India reditus non laudatus.

278 Gasparis Villelæ labores, & obitus.

Villela Visitatoris accitu. Post quam illum de statu earum Insularum docuerat, commune mortalitatis debitum naturæ persolvit. Primus in Iaponiæ principem vrbem Meacum christianam religionem induxit; summum capitis discrimen fidei causâ sæpè adijt; non semel in exilium pulsus est; multos sacro baptismo perfudit; Iaponicam Ecclesiam & ore, & stylo præclarè iuuit. Tandem in Goano Collegio febri correptus, suprematum instare sibi diem asseuerans, totius vitæ peccatis confessione repurgatis, reliquisque Ecclesiæ munitus præsidijs, terras reliquit. Antonius Quadrius, post Visitatoris Consalui, ad Sinas discessum, toto Prouinciæ repetito onere, dum curam supra vires intendit, labori vir dignus immortalitate succubuit. Nescio quid in Cocinensi Collegio turbabatur. Adornatâ eò nauigatione Quadrius, pridie eius diei, quo erat conscensurus, febri constrictus, decimoseptimo die, qui fuit Præsentationi cœli Reginæ sacer, solutus est corpore, vt in templo gloriæ æternæ (sicut æquum est confidere) diuinæ præsentiæ sisteretur. Extremum sub tempus, cùm circa lectulum Socij multis cum lacrymis suam orbitatem deplorantes adstarent; vultu eos sereno, blandisque oculis intuitus, modestâ fiduciâ verbis Domini solatus est: Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad Patrem. Cuncta India collapsum sibi columen ingemuit. Etenim ille vnus non Societatis modò res, quas intimè norat, tredecimque annis Præpositus Prouincialis sapientissimè administrauit; sed totius statum Reipublicæ mirum in modum sustinuit, firmauitque, omnibus à Deo largè donis ornatus, quæcunque ad cumulandam priuatæ, publicæque 280 personæ absolutam virtutem pertinent. Ad excellentem doctrinam accedebat clarum, certumque rerum agendarum iudicium, cognito summa hominum sibi creditorum, quidque cuique aptum, atque opportunum foret: vt consilij, & discretionis spirituum cœlesti dono præditus haud dubiè censeretur. Quæ dona ipse plurimo vsu cum Deo, & ex immensâ eius luce lumen assiduè nouum hauriens, humilitate, suique despectu, & compressione cupiditatum diligentissimè excolebat: vt qui de vitâ eius, ac moribus, tanquam veri, integrique censores ad Præpositos Generales scripserunt, post exaggeratum omnium laudum cumulum, nihil in eo plus, minusue notari posse dicerent; nisi fortè exuperantem laborum, ærumnarumque sitim, atque in afflictando suo corpusculo duram vltra modum seueritatem. Cùm christianâ prudentiâ nullus putaretur Indiâ totâ superior illo esse; adeò parùm tribuebat sibi, suæque tantùm diffidebat sententiæ; vt ne minutas quidem res, nisi adhibito consilio Patrum, statueret. Nimirum, vt angusta, vel superba ingenia alienis consilijs abstinent: illa per diffidentiam sui, ne non possint sententias refutare, quas piget sequi: hæc verò per confidentiam, quoniam super omnes se putant sapere; ita magnæ, modestæque mentes consilijs libenter vtuntur: quia nec vnum hominem omnia videre posse confidunt, nec quæ rectè sentiunt alijs probari posse diffidunt. Ad hæc comitatem Quadrius, ita cum paternâ quadam grauitate miscuerat; vt, sicubi pœnas, obiurgationesque adhiberi oporteret; nihil de religiosâ seueritate detrahens, omnium tamen ad se quodammodo raperet voluntates. Magno item, excelsoque erat animo, ad aggrediendum, prosequendumque quod è diuino obsequio esse intellexisset: nullo metu, nullo (si causa ita posceret) gratiæ humanæ respectu. Et tamen quæcunque ab eo proficiscerentur, sic prorsus à summis, & imis, extraneis atque, atque domesticis, tanquam ab Angelo Dei profecta excipiebantur. Scripsere præcipui Indiæ Patres ad Lainium Generalem, cùm post Consaluum Silueriam rursus Quadrium Prouincialem creauit, ita se existimare; vt hunc potissimum deligeret, fuisse eum peculiari Sancti Spiritus erga Indiam beneuolentiâ instinctum: idque inter cetera clementiæ diuinæ erga Societatem singularia dona reponendum, quòd regenda ei viro permissa esset. Addidit Ioannes Nunnius Patriarcha, se, quò suæ conscientiæ satisfaceret, Lainium admonere, vt Quadrium, quoad spiritum duceret, nunquam ab gubernaculis remoueret. Planèque ita est factum. Ab tertio ætatis & vigesimo anno, vsque ad quartum & quadragesimum, quo sublatus est, in ipsâ gerendarum

279 Et Antonij Quadrij.

280 Excellentes Quadrij virtutes.

Digitized by Google

rum maturitate rerum, nunquam priuatus vixit. Quanquàm non vno tantùm contentus erat laborum genere: sed in Goano Collegio philosophiam initiò, deindè multos annos Theologiam docuit, & concionabatur frequenter; quicquid aggrederetur eâ excellentiâ, ac felicitate tractans; vt nemo esset, qui illi non modò vniuersis, sed ne singulis quidem laudibus præferretur. Inter cetera eius religiosæ prudentiæ documenta illud numerarim, quòd solebat acutè distinguere viros bonos, à bonis religiosis: quosdam inter Socios dicens, bonos quidem viros, & virtutibus præditos esse, non tamen religiosos esse bonos: quòd virtutes, quæ bonum religiosum efficerent, non haberent. Addit enim ad communem virtutis rationem propriam quandam, quasi formam, ac notam religiosa disciplina: nec modò curam magis exquisitam, quàm vulgaris bonorum vita desiderat; sed etiam ad familiæ regulas exactam, & ad Præsidum tractationem sequacem, ac facilem; & ad Sociorum consortionem, atque communitatem, circumspectâ quadam simplicitate, accomodatam. Vndè fit, vt cœnobitica perfectio magnum omnino quiddam, & rarum sit. Quo mirabilior ipsius perfectio Quadrij erat. Antequam discessum in Indiam putabatur, vulgò in Collegio Conimbricensi semper orare: vsque adeò sancto illi studio erat deditus: &, ante promulgatas Constitutiones, octonas sæpè in die certum est solitum in meditandis diuinis horas ponere: haudquaquàm minore curâ ad sui victoriam incumbentem. Quadrio vitâ perfuncto dubitatum est de substituendo Vicario, dum Præpositus Generalis Prouincialem crearet. Nam neque Visitator, nec ipse Quadrius quemquam suffecerat. Status autem is erat Prouinciæ, qui moderatorem maturè postularet. Non nihil hæsitatum est in electionis ratione, & num accersendi essent Professi omnes ex Indiâ. Tandem tempori seruientes, quod moras non patiebatur, formulam creandi Generalis Præpositi, quamproximè sequuti Goani Professi, Francisco Rodericio Vicarij munus demandant. Remque indè totam, rogantes quid imposterum sequendum esset, Romam perscribunt.

281 Discrimen inter virum bonum, ac bonũ religiosum.

In Iaponiâ res & priuatim Societatis, & publicè religionis sub Francisci Capralis sedulâ curâ secundos progressus habebant; qui, post aditas Ximi Eccleſias, Meacum aditurus magnum subijt certamen, suadentibus multis: vt quandoquidem Iaponicæ nobilitatis apicem, floremque inuiseret; circundaret corpori paulò cultiorem amictum, quò decorus quoquè habitus apud imperitorum oculos virtuti gratiam eblandiretur. Sed ille splendore paupertatis, obedientiæque religiosæ maiestate fretus, adduci non potuit, vt modestiam communis in Societate tegumenti pretiosioris ornatus ambitione vllâ violaret. Magno gaudio à Christianis, magno item honore à proceribus Meaci, circumiectisque in regnis à Cubosamâ Nobunangâ, Mioxindono, atque alijs exceptus est; eò etiam veriore, quò certius erat deferri virtuti, non vestimentis. Permulti ad baptismi amorem incensi. In Regnum Tambæ, vbi nobilis Christianus Ioannes Naitodonus nomine multùm pollebat, cœptum Euangelium inuehi, misso illuc Laurentio Iaponio è Societate, & aliquot Meacum indè ad baptismum profectis. In regno Inge, cùm vehemens esset præconum fidei desiderium, sacras vltro ædes, quò procliuiùs eos impetrarent, impetratisque minus moræ catechismo, atque baptismo esset, vltro cœperunt extruere. Verùm & operarum paucitas, & bellorum continui turbines prohibebant fieri præparatis noualibus parem sementem. In Ximum Meaco reuersus Capralis tum per se elaborans, tum Sodalium lacertos regens, & incitans, propellere Domini nauiculam instituit. In Bartholomæi terris florebat religio quampulcherrimè, & roborabatur. Dynastarum iam nullus in seruitio Dæmonum reliquus erat. Vulgus haud magno Dominos negotio sequeretur, si quantùm res postulabat, tantùm suppeteret magistrorum. Amacusana quoquè Ecclesia, Almeidæ studio, & Michaëlis Amacusadoni ope, continuis auctibus adolescebat. Multæ iam ibi ædes sacræ. Capita hoc anno plus septingenta fidelibus annumerata: sed profectò nusquam ab Dæmone quicquam tutum. Iaponium hominem, cuius operâ ad catecheses quatuor an-

282 Iaponiæ res.

283 In regnũ Tambæ Euangelĩ inuectum.

284 Perfidus Neophytorum seductor.

his Almeida vsus erat, ducendæ familiæ cupido cœpit. Iamque, sellâ positâ, Neophytorum ad mille quingentos ab consuetudine Patrum, & Ecclesiâ frequentandâ ad se audiendum abduxerat. Nec dubium quin tenellis stirpibus pernicies immineret, nisi fœdum schisma Michaël coërcere maturans, leuem, ac seditiosum tabulam, quæque non rectè perceperat docere aduersùs Magistrum publico veritatis audentem periculo exturbasset: qui paucis diebus (vt celerrimè mala serpunt) ita simplicem plebem effascinauerat; vt pristinum feruorem Almeida vix magno & labore, & tempore suscitarit.

285 Dei prouidentia in tuēdis Catholicis inter Abassinos.

Tempus est & inter Abassinos Aethyopes, cum Andrea Ouiedo Patriarcha, sudantium Patrum meminisse: quibus per hæc tempora singulare pignus diuinæ tutelæ contigit experiri. Fremonam incolebant pagum in orâ Tigaris maritimâ cum Catholicis, quorum curabant animas circiter mille. Turcæ occupatâ priore anno Baroâ, & arce conditâ, cùm frequenter in interiora populabundi excurrerent; tandem decreuere & nobilissimum eius oræ templum diripere, Chrismum nomine. Hoc præcognito, Barnagazius monet Ouiedum Patriarcham, viam ineat, si quam possit, qua consulat suis. Tertio die in Fremonam Turcas haud dubiè irrupturos, quòd illac eis expeditissimum iter, atque tutissimum esset ad Chrismum. Nihil poterat certius dici: & alioqui satis persuadebant præcipuum aduersùs Lusitanos Turcarum odium & insita auaritia, & pagus vndecunque immunitus, vt in planitie iacens, & ab propugnatoribus destitutus. Ergo trepidatio, & lamentatio, & fuga toto pago fit. Miserabile agmen egreditur fœminarum, ac puerorum turbâ impeditum, aliquot bobus commeatu onustis. Statim conspecti prædatores, & visa vndique pagorum incendia. In pernicibus discursantes equis diripiunt, incendunt, vinciunt, mactant, agunt, feruntque. Sed Deo suos obtegente, primùm flexo ab Fremona cursu pagum non attigere: tum ad fugientium turbam cùm peruenissent, in aperto campo deprehensam siue diuinitus emolliti ad commiserationem, siue (quod Patres etiam crediderunt) occæcati omninò, ne eos viderent, innoxij præterierunt: proque miraculo res postea inter Abassinos celebrata, & Pater Emmanuel Fernandius, qui interfuit, literis commendauit. Quæ multis post annis, cùm rite de

286 Ouiedi Patriarchæ sanctitatis opinio.

Patrum virtutibus quæreretur, testes iurati, attributa vulgò Patriarchæ potissimum sanctitati, ac precibus, affirmarunt. Quin & ante fugam clarè Patriarcham prædixisse, fore, vt Fremonam hostis nequaquam attingeret: & aliud addunt, quod haud minus admirabile annorum plurimorum euentus ostendit. Cùm Præsul optimus de suo grege solicitus, quòd Fremona tam inermis intuta, atque opportuna hostibus esset, precaretur Deum, demonstrare vellet, quo loco sedem habituri quamtutissimam essent; vocem diuinitus, ad eum sacrificantem, missam: Fremona stabit. Quâ fiduciâ statuisse nequaquam mutandum solum, & ab migrandi consilio remouisse permultos. Ceterùm apud alios potentiorem fuisse formidinem, vt in mediterranea amplius decem dierum iter migrarent in Oppidum Dambeam nomine: quidam ad Regiam adirent cum Francisco Iacobo Lusitanorum primario, cuius pagum Turcæ incenderant: obseruatumque esse longo tempore, cùm & Turcæ, & Galæ (quæ Cafrum natio est) omnia circumuastarent, ita illæsam perstitisse Fremonam; vt qui recesserant, eò remigrandum sibi quoquè, quòd nihil vsquam tutius reperijssent, putarint.

287 Brasiliæ res.

Ad reliquas Brasiliæ clades Antonij Petrij obitus accessit, qui Prouinciam loco Nobregæ administrabat, è primis eius Prouinciæ cultoribus, & apud domesticos æquè, ac populum virtutis opinione venerabilis. Sexto Kalendas Aprilis, tribus & viginti annis in Societate tractis, ferè quinquagenarius obijt. Inter cetera virtutis studia rerum meditationi diuinarum, & macerandò corpori, cùm se quotidie acriter flagello cæderet, deditus in primis fuisse narratur. Nobregâ olim, Petrio nuper extincto, Dæmonibus non ad intereludendum modò

288 Antonius Petrius Proprouincialis moritur.

iter nouis auxilijs, sed etiam ad exiguas, quæ in Brasiliâ superabant, copias turbandas intentis, ad vltimum propè exitium ea prouincia venerat. Sociorum non paucos ad Lusitaniam (vt supra indicatum est) animus fractior retrahebat,

Digitized by Google

bat, tædioque regionis neque satis corporibus, neque animis, nisi valde robustis, commodæ; si nullum præterea daretur effugium, obtendebant laborum fugæ Carthusiam. Nec deerant, qui nequaquam fieri operæ pretium inter barbaros populos, eosque numero sanè non maximo, affirmantes, traducendam ad feliciores terras culturam dicerent. Itaque tum vel maximè Societatis, Lusitanæque nominatim Prouinciæ perspecta in rectè, quanquàm arduis, cœptis constantia est. Dictus à Borgiâ nouus Prouincialis. Ignatius Tolosa egregiam tredecim Sociorum manum coëgit: quos prosperâ trium mensium nauigatione, tot scilicet victimarum sanguine placato iam mari, Tartaroque infracto, nono Kalendas Maias in Brasiliam exposuit. Ad noui Prouincialis aduentum, quasi lux è densâ caligine, lætiusque post nubes serenum affulsit. Indè rerum mirâ vicissitudine fluere secunda cœpere omnia, tanto cum & religionis christianæ incremento, & Societatis; vt singulare Azebedij, & Sociorum, etiam post mortem, haud obscurè patrocinium sentiretur. Continuò nouus Prouincialis, vti nomine Azebedium, ita virtute repræsentans, componere res aggressus, in Baiensi Collegio cum priuatis collocutionibus, tum cohortationibus publicis, & maximè exercitatione spiritus, quam singuli per hebdomadam vsitato secessu repetierunt, omnes adeò permouit; vt iam non Lusitaniam, nec vmbratilem vitam cogitarent; sed primæ suæ vocationis tenaces, ad omnemque se ascetæ perfecti, euangelicique præconis laudem componentes; Brasiliæ ærumnas, quo primùm ardore appetierant remotas, iam præsentes amarent, & in lucro reponerent. Additum est Philosophiæ curriculum, quod Pater Consaluus Leyte inchoauit. Noui templi ædificatione strenuè promotâ, in eo Pentecostes solennibus celebrata primùm diuina. Præceperat Borgia, si fieri posset, vt è pagis reuocati Socij, tantùm eos excursionum more, aliquoties in anno reuiserent. Id peritis diuturno vsu Brasilienſium rerum nullo modo visum est attentandum in præsens. Nam si tanto, per tot annos, labore congregati populi, instituti, & protecti caritate Patrum, & operâ, præsenti eorum tutelâ destituerentur; partim insitâ solicitatos ingenij mobilitate, partim Europæorum stimulatos iniurijs, propediem oblitos fidei, & religionis, ad vitam agrestem, ferisque simillimam redituros. Itaque quoad totâ de re Generalis Præpositus consuleretur, illud tantùm Prouincialis adiecit, vt semel vnoquoque mense, qui Sociorum versarentur in pagis, in Collegium, ad vires animi, pietatisque instaurandas, reciperent sese. Ad seruorum priuatim vtilitatem, qui fermè re diuinâ semper carebant, proprium fieri sacrum opportuno iussit tempore: interque illud Christianæ institutionis partem quampiam, quæ aptissima loco, temporique foret, exponi. Denique domi, foriſque pietatis renouatâ facie, Ludouico Granâ rerum, & locorum perito comite, Pernambucum, atque Ecclesias circa Baiam, indè exeunte iam anno Illæorum, & Portus Securi stationes inuisit. Pernambuci, post acerbam vexationem, Socios iam gratiâ apud omnes, & auctoritate florentes, eoque vberiorem ferentes pietatis prouentum, itemque populum inuénit de inflicto diuinâ vindictâ supplicio criminatoribus iusta Numinis iudicia prædicantem. Criminatorum vnus fuit, qui propè supremum spiritum laborans, accito Patre Mauro Consaluio, immensâ vi lacrymarum scelus suum professus, veniam petijt, se mendacem, se maledicum publicè accusans, & Societatis innocentiam, & sanctitatem euulgans: eoque pacto, elutâ lacrymis culpâ, Socijs ei supremo illo agone seduló opitulantibus, è vitâ concessit. In vrbe Sancti Saluatoris duo viri & beneuolentiæ erga nos, & virtutibus insignes obierunt: inque nouo Baiensis Collegij templo sepulti sunt: Mendus Sà Regius Præfectus, post Brasiliam annos quatuordecim præclarè administratam, qui templum ipsum extruxit, ingensque latifundium Collegio dedit: & Lazarus de Areualo, qui agri aliquantum, & tecta quædam, itemque ædem Sanctæ Mariæ à Scalâ, quam prope vrbem loco amœno ære suo condiderat, Collegio moriens legauit.

289 Ignatius Tolosa Brasiliæ Prouincialis.

290 Prouincia respirat.

291. Consaluus Leyte philosophiâ docet.

292 Pagi Brasilienſium non deserendi à Patribus.

293 Prouincialis statuta.

294 Mendes Sà Brasiliæ Prætor moritur.

Repositâ in statum Brasiliâ, Floridæ res grauiter vacillabant. Nihil dignum

295 Floridæ status.

Digitized by Google

memoriâ hoc anno gestum. Sub initium Iunij perlatis ex Hispaniâ literis à Petro Sancio nouæ Hispaniæ designato Prouinciali, cui cognitionem, rectionemque Floridanarum quoquè rerum Borgia demandarat, vt captato tempore aliquis indè Patrum præiret Mexicum, seque edocturus opperiretur; Antonium Sedennium cum comite nouitio Ioanne Salsedo ire placuit. Rogerius interim, Carrera, & Villaregius in Axacam delati, cùm Menende Præfecto de Seguræ, atque Sociorum nece Alfonso potiti, captisque à Menende sceleris adiutoribus, ea, quæ superiore libro posuimus, cognouerunt. Proditor Ludouicus euasit longè in mediterranea. Fuere qui dicerent, pœnitentiâ eum facti perculsum, per montes, ac loca deserta in assiduo luctu, ad expiandum nefas, vagari. Menendes, quos comprehendit, supremo affecit supplicio: sed ante quam morerentur, fortasse eorum precibus, quos enecarant, placato Numine, petierunt,

296 Prouidentia diuina. & impetrauerunt baptismum, inenarrabili Dei prouisu, per oblatam innocentibus mortem immortalitatis occasionem adepti. Redeuntes ab Axacâ Habanam procella, qua nulla vnquam violentior memorabatur, inter tonitrua horrenda, fulguraque, & fulmina, & aquas ingentes, immanissimâ bacchante ventorum vi, quæ in terrâ domos funditus euertit, siluas excidit, montes nudauit; in desertam Insulam abstulit, nauigio incolumi: vndè placidiore mari prouecti, cùm Habanæ Portum intrarunt, miraculo cunctis fuere: & ipsi, vti viderant opera Domini, & mirabilia eius in profundo; non intermittebant ex intimis sensibus maiestatem pariter, atque indulgentiam Patris, ac Domini prædicare.

297 Procella insignis.

298 Nouæ Hispaniæ rudis descriptio. Continuatur ad Occidentem hybernum Prouinciæ Floridæ noua Hispania, longè illâ fælicior, siue humanitate gentis, siue feracitate soli: quam quanti inuentores fecerint, significasse videntur, cùm Hispaniæ communi nomine nobilitarunt eam, regiones alias non nisi minorum Prouinciarum dignati vocabulis. Posita est in eo veluti crure, quod borealis noui orbis Peninsula exporrigit, donec octodecim leucarum isthmo, minus decem gradus supra æquatorem cum australinâ copuletur. Itaque à mediterraneis, barbarisque Prouincijs, vsque ad prædictum isthmum inter Oceanum, quem septentrionalem vocant, ab ortu, & australinum ab occasu descendens, longitudine octingentas leucas, latitudine, vbi minimum, centum octoginta patet. Cœli temperatura (quanquàm alicubi mirè varia est, hîc æstuante feruore, proximo interuallo rigente frigore) tamen in vniuersum æqualis est. Quippe, vt sub mediâ cœli plagâ, nec dierum, nec tempestatum discrimen, nisi modicum, sentit. Mensibus quinque à Maio ad Septembrim singulis ferè diebus sub vesperam imber cadit. Regionis facies, nequaquam, vt opinabatur antiquitas, perusta solibus squalet; sed tanquam perpetui veris tepefacta suauitate perennè viret. Solum fertile, & opibus abundat suis, & nostrarum: quicquid inferatur clementer accipit, educatque. Itaque extra vitem, & oleam, quæ non inuehuntur, ne si nihil desideretur, commercia Hispanica remittantur, nihil in frugibus, aut oleribus, aut stirpibus, ac ne in gregibus quidem, & armentis habet Europa, quod inuectum non sit, &

299 Regionis abundantia.

300 Mexicum Regni caput. magnificè proueniat. Caput Regni Mexicum est, vndè & regno nomen. Vrbs frequens, & nobilis, in planicie sita, medioque in stagno, quod è circumiectis montibus affluentes efficiunt aquæ, immensæ alicubi altitudinis. Suspicio est stagnum arcanis longo tractu meatibus, & indè purgatis ad dulcedinem aquis, eum mare committi: nec ferè quicquam ex eo salubritas cœli violatur. Post hæc tempora emissarium, æmulo vetustis Romanorum opere, perfossis montibus, factum est. Sedes ibi Archiepiscopi, & Proregis: fons Sacrorum, Diuinique, & humani Iuris. Sacra iurisdictio in Episcopos distributa septem, sub Archiepiscopo vno. Ciuilis in consilia tria, quorum primum Mexici, reliqua Guatemalæ, & Guadalaxaræ. Martinus Henricius hac tempestate res pro Rege administrabat. Archiepiscopi vacabat solium. Societatis iam pridem fama celebris, & expectatio ingens erat. Itaque vbi primùm ex Floridâ Sedennius tertio Idus Iulias adfuit, & Mexici conspectus est; omnes eum ordines gratulabundi honorificentissi-

tissimis officijs exceperunt. Ille sibi domicilium in Nosocomio Deiparæ, cui à Marchione Vallensi nomen, delegit. Ibi cum Salsedo comite dies, ac noctes ægrotis omni & manuum, & aurium, & oris officio seruiebat: & diuersorium ibidem Socijs præparabat, cùm iam per Oceanum secundissimo cursu noua colonia nauigaret. Namque expectandæ nauigationis morâ in populorum aliquot vtilitatem exactâ, demum & suis ascetico secessu, & generali confessione curatis animis, Idibus Iunijs conscensis nauibus, biduo post læti vela in altum dederunt lecti Socij quindecim. Ductores ibant Petrus Sancius Prouincialis, ac Iacobus Lopius Rector Collegij destinatus: is, qui non multo ante à Fortunatis Insulis remearat. Super hos Petrus Diazius, Ferdinandus Suarius Concha, Franciscus Bazanus, Alfonsus Camargus, Iacobus Lopius à Mesa, Petrus Lopius Parra Sacerdotium iam gerentes: tres paulò post Sacerdotes futuri Ioannes Curiel, Petrus Mercatus, Ioannes Sancius. Ceteri operarij adiutores Martinus Matilla, Bartholomæus Larius, Martinus Consaluius, Lopus Nauarrus: hic postremus, & gloria Fundatorum eius Prouinciæ, ad vltimum se, & Societate indignum præbuit. Octo cum Prouinciali, ceteri cum Rectore duabus nauibus conscenderunt. Sed cùm ad magnam Canariam octauo die ventum esset (vbi mirâ omnes omnium beneuolentiâ, sed Iacobus Lopius præsertim, cuius fixam animis caritatem Insulani, & instituta optima retinebant) Nauarchorum rogatu, solatij, auxilijque partem summis precibus flagitantium, in quatuor naues diuisi sunt: eo cum euentu, vt quæ de maximè piâ, iuxtàque prosperâ nauigatione commemorari possunt, in hanc abundè conueniant. Extra precationes priuatas, quas primâ luce summo omnes silentio vel è rosario, vel è libello exequebantur, quotidie in communi multæ fiebant. Solenni formulâ vocibus elatis, iter prosperum, tempusque tranquillum postulabatur: cælites nominatim vsitatis litanijs appellabantur: elogio suo salutabatur Cœli Regina: edito signo requies mortuis poscebatur: adijciebatur diebus festis quicquid licebat è Missâ cum cantu, itemque vtilis homilia. Ceterùm eam solertiam multùm profeciſſe siue ad vectores, siue ad nautas Prouincialis Sancius narrat. Vesperâ ingruente, vbi Salue Cæli Reginæ dixerant, vt iam apud plerosque Christianorum nauigantium moris est, coactis in vnum modò nautis, modò vectoribus, imperatore classis Ioanne Alcegâ, & Almirarcho Antonio Manricio, alijsque in suâ quoquè onerariâ Nauarchis fauentibus, comiter instituto sermone de vitijs, ac virtutibus; aptæ conuentui proponebantur quæstiones, iubebanturque singuli conferre in medium quicquid cuique super ijs veniret in mentem. Nunc de irâ interrogabantur quàm deforme vitium sit, quàm noxium: quanta patientiæ, & lenitatis pulchritudo: quæ iræ superandæ, quæ mansuetudinis parandæ adiumenta. Nunc quanta pernicies per ludi dulcedinem inuehatur, quaque viâ indè animus abstrahendus. Modò de temeritate iurandi, deque tartareâ execrandi procacitate: modò de præstantiâ, & decóre castitatis, deque remedijs intemperantiæ. Aliàs de alijs christianæ pietatis officijs, & ornamentis, prout vsui, temporique præsenti maximè congruebat. Vbi cùm quisque per ingenuam bonitatem, quod succurrebat, promeret, & communicaret, omnemque disputationem comitate religiosâ, appositisque cum sententijs, tum exemplis exhilararent Patres; nimirum quò blandiùs, hoc altiùs in omnium animos dicta penetrabant, morumque commutationes pulcherrimæ cernebantur: cùm & sibi quisque magister, & sodalibus fieret: tanto grauior, & efficacior; quanto sua quisque pluris æstimat, minusque suspectos, ac magis sinceros habet monitores de grege suo. Nihil omninò vsquam in toto cursu aduersi contigit, nisi, quòd dum Classis tranquillâ nocte plenis velis micante Innâ prouehitur; fortè adolescens in mare prolapsus est. Verùm id quoquè benè vertit. Nam edito bombardâ signo, & solenni clamore, quidam ex eâ, quæ postrema subibat nauis, qua Prouincialis Sancius vehebatur, illo, & Socijs in preces abiectis, repentè inanem cadum longissimo ab rudente in mare demisit: ad quem enisus iuuenis, vix tandem adnauit, cùm funis iam toto exhausto volumine nihil reliquum erat, quod remitti

301 Primus Societatis Mexicum aduentus.

302 Mexicanæ Prouinciæ conditores.

303 Nauigationis ratio admodùm pia.

304 Casus non iucundus.

posſ-

Digitized by Google

posset: vt si momento cessasset; fugam euolantis onerariæ consequi nequaquam posset. Sed cùm cadum apprehendisset, colligentibus funem nautis, nemine gnaro quis esset, ita euénit, vt germanus eum frater primus omnium subleuaret in nauim, duplicato omnium plausu: haud dubiè studiosiùs enisurus, si fratrem esse nouisset: vt intelligamus, quanto studio alter alteri adesse homines debeant: cùm etiamsi nunc leuiter sentiamus, tamen olim perspicuè cogniturí simus, quàm verè, qui alterum iuuat, fratrem iuuet. Postridiæ Natalis Deiparæ portum nouæ Hispaniæ tenuerunt ad oppidum Veram Crucem diebus duobus & septuaginta, quibus nauigarunt, leucas bis mille ducentas emensi. Illico præsto fuerunt, quos Prorex, quosque pro se Petrus Moia vir inter paucos excellens, sacrarum quæstionum eâ tempestate præses, deinde Mexicanus Antistes, iusserant appellentes hospitaliter accipere. Angelopolim mox ingenti per totum iter omnium gratulatione progressos, cùm certatim ad se Ordines Religiosi inuitarent; Archidiaconus vir optimus superior fuit. Optabat Ciuitas apud se nonnullos relinqui, domicilio, & alimentis oblatis: tamen è Regis, atque Præpositi Generalis mandato, rectà omnes Mexicum tetenderunt, perque tenebras noctis, declinato quem Ciuitas adornarat occursu, in præparatum sibi à Sedennio hospitium silentio perrexerunt. Haud sinè diuino factum consilio statim apparuit, vt in Nosocomio diuersorium inuenirent. Continuò enim è quindecim, quot numero erant, difficilis morbus nouem, & in his Prouincialem afflixit: Vbi, quanquàm Ciuium omnium caritas ita sese effudit, vt in reliquos ægrotos fermè septuaginta largè efflueret; tamen ad curationis ordinem, atque totius ministerij vsum, in longum præsertim tempus, gratuita valetudinarij benignitas egenis hospitibus peropportuna accidit. Ex eâ molestiâ ceteris, tametsi lentè, tandem tamen explicitis, primitiarum instar, aut decimæ, cœlum sibi Franciscum Bazanum assumpsit, ortum Guadixij, è clarâ domo Marchionum Sanctæ Crucis, virum solidâ, constantique virtute, modestiâque, & submissione præcipuâ. In Philosophiæ studijs aliquandiu Compluti, deinde biennium in Pontificij iuris cognitione versatus, Salmanticæ octauo & quinquagesimo eius seculi anno nomen ibidem Societati dedit: eo animo, vt, si Præsides sinerent, in Marthæ occupationibus vitâ defungeretur. Itaque annos quinque studiorum expers, cathechismum duntaxat festis diebus exponens, de reliquo humiliora munia obiens, magnâ tranquillitate, atque sedulitate exegit. Quo tempore, quanquàm Franciscus Arana vocabatur; tamen (quod scriptum quidam reliquit) ignoratum eius genus, deque industriâ occultatum ab eo humilioris conditionis studio; ex eiusdem literis, & libello, per quem Visitatori Natali sese indicauit, redarguitur. Permissum autem tamdiu hærere in laboribus operarijs idcirco reor; quòd se ipse ad studia parùm habilem ferret. Cetertùm vbi ea repetere iussus est, libenter scilicet modestam in animam subeunte sapientiâ, benè multùm profecit, nec deerat popularis facundia. Ab ipso Tyrocinio cupijt in Indias mitti. Cumque à Borgiâ tum Commissario id postulasset; iussus est Sacrosanctam Corporis Christi communionem ad hanc deliberationem per annum totum referre. Paruit ille, & confirmatâ voluntate postulatum identidem instaurauit: eo temperamento, vt non credere sibi, sed ipsos censere vellet Præpositos, num vocatio esset à Deo. Sibi quidem, aiebat, profectionem videri conuenientem, non modò, vt aliquid ad insciarum gentium christianam institutionem conferret; sed, vt penitus exueret sese, quò possideretur totus à Deo: simulque tentaret, si fortè stirps parùm in hoc solo frugifera, transpositu melior fieret. Ergo simul primum destinatæ sibi peregrinationis accepit nuntium; quò vetustioris voti compos, eò maiore gaudio exilijt. In naui, qua vectus est, ita concionibus, & cathechesi, priuatisque congressibus, item officijs, & ante omnia suarum luce virtutum trecentos milites, & reliquos vectores instituit; vt in tumultuosâ turbâ speciem emicaret religiosæ tranquillitatis: tantâ erga inopes, ac decumbentes caritate; vt demensum ad eos suum sæpè mitteret, ieiunio ipse contentus. Natalem Apostolorum Simonis, & Iudæ supremum diem in terris habuit.

305 Excepti Patres perbenignè in Hispania noua

306 Morbo afflictantur.

307 Franciscus Bazanus instar primitiarum Deo redditus.

308 Eius virtutes.

Digitized by Google

habuit. Corpus in templo Nosocomij, quò tum Patres vtebantur, honorificè tumulatum. Tantæ igitur vir humilitatis benè positus est in Mexicanæ Prouinciæ fundamento. Tres eo tempore Religiosorum familiæ Mexici erant: Franciscana, quæ omnium prima illas oras adijt, Dominicana, Augustiniana: florebantque virtutibus, auctoritate, rebus gerendis. Nouos commilitones magnâ omnes benignitate, sed Augustiniani planè memorabili, amplexati sunt. Qui res administrabat pro Rege Martinus Henricius, vt cunctis in rebus fauebat; ita negotium deligendi Collegio situs, suâ sibi sponte, ac regio quoquè significatu adsciuit. Sed in eo, quem primum obtulit, cùm controuersiæ aliquid ab Religiosis Prædicatoribus de Iure finium extitisset, & Sancius ne ab odiosis litibus Prouinciæ auspicia sumerentur, vltro cessisset; eo rerum articulo Alfonsus Villasecca, opinione vulgi regni totius opulentissimus, sua quædam tecta, adiuncti laxitate situs, amœnitate horti, salubritate loci, præterfluente etiam riuo, denique, nisi quòd modicè aberant à frequentiâ, in omnes partes accommodata, simul cum pecuniâ ad id, quod necesse esset ædificandum, liberaliter dedit: adeo lætâ Ciuitate; vt ob id muneris multum ei gratiarum publicè actum sit. Is deindè parens Collegij extitit, amantissimus nostri nominis, etiam num ante aduentum in eas oras. Nam, & pecuniam ad fratrem suum iam Hispalim miserat, qua de Societate quatuor Mexicum veherentur. Sed regia liberalitas immittendis, quos diximus, anteuertit. Subinde Ecclesiæ Principis Thesaurarius, Sanctus nomine, quas extruxerat ædes, multò oportuniores, pretijque amplioris, vnàque ipsum se per multas preces obtulit. Sed Prouincialis, ne quid ea res ipso statim initio nimiæ cupiditatis oleret, nec iam præ senio Thesaurarius religiosæ seueritati parùm sufficeret, donum remisit. Vt primùm valetudo locum dedit, in templo Nosocomij, deinde alibi, & in temporario sacello Collegii sacra cultura cœpta. Rector Iacobus Lopius magno studio, effectuque audiebatur. Dicebat & Prouincialis: dicebat Concha: catecheses & indigenarum, & Afrorum Aethiopum, & alia in Custodijs, & Valetudinarijs vsitata Societati repræsentata munia: nihil iam præterea Mexicanis optantibus, nisi literarias officinas.

309 Quæ Religiosorum familiæ Mexici.

310 Alfonsi Villasseccæ erga Nostros liberalitas.

311 Collegij Mexicani fundator

Inter hæc Prospera Prouinciæ Mexicanæ exordia, confirmabatur Peruuica non modò secundis, sed etiam rebus aduersis. Timuit haud dubiè Tartarus, ne si res in Peruuiâ, qua felicitate cœperant, ire pergerent, peruetustâ regni possessione, quam haud prope minus, quàm cùm Idola propalam colebantur, obtinebat, propediem sibi cedendum foret. Itâque ergo non, vt alibi, Societatem aggredi infectationibus extraneorum, sed præcipuè domesticis disidijs, atque per honesti speciem, quæ potentissima sunt contra viros bonos arma, constituit. Arduum profectò cuiuis mortalium generi est nimiam prosperitatem benè concoquere: vbique etiam pax externa insidiatur tranquillitati domesticæ: nec in disciplinâ virtutis periculosius quicquam est, quàm, ne tumefactus inani fauore animus, corrupto sensim humilitatis robore, euanescat. Ab hoc, siue vt extraheret, siue vt arceret discrimine Prouincialem Portillum, permisit Deus inteſtinam in eum non leuem cooriri procellam, quæ foras quoquè (quanquàm, diuinâ protegente clementiâ, non magno cum incommodo) emanauit. Bartholomæus Fernandius vel primus, vel è primis concitatoribus fuit. Nam, vt inter Sanctos quoquè sententiarum disidia oriuntur, ac quisque, vt maximè assueuit suis inuentis, magisque præire quàm sequi; ita difficillimè ad alienum se ductum accommodat; Portilli administrationem, homo plus nimio censor, & interdum apertus, cœpit palàm carpere. Limensis Collegij, vt amplam vltra religiosam mediocritatem, nimiumque properatam ædificationem reprehendebat. Nam ære alieno ob eam rem contracto, cùm expediri nequirent nomina, plus obscurari Societatem paucorum creditorum linguis obloquentium, quàm quilibet concionatorum numerus illustraret eam benedicendo. Prouinciam repleſſe hominibus in Peruuiâ, atque etiam misto genere natis: statimque eos rudes, & nullo tyrocinio edolatos in acie collocasse. Ad hæc magnâ apud omnes

312 In Peruuia turbarum aliquid

313 Querimoniæ de Portillo.

inui-

inuidiâ cum Prorege ad inspectionem regni eidem à confessionibus abiisse. Denique procurationem admisisse Oarocirensem: vbi, contra Societatis leges, & Curionum munia subirentur, & mercenaria fierent ministeria propria Professorum, & in grauissima pericula, qui ei præessent curæ, coniicerentur. Adiiciebatur ab alijs, quòd Virginem nobilem à Dæmonibus vexatam consuetis Ecclesiæ adiurationibus liberandam suscepisset: id in vrbe, quæ tota flagitiorum æstu deflagrabat, nimiùm simpliciter factum. Quas adiurationes, & Archiepiscopi susceperat hortatu Portillus, & semper coram multis, præcipuè aliquot Dominicanis Fratribus adhibuerat. Nec tamen satis fuit ad linguas hominum cohibendas: vt intelligant homines Nostri, quàm procul à consuetudine fœminarum abesse debeant. Et sanè tortores eius puellæ Dæmones profitebantur, indè vsque ab Hispaniâ se Patres persequutos, vt in Peruuiâ diuexarent, & eidem Virgini ferebantur interdum, tanquam ad lenocinium, speciem addere vltra modum venustam, ac rapacem. Porrò si quid comitatu Proregis Portillus existimationis amiserat; eo relicto resarsit, quanquàm suboffenso Prorege. Genus, ac festinatio ædificii si quid in præsens offendit, id breui effluxit. Tametsi enim suum cuique rei tempus, ac modus esse debet; tamen ædificiorum natura eiusmodi est; vt ferè dum fiunt molestiam domesticorum, alienorum inuidiam habeant: vbi sunt perfecta; priuatim commodum, publicè & iucunditatem, & ornamentum afferant. Verùm enimuerò Peruuorum institutio perplexum, ac propemodum inexplicabile negotium erat. Quippe vbi Peruuia Catholicorum Regum in potestatem venit, quò regiæ conscientiæ, & christiano officio satisfieret, in multas partes, quasi modicas prouincias, ac dioeceses, vniuersa regio distributa est: atque earum vnaquæque partium cuipiam Hispanorum è primis commendata. Ad hos spectabat curare, vt sparsi pagatim populi christianis sacris imbuerentur. Quam ad rem Sacerdotes vel è Clero, vel è Cœnobio aduocabant: ita partitâ ad eorum vsus impensâ; vt certam pecuniæ summam ipsi Præsides (Commendatarios vocant) certum autem annonæ numerum, & familiaria ministeria Peruui conferrent, quod Camaricum appellant. Quæ ratio cùm expeditissima videatur; non paucis tamen implicabatur incommodis, communi vitio hominum rectè instituta non raro perperàm exequentium. Nam, & hi, quibus commendata erat dioecesis, grauatè pecuniam persoluebant, multòque maligniùs operam suam Indigenæ, & præbenda exhibebant, vt essent per vim extorquenda ingratis. Indè fiebat, vt paulò leuior sacros Pastores, quàm laicos Dominos auaritiæ nomine infamia adureret. Adde, quòd cùm eiusdem Pastoris esset in fontes animaduersio, & modò hos dari in custodiam, modò illos verberari, vt fit, nunc alios aliâ pœnâ plecti necesse esset; qui debuerat parentis pietate diligi, peius domino timebatur; vtque malus officij magister metus est, à Magistris ipsam in doctrinam odio redundante, extimâ plerumque pietatis crustâ duntaxat, Idololatriæ, vitijsque reliquis, quæ intus in animo vigebant, obducebatur. Itaque haud dubiè onerata eius generis stipendio talis doctrina ab Societatis abhorrebat legibus: quæ, quod à Domino Deo gratis acceptum est, iubent gratis dari. Illud tamen super omnia rectas mentes abterrebat, quòd cùm è susceptâ procuratione, suis deberent temporibus administrari populis sacramenta; scrupuli oriebantur innumerabiles, ne fortè sancta canibus darent, nil christianum habentibus præter nomen. Prætereà vsus promiscuus, qui vitari non poterat, gentis intemperantia, molle regionis ingenium, denique licentia faciebant, vt vnusquisque, tot inter raptores pudicitiæ, suo thesauro timeret. Cùm præsertim sanctissimi, ac prudentissimi quique Religiosorum ceterorum apertè, ac seuerè denuntiabant, caueret Societas in eas se pedicas induere, si & disciplinæ vigorem cordi haberet, & nomen bonum, quod ipsi locis non à veris tantùm criminibus, quantùm à calumnijs periclitaretur, quas barbara, ac stolida gens iugum inuita ferens, & penè coactu christiana, nihil pensi haberet comminisci. Accedebant vetera tum regiorum administrorum, tum Episcoporum certamina cum Cœnobitarum parochorum moderato-

314 Diluuntur.

315 Difficultates in regendis Peruuorum catechesibus.

citerebat. Nam Regi liberam eis potestatem collocandi, vel remouendi, quos libuisset, sopè non permittebant: incommodum enimuerò perniciabile disciplinæ. Episcopi non solùm religiosorum paræcias inspectare; sed quæ ad ipsos quoque pertinerent homines, volebant cognoscere, & in suam redigere potestatem. Hæc ita cùm essent, videretque Portillus, quòd Oarocirís doctrinam susceptisset, domesticos sibi omnes infensos, Socijs, vt suprà demonstratum est, omnibus reuocatis, procurationem reliquit. Tum verò dolere Antistes, clamare Prorex nec voluntatem Regis obseruari, nec liberari conscientiam, qui Societatem, Peruuorum præcipuè causâ, misisset. Popularis multitudo tractari ea cernens munera ab Religiosis alijs, segnitiem in nostris, fugamque laborum potius, atque ambitionem, & captationem nobilium Ciuitatum interpretari; quàm cautionem, studiumque maioris boni: vt humanæ non esset opis inire consilij viam, quæ in præcipitia non deferret. Nam breues per interualla excursus, stationesque exigui temporis difficultatibus suis obsidebantur. Num id Pastores facilè permisissent, vt alieni, nec impensâ populis oneroſi, nec animaduersionibus odioſi, collectâ officijs angusti temporis gratiâ suam aggrauarent inuidiam. Num regionum Præsides, qui necessariò Pastori debita suppeditabant, sumptum in aduentitios excultores germinarent. Ad hæc in barbaris ingenijs naturâ hebetibus, intemperantiâ, atque ebrietate occæcatis, quid porrò in transitu momenti fieret. Ad vltimum ne hoc quidem pacto satis explicari Regis conscientiam Regij aiebant. Huius explicationem nodi petiturus, sed maximè de Portillo Generalem Præpositum edocturus, re cum Prorege (pessimo exemplo) Cuschi communicatâ; de eius, nonnullorumque Sociorum sententiâ in Europam Bracamontius nauigauit: inuito quidem, sed, ne latiùs indigni cœpti fœditas suboleret, non reluctante Prouinciali. Hæc domi dum fiunt, vt est immensa diuina bonitas, suorumque administrorum ad Ecclesiæ suæ adiumentum custodit auctoritatem; eâdem penè ad vulgus approbatione, atque successu consueta munera tractabantur: multumque iuuit paulò post, quàm Bracamontius discesserat, Ioseph Acosta, qui priore anno institutâ nauigatione cursum tenére nequiuerat, hoc tandem anno perlongas varijs in Insulis, & vrbibus, sed vtiles incolis moras, cum duobus Socijs Andrea Lopio, & Iacobo Martinio ex Hispaniâ aduectus. Vir magnus ingenio, sagax consilio, facundiâ, doctrinâque præstans, quem, præter asperi aliquid pro Christo tolerandi cupiditatem, duplex ad eam expeditionem causa impulerat: primum quòd si quid ad Dei gloriam in regionum adeo sepositarum latebris fieret, videretur ab humanæ auræ periculo valde semotum: deinde, quòd maior esset operarum in orbe nouo penuria. Quare cùm gymnasia illic institui oporteret; maiore vsu nauaturum se in ijs operam existimabat. Atque eo doctore addita sub anni finem in Limensi Collegio Theologica schola est. Simulque vno è Socijs magistro Quichuæ linguæ, quæ communis est, instituta disciplina. In Collegio quoquè Cuschensi Ludouicus Lopius quæstionum conscientiæ explicationem exorsus. At Portillus, qui iam se à Proregis vsu, & confessionibus abstraxerat, Limamque redierat, eò maximè incumbebat, vt quicquid ex relictâ Oarocirensi paræciâ popularis gratiæ amissum erat, modo aliquo sarciretur. Optatissimam præbuit eius rei opportunitatem Ioannes Ribius ex Aragoniâ oriundus, vir opulentus, & nobilis. Is cùm multa de fructuosis Sociorum laboribus audisset, Limam se contulerat ex vrbe Pacis, Socios illuc aliquot adducturus. Distat ea vrbs pari fermè interuallo, ab Cuscho, & Potosio, ad littus duorum fluminum sita, aureæ feracium arenæ, quàm ideo indigenæ Cuquiagum vocant, procul ab Limâ ducentis quadraginta leucis. Iuxta eam vrbem commendatam habebat Peruuorum Diœcesim Ioannes. Atque, vt erat suæ cupidus salutis, nequaquam eo doctrinæ genere, quod suprà descripsi, suo munere abundè se defungi rebatur. Itaque oblatis reditibus, vt graues populo nullo modo magistri essent, nullâ ad unctâ conditione, Collegium in vrbe se fundaturum promittit. Hanc expeditissimam, tanquam à Deo oblatam Peruuorum, sinè Societatis detrimento, iu-

316 Portillus à Prorege se remouet.

317 Bracamontius in Europam discedit.

318 Ioſephi Acoſtæ in Peruuiâ aduentus.

319 Collegij Limæ sis occasio.

to, iuuandorum Patres viam putarunt. Sed quia inconsulto Generali noua suscipi Collegia non licebat; Portillus Patrem Ioannem Zunigam, Sebastianum Amatorium Peruuicè peritum, & Ioannem Casasolam interim illuc, veluti in stationem, misit: ipse verò Truxillum, cum duobus Socijs, quò diu fuerat accersitus, excurrit oppidum octoginta leucis ab Limâ. Ibi ita concionibus, cohortationibus, catechesibus ad Populum, ad pueros in ludis literarijs, in compitis, vicisque ad mancipia, & ad Peruuos profecere; vt vir primarius, qui initiò hospitiolum ad receptum negauerat, deinde stabilem sedem, redituſque opimos deterret.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX
IN TERTIAM PARTEM
HISTORIARVM
SOCIETATIS IESV.

Cuius prior numerus demonstrat numerum librorum: posterior verò numeros ad marginem dispositos.

A

ACademia in Romano Collegio instituta. l.5.n.49.
Eborensis excipit Regem. l.5.n.237.
Generales Academiæ in singulis prouincijs iubentur instirui. l.1.n.42.
Academici Ingolstadienses aduersantur Societati. l.7.n.65.
Parisienses vexant Collegium. l.1.n.8.
Achilles Gagliardus Collegij Taurinensis Rector. l.4.n.174.
Eius missio. l.5.n.72.
Adalbertus Bausek interest Synodo Diœcesanæ. l.4.n.188.
Eius laboriosa patientia. l.5.n.86.
Egregia virtus. l.7.n.58.
De eo Magij testimonium. l.7.n.59.
Adamus Carnouius Posnanensis Archiepiscopus. l.6.n.110.
Adami Helleri defectio. l.6.n.94.
Ad eum epistola Magij. ibid.
Eiusdem acerbus exitus. l.6.n.100.
Adamus Konarski Antistes Posnanensis. l.4.n.130.
Fundator Collegij Posnanensis. l.7.n.47.
Aduocatus Regius in curia Parisiensi inuehitur in Societatem. l.1.n.16.
Eius summa auctoritas. ibid.
Aedes olim S. Ildephonsi Toleti Societati additæ. l.2.n.202.
Aegidij Anglilaudes. l.7.n.61.
Aegidius Consaluius Visitator Aragoniæ. l.2.num.18.
Aegrotis in Vrbe suffragium. l.2.n.8.
Aerumnæ Nostrorum in Florida. l.7.n.212.
Aethiopes ex Africa in nouum Orbem inuehuntur. l.4.n.330.
Aethiopiæ Abassinæ status. l.3.n.253.
Agentes cum proximis sine velut adamantinum signum. l.6.n.168.
Agno cereo, & Reliquijs sedata tempestas. l.7.n.213.
Agrigentini petunt Collegium. l.5.n.44.
Aitanus alienissimus à fide. l.1.n.142.
Albanus Dux purgat Belgium. l.4.n.202.
Albayzini Neophyti excoluntur. l.5.n.157.
Ibi Sodalitas instituta. l.5.n.160.
Inde statio Societatis remota. l.5.n.166.
Albertus Dux Bauariæ Societatis famam tuetur. l.1.n.100.
Eius de Societate iudicium. l.7.n.55.
Beneuolentia in Societatem. l.7.n.63.
Perhonorificæ de Societate literæ. l.7.n.64.
Obsistit Academicis pro Societate. lib.7.n.65.
Albonius Senator Parisiensis de Collegio benemeritus. l.5.n.138.
Albuquercius Dux Gubernator Mediolanensis. l.5,n.73.
Moritur in sinu Nostrorum. l.7.n.38.
Alcalaæ Dux Prorex Neapolitanus ad supremam confessionem vocat nostros. l.7.n.38
Alciatus Cardinalis loco S. Caroli Pœnitentiariæ præfectus. l.5.n.40.
Aleramus Becutus fundator Collegij Taurinensis. l.3.n.113.
Eius virtus. l.3.n.114.
Alexander Cribellius Cardinalis amantissimus Societatis. l.1.n.120.
Promouet apud S. Carolum Collegium Mediolanense. l.3.n.109.
Alexander Cardinalis Farnesius Templum nominis Iesu extruit. l.4.n.141.& seqq.
Alexander Hollerus. l.8.n.221.
Eius vsiles conciones Brunæ. l.6.n.92.
Alexandri Nuntij constantia. l.1.n.57.
Alexander Valla ad Indos profectus. l.1.n.130.
Depositus conualescit. ibid.
Eius operâ plures baptizati. l.3.n.237.
Quanta veneratione in Iaponia exceptus. l.4.n.286.
Impertit baptismum petentibus. l.4.n.287.
Eidem occurrunt Socij. l.4.n.288.
Reuocatur in Europam ob afflictam valetudinem.

dinem. l.6.n.207.
Primus è Iaponia Romam reuertus. l.8.n.276
Alexij Delgadi constantia. l.6.n.248.
Alphonsi Agazarij vocatio. l.3.n.112.
Alphonsus Barzana velut Apostolus Peruuiæ, l.5.n.302.
Alphonsus Borgia B. Francisci Borgiæ filius. l.7. n.129.
Alphonsus Brauus, eiusque virtus. l.5.n.174.
Alphonsus Deza, eiusque doctrina Complutiaecepta. l.4.n.237.
Alphonsus Aegidius, eiusque probitas, & mors. l.5.n.211.
Alphonsus Fernandius disputat cum Hæreticis. l.7.n.198.
In mare deiectus ab ijsdem. l.7.n.200.
Alphonsus Maiorga Pictor socius Azebedij. l.6.n.232.
Deturbatur ab Hæreticis in mare. l.6.n.243.
Alphonsus Petrius Gusmanus Dux Methymnæ Sidoniæ. l.6.n.56.
Alphonsus Ramirius Vergara, eiusque sanctus exitus, l.2.n.77.
Alphonsus Romanus Prouincialis Aragoniæ. l.1.n.51.
Alphonsus Ruizius Tyronibus præpositus. l.2. n.53. & l.4.n.15.
Eius testimonium de B. Stanislao. l.4.n.64.
Prouincialis Romanus, l.7.n.8.
Alphonsus Sandoualia. l.3.n.191.
Alphonsus Salmeron impetrat benedictionem à Pontifice pro Congregatione Generali, l.1.n.23.
Professorum antiquissimus. l.1.n.31.
Concipit Decretum Præpositi Generalis renunciati. l.1.n.31.
Præest Comitijs tanquam Assistens cum Vicario. ibid.
Prouincialis Neapolitanus. l.1.n.51.
Concionatur coram Pontifice. l.5.n.35.
Eius vicarius Dionysius Vasquius, l.7.n.8.
Totus est in studijs literarum. l.6.n.34.
Alphonsus Vaëna socius Azebedij. l.6.n.232.
Alphonsus Velasæus obit peste contactus. l.4. n.223.
Alphonsus Villalobos Syracusis laborat. l.5.n.53.
Alphonsus Villasecca, eiusque liberalitas erga Nostros, l.8.n.310.
Fundator Collegij Mexicani. ibid.
Alphonsus Zarates Procurator Bæticæ. l.4. n.127.
Alpuxarrani rebelles. l.5.n.162.
Eorumdem impetus. l.5.n.163.
Aluarus Castrius Lusitani Regis Orator ad Pium IV. l.1.n.129.
Aluarus Mendius interimitur ab Hæreticis. l.6.n.250.
Aluarus Orsius mortuus in obsequio pestilentium. l.1.n.123.
Aluarus Toletus Oropesæ Comes amat impense Societatem. l.6.n.133.
Amachaënsis Vrbis progressus ex Episcopi aduentu, l.4.n.280.
Amaeusadoni labefactatio. l.5.n.265.
Amacusanæ Ecclesiæ origo. l.5.n.263.
Eius incrementa. l.7.n.173.
Amarus Vaizius Azebedij socius ab Hæreticis è medio sublatus, l.6.n.251.
Amboini Insula, & in ea res gestæ. l.5.n.256.
Ecclesiæ vastatæ à Barbaris. l.1.n.138.
In ea concursus ad baptismum. l.5.n.259.
Ambrosius Castillus. l.3.n.200.
Amerinum Collegium sublatum. l.3.n.99.
Amulius Cardinalis ægris iuuandis præficitur à Pio V. l.2.n.8.
Anathema in ambitiosos, & non indicantes. l.1.num.29.
Andreas Auantianus. l.7.n.87.
Rector primus Collegij Virdunensis. l.1.n.86
Andreas Cabrera multos annos Grammaticam docet. l.7.n.160.
Eius mors, ibid.
Andreas Consaluius Azebedij socius ab Hæreticis vita priuatus. l.6.n.251.
Andreas Oberstetnius de re Catholica optimè meritus. l.3.n.137.
Andreas Ouiedus Æthiopiæ Patriarcha iubetur à Pio V. ire ad Iapones, aut Sinas, l.2. n.6.
In Æthiopia rustica opera exercet. l.3.n.255
Eius virtus. ibid.
Perseuerantia in sua Ecclesia. l.3.n.256.
Rationes affert Pontifici de non deserenda Ecclesia. l.3.n.257.
Humilitas, & promptitudo. l.3.n.258.
Eius literæ ad Socios Europæos. l.3.n.259.
Eiusdem sanctitatis opinio. l.8.n.286.
Andreas Pais in mare deiectus ab Hæreticis, l.7.n.200.
Andreas Volanus Vilnense Collegium tentat, & vexat. l.6.n.122.
Angelus Hipparchus. l.1.n.49.
Febri corripitur. l.1.n.62.
Moritur. l.1.n.64.
Angelus Paradisus. l.3.n.111.
Traducitur sermonibus. l.5.n.74.
Turbæ per eum excitatæ, l.5.n.77.
Dimittitur è Societate. l.5.n.78.
Angræ descriptio. l.6.n.171.
Collegium impetratur à Rege Sebastiano. l.4.n.231.
Ibi Sociorum labores, ac fructus. l.6.n.174.
Angrensis Collegij exordia. l.6.n.171.
Eius condendi causa. l.6.n.172.
Angrensium Ciuium benignitas in Nostros. l.6. n.173.
Animarum profectus insignis per Socios. l.6. n.174.
Anna Mommorancius Constabilis defendit Societatem. l.2.n.58.
Eius verba ad Socios. l.2.n.59.
Anna Patia diuinitus monita subuenit Vallisoletano Collegio. l.3.n.187.
Anna Poloniæ Regina. l.8.n.206.
Annibal Codrettus in Collegio Lugdunensi agit. l.1.n.20.

Digitized by Google

Mureti prosperè obit Apostolicum munus. l.3.n.159.
Eius conciones Ausæ. l.5.n.133.
Annus Iaponicus. l.2.n.115.
Antistites plures Societatem expetũt. l.4.n.341
Antonius Albonius. l.1.n.20.
Antonius Aluarius ex morbo decumbit. l.4 n.314.
Panamæ mortuus. l.4.n.328.
Antonius Araozius nominatus Assistens Hispaniæ. l.1.n.34.
Cur creatus. l.2.n.70.
Turbatio inde orta. l.2.n.69.& 74.
Siniſtrè illam electionem interpretantur aliqui. l.2.n.73.
Satisfit de ea Proceribus Hispaniæ. l.2.n.75.
Eius auctoritas. l.1.n.117.
Eiusdem testimonium de Petro Sanctacruce. l.1.n.122.
Non satis probauit expeditionem ad Indias Occidentales, & qua de causa. l.2.n.136.
Eius loco nominatur Assistens Hieronymus Natalis. l.4.n.128.
Antonius Bononia Messanæ laborat. l.5.n.53.
Moritur. l.5.n.54.
Antonius Boschus, eiusque virtutum fama. l.7.n.99.
Eius vocationis causa frequens Communio. l.7.n.100.
Remota cognoscit, ac prænunciat. l.7.n.101.
Antonius Cordesius Superintendens Collegij Conimbricensis. l.1.n.52.
Sardiniam inuisit. l.5.n.189.
Antonius Corduba Visitator Castellæ. l.2.n.18.
Agit in Domo Toletana de officio Confessariorum. l.2.n.66.
Eius vita insignis. l.3.n.172.
Humilitas. l.3.n.173.
Abhorret titulos. l.3.n.174.
Studiũ precationis quanti faceret. l.3.n.175.
Qua fiducia dicebat agendum cum Deo. l.3. n.176.
Caritas in proximum. l.3.n.177.
Pietas in Eucharistiam. l.3.n.178.
Seraphim vocatur à Bustamantio. l.3.n.179.
Antonius Correa, eiusqve virtus. l.5.n.226.
Ab Hæreticis cæsus. l.6.n.244.& 251.
Antonius Dinis captiuus multa pro Christo tolerat. l.4.n.258.
Sustinet in christiana fide adolescentem deficientem. l.4.n.259.
Antonius Firandensis Dynasta tuetur Ecclesiam. l.1.n.152.
Obit sanctioris hebdomadæ pias exercitationes. l.1.n.154.
Antonius Hagensis ludum aperit Francofordiæ. l.2.n.52.
Antonius Klefelius defecit à Societate, & Ecclesia. l.5.n.98.
Resipiscit. l.5.n.100.
Eius epistola ad Rectorem Pragensem. l.5. n.101.
Eiusdem pœnitentiæ signa. l.5.n.102.
Reconciliatur Ecclesiæ. l.5.n.103.
Veniam petit à Borgia. l.5.n.104.
Degit extra Societatem. l.5.n.105.
Antonius Leonius ex socijs Azebedij solus in Brasiliam peruenit. l.7.n.202.
Antonius Noronia Prorex Indiæ. l.3.n.230.
Arcem extruit ad Mangalorem. l.4.n.235.
Antonius Nouius Genuæ Collegium optat. l.1.n.68.
Antonius Petrius spectatæ virtutis. l.2.n.133.
Moritur Proprouincialis Brasiliæ. l.8.n.288.
Antonius Posseuinus libros Catholicos procurat aduersus Hæreticos. l.1.n.83.
Mittitur ad Carolum Regem pro Collegio Parisiensi. l.1.n.17.
Excolit Rothomagenses. l.1.n.85.
Res gestæ Baconæ. l.1.n.83.
Eius industria Massiliæ. l.4.n.213.
Prauas consuetudines abolet. l.4.n.214.
Consulit nauticæ turbæ. l.4.n.216.
Detentis in carcere prouidet. l.4.n.215.
Mittitur ad Regis Curiam. l.5.n.146.
Sparsus de ipso rumor turbat Collegium Auenionense. l.5.n.159.& seqq.
De eius innocentia literæ Pij V. l.5.n.144.
Rector Collegij Auenionensis. l.4.n.213.
Industria ad lucrandam perditi animam. l.5. n.151.
Eiusdem caritas. l.6.n.49.
Rothomagi iterum laborat. l.6.n.51.& 55.
Deppam excurrit. l.6.n.53.
Multa gerit Vesontione. l.7.n.93.
Antonius Quadrius Prouincialis Indiæ. l.1.n.51
Eius auctoritas. l.1.n.132.
Reuertitur in Indiam. l.1.n.139.
Interest Synodo Prouinciali. l.3.n.226.
Exempla. l.6.n.186.
Eius obitus. l.8.n.279.
Eiusdem excellentes virtutes. l.8.n.280.
Antonius Ramirus sacræ doctrinæ professor. l.3.n.103.
Antonius Rodericus, eiusque mors, & virtus. l.4.n.297.
Antonius Rueda. l.5.n.191.
Antonius Sedennius, eiusque strenua caritas. l.7.n.210.
Antonius Suarius Azebedij socius. l.6.n.231.
Acceptis plagis in mare ab Hæreticis deuoluitur. l.6.n.340.
Antonius Valentinus Rector primus, & Magister Nouitiorum Nouellariæ. l.7.n.28.
Antonius Vicecomes in Societatem admissus. l.3.n.51.
Emendicat per Vrbem. l.3.n.86.
Moritur. l.7.n.19.
Antonius Vinkius Rheni Prouincialis. l.1.n.51
Succurrit Treuirensibus. l.4.n.197.
Germanos in Sicilia Milites iuuat. l.7.n.44.
Antuerpiæ stragis sacrorum. l.2.n.39.
Eius difficultates. l.7.n.81.
Antuerpiense domicilium dissipatur. l.2.n.47.
Apamienses optant Collegium. l.3.n.160.
Apparatus pro Ecclesijs Brasiliæ. l.6.n.217.

Digitized by Google

INDEX

Apum examina visa in exordijs Collegij Vallisoletani. l.3.n.189.
Aqua contacta ligno sanctæ Crucis ægris est saluti, l.7.n.167.
Aquæ sacræ virtus. l.5.n.260.
Aquinzuquiensis Ecclesiæ primordia l.6.n.209
Ara in Ityæ ædificata. l.5.n.258.
Arias Sancius mittitur in Insulam Xiquin. l.2. n.129.
Armeniaci Cardinalis benevolentia in Nostros. l.5.n.141.
Arnuziana sedes relinquitur. l.3.n.228.
Arnoldus Honzius Toogris populum depravatum excolit. l.2.n.49.
Arrogantia sit felicitate insolentior. l.5.n.268.
Assistentes creantur. l.1.n.34.
Audomarense Collegium fundatur. l.3.n.151.
Eius progressus. l.5.n.123 & l.6.n.79.
Auenione ciuibus, aduenisque opera nauata, l.3.n.164.
Plebs tumultuatur in Posseuinum, & Societatem. l.5.n.140.
Compescitur tumultus precibus Sociorum, l.1.n.141.
Tyrocinium inchoatur. l.7.n.94
Auenionense Collegium, & in illud tempestas, l.5.n.139.
Tranquillitatem, & dignitatem recuperat. l.5.n.146.
Auenionenses Collegium stabiliunt. l.4.n.218.
Augustiniana confessio Hieronymi Torres opposita Augustanæ. l.3.n.132.
Augustinus Barbadigus. l.7.n.41.
Augustinus de Corumna Poppeianæ Episcopus l.2.n.136.
Austriæ res. l.4.n.187.
Ibi Societas laborat. l.1.n.97.
Auxilia proximis impensa. l.1.n.6.
Azaceæ calamitates, l.6.n.270.

B

Badensi Marchionatui cæpta religio restitui. l.6.n.88.
Balduinus ab Angelo. l.3.n.157.
Rector Collegij Audomarensis. l.3.n.151.
Prouincialis Germaniæ inferioris. l.7.n.8.
Balearici Collegij incrementa. l.5.n.190.
Balthassar Acosta impedit vltionem Christianorum. l.1.n.152.
Conuertit plurimos. l.1.n.154.
Præficitur Firandensibus Ecclesijs. l.6.n.207
Mortuus dum ad suos remittitur. l.7.n.178.
Societatis suffragijs donatur. ibid.
Balthassar A Dernbach Abbas Fuldensis petit Socios. l.7.n.68.
Balthassar Aluarius, eiusque sanctitas. l.3.n.192, & 193.
Egregie instituit Tyrones. l.6.n.215.
Roma reuertitur. l.7.n.133.
Balthassar Appianus in Pharia moritur. l.6. n.28.
Balthassar Baeria, eiusque constantia, lib.5. num 285.
Angræ concionatur. l.6.n.171.
Balthassar Diazius insignis concionator, l.7. n.156.
Eius obitus. ibid.
Balthassar Gagus captus à Mahometanis, l.4. n.243.
Balthassar Hostouinus Vilnam missus. l.5.n.93.
Balthassar Lopius Cocinosensem Ecclesiam ornat. l.6.n.207.
Balthassar Pinna, eiusque testimonium de Olmedo. l.2.n.84.
Præficitur Tyronibus. l.2.n.85.
Hispaniæ redditus. l.5.n.189.
Balthassar Zugerus ad Hæreticos deficit. l.3. n.128.
Baptismus ducentorum Piscatorum. l.2.n.102.
Baptista Madridius. l.2.n.78.
Baptista Pezzanus moritur. l.7.n.19.
Baptista Ribera Procurator generalis l.3.n.95.
Reliquias in mare mittit, & redit tranquillitas l.2.n.241.
Eius feruor in Sinas penetrandi. l.4.n.281.
Dupitur Cantoniam ab Ethnico. l.4.n.282.
Inde ab eodem reducitur. l.4.n.283.
Reditus ex India non laudatus. l.8.n.278.
Baptista Sancius egregius prædicator. l.8.n.182
Periclitatur in via virtutis. l.8.n.183.
Ei remedia adhibentur. l.8.n.184.
Eius obitus & virtus. l.8.n.185.
Obedientia insignis. l.8.n.186.
Barbara Borromæa Camillo Gonzagæ suadet, vt domum Socijs ædificet. l.7.n.27.
Eiusdem amor in Societatem. l.7.n.33.
Eius feruor. l.7.n.30.
Mors. l.7.n.32.
Barbari tres Crucifixum contemnentes concidunt mortui. l.7.n.209.
Eorum stolida impietas. l.7.n.108.
Barcinonensis Collegij incrementa. l.5.n.190.
Barcinonensium officia in Borgiam. l.7.n.126.
Bartholomæus Bustamantius Visitator Bæticæ, & Toleti. l.2.n.18. & l.6.n.141.
Tyrones Villaregium deducit. l.3.n.190.
Caranacæ adlaborat. l.5.n.195.
Proficiscitur Seguram. l.5.n.197.
Egregia eius facta virtutes, ac finis. l.6.n.138.
Primus in Hispania Magister Nouitiorum. l.6.n.139.
Secundus Baticæ Prouincialis. n.140.
Mortis genus. n.142.
Sacrum Viaticum insigni pietate excipit. n.143.
In deliratione morbi nunquã à diuinis mens declinat. n.144.
Populi de eo existimatio. n.145.
Abstinentia, ac pietas. n.146.
Peculiare studium in Eucharistiam. n.147.
Erga Deiparam se, atque alios affect. n.148.
Fallaciam seculi deplorat. n.149.
Zelus boni publici. n.150.
Bona initia poni curabat. n.151.
In Floridam mitti deposcit. n.152.

Colle-

Digitized by Google

Collegia per eum constituta. n.153.
Quæ conferet seruanda ad Collegia condenda. n.154.
Mira in agendo dexteritas. n.155.
Diuina eius prædictio. n.156.
Collegiorum dotes malebat non tribui à Ciuitatibus. n.157.
Minuta Collegia institui nolebat. n.158.
Nolebat præmitti partem familiæ ante instituta Collegia n.159.
Qualem maxime administrationis formam probaret. n.164.
Constitutiones quam cuperet in Societate vigere. n.160.
Pro Collegio Romano vel vendi se cupiebat. n.165.
Visitatores crebros necessarios vbi putaret, n.165.
Eius obedientia insignis. n.166.
Conuersatur cum Dynastis cum profectu. l.6.n.167.
Bartholomæus Canóua moritur. l.7.n.104.
Bartholomæus Fernandius. l.1.n.63.
Bartholomæus Guerandus sacra Catholica Isidori restaurat. l.5.n.132.
Bartholomæus Hermandius. l.5.n.301.
Bartholomæi Omurani Reguli pietas. l.1.n.156.
Eiusdem christiana fiducia. l.6.n.208.
Eius familia sacro fonte lota. l.6.n.209.
Bartholomæus Turrianus Episcopus Canariensis. l.3.n.203.
Postulat missionem Sociorum. ibid.
Eius literæ ad Borgiam. l.3.n.204.
Virtus. l.3.n.206.
Mors. l.3.n.209.
Batzana Concionator Collegij Cuschensis. l.7.n.225
Barachini baptismum petunt. l.4.n.270.
Bazaini tempestas immanis. l.2.n.104.
Conuersio Ethnicorum. l.1.n.135.
Belgicæ res. l.4.n.199.& l.7.n.80.
Belgium tumultibus vexatur. l.2.n.36.
Aliqua illi tranquillitas. l.3.n.146.
Eius calamitates. l.8.n.225.
Bellua terrestris vertitur in marinam. l.2.n.114.
Benedictus Alemannus eiusque virtus. l.3.n.110
Benedictus Castrius Azebedij socius. l.6.n.231.
Occiditur ab Hæreticis. l.6.n.241.
Benedictus Fernandius moritur. l.7.n.158.
Benedictus Herbestus. l.7.n.46.
Benedictus Iustinianus in Societatem admissus l.3.n.51.
Benedictus Niger magister Tyronum. l.7.n.94.
Benedictus Palmius concionatur in Congregatione Generali. l.1.n.23.
Assistens Italiæ designatur. l.1.n.34.
Collegiorum minutorum incommoda exagitat. l.1.n.35.
Fidendum esse Deo ait. l.1.n.41.
Prouincialis Longobardiæ. l.1.n.51.
Ducitur à S.Carolo ad Synodum. l.1.n.51.
Eius res gestæ Mediolani. l.1.n.72.
Gratus Gabrielli Cutuano Gubernatori Mediolanensi. ibid.
Iuuat S.Carolum. l.1.n.73.
Occurrit magnæ perturbationi. l.1.n.74.
Visitator Prouinciæ Neapolitanæ. l.3.n.102.
Concionatur ad S.Laurentij in Damaso. l.3.n.102.
Concionatur coram Pontifice. l.4.n.134. & 135.
Quietem reddit Romano Collegio. l.4.n.153
Eius oratio ad Socios, & demissio. l.4.n.154.
Ex ea fructus, & commotio Sociorum. l.4.n.155.
Neapolim concionaturus mittitur l.5.n.34.
Vitia vehementius castigat. l.5.n.36.
Concionum fructus Neapoli. l.5.n.38.
Benedictus Pererius in Sacello Pontificio latinè dicit l.4.n.136.
Beneuenti res gestæ ab Vsmaro Goissonio, & socijs. l.3.n.42.
Berardus Inquisitor Dominicanus, eiusque testimonium de innocentia Societatis. l.5.n.146.
Bergomates petunt Collegium. l.5.n.44.
Bernardinus Ferrarius Theologiæ professor in Sassaritano Collegio. l.7.n.102.
Biaitani Collegij origo. l.5.n.180.
Billomum Socij secedunt. l.3.n.158.
Billomæorum piæ supplicationes. l.5.n.126.
Blasius Riberius Azebedij socius occiditur ab Hæreticis. l.6.n.244.
Blasphemi exitium. l.4.n.300.
Bonauentura Paradinius Tyrocinii Monachiensis Rector. l.5.n.96.
Bononiensis Collegij incrementa. l.3.n.107.
Bonziorum furor, & insidiæ in Almeidam, & Christianos. l.5.n.263.
Bonzius Iaponiæ Antichristus dictus l.5.n.287.
Eius congressus cum Lodouico Froes. l.5.n.288.
Stolida ferocia. l.5.n.290.
Borbonius Cardinalis tuetur Societatem. l.2.n.64.
Bracharæ inchoatum Collegij templum. l.3.n.214.
Brachmanæ conuersio nobilis. l.1.n.136.
Braidensis Collegij initia. l.8.n.187.
Brasiliæ res. l.1.n.158,& l.8.n.287.
Nauigatio, & aduentus in eam Ignatij Azebedij. l.2.n.130.& seqq.
Nauigatio altera eiusdem, sed ab Hæreticis impedita. l.6.n.208.& seqq.
Eius status afflictus. l.7.n.202.
Bransbergesis Collegij incrementa. l.2.n.112.
Eius optimus status. l.6.n.125.
Brixiensis Collegij origo. l.3.n.111.
Brixiæ procella in Socios. l.5.n.74.
Succursum ægris. l.6.n.74.
Brunæ vtiles conciones Helleri. l.6.n.92.
Ingens hæresum amor. l.8.n.221.
Religio sustentatur à Concionatoribus. l.8.n.119.
Bungi Tonus, & Rex suos fieri Christianos optat, l.5.n.251.

Digitized by Google

INDEX.

Sacra christiana promouet. l.5.n.272.
Eius studium erga rem christianã. l.6.n.200.
Burdigalense Collegium designatur l.5.n.153.
Instituitur. l.8.n.138.
Burdigalæ descriptio l.8.n.238.
Conuersi vno mense mille ducenti Hæretici, l.8.n.245.
Burgensis Collegij migratio. l.4.n.224.

C

CAbaxima Insula. l.3.n.246.
Progressus religionis. ibid.
Calamitates publicæ. l.6.n.19.
Calataieronense Collegium conditur. l.7.n.35.
Calongani sacris mysterijs imbuuntur, l.4. n.267.
Eorum seruor in sacra æde paranda l.4.n.270
Calumniæ in Societatem. l.1.n.9.
Refelluntur. l.1.n.10.& seqq.
In Socios Colonienses. l.5.n.117.
Brixiæ in Socios. l.5.n.75.
Purgantur inflictæ Societati. l.8.n.269.
Camberiensis Collegij initia. l.1.n.82.
Constabilitum. l.7 n.86.
Non sine difficultatibus. l.7.n.87.
Cameracensis Collegij status. l.6.n.83.
Cameraci religio periclitatur. l.3.n.148.
Defensa. l.3.n.149.
Sociorum ibi labores. l.3.n.150.
Camilli Cargæ tumultus in Romano Collegio, l.4.n.152.
Camillus Gonzaga Comes Nouellariæ. l.7. n.27
Fundat domum Probationis. l.7.n.27.
Eius pietas. l.7.n.29.
Camillus Porcellaga mittitur in classe Veneta contra Turcas. l.6.n.26.
Moritur in Pharia l.6.n.28.
Canariæ Insulæ, & eo appulsus Sociorum. l.3. n.273.
Canariensis Missio. l.3.n.202.& 207.
Eius exitus. l.5.n.188.
Canarienses certant pro retinendo Iacobo Lopio. l.5.n.184.
Capuccinis concessum Bassanense Collegium. l.4.n.173.
Caruacensis Collegij susceptio. l.4.n.225.
Caritas in proximos qualis esse debeat. l.8.n.127
Caritati magnæ omnia videntur prospera. l.4. n.322.
Caritatis maior vis, quam cupiditatis. l.3.n.223
Exhibitæ fructus. l.6.n.193.
Carthago noua, & eò accessus. l.3.n.274.
Sociorum labores ibi fructuosi. l.3.n.275.
Carolus Archidux Austriæ, eiusque pietas. l.8. n.222.
Carolus Borgia Gandiæ Dux occurrit Francisco Borgiæ. l.7.n.129.
S.Carolus Borromæus Cardinalis plurimum vtitur opera Societatis. l.1.n.76.
Eius in Ecclesiam suam caritas. l.1.n.75.
Societati plurimum tribuit. l.5.n.73.
Eiusdem in Societatem merita. l.8.n.189.
Inchoat ædificationem Templi S. Fidelis Mediolani. l.5.n.79.
Suscipitur in Collegio Romano cum Card. Lotharingo. l.8.n.22.
Cognoscit postulata Societatis iussu Gregorij XIII. l.8.n.12.
Tres Cardinales ascisit ad causam cognoscendam. l.8.n.17;
Reijcit eos, qui Collegium impediunt, l.3. n.109.
Ducit Mediolanum Palmium, vt eius operatur in synodo. l.1.n.73.
Celebrat synodum, ibid.
Nascitur inter ipsum & Gubernatorem ob seuera decreta dissensio l.1.n.74.
Lustrans Diœcesim comitem habet Io. Baptistam Velatum. l.1.n.76.
Diœcesis partem visendam Leonetto Clauonio committit. l.1.n.77.
Carolus Nonus Rex Galliæ scribit literas pro Societate. l.1.n.84.
Obuiam venit Borgiæ. l.8.n.7.
Attribuit Societati ædes à Carolo Magno extructas. l.8.n.240.
Carolus Pharamus professor Theologiæ Patauij. l.3.n.103.
Mittitur cum classe Veneta contra Turcas. l.6.n.26.
Carolus Regius mittitur ad Theatinos Collegij condendi causa. l.8.n.193.
Eius dotes. l.8.n.194.
Inducit sacramentorum, & precum frequentiam. l.8.n.195.
Adiuuat sodalitates. l.8.n.196.
Carolus Sagetius mittitur ad Pictauos. l.6. n.54.
Rem catholicam iuuat. l.6.n.64.
Carolus Vrsinus magnæ virtutis, ac spei mortalitur. l.7.n.19.
Castellionius Dux Hugonottorum in Societatem infensus. l.1.n.8.
Casus non iucundus. l.8.n.204.
Catacense Collegium. l.5.n.79.
Catharitæ Marchionis Piegi obitus. l.5.n.181.
Catechismi celebritas. l.4.n.53.
Catechismorum sparsa copia. l.6.n.52.
Catechistis necessaria linguæ cognitio, l.1. n.133.
Catechumenorum procuratio traditur Societati à Pio V. l.2.n.7.
Dimittitur à Societate. l.8.n.
Catholici Senatores Parisienses fauent Societati. l.8.n.17.
Catholici exculti. l.6.n.67.
Eorum doctrina fundata. l.2.n.104.
Victorius Gallia de hæresi. l.1.n.154.
Catondonus Christianæ pietatis hostis infensissimus. l.1.n.152.
Cauripa excolitur à Petro Mascarenia. l.4. n.275.
Centenarius Pastor sit Christianus. l.5.n.151.
Celebria res gestæ à Melchiore Nunio l.2.n.11.

Choro

INDEX.

Choro quare non vtatur Societas. l.3.n.1.
Chorus magnum negotium. l.3.n.10.
Choro nusquam locus in Societate. l.3.n.25.
Chorus instituitur iussu Pij V. l.4. n.143.
Chrismatis sacri veneratio Viennæ restituta. l.5.n.86.
Christianus Dalmensis propugnat Heruiæ religionem Catholicam. l.2.n.49.
Leodium missus. l.4 n.203.
Christianus Haluerius VVimphelingæ religionem sustinet. l.3.n.142.
Egregiè se gerit in missionibus Herbipolitanis. l.5.n.114.
Eius insignia opera. l.7.n.77.
Christianæ fidei sanctitas. l.2.n.125.
Eius propagatio. l.2.n.105.
Christianæ familiæ cõstãtia in Iaponia l.7.n.175
Christianæ Religionis Maiestas. l.1.n.142.
Progressio in Salsettis Goanis. l.2.n 101.
Christianissimum Regem tueri decet religiosos viros. l.1.n.19.
Christianorum ardor & martyrij cupiditas. l.5.n.264.
Constantia. l.3.n.250.
Est grata Ethnicis. l 2.n.127.
Christophorus Madridius minister Romanæ Professorum Domus. l.1.n.52.
Christophorus Rodericius Prouincialis Thusciæ. l.1.n.51.
Mittitur cum Thoma Orsino. l.2.n.6.
Extirpat hæreses in Calabria. l.1.n.62.
Mittitur cum classe Hispana. l.5.n.43.
Profectio eius cum classe. l.5.n.171.
Constantia in tempestate. ibid.
Eius solers industria. l.5.n.177.
Missus cum classe fœderatorum. l.7.n.15.
Regiam quadriremem volente Ioanne Austriaco ad pietatem excitat. l.7.n.39.
Destinatus ad classem contra Turcas. l.8. n.25.
Christophorus Rodericius de Mora. l.5.n.194.
Molitur Seguritanum Collegium. l.5.n.194.
Agit cum Bustamantio. l.5.n.196.
Eius in Societatem liberalitas. l.5.n.198.
Christophorus Rotundus. l.6.n.269.
Ciaraquensis Regni liberalitas. l.5.n.255.
Claramontanum Collegium vexatum ab Academicis. l.1.n.17.
Crescente Auditorum frequentia. l.1.n.19.
Classiariæ expeditionis difficultates. l.5.n.178.
Classiarijs adiumenta pietatis præbita. l.7.n.39
Claudius Aquauiua Societatem ingreditur. l.3. n.56.
Eius ortus. n.47.
Indoles præclara. n.58.
Institutio optima. n.59.
Pietas ab infantia. n.60.
Educatio sanctissima. n.61.
Vndennis psalterium memoriæ tenebat. n.62.
In morbo Ezechiæ rius valetudinem præcatur. n.63.
Curiositatis victoria eius insignis. n.64.
Libertas christianæ professionis, n.65.
Magnitudo animi, & liberalitas. n.66.
Quomodo tractaret famulos. n.67.
Eius modestia, n.69.
Continentia, n.68.
Pudicitia, n.70.
Cogitat religionem. n.71.
Acceptatur inter Cubicularios Pontificios. n.72.
Vnde ad Societatem vocatus. n.73.
Ecclesiasticos ob reditus sollicitus. n.74.
Decernit mundo se abdicare. n.75.
Societatem eligit, n.76.
Feruor eius in repentina ex seculo fuga. n.77
Accipit facultatem à Pio V. religionem adeundi. n.78.
Aulicorum de hac re æstimatio. n.79.
Eius consilium probatur à sororibus. n.80.
Iuliæ sororis ad eum monita. n.81.
Eius amor erga Societatem. n.86.
Mendicat publicè. n.87.
Concionatur ad plebem in foris. n.88.
Rodulphi Aquauiuæ vocationem souet. l.4. n.8. & seqq.
Eius verba ad fratrem. l.4.n.10.
Claudius à Balma Archiepiscopus Vesontionis postea Cardinalis. l.7.n.93.
Claudius Matthæus. l.4.n.18.
Eius hortatio ad Socios. l.3.n.157.
Subrogatur Augerio in Prouincialatu. l.7. n.92.
Cocini fidei propagatio. l.2.n.105.
Res gestæ ibi. l.5.n.245.
Amplificatur Christianorum numerus. l.4. n.246.
Neophytorum longus ordo per vrbem ducitur. l.4.n.247.
Ad sacrum fontem plures abluti. l.4.n.249.
Neophytos vexantibus occurrit Melchior Nunnius. l.4.n.248.
Cohortatio ad mortem patienter obeundam. l.6.n.58.
Collegia qualia recipienda. l.1.n.38.
Et quomodo. l.1.n.38. & l.6.n.54.
Petuntur in Sicilia, & Italia. l.5.n.44.
Et alibi expetuntur. l.3.n.276.
Etiam in Polonia. l.4.n.179.
Vel ipsis Caluinianis optata. l.6.n.68.
Minuta damnosa. l.1.n.37.
Eorum institutio non festinanda. l.7.n.88.
Repudiantur propter conditiones. l.1.n.48.
Collegium Americum sublatum. l.3.n.99.
Collegium Angrense, eiusque exordia. l.5. n.171.172.
Collegium Audomarense fundatur. l.3.n.151.
Eius progressus. l.5.n.123. & l.6.n.79.
Collegium Auenionense. l.5.n.139.
Collegium Balearicum, eiusque incrementa. l.5.n.90.
Collegium Barcinonense. ibid.
Collegium Biatianum, eiusque origo. l.5.n.180.
Collegium Bononiense, eiusque incrementa. l.3.n.107.

Col-

Digitized by Google

INDEX

Collegium Braidense. l.8.n.187.
Collegium Bransbergense, eiusque status l.6. n.125.
Eiusdem incrementa, l.1.n.112.
Collegium Brixiense, eiusque origo. l.3.n.111.
Collegium Burdigalense, eiusque designatio, l.5.n.153.
Instituitur. l.8.n.238.
Turbatur. l.8.n.242.
Eius exordia. l.8.n.243.
Eiusdem primi Coloni. l.8.n.344.
Fundator Franciscus Baulonus. l.8.n.240.
Collegium Burgense, eiusque migratio. l.4. n.224.
Collegium Calatabellotenense tollitur. l.3. n.101.
Collegium Calataieronense instituitur. l.7. n.27.
Collegium Camberiense, eiusque initia, l.1. n.82.
Constabilitum. l.7.n.86.
Optime de eo meritus Ioannes Triuultius, l.7.n.90.
Collegium Cameracense. l.6.n.83.
Collegium Caruacense, eiusque susceptio, l.4.n.225.
Collegium Catacense vexatum. l.5.n.79.
Collegium Colonense, eiusque incrementa, l.5.n.5.
Collegium Conimbricense. l.1.n.128.
Collegium Cucchense. l.7. n.221.224.225.
Collegium Dilinganum. l.3.n.125.
Collegium Duacense inchoatur. l.4.n.204.
Collegium Fluminis Ianuarij, eiusque exordia. l.3.n.261.
Collegium Fuldense, eiusque origo. l.7.n.68.
Collegium Funcialense, eiusque origo. l.6. n.179.
Collegium Gaditanum, eiusque profectus. l.3. n.196.
Collegium Genuense, eiusque primæ difficultates. l.1.n.68.
Migrat ad Ædem Annuntiatæ. l.1.n.69.
Collegium Germanicum. l.1.n.52.
Eius Superintendens Polancus. ibid.
Aluntur ibi supra ducentos Conuictores. l.1. n.52.
Periculum ex ludicro. l.6.n.9.
Ex periculo bonum. l.6.n.10.
Eius pietas. l.2.n.11.
Collegium Græcense, eiusque rudimenta, l.7.n.44.
Collegium Halense, eiusque origo. l.5.n.95.
Collegiem Herbipolitanum. l.7.n.76. & l.2.n.32.
Eius fama & opera. l.4.n.194.
Iucrementa. l.3.n.138.
Collegium Huetæ inchoatur. l.6.n.231.
Collegium Ingolstadiense. l.7.n.263.264.
Collegium Interamnæ Samnitum, eiusque exordia. l.6.n.30.
Collegium Legionense inchoatur. l.8.n.270.
Collegium Limense eiusque initia. l.4. n.323.
Eius incrementa. l.7.n.226.
Collegium Louaniense receptum à Ciuitate, l.1.n.87.
Deus tuetur. l.8.n.226.
Collegium Lucronense, eiusque progressus. l.5.n.192.
Collegium Lugdunense, eiusque exordium, l.1 n.20.& 80.
Calumnijs vexatur. l.5.n.135.
Collegium Mamertinum. l.5.n.50.
Cura perfectionis in eo. ibid.
Collegium in Manaria dēstinatur. l.2.n 107.
Collegium Marcenense susceptum. l.1.n.121.
Incolitur. l.3.n.194.
Collegium Mediolanense. l.1.n.71.
Eius labores. Ibid.
Transfertur ad ædes S. Fidelis. l.3.n.108.
Collegium Mexicanum eiusque fundator. l.8. n.310.
Collegium Naualcarnense. l.8.n.5.
Collegium Neapolitanum. l.5. n.50. & l.6. n.33.34.
Cura perfectionis in eo. l.5.n.50.
Collegium Niuernense. l.8.n.246.
Eius rector primus. l.8.n.247.
Collegium Olomucense inchoatur. l.2.n.31.
Eius incrementa. l.5.n.87.
Collegium Oropesanum instituitur. l.6. n.133.
Collegium Pacense. l.8.n.319.
Collegium Parisiense vexatur. l.1.n.8.
Eius incrementa. l.1.n.84.
Inter bella confirmatur. l.3.n.160.
Collegium Pauperum Viennæ vexatur. l.1. n.98.
Collegium Peruuianum. l.5.n.305.
Collegium Pœnitentiariorum S. Petri Societati traditum. l.5.n.40.
Collegium Pragense, eiusque fructus. l.2.n.33.
Eiusdem salubris industria. l.4.n.87.
Peste contactum. l.7.n.60.
Collegium Pultouiense, eiusque exordia. l.1. n.115.
Perficitur. l.2.n.32.& l.4.n.178.
Collegium Rheginum translatum ad Siculam Prouinciam. l.2.n.102.
Collegium Romanum vt Seminarium Societatis institutum à S. Ignatio. l.1.n.38.
Vita coti Societati, l.1.n.39.
Idem tuetur Lainius. l.1.n.38.
Propter inopiam eius cura non negligenda, l.1.n.39.
Eius sedem quodammodo designauit Christus pollicens se Ignatio propitium. l.1. n.39.
Difficultates leuantur. ibid.
Virtutis & sapientiæ officina. l.1.n.39.
Nouitij in eo segregati. l.1.n.55.
Studia etiam literarum recognita. l.1.n.58.
Ex eo missiones plurimæ. l.2.n.41.
Eiusdem incrementa. l.3.n.44.
Scholæ augentur. l.4.n.146.
Auditorum frequentia. ibid.
Institutus vsus Concionum varijs linguis fu. german sam. l.4.n.145.

Primus

INDEX

Primus Philosophiæ in eo magister Guido Roilectus. l.6.n.74.
Suscipit apparatu literario Cardinales Lotharingum, & Borromæum. l.8.n.22.
Sacra vectigalia ab ijsdem impetrantur. l.8. n.23.
Collegium Rothomagense designatur. l. 5. n.153.
Collegium Seguntinum deletum. l.8.n.287.
Collegium Segusianum condicur. l.5.n.193.
Collegium Senense, eiusque status. l.3.n.98.
Eius incrementa. l.4.n.172.
Collegium Spirense, eiusque exordia. l. 3. n.136.
Eius fautores, l.3.n.137.
Collegium Taurinense, eiusque exordia. l. 3. n.113.
Fauente Deo. l.3.n.115.
Eius primus Rector Iacobus Acosta. l. 3. n.116.
Collegium Tirnauiense solucum. l.3.n.123.
Collegium Tornacense, eiusque status. l.2.n.42. & l.4.n.202.
Restitui cæptum. l.3.n.147.
Collegium Treuirense, eiusque progressus. l.6. n.84.
Collegium Valentinum, eiusque Gymnasium vexatum. l.7.n.132.
Collegium Vallisoletanum. l.3. n.185.
Cur S. Ambrosio dicatum. l.3.n.188.
In eius exordijs Apes visæ. l.3.n.180.
Collegium Venetum mutatur in domum Professam. l.6.n.41.
Collegium Viennense, eiusque labores. l. 5. n.83.
Collegium Vilnense cæptum. l.5.n.92.
Eius incrementum. l.4.n.51.
Collegium Virdunense inchoatur. l.7.n.82.
Restituitur. ibid.
Colonia S. Thomæ, & in ea res gestæ. l. 2. n.109.
Coloniæ quid egerit Canisius. l.2.n.22.
Colonienſis Collegij incrementa. l.5.n.115.
Comes VVigenstein Catholicos inuadit. l.6. n.143.
Comitia Augustana, & in ijs conatus Hæreticorum. l.2.n.24.
Eo mittuntur Nostri à Pontifice. l.2.n.26.
Commendonus Cardinalis suscipit ab Hosio insignia purpurati Patris. l.1.n.111.
Impetrat à Pontifice Societati locum dicendi in Sacello Pontificio. l.4.n.136.
Eius industria. l.8.n.205.
Comotini progressus in fide. l.3.n.239.
Compluti turbæ nouitij causa. l.7.n.114.
Sedatur cognita Societatis innocentia. l.7. n.116.
Complutensium Sociorum modestia. l.7.n.115.
Comprobationis diuinæ in Societatem signa. l.3.n.5.
Concilium prouinciale primum in India. l. 3. n.225.
Concilium Tridentinum Treuiris promulgatum. l.5.n.111.
Concionatores Religionem Olomucij sustentant ac Brunæ. l.8.n.219.
Conditiones, quibus admitti possint nouæ Collegia. l.3.n.140.
Confessarijs Principum monita tradita. l. 1. n.66.
Congregatio Generalis indicitur à Borgia. l.1. n.4.
Conuentus prouinciales ferè vbique præcedunt eam. l.1.n.5.
Inchoatur. l.1.n.23.
Desiderantur tantum Patres ex Bætica, & Germania inferiore. l.1.n.23.
Salmeron benedictionem petit à Pontifice. ibid.
Benedictus Palmius in ea concionatur. l.1. n.23.
Eius custodia commendata Emmanueli Sá. ibid.
Oratio Borgiæ Vicarij ad congregatos. l. 1. n.24.
Eligitur Secretarius Ioannes Polancus. l. 1. n.31.
Alfonsus Salmeron Assistens. ibid.
Renunciatur in ea Borgia Generalis. l. 1. n.31.
Renunciationis decretum concipit Salmeron. ibid.
Creantur Assistentes. l.1.n.34.
Admonitor Ioannes Polancus. l.1.n.35.
Eius decreta. l.1.n.43. & seqq.
Agitur in ea de Collegijs minutis tollendis. l.1.n.37.
Et de Collegio Romano. l.1.n.39.
Superintendentes sublati. l.1.n.44.
Domus Probationis in vnaquaque Prouincia sancitæ. l.1.n.45.
Orandi tempus amplificatur. l.1.n.46.
Borgiæ humilitas in ea. l.1.n.50.
Congregationem Generalem non esse cogendam sancitum. l.4.n.125.
Congregationes Procuratorum vnde ortæ. l.4.n.117.
Lainij tempore quomodo habitæ. ibid.
Borgiæ tempore quomodo stabilitæ. l. 4. n.119.
Quid in ijs tractandum. l.4.n.120.
Prima quando habita. l.4.n.123.
Eius forma. ibid.
Difficultates Societatis id temporis. l. 4. n.122.
Preces indictæ ad bonum eius exitum. l. 4. n.124.
Nomina Procuratorum. l.4.n.127.
Congregatio Prouincialis censet nostros non esse ab Aula Lusitanica submouendos. l.7.n.140.
Congregatio secunda primaria in Collegio Romano condita. l. 5.n.48.
Congregationes Sodalium passim introducuntur. l.5.n.51.
Excitationes piæ in ijs. l.5.n.52.

Con-

Digitized by Google

Congressus Ludouici Froes cum Bonzio. l. 5. n. 288.
Conimbricæ impetrata pluuia flagellantium supplicatione. l. 3. n. 215.
Conimbricensis Collegij Superintendens Antonius Cordesius. l. 1. n. 52.
Conimbricensium sociorum caritas. l. 5. n. 233.
Consaluus Alamus redit Habanam. l. 5. n. 298.
Consaluus Aluarius Visitator primus Indiarum. l. 4. n. 128.
Goam aduectus, l. 4. n. 250.
Eius res gestæ. l. 5. n. 239.
Consaluus Barreria in obsequio pestilentium moritur. l. 5. n. 222.
Consaluus Consaluius Prouincialis Toleti. l. 1. n. 51.
Consaluus Henricus Socius Azebedij. l. 6. n. 233.
Occiditur ab Hæreticis. l. 6. n. 243.
Consaluus Leyre philosophiam docet in Brasilia. l. 8. n. 291.
Consaluus Pereira Lusitanorum ductor. l. 4. n. 261
Conscientia aperienda. l. 4. n. 44.
Consideratio adhibenda est ad cognoscendos homines in electionibus. l. 1. n. 27.
Constantia Christianorum Iaponensium. l. 3. n. 250.
Grata Ethnicis. l. 2. n. 127.
Familiæ Christianæ in Iaponia. l. 7. n. 175.
Necessaria boni publici procuratoribus. l. 1. n. 99.
Conuersio Brachmanæ nobilissimi. l. 1. n. 136.
Comitis ab Helffestein. l. 3. n. 134.
Ethnicorum Bazaini. l. 1. n. 135.
Hæretici nobilis. l. 5. n. 80.
Hugonottorum duorum ante supplicium. l. 6. n. 57.
Iudæi insignis. l. 4. n. 166. & l. 5. n. 249.
Latronum principis. l. 5. n. 56.
Matronæ principis. l. 8. n. 212.
Pagani B. Virginis monitu. l. 5. n. 248.
Pagorum quorundam. l. 1. n. 154.
Salsettarum. l. 1. n. 134.
Viri flagitiosi notabilis. l. 4. n. 167.
Cornelius Ianseuius agit pro Societate, & Concilio Louanensi. l. 1. n. 87.
Correctio quam bene accipienda. l. 5. n. 23.
Cosentinorum studia in optando Collegio. l. 6. n. 33.
Cosmus Turrianus. l. 4. n. 290. 291.
Eius testimonium de Ioanne Ferdinandio. l. 3. n. 242.
Se transfert Omuram, & Fucundam. l. 4. n. 291.
Eiusdem sancta migratio. l. 6. n. 210.
Fundator Ecclesiæ Iaponicæ post Xauerium. l. 6. n. 211.
Defuncti in ore summus decor. l. 6. n. 212.
Æstimatio eius probitatis in funere. l. 6. n. 213.
Eius vitæ summa. l. 6. n. 214.
Cosmus Vazius in obsequio pestilentium moritur, l. 1. n. 222.
Couaruuias de Leyna Episcopus suscipitur in Collegio Romano. l. 4. n. 144.
Coulani multi baptizati. l. 5. n. 250.
Crimina in socios conficta. l. 5. n. 273.
Cruci affixo pro clauis honores sunt. l. 1. n. 29.
Crux, eiusque mira vis. l. 3. n. 248.
Erigitur euerso meretricis fano. l. 3. n. 232.
Neophytorum in eam pietas. l. 4. n. 268.
Restituitur honorifice in Florida. l. 4. n. 305.
Meditatio quam efficax. l. 5. n. 17.
Pro ea tuenda Punensis Vir interfectus. l. 5. n. 262.
Eius miraculum insigne. l. 5. n. 303.
Eius particula mittitur à Borgia ad Philippum Secundum. l. 7. n. 234.
Eius concacta aqua est ægris saluti. l. 7. n. 167.
Eius contemptores diuinitus puniti. l. 7. n. 209.
Cura perfectionis in Collegio Neapolitano, & Mamertino. l. 5. n. 50.
Curtalienſium furor in Christianos. l. 4. n. 239.
Curtius Amodæus in Galliam missus cum Pontificijs copijs. l. 5. n. 42.
Cuschesis Collegij exordia. l. 7. n. 221.
Illi attributa domus Francisci Bizzarri. l. 7. n. 224.
Eius primus Rector Bracamontius. l. 7. n. 225.
Concionator Barzana. ibid.
Cuschum olim Peruuiæ Vrbs regia. l. 7. n. 215.
Eiusdem fanum spectabile. l. 7. n. 216.
Viarum magnificentia similis Romanis. l. 7. n. 220.

D

DAmanum liberat pietas obsessorum. l. 1. n. 137.
Decreta ad Societatem perficiendam, conseruandamque. l. 1. n. 43.
Deppæ res gestæ. l. 6. n. 53. & 60.
Deus pietatem large rependit. l. 7. n. 75.
Eius benignitas erga Societatem. l. 3. n. 6.
Famulatus quantum ab aulica vita differt. l. 3. n. 85.
Prouidentia in Societate gubernanda. l. 1. n. 1.
Erga Patres Tornacenses. l. 2. n. 44.
In nauigatione Iacobi Lopij. l. 5. n. 187.
In vocatione Alphonsi Agazarij. l. 3. n. 112.
In tuendo Benedicto Alemanno. l. 3. n. 110.
In honoranda humilitate. l. 7. n. 128.
In tuendis Catholicis. l. 8. n. 285.
Eiusdem præclara documenta. l. 4. n. 301. l. 6. n. 62, & l. 8. n. 296.
Tutela. l. 3. n. 110.
Vltio. l. 6. n. 61.
Diabolus impedimenta obijcit Euangelio. l. 2. n. 122.
Eius fracta vis. l. 2. n. 29.
S. Didaci miraculum in sacram hostiã. l. 8. n. 254.

Digitized by Google

INDEX.

Dilinganum Collegium. l.3.n.125.
Dionysius Vasquius Rector asperior. l.4.n.149.
Ex hac asperitate turbæ excitatæ in Collegio Romano. ibid.
Remouetur. l.4.n.156.
Visitator Neapolim mittitur. l.9.n.29.
Vicarius Salmeronis. l.7.n.8.
Diploma Pontificium contra Societatis desertores. l.1.n.129.
Pro Societatis Gymnasijs. l.7.n.10.
Aliud, quo Societas Ordo mendicantium declaratur. l.7 n.11.
Disciplinæ domesticæ ratio, l.2.n.68.
Discrimen inter virum bonum, & bonum religiosum. l.8.n.281.
Doctrinæ Christianæ tradendæ ratio. l.5.n.84.
Eiusdem vtilitas. l.5.n.85.
Dæmones venaticis auibus similes. l.8.n.55.
Dominicani Patres Deo dicant Cuschi sanum Coricanciam, l.7.n.218.
Dominicus Bollanus Episcopus Brixiensis. l.5. n.76.
Eius literæ de innocentia Collegij: ibid.
Dominicus Cardosus in mari moritur. l.7. n.162.
Dominicus Fernandius Socius Azebedij. l.6. n.231.
In mare deuoluitur ab Hæreticis. l.6.n.240.
Dominicus Leitanus, eiusque benignitas. l.8. n.239.
Domorum Societatis Romæ status. l.2. n.14.
Domus Probationis in vnaquaque Prouincia instituendæ. l.1.n.45.
Institutæ in Italia. l.1.n.54.
Instar Bethleem. l.5.n.11.
Romana. l.4.n.170.
Roana ad S.Andreæ collocatur. l.5.n.45.
Vallisoletana. l.3.n.184.
Vrbis S.Angeli, l.4.n.169.
Domus S.Andreæ, ac Templi progressio. l.4. n.327.
Dono proficiendi in proximis vtiliter vtendum. l.4.n.327.
Dorothea soror Claudij Aquauiuæ. l.3.n.82.83.
Dramata tumultuosa prohibentur à Borgia, l.2.n.15.
Drepanitani petunt Collegium. l.5.n.44.
Duaci Collegium inchoatur. l.4.n.204.
Studiorum initia disturbantur ab Academicis. l.4.n.205.
Sedatur tumultus. l.4.n.206.
Pestilentia grauissima. l.8.n.228.

E

EBoræ Templum Societatis inchoatur. l.2. n.89. & l.3.n.212.
Eborensis Academia excipit Regem. l. 5. n.37.
Eborensium Sociorum feruor. l.5.n.234.
Edmundus Augerius Collegij Lugdunensis possessionem adit. l.1.n.20.
Aquitaniæ Prouincialis redit in Galliam, lib. 1. num. 49.
Eius res gestæ Tolosæ. l.2.n.55.
Celebritas Parisijs. l.2.n.63.
Res Lugduni præstitæ. l.3 n.161.
Eius cura Lugdunum seruatum. l.3.n.155.
Nosocomio per eum consulitur. l.5.n.163.
Concionatur in Regia Parisiensi. l.4.n.210.
Mittitur cum Regis fratre in bellum aduersus Hæreticos. l.4.n.211.
Eiusdem labores, & fructus in exercitu. l.4. n.212.
Multos Hæreticos Lemouici Ecclesiæ restituit, l.5. n.129.
Instituit Cœnobium Virginum. l.5.n.130.
Scribit vtilem libellum Catholicis. l.5 n.131
Labores insignes in castris. l.5.n.127.
Eius verba ad Senatum Auenionensem. l.5.n.143.
Missus Lugdunum à Ludouico Regis fratre. l.5.n.124.
Galliæ primoribus carus. l.5.n.125.
Tolosæ rem Catholicam tuetur. l.6.n.54.
Ibi gesta. l.6.n.69.
Lugduni, & Rhemis præstita l.6.n.70.
Eiusdem præclara facta Metis. l.7.n.91.
Prouehit Collegium Camberiense. l.7.n.88.
Timetur ab Hæreticis dum concionatur, l.8.n.241.
Eiusdem vtiles labores. ibid.
Edmundus Hayus mittitur à Pio V. in Scotiam. l.1.n.6.
Eam excolit. l.3.n.166.
Redit Lutetiam. l.3.n.170.
Præceps agitur in vallem de via dum Romam petit. l.4.n.126.
Seruatur ope SS.Gerualij & Protasij. l.4. n.127.
Prouincialis Franciæ. l.7.n.8.
Eduardi Thorn fuga ad Hæreticos. l.5.n.126.
Gratulantibus Hæreticis. l.3.n.127.
Elbingæ quo loco religio. l.6.n.127.
Constanter pugnatur cum Hæreticis, l.3. n.133.
Eluira Auila de Collegio Biatiano optime merita. l.5.n.180.
Emerius de Bonis Atria transit. l.4.n.5.
Mittitur Rector in Vrbem S. Angeli. l.4. n.169.
Emmanuel Aluarus è pastoritia vita eximiæ innocentiæ. l.6.n.231.
Fortiter occumbit cæsus ab Hæreticis. l.8. n.243.
Emmanuel Biona, eiusque obitus, & virtus. l.3. n.90.
Eiusdem in Virginem pietas. l.3.n.91.
Emmanuel Godinius, eiusque vitæ summa. l.5. n.214.
Abdicat se terrenis cælestium desiderio. l.5. n.215.
Regit Conimbricense Collegium. l.5.n.216.
Procurator Lusitaniæ in primo Generali Conuentu. l.5.n.217.
Emmanuel Lopius Prouincialis malè habetur à Vica-

Digitized by Google

à Vicario Complutensi, l.7.n.114. & 115.
Agit de ratione exercendi spiritum, l. 2. n.66.
Emmanuel Louus, l.4.n.260.
Emmanuelis Lupij incertus exitus, l.4.n.256.
Emmanuel Miona S.Ignatio à confessionibus fuit. l.3.n.90.
Emmanuel Nobrega consilio præstans, l. 2. n.133.
Eius mors sancta. l.6.n.265.
Emmanuel Patiecus Azebedij Socius, l. 6. n.233.
Occiditur ab Hæreticis. l.6.n.243.
Emmanuel Rodericius Socius Azebedij cæsus ab Hæreticis, l.6.n.243.
Emmanuel Sá custos Comitiorum generalium l.1.n.23.
Designatur corrigendæ Bibliorum editioni, l.5.n.41.
Concionatur apud Pontificem loco Toleti, l.7.n.17.
Emmanuel Texeria succedit Melchiori Nunnio. l.5.n.246.
Eius auctoritas apud Cocinenses, l.7.n.169.
Energumenæ insignis liberatio. l.6.n.11.
Episcopi Olomucensis in Societatem benignitas. l.5.n.88.
Epistola de B.Stanislao Kostka missa ad omnem Societatem. l.4.n.104.
Ethnicis convertendis præpositi quaterni Cardinales à Pontifice. l.4.n.129.
Eorum conversio in diversis locis. l.4.n.174.
Evangelij prædicatio in insulis Gothi, l. 2. n.116.
Eucharistiæ præbendæ supplicio afficiendis vnus inductus, l.1.n.22.
In eam S.Didaci miraculum, l.8. n.254.
Euerardus Mercurianus creatus Assistens Germaniæ, Galliæque. l.1.n.34.
Præses Congregationis Procuratorum loco Borgiæ. l.4.n.123.
Galliæ, & Aquitaniæ Visitator. l.5.n.3.
Excusationes in peccatis. l.6.n.98.
Exempli vis. l.2.n.35. & l.6.n.212.
Exercitationes piæ Sociorum, l.6.n.219.
Exercitia spiritualia S.Ignatij ab Episcopis Loannis Silicæi alumnis exagitantur. l.1.n.16.

F

Fabius de Fabijs Societatem ingreditur, l.3.n.51.& 53.
Eius virtutes ante ingressum, l.3.n.54.
Vita religiosa. l.3.n.55.
Creatur Magister Nouitiorum, l.7.n.8.
Fabius Mirtus Internuntius ad Gallos. l.4. n.138.
Fanum Coricancia Cuschi à Dominicanis Deo dicatum, l.7.n.218.
In Salsettis meretrici dicatum. l.3.n.23.
Ferdinandus Alcarazius ad Indos profectus, l.1. n.130.
Eius virtus. l.2.n.92.
Ardor in postulanda profectione Indica. l.2. n.93.
Cupiditate Indiarum incenditur ad virtutes. l.2.n.94.
Vocationis indicia, l.2.n.95.
Roborarur in laboribus, l.2.n.96.
Ortus eiusdem, l.2.n.97.
Amor in Societatem. l.2.n.98.
Impetrat expeditionem indicam, l.2.n.99.
Perit cum Petro Ramirio in Sinico mari. l.2.n.100.
Ferdinandus Archidux Austriæ sanct Catholicæ rei. l.2.n.35.
Ferdinandus Borgia missus ad Franciscum à Philippo Rege. l.7.n.127.
Ferdinandus Catholicus primo dictus, l. 5. n.155.
Ferdinandus Franciscus Marchio Piscariæ Proprex Siciliæ. l.4.n.161.
Eius pietas ibid.
Ferdinandus Iaënus, eiusque mors, & dotes. l.3.n.92.
Ferdinandus Nauarrus moritur in mari. l. 7. n.164.
Ferdinandus Sancius Azebedij Socius ab Hæreticis è medio sublatus, l.6.n.251.
Ferdinandus Solerius Pontificis iussu explorat Pœnitentiariorum facultatem l.3.n.40.
Procurator Generalis, l.3.n.95.
Ei demandatur administratio Pœnitentiariorum. l.6.n.5.
Ferdinandus Valdesius Archiepiscopus Hispalensis Societati conciliatur l.1.n.118.
Ferè nos esse gratos docent. l.8.n.56.
Eædem ad obtemperandum Deo nos incitant, l.8.n.57.
Ferrariæ terræmotus, & ex eò morum mutatio. l.6.n.43.& 44.
Ferrariensibus ægris succursum, l.5. n.68.
Fidei propagandæ Cardinales præpositi à Pontifice suggerente Canisio, l.4.n.129.
Filiæ Imperatoris Ferdinandi petunt ex Societate Confessarios, & Concionatores. l. 1. n.65.
Fiyenoyamæ vastatio. l.7.n.172.
Florentinum Collegium visitur à Polanco. l.3. n.98.
Florentius Borchorstius. l.2.n.49.
Florida, eiusque status. l.2.n.140. l.3.n.262. l.5. n.298.& l.8.n.295.
Quæ pars terrarum sit, l.2.n.138.
Cultura eius difficilis. l.3.n.264.
Res in ea difficultatibus plenæ. l.5. n.299. & l.6. n.266.
Status deterrimus. l.4.n.299.
Fames ibi intoleranda. l.4.n.300.
Res in ea aduersæ. l.7 n.211.
Pericula ex periculis. l.7. n.213.
In ea Socij interfecti in odium fidei. l.7. n.203.296.297.
Floridanorum cultura laboriosa, & plena difficultatibus. l.3.n.264.
Fœdus Christianorum in Turcas l.7.n.4.

Digitized by Google

Fœnus ex caritate. l.6.n.21.
Franciscani Patres decretum sanciunt plenum benevolentiæ erga Societatem l.1.n.119.
Eius decreti occasio. l.1.n.120.
Antuerpiæ patiuntur. l.3.n.145.
Franciscani Patres Obseruantes. l.8.n.211.
Franciscus Adurnius Vicarij nomine præficitur Longobardiæ. l.2.n.19.
Franciscus Alciatus Cardinalis loco S. Caroli præest Pœnitentiariæ. l.5.n.40.
Franciscus Aluarius Azobedij socius. l.6.n.231.
Vita priuatus ab Hæreticis. l.6.n.251.
Franciscus Andrada; eiusque insignes laudes. l.5.n.227.
Industria in sui contemptu. l.5.n.228.
Tranquillitas in castigationibus. l.5.n.229.
Eius piæ exercitationes. l.5.n.230.
Obedientia eiusdem. l.5.n.231.
Eius adhuc pueri sedulitas erga moribundos l.5.n.232.
Franciscus Antonius Tyronibus præfectus. l.2.n.85.
Accitur Romam. ibid.
Concionatur ad Mariam Austriacam Augustam. ibid.
Mittit B. Stanislaum ad Canisium. l.4.n.55.
Franciscus Baulonus Fundator Collegij Burdigalensis. l.8.n.240.
Franciscus Bazanus instar primitiarum Deo oblatus. l.8.n.306.
Eius virtutes. l.8.n.307.
Franciscus Bernandius Angræ mortuus. l.6.n.175.
Franciscus Blancus Malacæ Antistes Collegium optat. l.5.n.176.
B. Franciscus Borgia omnibus humanis, diuinisque instructus donis ad regendum. l.1.n.1.
Vicarius Generalis l.1.n.3.
Congregationem Generalem indicit. l.1.n.4
Prohibetur ab Assistentibus prorogare Commissariatum Araozio. l.1.n.4.
Promouet Societatem. l.1.n.5.
Eius oratio ad Patres congregatos. l.1.n.24.
Renuntiatur Præpositus Generalis. l.1.n.31.
Laudatur eius electio à Pontifice. l.1.n.32.
De eadem electione gratulationes. l.1.n.33.
Studet Societatem perficere. l.1.n.36.
Pontificem adit. l.1.n.31.
Vult deprecari Generalatum. ibid.
Dissuadetur à Salmerone, & Ribadeneria. ibid.
Eius turbatio, & mox confidentia. ibid.
Humilitas in Congregatione. l.1.n.50.
Vult subleuare inopiam Romanorum Sociorum. l.1.n.45.
Perorat in S. Iacobi templo. l.1.n.64.
Gratias agit Franciscanis Patribus de benevolentia erga Societatem. l.1.n.120.
Vetat dramata tumultuosa. l.2.n.15.
Visitatores mittit in Societatem. l.2.n.18.
Eius sententia de vilitate regularū. l.3.n.96.
Studium conseruandæ paupertatis in Societate, l.3.n.140.
Eius pietas in Congregatione Procuratorum. l.4.n.126
Lenitatem cōmendat Præsidibus. l.4.n.156.
Cura in Societate inspectanda. l.5.n.4.
Epistola pastoralis ad Societatem. l.5.n.5.
Eiusdem pietas. l.5.n.28.
Aditæger Lauretum. l.5.n.29.
Humilitas. l.5.n.30.
Conualescit in via. l.5.n.31.
Proficit ex morbo. l.5.n.32.
Secedit in Tusculanum. l.5.n.33.
Laudat caritatem Sociorum Lusitanorum. l.5.n.236.
Curat exprimi imaginem S. Mariæ Maioris. l.5.n.296.
Quam mittit ad Reginam Lusitaniæ. ibid.
Caritas erga pauperes. l.6.n.20.
Ex caritate fœnus. l.6.n.21.
Quotannis se colligere solitus. l.6.n.22.
Statuit inuisere domicilia Romana. l.6.n.23.
Supplicationes, ac preces ad id statuit. l.6.n.24.
Eius submissio. l.6.n.25.
Additur Cardinali Alexandrino Legato Comes à Pio V. l.7.n.4.
Eius obedientia erga summum Pontificem. l.7.n.7.
Fiducia in obediendo. l.7.n.13.
Horas ad orandum in itinere distribuit. l.7.n.14.
Iter in Hispaniam. l.7.n.125.
Barcinonenſium officia in eum. l.7.n.126.
Obuiam habet Ferdinandum Borgiam missum à Rege Philippo. l.7.n.127.
Sedat controuersias. ibid.
Valentiæ honorifice accipitur. l.7.n.129.
Ibi concionatur. l.7.n.130
Honoribus posthabitis secedit ad Collegium ibid.
Res gestæ in Hispania. l.7.n.133.
Mittit particulam sanctæ Crucis ad Regem Philippum. l.7.n.134.
Epistola ad eumdem. ibid.
Regis Philippi literæ ad ipsum. l.7.n.133.
Iter in Galliam. l.8.n.6.
Ei obuiam venit Carolus IX. l.8.n.7.
Vltimus morbus. l.8.n.26.
Romæ, aut Laureti mori cupit. l.8.n.27.
Laureti meliusculè habet. l.8.n.28.
In ingressu Vrbis per semihoram exorat Deiparam. l.8.n.29.
Ei occurrunt multi de Societate. l.8.n.30.
Biduo, postquam Romam attigit, moritur. l.8.n.31.
In morte gesta. l.8.n.32.
Vicarium renuit nominare. l.8.n.33.
B. Francisci Borgiæ vita breui comprehensa. l.8.n.36.& seqq.
Ortus, ac genus. l.8.n.37.
Nominis ratio. n.38.
Prædictio eius sanctitatis. n.39.

Digitized by Google

Optima indoles. n.40.
Puer periclitatur. n.41.
Eius profectus in pietate. n.42.
Caroli V. aulam sequitur. n.43.
Aulicorum exemplar. n.44.
Pudicitiæ studiosus. n.45.
Quatenus ludis oblectatur. n.46.
Ludorum damna assignat. n.47.
Omnium oculos, animosque attrahit. n.48.
Matrimonio iungitur. n.49.
Filiorum nomina, & numerus. n.50.
Musica delectatur. n.51.
Et venatione. n.52.
Et mathematica. n.53.
Vtitur venatione ad exercitationem pietatis. n.54.
Insignis sui victoria in venationis gustu. n.58.
Ex morbis mundi fallacias percipit. n.59.
Ex æstu febrium discit misereri animabus tortis igne purgatorio. n.60.
Libris spiritualibus delectatur. n.61.
Isabellæ Imperatricis mors eius natalis. n.62
Totus ad Deum conuertitur. n.63.
Confirmatur amitæ literis. n.64.
Voto se adstringit vitæ arctioris. n.65.
Prorex Catalauniam sanctissimè administrat n.66.
Grassatores ipsemet inuadit. n.67.
Caritas in supplicio afficiendos. n.69.
Omnes prompte, ac benigne audit. n.70.
Debita solui curat. n.71.
Rem militarem non negligit. n.72.
Egenis subuenit. n.73.
Iniquorum scelera dolet, ac delet. n.74.
Meditationi vacat, ac precibus. n.75.
Abstinentia se macerat. n.76.
Corpus vexationibus torquet. n 77.
Animæ moderatoribus paret. n.78.
Sacramenta frequentat. n.79.
Gratulatur S. Ignatio de Societatis instituto n.80.
Consulit eumdem de frequentia Sacramentorum. ibid.
Iniuriam æquo fert animo. n.81.
Eius virtus firmissima. n.82.
Condonatam ob iniuriam dulcedo. n.83.
Gandiam secedit. n.84.
Ducatum gerit cum laude. n.85.
Vxoris mors. n.86.
Magistrum spiritus habet Ioannem Texedam. n.87.
Societatem deligit. n.88.
Vota primum simplicia emittit, deinde maiora. n.89.
Votorum formula. n 90.
Votorum testes. n.91.
Post initam Societatem thiaram sibi videt imminentem. n.92.
Vouet renuere ecclesiasticas dignitates. n.93.
Romam venit. n.94.
Redit in Hispaniam. n.95.
Religioso habitu, ac Sacerdotio decoratur. n.95.
Hispaniæ, ac Indiarum Commissarius à S. Ignatio creatur. n 96.
Societatis bis Vicarius. n.97.
Perfectior eius in Societate vita. n.98.
Humilitas summa n.99.
Inferorum cogitationi insistit. n.100.
Eius scite dicta ex humilitate. n.101.
Literæ sui contemptu plenæ. n.102.
Rebus creatis ad animæ profectum vtitur. n.103.
Omnibus se postbabet. n.104.
Seculares titulos non admittit, nisi ad vsum spiritualem. n.105.
Vexatio corporis, ac mortificatio. n.106.
Diuinorum beneficiorum cognitio. n.108.
Patientia insignis. n.109.
Crucis, ac cruciamentorum amor. n.110.
In voluntaria sui afflictione sæuissime studiosus. n.111.
Vexationum corporis mira genera, n.112.
Sensus corporis animæ hostes æstimat. n.113
Frequens mortis memoria. n.114.
Studium paupertatis. n.115.
Cognitio sui antecurforis loco illi erat. n.116
Obedientia insignis. n.117.
Quanta erga S. Ignatium veneratione affectus. n.118.173.
Quanta erga Lainium obseruantia. n.119. & 173.
Quanta erga summum Pontificem. n.120.
Obedientiam vt Christi virtutem amat. n.121.
Eam nauim Religiosorum appellat. n.122.
Societatem quibus præsidijs conseruatum iri censet. n.123.
Victoria amoris erga necessarios. n.124.
De mortuam filiam cur non doleat. n.125.
Caritas in proximos. n.127.
Omnibus satisfacere curat. n.128.
Beneficijs maleficia compensat. n.129.
Qualis erga Societatem fuerit. n.130.
Qualis erga subditos. ibid.
Munditia cordis. n.131.
Bis quotidie confitetur. n.132.
Studium renouandi spiritus. n.133.
Senescenti arbori similem se reputat. n.134.
Vel instrumēto musico, aut Horologio. n.135
Orationis studium. n.136.
Industria in mentis euagationibus. n.137.
Quid de oratione censeret. n.138.
Orationi deditos amat, ac promouet. n.139.
Ephemerides eius de sensibus, ac luminibus in oratione. n.140.
Paupertas, & simplicitas in scribendo. n.141.
Oblationes inter orandum. n.142.
Postulationes. n.143.
Hebdomadarium sacrificiorum, & precum tributum in Societate instituit. n.144.
Erga passionem Domini studium. n.145.
Septem Christi sanguinis effusiones septies in die veneratur. n.146.

Septem

Digitized by Google

INDEX

Septem cordis doloribus afficitur. n.147.
Septem in Christo plagas veneratur. n.148.
Deuotio erga Eucharistiam. n.149.
Septies in die eamdem inuisit. n.150.
Communionem spiritualem, ac Sacramentalem frequentat. n.151.
Sacrificandi studiosissimus. n.152.
Qua pietate, ac præparatione sacrificium faceret. n.153.
Quæ faciebat ante sacrificium dum vestibus indueretur. n.154.
Quæ in sacrificio sibi proponebat. n.155.
Quales haberet sensus in consecratione, & oblatione. n.156.
Quomodo in hostiæ contactu afficiebatur. n.157.
Quæ à Sanctis postulabat. n.158.
Ardor animi in vultum erumpebat. n.159.
Quibus gratiarum actionibus vteretur post sacrificium. n.160.
Sanctissimo Viatico præmuniri cupit. n.161.
Dei benignitatem admiratur. ibid.
Eucharistiæ præsentiam dignoscit. n.162.
Multa prænoscit diuinitus. n.163.
Febres ab ægris remouet. n.164.
Dæmonum contemnit molestias. n.165.
Sanctos colit studiosissime. n.166.
Eos per octiduum colebat, & quomodo. n.167.
Sanctorum menstruam sortitionem in Societatem inducit. n.168.
Eorum Reliquias cupit exornari. n.169.
Eorumdem imagines excudi curat. ibid.
Pietas erga animas Purgatorij. n.170.
Mira fidelitate Societatem rexit. n.171. & 174.
Amor Constitutionum. n.172.
Aliorum culpas in se punit. n.175.
Consiliorum ratio. n.176.
Prouincias, ac Domos commendat Superis. n.177.
Eius sanctissima vota. n.178.
Quantum illi Societas debeat. n.179.
Domos Probationis enixe curat. n.180.
Lenitatem in administratione commendat. n.181.
Mores eius candidi, ac simplices. ibid.
Epistola eius de vocatione religiosa. l.8. n.257.
Franciscus Capralis in Iaponiam mittitur Socijs præfuturus. l.4 n.284.
Venit in Iaponiam. l.6.n.206.
Tollit vsum sericatum vestium à Nostris in Iaponia. l.7.n.177.
Franciscus Catharius occiditur in odium fidei ab Hæreticis. l.7.n.188.
Franciscus Coëllius, eiusque mores insignes, ac mors. l.3.n.218.
Franciscus Consaluius moritur in obsequio pestilentium. l.5.n.212.
Franciscus Consaluius, eiusque virtutes, ac mors. l.6.n.134.
Eius consilium, ac prudentia. l.6. n.135.
Verborum pondus. l.6.n.136.
Religiosæ caritatis studium. l.6.n.137.
Franciscus Costerus Proprouincialis Germaniæ inferioris. l.1.n.51 87.
Catechismum explicat, disputatque. l.2.n.49.
Laborat Brugis. l.8.n.232.
Franciscus Dionysius. l.2.n.79.
Franciscus Hemerulus Nouitijs præpositus. l.4.n.170.
Moritur. l.7.n.19.
Franciscus Hispania in Societatem receptus. l.7.n.114.
Eius causa turbæ. ibid.
Franciscus Hurtadus Mendoza. l.1.n.116.
Franciscus Leonius Societatem ingreditur. l.3.n.50.
Inter eos designatur à Pontifice, qui Gratiani opus recognoscerent. l.3.n.50.
Franciscj Lopij mors in odium fidei. l.4.n.251.
Quo mortis genere confectus. l.4.n.257.
Eius vitæ summa. l.4.n.260.
Franciscus Magallianes Azebedij socius in mare deijcitur ab Hæreticis. l.6.n.240.
Franciscus Mandelotius. l.1.n.20.
Franciscus Monclarus Monotapiam missus. l.5. n.238.
Franciscus Paulus in mare deijcitur ab Hæreticis. l.7.n.193.
Franciscus Petrius, eiusque Legatio ad Sinas. l.1 n.140.141.& 142.
Eius peregrinatio per Trauancoridem. l.3. n.238.
Eius dexteritas cum Rege l.4. n.245.
Franciscus Petrus Godoius, eiusque simplex obedientia. l.6.n.214.
Eiusdem feruor insignis. l.6.n.215.
Occasio Brasiliam adeundi l.6.n.216.
Azebedij socius. l.6.n.234.
Acceptis plagis in mare deijcitur ab Hæreticis. l.6.n.240.
Franciscus Pinna excolit Ciromandelium. l.2.n.110.
Franciscus Rodericius Goani Collegij Superintendens. l.3.n.225.
Franciscus à Sancto Germano missus in Gallias cum copijs Pontificijs. l.5.n.42.
Franciscus Strada. l.2.n.65.
Franciscus Sunerius Visitator adit Pultouiam. l.2.n.32.
Elbingam mittitur. l.3.n.133.
Franciscus Toletus iussu Pij V. explorat facultatem Pœnitentiariorum l.3 n.40.
Eius dictum in obitu B. Stanislai. l.4.n.102.
Succedit Alphonso Salmeroni l.5. n.36.
Theologiæ interpres in Romano Collegio. l.5.n.36.
Concionatur ad summos Pontifices l.5.n.38.
Migrat in ædes Pontificias. l.5 n.39.
Theologus Pœnitentiariæ. l.5 n.40.
Præpositus Pœnitentiarijs S. Petri. l.6.n.5.
Adiungitur comes Cardinali Commendono. l.7.n.5.
Alloquitur Ioannem Cotkonicium l.8.n.205.

Digitized by Google

Franciſcus Toletus Oropeſani Comitis frater quid ſentiret de Seminariis. l.6.n.133.
Franciſcus à Tortona. l.1.n.68.
Franciſcus Truxillius, eiuſque vita, & obitus. l.8. n.a.
Franciſcus Turrianus Societatem ingreditur, l.3.n.47.
Omni literatura, præſertim ſacra præſtans, ibid.
Eius feruor inter Tyrones. l.3.n.89.
Franciſcus Turrius Mediolanenſis. l.4.n.140.
Franciſcus Varea. l.2.n.88.
Franciſcus Villaregius in Floridam miſſus. l.2. n.142.
Redit Habanam l.5.n.298.
Franciſcus Villanoua, eiuſque ratio viuendi ſuſcepta à Ramirio. l.2.n.77.
Franciſcus Maria Taurusius vir prudentiſſimus, & optimus poſtea Cardinalis. l.7. n.14.
Francofordiæ ludus apertus, l.2.n.52.
Francofordienſis miſſio reuocatur. l.3.n.141.
Fremona pagus Catholicorum in Æthiopia. l.3.n.254.
Fridericus VViesspergius Herbipolitanus Epiſcopus, & Franciæ Orietalis Dux. l.2.n.30.
Frumentum Indicum. l.2.n.139.
Fuldenſis Collegij origo. l.7.n.68.
Eius primi incolæ. l.7.n.69.
Fulgentius Freires ex Memphitica captiuitate redux. l.5.n.224.
In mari mortuus. l.7.n.165.
Fuluius Androtius Procurator Longobardiæ, l.4.n.127.
Rector Collegij Ferrarienſis, l.6.n.44.
Hortatur Ducem ad pietatem. ibid.
Funçali Collegium impetratur à Rege Sebaſtiano. l.4.n.231.
Funçalenſis Collegij origo. l.6.n.179.

G

Gaditani Collegij profectus. l.3.n.190.
Gaditanis ægris conſultum. l.7.n.108.
Gabriel Cueuanus Mediolanenſis Gubernator, l.1.n.72.
Gabriel Flamma Orator ingentis famæ. l.1. n.68.
Genuæ Collegium promouet, ibid.
Gabriel Gomius proficiſcitur in Floridam. l.6. n.266.
Gabriel Oliuerius ad Indos profectus. l.1. n.130.
Gabriel Quiedus Dominicanus Societatem laudibus effert. l.7.n.223.
Gabriel Palæottus Cardinalis promouet Collegium Bononienſe. l.3.n.107.
Gabriel de Solis cæditur in odium fidei, l.7. n.206
Gaditani Collegij profectus. l.2.n.141.
Galandius vexat Collegium Pariſienſe, l.1. n.8
Gallicæ res. l.4.n.209. & l.6.n.78.
Gaſpar Ægidius Neophytus magnæ virtutis, l.5.n.247.
Gaſpar Alphonſus Caſtrius, eiuſque liberalitas in Societatem l.3.n.186.
Gaſpar Aluarius, eiuſque vocatio, & res geſtæ, l.5.n.218.
Eius lepide dictum. l.5.n.219.
Gaſpar Aluarius Azebedij ſocius ab Hæreticis occiditur. l.6.n.251.
Gaſpar Azebedius, eiuſque caritas, l.1. n.214.
Summa vitæ aſperitas. l.1.n.125.
Gaſpar Ceruantius Archiepiſcopus Salernitanus ſuſcipitur in Romano Collegio, l.4. n.144.
Gaſpar Coliguius perduellium copiarum Dux, l.5.n.127.
Cæditur. l.8.n.234.
Gaſpar Conſaluius mortem effugiens eam incurrit. l.7.n.191.
Gaſpar Correa in obſequio peſtilentium moritur. l.5.n.222.
Gaſpar Goëſius interimitur in odium fidei ab Hæreticis. l.7.n.190.
Gaſpar Hernandius Procurator Neapolitanæ prouinciæ. l.4.n.127.
Gaſpar Loartes inuiſit Stranenſem *Diœceſim*, l.5.n.71.
Præeſt Domui Pœnitentiariorum. l.6.n.4.
Gaſpar murarius faber, eiuſque ſpectabilis vita, l.4.n.162.
Eiuſdem miſerandus occaſus l.4.n.163.
Exequias Foroliuienſes cohonestant. l.4. n.164.
Gaſpar Planus, eiuſque vita, & mors. l.5.n.220.
Gaſpar Salazarius. l.3.n.193.
Gaſpar Vilela canus ante ſenectutem ex laboribus. l.1.n.143.
Adit Regem Iaponiæ, ibid.
Excipitur humaniſſime à Regis matre. ibid.
Excurrit Amorim. ibid.
Reuocatus in Ximum. l.2.n.112.
Conuertit ad fidem multos Iapones. l.3. n.245.
Iubetur diſputare de Chriſtiana fide coram Proceribus, l.3.n.251.
Ex Iaponia in Indiam nauigat. l.6.n.207.
Eius labores, & obitus. ibid.
Gaſpar Zuniga. l.1.n.116.
Gedani quo loco religio. l.6.n.127.
Generalium inter ſe comparatio. l.1.n.2.
Gentium variarum varia vitia. l.4.n.331.
Genuenſe Collegium, l.1.n.68.
Georgius Aluarius, eiuſque res geſtæ Xerexij, l.3.n.201.
Moritur in obſequio peſtilentium. l.5.n.221.
Georgius Baderus laborat in miſſionibus Herbipolitanis. l.5.n.113.
Georgius Mellus. l.2.n.107.
Georgius Mercatus. l.1.n.61.
Georgius Schererus ſcriptor nobilis. l.8.n.213.
Concionator egregius. ibid.
Sapientia, & modeſtia æque clarus. l.8. n.213.

Digitized by Google

Reuincit, conuertitque matronam nobilem. ibid.
Georgius Serranus Prouincialis Lusitaniæ. l.6.n.170.
Georgius Schoritius excolit Marchionatum Badensem. l.6.n.88.& l.7.n.67.
Georgius Temudus Archiepiscopus Goanus inter Nostros vult mori. l.7.n.154.
Germaniæ superioris res. l.4.n.189.
Gerardus Lepidanus, eiusque res gestæ. l. 7. n.77.
Geusij. l.8.n.233.
Eorum origo. l.2.n.37.
Habitus. l.2.n.38.
Goani Archiepiscopi mors in nostro Collegio. l.7.n.154.
Goanum Collegium, & in eo seruor Sociorum, ac labores. l.7.n.151.
Goæ inseruitum ægris à Socijs. l.6.n.189.
Feruor publicatum mortificationum. l.6. n.185.
Eo appellunt ex Europa noui Socij. l.7. n.161.
Godefridus Hanau Collegij Monachiensis œconomus. l.1.n.100.
Godefridus Lunensis Hafelei laborat. l.2. n.49.
Goti insulæ in Iaponia. l.2.n.113.
Earum nomen, & natura. ibid.
Euangelium in ijs prædicatur. l.2.n.116.
Primi Christiani. l.2.n.123.
Nouæ in ijs turbæ. l.2.n.124.
Progressus Religionis. l.3.n.247.
Gotondonus Regulus Iaponicus. l.2.n.119.
Eius morbus obest progressioni fidei. ibid.
Granatæ Societatis vigilantia. l.5.n.170.
Granatensis Collegij Superintendens Ioannes Plaza. l.1.n.58.
Granatensium Neophytorum rebellio. l. 5. n.156.
Eius occasio. l.5.n.161.
Granuellanus Cardinalis gratias agit Petro Trigoso ob Mechliniam adiutam. l.8.n.23.
Gratulationes de electione Borgiæ. l.1.n.33.
Græcensis Collegij rudimenta. l.7.n.54.
Græcij præclara gerit Rimelius. l.6.n.91.
Religio restituitur ab eodem. l.8.n.222.
Gregorius Peralta Panormi laborat. l.5.n.53.
Gregorius Scribanus interimitur ab Hæreticis l.6.n.250.
Gregorius Serranus. l.2.n.133.
Gregorius XIII. succedit Pio V. l.8.n.9.
Spargitur rumor eum esse alienum à Societate, sed falso. ibid.
A principio Societati benignus. l.8.n.10.
Cardinali Borromæo Societatis postulata cognoscenda tradit. l.8.n.12.
Toletum, & Palmium concionatores adhibet. l.8.n.19.
De Societate præclarè loquitur, ac sentit. l.8.n.20.
De eiusdem sinceritate existimatio. l.8.n.21.
Cum eo Natalis, & Palmius agunt de Societatis instituto. l.8.n.11.
Societatem post centum annos cognitum iri ait. l.8.n.
Guainacapaci Regis memoria celebris inter Ingas. l.7.n.219.
Guido Roilettus mittitur ab Oliuerio pro se ad Congregationem generalem. l.1.n.17.
Eius vita, & obitus. l.6.n.73.
Primus Philosophiam docet in Romano Collegio. l.6 n.74.
Pauperum amans. l.6.n.75.
Moriturus adorat Eucharistiam cum fumare non posset, l.6.n.76.
Eius morientis aspectu emollitur homo ferox. l.6.n.77
Guilielmus Banzius Senensis. l.6.n.13.
Guilielmus Critonius nobilem iuuenem ab hæresi deducit. l.1.n.6.
Primus Rector Collegij Lugdunensis. l.1.n.8.
Abit in Galliam. l.1.n.49.
Refutat calumnias aduersariorum in Societatem. l.5.n.136.
Guilielmus Dumblanensis Antistes. l.3.n.166.
Guilielmus Elderenus Confessarius Reginæ Ioannæ Austriacæ. l.1.n.65.
Guilielmus Prussinouuski, seu Prisienouius Olomucien. sis Antistes. l.2.n.31.
Collegium Olomucien. se inchoat. l.2.n.31.
Vir bonus, & pastor bonus. ibid.
Se gessit quasi vnum ex Nostris. l.8.n.215.
Moritur. ibid.
Sepelitur in Collegij templo. l.8.n.216.
Amantissimus Societatis. l.2.n.31.
Guilielmus Rocafolius militaris homo exemplo est militibus. l.1.n.64.
Prorex Balearis. ibid.
Guilielmus Rosembergius Sociorum Collegium petit. l.2.n.35.

H

HAbanæ de Collegio erigendo agitur. l.4. n.303.
Halæ Collegij fructus. l.6.n.90.
Terræmotus. l.8.n.224.
Halensis Collegij origo. l.5.n.95.
Hæretici optant Iesuitas perdi. l.1.n.17.
Eorum fraus deprehenditur. l.1.n.101.
Arrogantia intoleranda. l.1.n.102.
Quomodo Poloniam inuaserint. l.1. n.109.
Eorum fallaciæ. l.1.n.114.
Conatus tam in Hosium, quam in Collegium. ibid.
Commentarium probrosum edunt in Papam, & Iesuitas. l.2.n 27.
Rogant, vt admittantur filij in Seminaria. l.2.n.33.
De ijs sapiens responsum Pij V. l.3.n.34.
Qualiter describant Iesuitas. l.2.n.53.
Non præbenda ijs materia sermonum. l.3. n.19.
Conuertendis iisdem præpositi à Pio V. Cardinales. l.4.n.129.

Digitized by Google

Eorum insidiæ aduersus Patres Viennenses. l.5.n.82.
Progressum puerorum in nostris scholis attribuunt magicis artibus. l.6.n.142.
Impietas erga sacras res. l.6.n.263.
Libertas in Religionem. l.6.n.249.
Pertinacia ex malo pudore. l.6.n.66.
Fabulæ de Societate. l.6.n.93.
Occurrunt Nostris in Brasiliam euntibus. l.7. n.181.
Mactant Nostros. l.7.n.187.& seqq.
Eorum cædes memoranda in Gallia. l.8. n.253.
Henricus Blyssemius interest synodo. l.4. n.189.
Rector Collegij Pragensis. l.5.n.101.
Conuertit Hussitarum Administrum. l.8. n.215.
Henricus Cardinalis agit de sacris Quæstoribus Conimbricæ statuendis. l.1.n.128.
Acquiescit Patribus de Quieda transferendo. l.1.n.128.
Eius in Societatem liberalitas. l.3.n.213.
Collegium ordinat. ibid.
Consuetudo familiaris cum Socijs. l.6.n.170
Vtitur Leone Henricio ad confessiones. l.6.n.170.
Henricus Dionysius Traiecti sustinet religionem. l.2.n.516.
Collegium Colonien se. iunat. l.5.n.116.
Moritur Traiecti. l.7.n.78.
Eius laudes. ibid.
Funus celebratur à Clero, Senatu, Populoque Traiectensi. l.7.n.79.
Henricus Henricius iunat inopiam summam Oræ piscariæ. l.6.n.192.
Henricius Nauarræ Rex, eiusque propensio erga rectam fidem. l.8.n.234.
Henricus Somalius oppidum Nuum in fide conseruat. l.2 n.49.
Rethoricam docet. l.4.n.207.
Leodij agit. l.8.n.232.
Henricus Tauera. l.3.n.114.
Herbipolitanum Collegium. l.2.n.30.& l.7. n.76.
Eius incrementa. l.3.n.138.
Fama, & opera. l.4.n.194.
Herbitenses petunt Collegium. l.5.n.44.
Hermannus Tyræus, eiusque gesta. l.3.n.143.
Excurrit Treuirensem Diœcesim. l.5.n.112. & l.6.n.85.
Prouincialis Rheni. l.7.n.8.
Roma reuertitur. l.7.n.69.
Hernes Albauranus audit confessiones Reginarum Austriacarum. l.3.n.136.
Virtutis eximiæ. l.7.n.69.
Moritur. ibid.
Hernandus Valor vtilis homo Alpuxarræ Regem se nominat. l.5 n.162.
Hieronymus Coëllius in mari mortuus. l.7. n.163.
Hieronymus Domenecus Prouincialis missus in classe contra Turcas. l.1.n.49.
Siciliæ Prouincialis. l.7.n.8.& l.1.n.49.
Visitator, eiusque officia caritatis. l.7.n.42.
Hieronymus Gabrialius Societatem probat mendicantem. l.7.n.11.
Hieronymus Ianuia Societatem ingreditur. l.3.n.48.
Hieronymus Loaysa Peruuiæ Antistes Societatem æstimat, ac laudat. l.4.n.340.
Hieronymus Lucensis, eiusque mors. l.2. n.13.
Hieronymus Natalis postulat mitti cum classe contra Turcas. l.1.n.49.
Non permittitur ire. ibid.
Mittitur ad Augustanum Conuentum à Pio V. l.2.n.5.& n.20.
Expedit cum Ledesma Comitia summa difficultate. l.2.n.26.
Mittitur Visitator ad Septentrionem. l.2. n.181
Labores Augustæ. l.2.n.23.
Adit Olomucium. l.2.n.31.
Collegia Germaniæ inuisit. l.2.n.38.
Eius obedientia. l.3 n.140.
Sufficitur Assistens Hispaniæ loco Araonij l.4.n.128.
Vicarius Generalis à Borgia relinquitur. l.7. n.12.
Rationes ab eo allatæ pro Societate ad Gregorium XIII. l.8.n.13.
Eiusdem peroratio. l.8.n.14.
Hieronymus Olauius moritur. l.7.n.95.
Hieronymus Portillus Prouincialis Peruuiæ. l.3.n.269.
Eiusque gesta Xerexij. l.3.n.201.
Et Panamæ. l.4.n.311.
Profectio in Peruuiam. l.4.n.306.
Efficacitas in dicendo. l.4.n.308
Iustam negotiorum formam instituit. l.4. n.313.
Concionibus operam dat. l.4.n.319.
Eius verba ad Socios. l.4.n.321.
Occupationes. l.4.n.332.
Gratissime auditur. l.4.n.320.
Cuiusdam à Prorege ducitur. l.6.n.278.
Prohibetur à Borgia animas procurare more Curionum. l.6.n.275.
Labores illi sunt pro commendatitijs literis. l.7.n.222.
Querimoniæ de eo. l.8.n.313.
Diluuntur. l.8.n.314.
A Prorege se remouet. l.8.n.316.
Hieronymus Ripalda. l.3.n.185. & l.4.n.127.
Hieronymus Rubiola, eiusque virtus in supremo vitæ actu. l.7.n.20.
Eius adhortatio ad exteros sodales. l.7.n.21.
Et ad Scholasticos. l.7.n.22.
Disciplinæ custodia. l.7.n.23.
Fiducia in Deo. l.7.n.24.
Vocat paupertatem sororem. l.7.n.25.
Petit, & impetrat ab inimico eleemosynam. l.7.n.26.
Hieronymus Surianus, Theologiæ professor Neapoli. l.3.n.101.

Digitized by Google

Hieronymus Torrensis scribit Augustinianam confessionem. l.3.n.131. & l.8.n.205.
Hieronymus Vazius Ciromandelium excolit. l.2.n.110.
Hippolytus Aldobrandinus postea Clem. VIII. probat Societatem mendicantem. l.7. n.11.
Hippolytus Volia. l.3.n.51.
Hispalenses, eorumque benignitas in Socios. l.3.n.69.
In pestilentia illis opera nauata à Nostris. l.4.n.220.
Hispali res gestæ à Socijs. l.1.n.21.
Hispaniæ res. l.1.n.116. l.4.n.219. l.6.n.129. & l.7.n.103.
Hispanici tumultus. l.5.n.154.
Hispaniæ Nouæ Prouincia. l.7.n.9.
Hispanorum propugnacula in Florida. l.3. n.263.
Historici boni officium. l.7.n.147.
Homines sunt cognoscendi in electionibus. l.1.n.17.
Hominis veteris, ac noui colligatio. l.8.n.107.
Horatius Mandosius probat Societatem mendicantem. l.7.n.11.
Hosius Cardinalis promouet Collegium Bransbergense. l.1.n.111.
Gratulatur Borgiæ de electione. l.1.n.33.
Literæ ad eumdem. ibid.
Elbingam mittit duos Socios. l.3.n.133.
Eius pietas. l.4.n.177.
Huetæ Collegium inchoatur. l.6.n.131.
Hugonotti Societatem Parisijs vexant. l.1.n.8.
Eorum crudelitas Apamijs. l.2.n.54.
Furor in Gallia. l.3.n.152.
Cædes. l.8.n.234.
Hurtadus Petrius Austriæ Prouincialis. l.4. n.127.
Hussitæ. l.2.n.33.
Eorum Administrator conuertitur. l.8.n.214.
Hypocrisis diuturna non est hypocrisis. l.1.n.41.

I

Iacoba à Prato vexatur à Dæmonibus. l.5. n.66.
Liberatur imagine S. Ignatij. l.5.n.67.
Iacoba Croia Bergensis Marchio. l.1.n.89.
Iacobus Ab Els religionis studio, & nobilitate generis excellens. l.3.n.143.
Antistes Trevirensis consecratur. l.5.n.108.
Vtitur opera Nostrorum. l.5.n.109. & seqq.
Iacobus Acosta Theologiam Neapoli auspicatur. l.1.n.60.
Primus Rector Collegij Taurinensis. l.3. n.116.
Eius victoria de Hæretico. l.3.n.117.
Antuerpiam missus. l.4.n.171.
Eius laus. l.5.n.224.
Iacobus Andrada Socius Azebedij. l.6.n.219.
Eius vexatio, ac mors. l.6.n.240. & 247.
Iacobus Anellaneda Prouincialis Boticæ. l.1. n.51.
Eius caritas. l.4.n.221.
Laborat in Albayzino. l.5.n.159.
Designatur Gallicæ Reginæ confessarius. l.6. n.86.
Liberatur eo munere. ibid.
Sequitur Hispanum Oratorem in Hungariam. l.8.n.211.
Iacobus Bracamontius Limensis Collegij primus Rector. l.4.n.324.
Eius labores. l.4.n.334.
Primus Collegij Cuschēsis Rector. l.7.n.225.
Discedit in Europam. l.8.n.317.
Iacobus Carrillus Prouincialis Castellæ. l.1.n.51.
Moritur. l.7.n.195.
Iacobus Caruallius in obsequio pestilentium moritur. l.5.n.222.
Iacobus Couarruuias de Leyua suscipitur in Collegio Romano. l.4.n.144.
Iacobus Diazius. l.1.n.33.
Iacobus Dogius Tornaci concionatur acerrimè aduersus Hæreticos. l.2.n.43.
Et Insulis. l.2.n.49.
Iacobus Dullus Nouitijs Tornacensibus præfectus. l.9.n.80.
Iacobus Fernādius è fluctibus euadit. l.7.n.200.
Iacobi Iacobæi caritas. l.1.n.159.
Iacobus Lainius Præpositus generalis virtute, ac literis excellens. l.1.n.2.
Doctrina in eo conspectior. ibid.
Iubet consultationibus inter Assistētes Borgiam præesse. l.1.n.3.
Relinquit auctam Societatem. l.1.n.1.
Exemplum germanitatis literarum, ac pietatis. l.5.n.13.
Iacobus Ledesma mittitur à Pontifice ad conuentum Augustanum cum Natali. l.2.n.20.
Labores Augustæ. l.2.n.23.
Reuocatur in Italiam. l.2.n.27.
Quædam Italiæ Collegia inspicit. l.2. n.28.
Iacobus Lopius designatur ad missionem Canariensem. l.3.n.205.
Eius mira prædictio. l.3.n.208.
De eo retinendo conatus Canariensium. l.5.n.184.
Eius præsentia ijs vtilis. l.5.n.185.
Obedientia summa. l.5.n.186.
In ingressu nauigationis prouidentia Dei. l.5.n.187.
Iacobus Mirò Assistens Lusitaniæ renuntiatus l.1.n.34.
Proficiscitur cum Borgia in Hispaniam. l.7.n.12.
Iacobus Puella. l.5.n.189.
Iacobus Recinetensis, eiusque sancta mors. l.4.n.115.
Iacobus Sanctacrux missus cum exercitu Granatensi. l.5.n.167.
Iacobus Soria Hæreticus, & Archipyrata. l.6. n.225.
Exercet Nostrorum carnificinam. l.6.n.239. & seqq.
Odium in Iesuitas. l.6.n.238.
Aliquos iubet in mare dejici. l.6.n.239.

Digitized by Google

Iacobus Sotomaior, eiusque egregia virtus. l.7.n.111.& seqq.
Ministerio ægrorum addictus. l.7.n.110.
Eius feruor. l.7.n.112.
Cultus,& fiducia erga Deiparam. l.7.n.113.
Iacobus Suarius Magister Tyronum. l.1.n.61.
Rector Collegij Messanæ. l.3.n.104.
Eius caritas. l.7.n.42.
Iacobus Suarius, eiusque sanctus obitus. l.2. n.76.
Iacobus Sylvester moritur. l.7.n.97.
Iacobus Vichanski Archiepiscopus Gnesnensis l.4.n.179.
Iacobus VViecus Vangroulitius. l.7.n.47.
Eius lucubrationes. l.7.n.50.
Industria. l.8.n.207.
Iannottus Lomellinus. l.1.n.68.
Iaponiæ res. l.1.n.143.l.6.n.196.l.8.n.282.& l.7. n.171.
Ibi tempestates nouæ in Socios. l.5.n.291.
Iaponum superstitio in morbis Primorum. l.2. n.120.
Christianorum feruor. l.1.n.145.
Constantia. l.3.n.250.
Caritas. l.3.n.251.
Iaponicus Annus, eiusque initium. l.2.n.115.
Iesuitæ qualiter describantur ab Hæreticis. l.2. n.53.
Ignatius Azebedius Brasiliæ Visitator. l.2.n.18.
Nauigatio in Brasiliam. l.2.n.130.
Aduentus. l.2.n.131.
Res Societatis componit. l.2.n.133.
Abit ad S.Vincentij præfecturam. l.2.n.134.
Brasiliam visit. l.3.n.260.
Inchoat Collegium Fluminis Ianuarij. l.3. n.261.
Brasiliæ res componit. l.4.n.296.
Redit è Brasilia. l.5.n.295.
Eius aduentus Pio V. gratus. l.5.n.295.
Creatur à Borgia Prouincialis Brasiliæ. l.5. n.205.
Potestas illi fit ducendi Socios in Brasiliam. l.5.n.295.
Discedit Roma Lusitaniam versus. l.5.n.296
Fert secum imaginem S.Mariæ Maioris donandam Reginæ Lusitanæ. l.5.n.296.
Congregat Socios ad expeditionem. l.5. n.296.& l.6.n.208.
Qua ratione se,& Socios munierit. l.6.n.209.
Pias instituit exercitationes. l.6.n.210.
Præit ceteris in sui contemptu. l.9.n.211.
Eius exempli vis. l.6.n.212.
Expectat diu nauim, quæ ad mortem veheret. l.6.n.218.
Distribuit Socios in nauium conscensu. l.6. n.219.
Præsagit aliquid mali ex prospero cursu rerum. l.6.n.220.
Nauigationem religiosè instruit. l.6.n.221.
Non recusat periculum adire. l.6.n.223.
Constanter se gerit in proposito. l.6.n.226.
Incidit in Iacobum Soriam Archipyratam hæreticum. l.6.n.225.
Animos addit ad pugnam cum Hæreticis. l.6.n.229
Eius præcipui Socij. l.6.n.230.
Hæreticis prævalentibus, ac sæuientibus Catholicam fidem profitetur. l.6.n.240.
Ostentat Virginis imaginem. ibid.
Necatur vulnere capiti inflicto. l.6.n.242.
Excipitur moriens manibus Sociorum. ibid.
Eius corpus post mortem ad Crucis instar inuenitur. l.6.n.246.
Eius laudes. l.6.n.254.& seqq.
Cilicinam vestem candidam in honorem Virginis gestat. l.6.n.255.
Rosarium quotidie recitat. l.6.n.256.
Apostolicam vitam expetit. l.6.n.257.
Victus asperitas sine modo. l.6.n.258.
Sui contemptus perpetuus. l.6.n.259.
Caritas in Socios. l.6.n.260.
Fiducia in Dei prouidentia. l.6.n.261.
Eius munera in Societate. l.6.n.262.
Eius virtutis causa Collegium Bracharense instituit Bartholomæus de Martyribus. l.6.n.262.
Imago Virginis, quam manu præferebat seruatur intacta. l.6.n.263.
Socij ipsius omnes necantur. l.6.n.239.& seqq.
Alij duodecim Socij ei superstites occiduntur etiam in odium fidei. l.7.n.187.
Eius integritas. l.7.n.145.
S.Ignatius Loiola excellit alta, & capaci mente. l.1.n.2.
Omnia in eo summa. ibid.
Laudatur à Petro Versorio. l.1.n.12.
Eius sapientia in Societatis temperamento l.1.n.47.
Et in Collegio Romano instituendo. l.1.n.39.
Eius corporis translatio. l.5.n.63.
Vita scribitur. l.5.n.64.
Effigies editur. l.5.n.65.
Eius imagine Dæmones coërcentur. l.5. n.67.
Epistola de obedientia perfecta. l.5.n.18.
Ignatius Tolosa Prouincialis Brasiliæ. l.8. n.289.
Eius aduentu respirat Prouincia. l.8. n.290.
Eius statuta. l.8.n.293.
Ignatius Vogadus, eiusque virtus,& obitus. l.3 n.217.
S.Ildephonsi ædes Toleti addicta Societati. l.2. n.202.
Argumenta Dei id probantis. l.2.n.203.
Impietas in res sacras. l.2.n.42.& l.6.n.263.
Inda Oppidum,& ibi primi Christiani. l.5.n.270
India paratum ad omnia ferenda animum postulat. l.1.n.131.
Eius res. l.1. n.130. l.2.n.91.l.4.n.232.l.6.n. 184.& l.8.n.274.
Calamitates. l.7.n.150.
Frumentum. l.2.n.139.
Indiæ Occidentales aperiuntur Societati. l.2. n.135.

Digitized by Google

INDEX.

Indiæ tractus borealis, & in eo res gestæ. l. 2. n. 103.
Infamia insignis aduersus Societatem per Septentrionem concinnata ab Hæreticis. l. 1. n. 40.
Infantibus succursum. l. 5. n. 207.
Ingolstadiense Collegium, eique pædagogium ex Academia attributum. l. 7. n. 63.
Defenditur ab Alberto Bauariæ Duce aduersus Academicos. l. 7. n. 65.
Innocentius Cardinalis Montensis semouetur in Montem Cassinum à Pio V. l. 5. n. 43.
Insula S. Michaëlis, & in ea Petri Gomij labores. l. 6. n. 176.
Eiusdem Insulæ mira. l. 6. n. 177.
Insulæ Oceani à Socijs primum adeuntur. l. 2. n. 88.
Interamnates Brutij, missis Legatis, Collegium petunt. l. 5. n. 44.
Interamnæ Collegium inchoatur. l. 6. n. 31.
Ioachinus Toparcha, l. 4. n. 286.
Ioanna Aragonia, l. 2. n. 7.
Ioanna Castriota Dux Nuceriæ Collegium petit. l. 4. n. 169.
Ioannes Aiorla Episcopus Quetensis amicus verus Societatis, l. 5. n. 193.
Ioannes Albototus, eiusque virtus. l. 5. n. 159.
Ioannes Aluarius ab Hæreticis in mare deuolvitur. l. 7. n. 199.
Ioannes Archermannus explicat epistolam ad Romanos. l. 2. n. 32.
Ioannes Astensis Elbingam mittitur. l. 3. n. 133
Pericula pro religione. l. 3. n. 134.
Ioannes Aula, eiusque mors. l. 5. n. 181.
Desiderat in Societatem cooptari. l. 5. n. 182.
Ioannes Berkelius religionis ac morum curam commendat Treuiris. l. 5. n. 109.
Suum Antistiti munus inculcat. l. 5. n. 110.
Excurrit Diœcesim Treuirensem. l. 6. n. 85.
Ioannes Beroselius Rhemi Procurator. l. 4. n. 127
Ioannes Bezerra Quæstor aduersatur ex leui causa. l. 5. n. 60.
Ioannes Cadauillus hæreticæ classis Præfectus. l. 7. n. 187.
Ioannes Casra Azebedij socius interemptus ab Hæreticis. l. 6. n. 251.
Ioannes Cannas Bæticæ Prouincialis. l. 5. n. 1.
Ioannes Carualius. l. 4. n. 260.
Eius incertus exitus. l. 4. n. 256.
Ioannes Carrera ad opem Nostris ferendam accurrit. l. 7. n. 211.
Ioannes Casasola particulam Crucis perfert, & per eam miraculum. l. 5. n. 303.
Ioannes Corsus, eiusque vita, & obitus. l. 8. n. 3.
Exemplum imperturbati animi à S. Ignatio nominatur. l. 8. n. 4.
Ioannes Corkouitcus Archimaschalcus generalis Lithuaniæ, l. 8. n. 205.
Conuertitur, & Franciscum Toletum alloquitur, l. 8. n. 205.
Ioannes Creton, eiusque vocatio notabilis. l. 3. n. 145.
Ioannes Emmanuel Leonius magister Tyronum. l. 3. n. 190.
Ioannes Fernandius obit, l. 3. n. 243.
De Iaponia optime meritus. ibid.
De eo testimonium Colmi Turriani. l. 3. n. 243.
Ioannes Fernandius Bracharensis Azebedij socius, l. 6. n. 231.
Ab Hæreticis in mare deijcitur. l. 6. n. 240.
Ioannes Fernandius Theologiæ professor Romæ, l. 8. n. 183.
Ioannes Fernandus Olissipponensis Azebedij socius ab Hæreticis cæsus. l. 6. n. 251.
Ioannes Firandensis Dynasta tuetur Ecclesiam & fidem aduersus hostes. l. 1. n. 152.
Hebdomadam sanctiorem solenni pietate celebrat. l. 1. n. 154.
Ioannes Garzia strenue se gerit in pestilentia Hispalensi, l. 4. n. 222.
Eius mors, & insignis obedientia. l. 5. n. 304.
Ioannes Grodecius Præpositus Brunensis. l. 8. n. 214.
Creatur Episcopus Olomucensis. l. 8. n. 215.
Ioannes Gurrea. l. 1. n. 49.
Ioannes Haius Rethoricæ magister Vilnæ. l. 6. n. 123.
Propugnacula Eucharistiæ thesis. ibid.
Ioannes Harlemius Hebraicam linguam docet Louanij. l. 4. n. 200.
Ioannes Hesselius agit pro Societate, & Collegio Louaniensi. l. 1. n. 87.
Ioannes Hispalensis. l. 1. n. 22.
Ioannes Kesselius calumniam fingit in Socios Monachienses. l. 1. n. 100.
Ioannes Laromus Decanus S. Bartholomæi. l. 2. n. 53.
Ioannes Lauretanus, eiusque mors insignis. l. 6. n. 7.
Ab Angelo Custode vrgetur ad confessionem generalem, l. 6. n. 18.
Ioannes Legas in Austriacis castris. l. 5. n. 169.
Ioannes Lenraillerus Abbas S. Benedicti Fundator Collegij Duaceni. l. 4. n. 204.
Ioannes Leonius, eiusque vita insignis. l. 2. n. 79.
Ioannes Louera professor sacræ doctrinæ. l. 3. n. 191.
Ioannes Macherentius Collegij Fuldensis magister. l. 7. n. 69
Ioannes Maiorga Azebedij socius. l. 6. n. 232.
Ioannes Maiorius in Societatem admissus. l. 3. n. 51.
Ioannes Maldonatus mittitur ad Pictauos. l. 6. n. 54
Binas in die disputationes habet. l. 6. n. 65.
Eius frugiferi labores. ibid.
Lutetiæ Theologiam explicat. l. 6. n. 71.
Institutor Henrici Nauarræ Regis. l. 8. n. 235.
Res ab ipso gestæ. ibid.
Curæ pro religione. ibid
Decem dies disputat, l. 8. n. 235.
Concionatur publicè Sedani. ibid.
Ioannes Maria professor sacræ doctrinæ. l. 3. n. 163.

Digitized by Google

Ioannes Mariana Lutetiæ Geneſim explicat l.6. n.71.
Ioannes Martinius, & eius miſſio. l.5.n.72.
Pia vita, & mors. l.7. n.107.
Ioannes Merquitius, l.8.n.220.
Calumnia vexatur ab Hæreticis. l.6.n.93.
Ioannes Montoia Viſitator Siciliæ. l.3.n.102.
Eiuſdem Prouincialis. l.5.n.1.
Miſſus cum claſſe fœderatorum. l.7.n.15.
Ioannes Mora, eiuſque vita, & mors. l.5.n.225.
Ioannes Moronus Cardinalis. l.2.n.1.
Ioannes Mortagna nauat operam morbidis Tornaci. l.8.n.230.
Ioannes Olmeda, eiuſque obitus, & virtus. l.2. n.84.
Ioannes Oranenſis, & eius virtus. l.8. n.263.
Adhuc in ſeculo. l.8.n.264.
Et in Societate. l.8.n.265.
Eiuſdem mors, l.8.n.266.
Ioannes Oſorius. l.5.n.190.
Ioannes Plaza venit poſt creatum Præpoſitum. l.1.n.31
Superintendens Collegij Granatenſis. l.1. n.52.
Excubat ad Granatæ cuſtodiam. l.5.n.170.
Ioannes Polancus creatur Admonitor, & Secretarius Generalis. l.1.n.35.
Superintendens Collegij Germanici. l.1.n.52
Præeſt Comitijs cum Vicario vt Secretarius. l.1.n.31.
Intereſt conſultationibus de corrigenda Dataria, iuſſu Pontificis. l.2.n.6.
Mittitur à Pio V. ad Coſmum Medicen. l.3.n.40.
Procurator Generalis. l.3.n.95.
Proponit Pio V. difficultates de non mittendo Borgia cum Legato. l.7.n.8.
Proficiſcitur cum Borgia in Hiſpaniam. l.7. n.1.
Vicarius Generalis. l.8.n.34.
Docet Gregorium XIII. de Societatis Inſtituto. l.8.n.21.
Temeraria de eius ambitione ſuſpicio. l.8. n.35.
Ioannes Rabeſtenus, eiuſque res Dilingæ geſtæ l.5.n.97.
Ioannes Ramirius, & eius virtus, & eloquentia. l.1.n.117.
Eiuſdem labores apoſtolici. l.6.n.131.
Ioannes Ribera Archiepiſcopus Valentinus, l.7.n.129.
Ioannes Riçaeolus profeſſor ſacræ Theologiæ Patauij. l.3.n.103.
Ioannes Rodericius vir intentus diuinarum rerum meditationi. l.3.n.179.
Ioannes Rodericius Chriſtophori frater, dum Indiam petit, moritur demerſus. l.7.n.157.
Ioannes Rogerius miſſus in Floridam. l.2.n.142
Ioannes Sancius. l.6.n.252.
Ioannes Suarius Viſitator Bæticæ. l.5.n.3.
Ioannes Suarius Concionator poſtea Conimbricenſis Epiſcopus. l.5.n.214.
Ioannes Tapia, & eius literæ ad Borgiã. l.1.n.33
Laudat Societatem. ibid.
Ioannes Tellerus Poſſeuini Socius. l.6.n.59.
Ioannes Texeda Magiſter ſpiritus Borgiæ. l.8. n.87.
Ioannes Toſcanus Societatem adit. l.4. n.339.
Repudiat Epiſcopatum. ibid.
Eius mors, ac virtus. l.6.n.279.
Itinera, ac labores. l.6.n.280.
Ioannes Triuultius optime meritus de Collegio Camberienſi. l.7.n.99.
Ioannes Victoria Rector Collegij Meſſanenſis. l.1.n.61.
Viſitator Sardiniæ. l.2.n.18.
Res ibi geſtæ. l.2.n.85.
Procurator generalis. l.3.n.95.
Excurrit Venafrum, ac Salernum. l.4. n.121.
Aſculanam Diœceſim obit. l.5.n.44.
Mittitur in claſſe contra Turcas. l.6.n.26.
A confeſſionibus Marci Antonij Columnæ, ibid.
Ioannes Villaregij Dominus, & eius de Buſtamantio teſtimonium. l.6.n.155.
Ioannes Xauerius. l.1.n.53.
Antuerpiam miſſus. l.4.n.152.
Ioannes Xiquidonus à fide deſciſcit. l.7.n.174.
Ioannes Zantenus Neomagi quid egerit. l.8. n.233.
Populum vel inuitum vocis auctoritate retinet. l.8.n.233.
Ioannes Zerda Dux Methymnæ cæli gratulatur Borgiæ. l.1.n.33.
Ioannes Zuniga. l.5.n.303. & l.6.n.278.
Ioannes Andreas Crucius Epiſcopus Tiburtinus. l.2.n.16.
Ioannes Antonius Fernandius laborat in Æthiopia. l.3.n.255.
Ioannes Baptiſta Boncorius proximis profi-cuus. l.6.n.36.
Deſideratur à moribundis. l.6.n.37.
Concionatur egregie. l.6.n.38.
Eius exequiæ, & mors. l.6.n.39.
Ioannes Baptiſta Elianus plures Hebræos conuertit. l.1.n.6.
Plurimum Hebræis prodeſt. l.2.n.7.
Detegit fictam Syrorum Legationem. l.4. n.131.
Ioannes Baptiſta Mendes occiditur in Florida in odium fidei. l.7.n.206.
Ioannes Baptiſta Montanus in Inſulas Gotias mittitur. l.2.n.129.
Eius labores. l.3.n.247.
Bungenſi Eccleſiæ præficitur. l.6. n.203.
Ioannes Baptiſta Peruſcus. l.3.n.51. & l.5.n.77.
In Societatem admittitur. l.3.n.52.
Præpoſitus Venetæ Profeſſorum domui. l.6. n.42.
Ioannes Baptiſta Ribera proficiſcitur ad Indos. l.1.n.130.
Ioannes Baptiſta Segura cum Sociis Floridam adit. l.4.n.298.
Axacam meditatur, & petit. l.6. n.267. & ſeqq.

Occi-

Digitized by Google

Occiditur cum alijs in odium fidei. l.6.n.207.
Ioannes Baptista Velatus, & eius opera vtitur S.Carolus. l.1.n.76.
Ioannes Baptista Vitalis. l.1.n.49.
Ioannes Emmanuel Lopius Roma reuertitur. l.7.n.133.
Ioannes Franciscus Commendonus Cardinalis vtitur Genisio confessario. l.2.n.23.
Legatur ad Maximilianum Cæsarem, & Regem Poloniæ. l.7.n.4.
Ioannes Franciscus Gambara Cardinalis ægris subleuandis præficitur à Pio V. l.2.n.8.
Ioannes Franciscus Vipera. l.3.n.51.
Ioannes Hercules Minatus missus à Politianis ad Borgiam. l.4.n.168.
Ioannes Lopius Suarius miraculo sanatur. l.1.n.126.
Ioannes Lucas Ferla Panormi laborat. l.5.n.53.
Ioannes Nicolaus Perlongus vitæ probitate spectabilis. l.6.n.35.
Ioannes Paulus Campana Magister Tyronum. l.7.n.61,
Ioannes Petrus Maffæus in Societatem recipitur. l.1.n.70.
Ioannes Philippus Cassinus Siciliæ procurator. l.4.n.127.
Ioannes Pontius Leonius primus in Floridam venit quo anno. l.2.n.138.
Ioannes à Sancto Martino Azebedij socius ab Hæreticis necatus. l.6.n.251.
Ioannes Sanctus Æmilianus Fundator Collegij Legionensis. l.8.n.276.
Iobelæum promulgatur. l.4.n.300.
Iodocus Carcinerus Germanos milites in Sicilia iuuat. l.7.n.44.
Ioques Ignatij nomen sibi deligit, & cur. l.5.n.242.
Eius baptismus. l.5.n.241.
Iosephus Acosta. l.3.n.191.
Iosephus Aiala Procurator Aragoniæ. l.4.n.127.
Rector Barcinonensis Collegij. l.5.n.189.
Eius in Peruuiam aduentus. l.8.n.318.
Eius laudes. ibid.
Iosephus Blondus Rector Collegij Catacensis. l.5.n.79.
Eius conciones gratæ. l.5.n.79. & l.6.n.32.
Iosephus Cortesonus Collegij Germanici Rector. l.1.n.57.
Mittitur à Pio V. cum Innocentio Cardinali Montensi. l.5.n.43.
Iudæi conuersio insignis. l.4.n.166.
Iulia soror Claudij Aquauiuæ. l.3.n.81.
Iulianus Quiedus strenuè se gerit in pestilentia Hispalensi. l.4.n.222.
In Austriacis castris. l.4.n.169.
Iulius Mancinellus ad Collegium Amerinum tollendum mittitur. l.3.n.100.
Iuuare proximos opus magnum. l.3.n.21.
Non omittendum Chori causa. ibid.
Iuuenum ardor in Nosocomiorum ministerijs. l.4.n.333.

L

Lambertus Auerus, eiusque pietas. l.7.n.73.
Excellens misericordia. l.7.n.74.
Latro insignis conuertitur. l.5.n.56.
Fit Cappuccinus. l.5.n.58.
Latronum grassationes in Sicilia. l.5.n.55.
Laurentius Germanus Confessarius Reginæ Barbaræ Austriacæ. l.1.n.65.
Laurentius Gomius designatur ad missionem Canariensem. l.3.n.205.
Obitus, & virtus. l.3.n.210.
Sensus Cleri, & Religionum in eius morte. l.3.n.211.
Laurentius Iaponius Ociquam venit. l.2.n.115
Eius discursus de christiana fide. l.2.n.117.
Laurentius Magius Austriæ Prouincialis. l.2.n.19.
Præest Collegio Viennensi. ibid.
Gratus Maximiliano Imperatori. l.3.n.171.
Sedat ortam Viennæ procellam. l.3.n.122.
Eius res gestæ in Polonia. l.4.n.176.
Inuisit Oppauiensem Diœcesim. l.5.n.90.
Eius epistola nobilis ad Hellerum. l.6.n.95.
Destinatur, sed nequit per absentiam esse Gumelerio Reginæ Gallicæ. l.6.n.87.
Poloniam iterum inuisit. l.6.n.101.
Recusat viaticum Senatus Posnaniensis. l.6.n.112.
Adit Varsauiam ad Regem. l.6.n.113.
Vilnam Collegium deducit. l.6.n.116.
Eius verba ad Valerianum Episcopum. l.6.n.117.
Munuscula offert Episcopo. l.6.n.118.
Mittitur à Pio V. in Poloniam. l.7.n.45.
Inchoat Collegium Posnaniense. l.7.n.47.
Reuertitur in Austriam. l.7.n.54.
Perscribit ad Borgiam querelas de Nostris. l.7.n.139.
Laurentius Sterellus, & eius vita, ac mors præclara. l.3.n.105.
Lauretani Collegij vtiles labores, ac excursiones. l.4.n.165.
Lauretum Nouitij destinantur. l.1.n.55.
Lazarus Lopius mirè sanatus. l.7.n.166.
Legatio Sinica. l.1.n.140.
Leges non mutandæ. l.3.n.2.
Legionense Collegium inchoatur à Ioanne Sancto Æmiliano. l.8.n.270.
Eius Rector primus Antonius Marcenius. l.8.n.271.
Lælij Sanguinei strenua caritas. l.5.n.149.
Eiusdem pia mors, & virtutes. ibid.
Ignoscit Patris interfectori. ibid.
Lemouici res gestæ ab Augerio. l.5.n.129.
Lentini Collegium petunt. l.5.n.44.
Leo Amacusæ præfectus baptismum suscipit. l.5.n.263.
Insidijs petitur. l.5.n.264.
Constanter se gerit. l.5.n.266.
Eiusdem modestia. l.5.n.267.

Digitized by Google

Leo Henricus Prouincialis Lusitaniæ, l. 1. n. 31.
A Confessionibus Henrici Cardinalis. l. 6. n. 170.
Inter Socios non in Aula manere iubetur. ibid.
Laudatur. l. 7. n. 149.
Eius curæ prouinciales. l. 5. n. 209.
Leo Ximabaranus, eiusque pietas. l. 1. n. 157.
Leonardus Masserus moritur. l. 7. n. 96.
Leonettus Clauonius S. Carolo gratissimus. l. 8. n. 191.
Eius opera ille vtitur. l. 1. n. 78.
Longobardiæ prouincialis. l. 6. n. 40.
Moritur. l. 8. n. 191.
Librorum malorum lectio bonorum distributione compensatur. l. 6. n. 50.
Salutarium lectio saluberrima. l. 6. n. 56.
Ab Hæreticis in Societatem scribuntur. l. 3. n. 129.
Ligni sanctæ Crucis miraculum. l. 5. n. 303.
Eius veneratio. l. 5. n. 306.
Limæ Vrbis ædificatio. l. 4. n. 359.
Templum, & Collegium inchoatur. l. 4. n. 323.
Limense Collegium, eiusque incrementa. l. 7. n. 226.
Ibidem instituta Congregatio. l. 7. n. 227.
Linguarum variarum conciunculæ in mensa primum vsurpatæ. l. 4. n. 145.
Literæ Pij Quarti pro Societate ad Carolum Nonum. l. 1 n. 19.
Literarum Annuarum origo. l. 7. n. 3.
Lithuania superat amplitudine Italiam. l. 6. n. 102.
Lotharingus Cardinalis suscipitur in Collegio Romano. l. 8. n. 23.
Louanense Collegium receptum à Ciuitate. l. 1. n. 87.
Deus illud tuetur. l. 8. n. 225.
Seminarium dimissum. l. 8. n. 227.
Defensum. l. 2. n. 50.
Lucas Crassouius, & obitus eius, ac virtus. l. 7. n. 52.
Lucas Gorca Palatinus Posnanensis Societatem, eiusque mores laudat. l. 7. n. 48.
Lucas Zampellus, eiusque vita laudatissima. l. 2. n. 80.
Per verba Spigæ in alium mutatur. l. 2. n. 81.
Nosocomij procurationem suscipit. l. 2. n. 82.
Lucius Crucius. l. 2. n. 16.
Lucronense Collegium, eiusque progressus. l. 5. n. 192.
Ludouicus Almeida comes Ludouici Froës Meacum mittitur. l. 1. n. 143.
Meaco reuersus. l. 1. n. 156.
Peregrinatur circa Meacum. l. 1. n. 146.
Res ab eo gestæ. l. 2. n. 118.
Ociquam venit. l. 2. n. 115.
Eius miræ curationes. l. 2. n. 121.
Ocuram accersitur. l. 2. n. 126.
Amacusanam Ecclesiam excolit, & auctur. l. 5. n. 263. & seqq.
Multa perfert in Ximo. l. 6. n. 199.
Destinatur ad Regem Bungi. l. 6. n. 200.
Eius æruminæ pro Euangelio. l. 6. n. 202.
Spoliatur à prædonibus in summo frigore. l. 6. n. 203.
Stoææ pro vestimento sunt. l. 6. n. 204.
Benignitas Christianorum in eum. l. 6. n. 205.
Ludouicus Araidius, Prorex Indiarum. l. 4. n. 250 & l. 5. n. 242. & seqq.
Ludouicus Barlaimontius. l. 6. n. 83.
Ludouicus Bendania primus Indiæ procurator l. 8. n. 275.
Ludouicus Brauus, eiusque laus. l. 5. n. 223.
Ludouicus Christophorus Rontius Leonius de Societate bene meritus. l. 3. n. 194.
Ludouicus Codrettus præfectus Socijs Camberiensibus. l. 1. n. 82.
Excurrit in Valles Lucernæ, atque Angronnæ. l. 4 n. 175.
Mittitur ad Aquas sextias. l. 6. n. 53.
Eius præstantia in inchoandis Collegijs. l. 8. n. 248.
Aliæ virtutes. l. 8. n. 249.
Ludouicus Consaluius Magister, & Confessarius Sebastiani Regis. l. 4. n. 230.
Eius auctoritas nimia videtur in aula. l. 4. n. 230.
Prædicit obtrectationes de suo munere, quæ secutæ sunt in aula. l. 7. n. 144.
Quantum egerit, vt nuptias persuaderet Regi. l. 7. n. 144.
Falso arguitur quod Regi Sebastiano quædam suaserit. l. 7. n. 141. & seqq.
Defenditur, excusaturque. l. 7. n. 148.
Ludouicus Corbinellus Societatem ingreditur l. 3. n. 45.
Ludouicus Correa socius Azebedij ab Hæreticis necatus. l. 6. n. 251.
Ludouicus Franciscus Quirius odio fidei in Florida extinctus. l. 2. n. 79. & l. 7. n. 206.
Ludouicus Froës mittitur Meacum. l. 1. n. 143.
Restituitur Meacum. l. 5. n. 275.
Quo pacto restitutus, & quo gaudio. l. 5. n. 281.
Insidiæ illi contextæ. l. 5. n. 282.
Quomodo acceptus à Nubonanga. l. 5. n. 283.
Eius responsio de animarum zelo. l. 5. n. 284.
Congreditur cum Bonzio coram Nubonanga. l. 5. n. 288.
Excipitur perhonorifice ab eodem Rege. l. 5. n. 294.
Ludouicus Gagliardus in sacello Pontificio Latine dicit cum plausu. l. 4. n. 136.
Rector Seminarij Romani. l. 7. n. 43.
Orationem habet de Victoria Christianorum de Turcis iubente Pontifice. l. 7. n. 43.
Ludouicus Goës. l. 2. n. 91.
Morienti adstat Virgo. l. 3. n. 235.
Pie moritur. l. 3. n. 234.
Ludouicus Goësius Christianos consolatur.

Digitized by Google

lib. 5. n. 259.
Eius obitus. l.7 n.159.
Ludouicus Gonzaga Niuernensis Collegij fundator optimus. l.8.n.246.
Ludouicus Grana Prouincialis Brasiliæ l.1.n.51 & l.2.n.134.
Imperare nostris recusat. l.7.n.202.
Ludouicus Lopius, eiusque industria, & fructus. l.4 n.337.
Cuschum ingreditur. l.7. n.221.
Ludouicus Matellus philosophiam auspicatur. l.1.n.60.
Ludouicus Medina. l.4.n.314 & 228.
Ludouicus Neophytus, & eius in Nostros perfidia. l.7.n.204.
Ludouicus Quirius in Floridam proficiscitur. l.6.n.266.
Occiditur in odium fidei in Florida. l.7.n.206
Ludouicus Requesenius Præceptor Castellæ maximus. l.5.n.170.
Præest Belgio. l.8. n.232.
Societatem amantissime fouet. ibid.
Eius gratiam à Societate emptam calumniantur aliqui. l.8.n.232.
Ludouicus Sanctanderus homo mitissimus. l.7. n.132.
Eius testimonium de Balthassare Aluaro. l.3. n.193.
Ludouicus Strada Monasterij S. Bernardi Præses. l.7.n.124.
Adest exequijs Petri Valuij. ibid.
Ludouicus Turrianus à Pontifice ad Regem Lusitaniæ missus. l.7.n.142.
Ludouicus Vasconcellus Brasiliæ Prætor. l.7. n.181.
Se parat opponere Hæreticis prædonibus. ibid.
Committit cum ijs prælium. l.7.n.184.
Eius excelsitas animi. l.7.n.185.
Eius infelicitas in nauigationibus. l.7.n.186.
Ludouicus Vasconcellus Rector Collegij Angrensis. l.6.n.171.
Ludouicus Velascus Neophytus, eiusque integritas. ibid.
Ludouicus VVinghen ædes donat Societati Tornaci. l.6.n.81.
Lugdunense Collegium, eiusque exordia. l.1. n.20.
Vexatur. l.5.n.135.
Calumniæ aduersariorum refutantur. l.5. n.136.
Lugdunensis Archiepiscopus Collegium fieri studet. l.1. n.20.
Lugdunensium ardor aduersum hæreses. l.3. n.162.
Lugdunensium Sociorum officia in Italos milites. l.6.n.48.
Lugdunum seruatum opera Augerij. l.3.n.155.
Res gestæ ibi ab eodem. l.3. n.161. & l.6. n.70.
Eius status. l.1.n.20.
Hæresis ibi per magistros diffundiur. l.1. n.80.
Lusitana Aula, eiusque benignitas in Societatem. l.5.n.206.
Tres in ea è Societate Confessarij. l.7.n.137.
Lusitana classis, eiusque tristis exitus. l.6.n.264.
Lusitana Nauis à Turcis impetitur. l.4. n.253.
Ibi quatuor de Nostris. l.4.n.252.
Fortuito incendio vastatur. l.4.n.254.
Consilium in hoc periculo. l.4.n.255.
Lusitania, eiusque status, & res. l.4. n.228. l.6. n.169. & l.7.n.136.
Rex duos è Societate petit Episcopos Sinarum, & Iaponiæ. l.1.n.6.
Lusitanorum ardor in petendis Collegijs. l.2. n.87.
Prælium cum Firandensibus. l.1. n.153.
Victoria ex Zalamuco. l.7.n.152.
Lusitanorum Sociorum caritas laudata à Borgia. l.5.n.236.
Lutheri consobrinus ad Catholicos reuocatus l.4.n.188.

M

MAceratæ Ædes S. Mariæ qua de causa relinquitur. l.1 n.42.
Madritij schola capax. l.8.n.278.
Magdalenæ Viloæ beneficentia in Societatem l.8.n.273.
Magistrorum religiosorum quæ propria virtus. l.2 n.62.
Diligentiam, ac industriam eorum magicis artibus attribuunt Hæretici. l.6.n.140.
Mahometicæ Ædes in Salsettis diruuntur. l.3. n.233.
Mala magna sensum humanitatis minuunt. l.5. n.208.
Malabares Indica maria vexant. l.4.n.234.
Malabaricæ linguæ schola instituitur. l.3.n.239.
Malacæ Templum extrui cæptum. l.3. n.240.
Habita sacris Reliquijs veneratio. l.3.n.241.
Obsidio. l.4.n.233.
Ægris militibus, & classiarijs consultum. l.5. n.175.
Malignitatis humanæ exemplum l.8. n.232.
Mamertinæ Academiæ philosophia Collegio tradita. l.1.n.61.
Mamertini Collegij præclari labores. l.7. n.37.
Mampolis fidem suscipit. l.5.n.254.
Manaria, vbi Collegium destinatur. l.2. n.107.
Mancipia Christiana ex Turcis erepta. l.3. n.199.
Mãcipiorum agmen catechismum canens per Vrbem ducitur. l.4.n.314.
Mangalor receptaculum Prædonum. l.4. n.234.
Manna S. Andreæ sanat pestilentem. l.8.n.210.
Manopotapia missio. l.5.n.238.
Marcenense Collegium susceptum. l.1.n.121.
Incolitur. l.3.n.194.
Marchia Badensis à Georgio Schoritio excultа. l.7.n.67.

Digitized by Google

Marcus Antonius Burghesius probat Societatem Mendicantem, l.7.n.11.
Marcus Antonius Columna. l.2.n.1.
Tempestate iactatur. l.5 n.173.
Vtitur P.Io.Victoria à cõfessionibus, l.6.n.26
Marcus Antonius Columna Cardinalis templum S.Andreæ consecrat. l.4.n.140.
Marcus Caldeyra Azebedij Socius in mare, deijcitur ab Hæreticis. l.6.n.240.
Marcus Valdesius. l.5.n.201.
Mardor, seu fanum meretrici dicatum prosternitur. l.3.n.231.
Maria de Lara auget reditus Collegij Barcinonensis. l.5 n.191.
Maria Diazia vtitur Confessario Balthassare Aluario. l.3 n.192.
Maria Toletana coniux Ludouici Pontij Leonij Ducis Arcos l.1.n.121.
Soror Antonij Cordubæ. l.3.n.193.
Eius benignitas in Societatem. l.3.n.195.
Marius Beringuccius in Prætoria Augustini Barbadici pietatem excolit. l.7. n.39.
Strenue se gerit in pugna nauali. l.7.n.41.
Ad eius pedes cadit Barbadicus. ibid.
Marius Caraffa Archiepiscopus Neapolitanus promouet Collegium. l.6.n.33.
Martinus Carnoza. l.8.n.4.
Martinus Cornozius, eiusque mors, & virtus: l.2.n.12.
Martinus Eysengrenius Concionator Cæsareus l.5.n.81.
Procancellarius Ingolstadiensis. l.7. n.65.
Societatem publice laudat. ibid.
Martinus Gomius, eiusque eminentes virtutes l.3.n.180.
Modestia singularis. l.3 n.181.
Obedientia summa. l.3.n.182.
Quo animo ad Societatem accesserit. l.3. n.183.
Martinus Hernandius præponitur Sedi Naualcarnensi. l.2.n.8.
Martinus Nauarrus Azpilcueta Doctor Iuris Pontificij. l.5.n.40.
Martinus Sylua cum exercitu. l.5.n.244.
Massiliæ industria Posseuini. l.4.n.213.
Abolitæ praue consuetudines. l.1.n.214.
Massilienses optant Collegium, l.3.n.160.
Cupiunt apud se habere Nostros. l.4. n.217.
Materia Insula describitur. l.6.n.180.
Eo Sociorum aduentus. l.6.n.181.
Fructus in ea. ibid.
Prætor aduersatur. l.6.n.183.
Matronæ, eiusque viri pœnitentia insignis. l.5. n.81.
Matthias Desbinkius, eiusque mors. l.7.n.53.
Mauricæ Insulæ, earumque vastitas. l.5 n.261.
Mauricis ægrotis consultum, l.7.n.106.
Maurolycus mathematicus nobilis. l.5 n.59.
Maximilianus Capella Rector Collegij Tornacensis. l.2.n.43
Socios Tornaco remouet. ibid.
Tornacum aduocatus. l.2.n.49.
Primus Rector Duaceni Collegij. l.4.n.206.
Procurator Germaniæ inferioris. l.4.n.127.
Maximilianus Cæsar meliorem de Societate opinionem concipit. l.2.n.27.
Oratione Magij Societati conciliatur. l.3. n.122.
Scribit pro Societate ad Pontificem. ibid.
Meacensis Ecclesiæ res, ac status, l.3.n.252. & l.4.n.295.
Turbantur. l.1.n.147. & l.5.n.287.
Meaci sanctioris hebdomadæ solemnia primũ celebrantur. l.1.n.144.
Domicilium impetratur à Patribus, l.5. n.86.
Mechlinia occupatur ab Hæreticis. l.8.n.220.
Recipitur à Regijs. l.8.n.231.
Eius cladi succursum à Socijs. ibid.
Mediolanense Collegium transfertur ad ædem S.Fidelis. l.3.n.108.
Turbæ hac de causa. l.3.n.109.
Mediolani publicę tranquillitati consultum à Palmio, & Socijs l.5.n.73.
Instituitur Collegium Braidense. l.8.n.188.
Melchior Carnerius Episcopus Nicęnus iubetur se transferre ad Sinas. l.2.n.6.
Primus Iaponię, & Sinarum Episcopus. l.4. n.278.
Eius obedientiam Deus remuneratur. l.4. n.279.
Inter Nostros manet. l.4.n.285.
Exempla. l.6 n.187.
Melchior Figeredius excolit Indam oppidum; l.5.n.270.
Mittitur Funaium. l.4.n.289.
Calumnijs vexatur à Bonzijs. l.5.n.273.
Omuranæ Ecclesiæ præfectus. l.6.n.207.
Melchior Nunnius peregrinatur cum Episcopo Cocinensi. l.2.n.106.
Præficitur à Quadrio rebus Indicis. l.1.n.132
Ceilani res ab eo gestæ. l.2.n.111.
Occurrit Neophytos vexantibus. l.4.n.248.
Eius obitus. l.7.n.155.
Melchior Olueria mittitur in Insulam Materiam. l.6.n.181.
Melita Insula à Solimano oppugnari cepta, l.1.n.49.
Res ibi gestæ à Socijs cũ militibus. l.1.n.63.
Liberatur. l.1.n.64.
Mendus Sá Brasiliæ Prætor moritur. l.8.n.294.
Menendes. l.3.n.263.
Mercatorum studia in negotijs iustè instituendis. l.4.n.312.
Messanæ ægris militibus succursum. l.3.n.104
Datum Drama Stephani Tuccij. l.5.n.59.
Metis res gestæ ab Augerio. l.7.n.91.
Mexicanæ Prouinciæ conditores. l.8.n.302.
Mexicani Collegij fundator. l.8. n.311.
Mexicum. l.8.n.300.
Eo Patrum aduentus. l.8.n.301.
Quæ ibi familiæ Religiosæ ibi. l.8.n.309.
Michaël Aragonius, eiusque vita, & mors. l.7. n.192.
Deijcitur in mare ab Hæreticis. ibid.

Eius

Eius insignis iniuriæ tolerantia. l.7 n.194
Epistola de nece Azebedij,& Sociorum. l.7. n.195.
Michaël Baius agit pro Societate, & Collegio Louanienſi. l.1.n.87.
Michael Barrius, eiusque exirus. l.1. n.127.
Michael Bonellus Card. Alexandrinus legatur ad Reges à P o V. l.7 n.4.
Additur ei comes Borgia. ibid.
Michael Burgenſis, eiusque virtus. l.8.n.211.
Michael de Iesu Theologiam primus docet in Sassaritano Collegio. l.7.n.102.
Michael Fontius Nouitiorum Magister. l.4. n.324.
Grammaticam explicat. l.4.n.338.
Michael Garzias. l.1.n.61.
Michael Ghislerius Neophytus. l.2.n.7.
Michael Gubernius Toleti Procurator. l.4. n.127.
Michael Lauretanus comes Visitatorum Ecclesiasticæ ditionis. l.7.n.16.
Vocatus ad Germanicum Collegium. ibid.
Michael Pontius. l.4.n.338.
Michael à Regno, eiusque benignitas in Societatem. l.4.n.226.
Michael Spes mittitur cum classe Hispana. l.5. n.43.
Michael Stephanus, eiusque mors in obsequio pestilentium. l.5.n.213.
Michael Turrianus Lusitaniæ Visitator. l.2. n.18.& l.3.n.212.
A confessionibus Catharinæ Reginæ Lusitaniæ. l.7.n.137.
Eius testimonium de Azebedio. l.7.n.145.
A S.Ignatio vocatur sui oculi pupilla. l.7. n.149.
Laudatur. ibid.
Michael Turrianus Episcopus Cenetensis, post Cardinalis, laudat Societatem apud Pium V. l.4.n.138.
Milanus Garzia primus Rector Collegij Sagun. tini. l.5 n.200.
Miraculum insigne ligni sanctæ Crucis. l.5. n.303.
Missio Canarienſis. l.3.n.202.
Peruuiana. l.3.n.265.
Francofordiensis. l.3.n.141.
Gasparis Loartis. l.5.n.71.
Plurimæ instituuntur ex Societate à Pio V. l.2.n.6.
Ex Collegio Romano. l.3.n.41.
Per Siciliam. l.5.n.53.
Ab Achille Gagliardo, & Ioanne Martinio. l.5.n.72.
Moguntinus Archiepiscopus vtitur opera Canisij. l.2.n.23.
Stabilit prouentibus Collegium. l.4.n.194.
Molucæ Insulæ,& in ijs bella. l.6. n.195.
Male res gestæ ibi. l.7.n.170.
Mons Sancti Thomæ memoria inclytus. l.2. n.108.
Monteconturana victoria. l.5.n.152.
Mores lapsi ad formam pristinã redacti. l.3.n.18.
Mores Nobunangæ Regis. l.5.n.277.
Mors insignis Adolescentis Conuictoris. l.8. n.218.
Mors Thomæ Iaponis in odiũ fidei. l.3. n.244.
Mors Iustis amata, non amara. l.4.n.116.
Mortificationis studium. l.5.n.24.
Mortui Viri insignes. l.6.n.27.& l.7.n.19.
Mos Eucharestiæ præbendæ supplicio afficiendis inductus. l.1.n.22.
Mundus speciosus sed vitiosus. l.7.n.34.
Mussipontanum Collegium recipitur. l.8.n.238
Mutatio instituti periculosa. l.3.n.14.
Et damnosa. l.3.n.15.

N

NAngasachensis Ecclesiæ primordia. l.4. n.290.
Incrementa. l.7.n.176.
Naturalis Caritatis in proximos quanta vis. l.5.n.164.
Naualcarnerensis sedes. l.2.n.78.
Collegij fundator. l.8.n.5.
Nauigatio Brasiliana Ignatij Azebedij. l.6.n. 208 & seqq.
Peruuiana. l.3.n.272.
Limam à Panama quam celerrima. l.4.n.315
Religiosa, & pia. l.3. n.270. & l.6. n.221. & l.8.n.303.
Nauis,quæ Azebedium,& Socios ad mortem veheret,diu expectata. l.6.n.218.
Neapoli Rethorica, Philosophia, ac Theologia inchoata. l.1.n.60.& l.3.n.103.
Fructus Concionũ Benedicti Palmij. l.5.n.38.
Neapolitanæ Prouinciæ Visitatores. l.3.n.102.
Neomagi agit in Hæreticos acerrimè Ioannes Zantenus. l.8.n.233.
Neophytorum fidei mira vis. l.3.n.248.
Pietas erga Crucem. l.4.n.268.
Constantia. l.5.n.165.
Seductor perfidus. l.8.n.284.
Nethini petunt Collegium. l.5.n.44.
Neumageni res gestæ ab Hermanno Tiræo. l.3 n.143.
Nichisoxones Bonzius inimicissimus Christianorum. l.5.n.287.& seqq.
Dictus Antichristus Iaponiæ. ibid.
Describitur. ibid.
Christianam Religionem persequitur. ibid.
Turbat Meacensem Ecclesiam. l.6.n.196. & seqq.
Niciæ res gestæ à Petro Christino. l.6.n.47.
Nicolaus Belfilius mittitur Pictauium. l.6.c.54.
Nicolaus Bulgerius concionatur apud Dominicanos Patres. l.7.n.89.
Nicolaus Clerus mittitur Pictauium. l.6. n.54.
Nicolaus Dinis Azebedij socius è medio ab Hæreticis sublatus l.6.n.251.
Nicolaus Firanda Syracusis laborat. l.5.n.53.
Nicolaus Gaudanus, eiusque vita, & obitus. l.1.n.88.
Bergis mores,ac Religionem instaurat. l.1. n.89.

Digitized by Google

INDEX.

Subleuat Viennæ pauperes. l.1,n.90.
Adest Vormatiensi Colloquio. l.1.n.91.
Nuntius Apostolicus mittitur in Scotiam, l.1.n.92.
Moribundus hortatur Socios. l.1.n.93.
Timor, & fiducia in morte. l.1.n.94.
Ei positum elogium Ingolstadij. l.1.n.95.
Nicolaus Harlemius laborat Brugis, l.8.n.232.
Nicolaus Lanoius Prouincialis. l.2.n.31.
Nicolaus Olahus Strigoniensis Archiepiscopus l.3.n.123.
Nicolaus Ormaneus Visitator Diœcesis Mediolanensis. l.1,n.72.
Nicolaus Psalmæus Episcopus, & Comes Virdunensis. l.1,n.86.
Collegium restituendum curat. l.7.n.82.
Nicolaus Saulus. l.1.n.68.
Nicolaus Sedcouius conualescit manna S. Andreæ. l.8.n.209.
Nicolaus Sorbulus comes Beringuccij in classe contra Turcas moritur, l.7.n.41.
Niuernensis Collegij fundator Ludouicus Gonzaga. l.8.n.246.
Eius Rector Iulianus Bulgerius, l.8.n.247.
Institutio. l.8.n.238.
Nobiles duo ab Hæresi reuocantur, l.7.n.62.
Nobunangæ Regis Oares mores. l.5.n.277.
Eiusdem vires. l.5.n.278.
Interrogationes, l.5.n.289.
Benignitas in Socios, l.5.n.291.
Existimatio de Patribus. l.5.n.285.
Excipit perhonorificè Ludouicum Froës. l.5. n.294. & l.7.n.172.
Bonzios ad internecionem cædit. l.7.n.172.
Admittit humaniter Patres, ibid.
Nolæ instituitur domus Probationis. l.4.n.170.
Nomina Sociorum Ignatij Azebedij l.6.n.25.
Nominis Dei oppidum, ibique res gestæ. l.4. n.307.
Non abstinendum omnino à difficillibus animarum curationibus. l.5.n.179.
Noua Hispania describitur. l.8.n.298.
Regionis abundantia, l.8 n.299.
Eius caput Mexicum. l.8 n.300.
Excepti in ea perbenignè Socij. l.8.n.305.
Nouellariæ domus Probationis conditur à Camillo Gonzaga. l.6,n.27.
Nouitij in Collegio Romano segregati. l.1.n.55
Quibus virtutibus informandi. l.5.n.56.
Quomodo deligendi. l.5.n.8.
Quomodo formandi. l.5.n.9.
Quatuor recedentes à periculo mortis, à Religione recedunt. l.6.n.224.
Eorum ardor l.1.n.56.
Nouitij cuiusdam seruor nobilis, l.6.n.281.

O

OArociris Prouincia Peruuiæ à Societate excolitur l.6.n.274.
Abusus eius Prouinciæ. l.6.n.275.
Quæ ibi gesta. l.6 n.276.
Obedientiæ bonum. l.5.n.173.
Obtrectatoribus satius moribus, quam scriptis respondetur. l.3.n.130.
Ocuræ primi Christiani. l.2.n.126.
Odo Pigenartius mittitur ad Pictauos. l.6.n.54.
Odoardus Farnesius Cardinalis Domum Romanam Professam ædificat. l.4.n.142.
Offensiones quomodo vitandæ, l.1, n.41.
Vitari non possunt, l.2,n.72.
Olisippone pestilentibus inseruiunt Nostri. l.5. n.204. & seqq.
Oliuerius Manaræus Prouincialis Franciæ. l.1. n.51.
Subsistit Parisijs. l.1,n.17.
Mittit loco suo Guidonem Roillettum ad Congregationem. ibid.
Impedit Lutetiæ stragem. l.3.n.153.
Ac seditionem. l.3.n.153. & 154.
Deppam venit. l.6,n.53.
Eius res ibi gestæ, l.6,n.60.
Deppam regreditur. l.6.n.62.
Olomucense Collegium inchoatur. l.2.n.31.
Eius incrementum. l.5.n.87.
Fundator, l.8.n.215. & seqq.
Eius ob mortem turbæ, sed reprimuntur, l.8.n.217.
Olomucium describitur. l.1.n.31.
Ibi Terræmotus, l.8.n.224.
Religio sustentatur à Socijs Concionatoribus. l.8.n.219.
Omuræ primum Templum extruitur. l.4. n.292.
Conceptæ Virgini dedicatur. l.4.n.293.
Natalitijs ferijs sacræ historiæ exhibentur, l.4.n.294.
Onoris expugnatio, l.5.n.243.
Oppauij Hæreticorum ferox pertinacia. l.5.n.91
Oppidum S. Spiritus, & res ibi gestæ à Petro Christino. l.5.n.134.
Operarij boni homines de cælo lapsi existimantur. l.6.n.277.
Optimus in Præpositum legendus. l.1.n.25.
Opus magnum iuuare proximos. l.3.n.11.
Orandi genus per modum emendicationis. l.7. n.31.
Orandi tempus in Societate augetur, l.1.n.46.
Orandi tempore deliberanda electio. l.1.n.28.
Oratio Paschasij in Collegium Parisiense. l.1. n.9.
Oratio Versorij pro Collegio. l.1.n.10.
Oratio Borgiæ ad Patres congregatos. l.1,n.24.
Orbis noui similitudo cum veteri. l.4. n.309.
Organtinus Gneccus Collegij Romani minister. l.1.n.57.
Collegij Lauretani Rector. l.2.n.19.
Mittitur in Indias. ibid.
Eius vocatio ad Societatem, & ad Indias, l.3.n.219.
Conualescit per Lauretanam Virginem. l.3, n.220.
Ardenter expetit Indiam. l.3.n.221.
Obedientiæ tenax. l.3.n.222.
Venit in Iaponiam. l.6.n.206.
Oropesæ Collegium instituitur. l.6, n.133.

Osual-

INDEX.

Osualdus Redlingius Tyronum Magister. l.5. n.107.
Præest Collegio Fuldensi. l.7.n.69.
Otho Augustanus Cardinalis Augustanus Dilingæ gratias agit in Templo pro electione Borgiæ. l.1.n.33.
Vtitur opera Canisij. l.2.n.23.

P

PAcensis Collegij occasio. l.8.n.319.
Pagani baptizantur. l.7.n.168.
Pagi Brasilici quomodo excolendi. l.8.n.292.
Palatini Vilnensis exitus. l.1.n.107.
Panamæ res gestæ à Portillo. l.4.n.311.
Panormi turbo ex re leui. l.5.n.60.
Drama de S. Catharina exhibetur. l.5.n.62.
Quædam in eo notata. l.5.n.61.
Exhibitus triumphus mortis. l.3.n 106.
Pantaleo Rodinius Messanæ laborat. l.5.n.53.
Panzana turbat res Collegij Mediolanensis. l.3. n.109.
Parisiense Collegium vexatur. l.1.n.8.
Eius incrementa. l.1.n.84.
Celebratur. l.2.n.57.
Parisienses Socij vexantur ab Hæreticis. l.1. n.17.
Eorum labores. l.8.n.236.
Aliæ vexationes. l.8.n.237.
Parmensi Principi Mariæ Confessarius, & Concionator ex Societate. l.1.n.67.
Paschasij oratio in Parisiense Collegium. l.1. n.8.
Pastor centenarius Christianus efficitur. l.5. n.251.
S. Paulinus Nolanus virtutum, benignitatisque exemplar. l.1.n.14.
Paulus Achilles impetitus à Sacerdote. l.4. n.158.
Liberatur ex cæde diuinitus. l.4.n.159.
Nocenti iubet condonari Borgia. l.4.n.160.
Paulus Auria Collegij Genuensis parens. l.1. n.68.
Paulus Bubalus, eiusque caritas. l.2.n.8. & n.10.
Paulus Candidus. l.5.n.77.
Paulus Hoffæus superioris Germaniæ Prouincialis. l.5.n.2.
Eius de Catholica communione liber. l.1. n.105.
Paulus III. iubet inspici Societatis institutum. l.1.n.13.
Paulus Kostka B. Stanislai frater. l.4.n.108.
Virtutis quantæ fuerit ibid.
Qua occasione ad Deum conuersus totus. l.4.n.109.
Colit paupertatem voluntariam. l.4.n.110.
Distribuit pie facultates. ibid.
Sepulcrum sibi inscribit. l.4.n.111.
Societati quantum tribueret. l.4.n.112.
Recipitur in Societatem. l.4.n.113.
Pie decedit. l.4.n.114.
Paulus Saurius ludum aperit Francofordiæ. l.2.n.52.
Paupertatis conseruandæ, perficiendæque studio quæ sancita in Societate. l.1.n.42.
Quomodo ea communita in Iaponia. l.7. n.177.
Compensatur à Deo maioribus prouentibus l.4.n.190.
Pelleuius Cardinalis Senensis Archiepiscopus laudat Sociorum promptitudinem in laboribus. l.6.n.64.
Peregrinatio Apostolica Petri Velæ. l.6.n.72.
Pericula ex periculis in Florida. l.7.n.212.
Pericula Fortes non vincunt, cautos faciũt. l.3. n.367.
Pernambuci vexantur Nostri. l.7.n.202.
Perusinum Collegium visitur à Polanco. l.3. n.98.
Magister ibi iubetur dimittere scholas ob eleemosynam acceptam. l.1.n.42.
Perunia, & in eam prima missio. l.3.n 265.
Eius res, & status. l.4.n.316. l.6.n.272. & l.7. n.214.
Situs. l.4.n.310.
In ea lapsi mores fœdè. l.4.n.317.
Missi Socij duodecim. l.5.n.301.
Labores Sociorum. l.6.n.273. & 274.
Res melius se habent. l.5.n.300.
Turbæ. l.8.n.32.
Cuscum olim eius regia vrbs. l.7.n.215.
Peruuij saxa saxis excidunt, ac dolant. l.7.n.217.
Venerantur Regem Guainacapacum. l.7. n.219.
Eorum Catechesis difficilis. l.8.n.415.
Pestilentibus inseruiunt Parochi, alijque exemplo Sociorum. l.5.n.205.
Pestis Olisippone bacchatur. l.5.n.204. & seqq.
Sæuissima Pultouiæ. l.8.n.209.
Petrus Alcaceua impetitur à Barbaris. l.1.n.134
Petrus Alphonsus virtute donatus ad ægros curandos. l.6.n.190.
Petrus Angelus Manutius in Creta moritur. l.6.n 28.
Petrus Annius, eiusque vita, & simplicitas. l.2. n.90.
Petrus Bernardus. l.3.n.120.
Mancipijs consulit. l.3.n.200.
Eius res gestæ. l.7.n.109.
Petrus Bonauentura profectus ad Indos. l.1. n.130.
Redit ex India. l.8.n.275.
Eius reditus non laudatus. l.8.n.277.
Petrus Canisius iubetur adire Germaniæ Antistites à Pontifice l.1.n.51.
Eius auctoritas in Germania. ibid.
Tridentinam Synodum promulgari curat. ibid.
Interest Augustano Conuentui. l.2.n.5.
Prouincialis Germaniæ superioris iterũ. l.2.n.19
Res ab eo gestæ. l.2.n.22.
Legatus à Pontifice Augustæ egregiè laborat. l.2.n.21. & 23.
Eius fructus. l.3.n.139.
Vocatur Herbipolim. l.4.n.190.
Hortatio ad Tyrones Romæ. l.4.n.88.

Digitized by Google

Strenui labores. l.4.n.191.
De eo fabula Hæreticorum, l.4. n. 92.
Detegitur fallacia, & impostura, l.4.n.193.
Procurator Germaniæ superioris. l.4.n.127.
Scribit contra Centuriatores. l.5.n.2.
Augustæ dæmones expellit. l.6.n.89.
Opus de S.Io.Baptista absoluit. l.7. n.66.
Eius Catechismus vtilis Hæreticis, l.8 n.205.
Petrus Christinus Hæreticos dedocet . l. 5. n.134.
Eius res gestæ Niciæ. l.6. n.47.
Petrus Colatius ex vulnere accepto ab Infidelibus obit, l.7.n.153.
Petrus Coresma mittitur in Insulam Materiam. l.6.n. 81.
Petrus Diazius occiditur in odium fidei ab Hæreticis, l.7.n.189.
Petrus Fernandus vexatur ab Hæreticis impudenter, ibid.
In mare ab Hæreticis deijcitur, l.7.n.199.
Petrus Fontoura socius Azebedij ab Hæreticis cæsus l.6.n.244.
Petrus Gomius Angræ concionatur, l. 6. n.171.
Eius labores in Insula S. Michaëlis, l.6. n.176.
Petrus Guerrerus Antistes Granatensis agit cum Pio V. de Eucharistia præbenda, morte afficiendis. l.1.n.22.
Albayzinorum salutem procurat, l.5.n.157.
Petrus Iacobus Dinis cognomento Mimosus Azebedij socius, l.6.n.233.
Occiditur ab Hæreticis. l.6. n.243.
Petrus Loierus mittitur Pictauium. l.6. n.54.
Concionibus, & Catechismo rem catholicam iuuat. l.6.n 64.
Petrus Martinius, eiusque sanctus feruor. l.2. n.142.
Prædicit sibi necem. l.2.n.143.
Eius cædes. l.2.n.146.
Beata mors. l.2.n.147.
Virtutes eximiæ. l.2.n.148.
Ingenium solers. l.2.n.149.
Excelsitas animi. l.2 n.150.
Obedientia. l.2.n.151.
Petrus Mascarenia Christianos consolatur, l.4.n. 40. & l.5.n.259.
Eius patientia, & caritas, l.4.n.241.
Mire in mærore recreatur. l.4.n.242.
Mittitur cum Rege ad Sionios. l.4 n.263.
Magnifice recipitur à Rege Sanguin, l.4. n.266.
Retinetur à Calonganis, l.4.n.269.
Redit ad Sionios. l.4.n.271.
Cauripum excolit l.4.n.274.
Petrus Menendes, eiusque religio, l.2.n.137.
Reuersus in Hispaniam. l. 4. n. 297. & l. 5. n.298.
Petrus Miskouius Societatē protegit. l.4.n.178.
Petrus Mugnozius missus cum exercitu Hispanico. l.5.n.167.
Petrus Nauarrus missus cum exercitu Granatensi. l.5.n.167.
Petrus Nunnius Azebedij socius necatus ab Hæreticis, l.6.n.251.
Petrus Ortizius tyro, eiusque firmitas, l.6. n.132.
Petrus Parra corrigendæ Bibliorum editioni designatus à Pontifice. l.5. n.41.
Petrus Perpinianus abit in Gallias, l.1. n.49.
Docet Lugduni, l.1.n.8 :.
Eum interturbare conantur Hæretici ex inuidia. l.2.n.60.
Eiusdem claritas summa Parisijs. l.2.n.60.
Barba, & capillis præcanus adhuc iuuenis, l.2.n.60.
Mors eius acerba. l.2.n.61.
Mortuus ætatis anno trigesimo sexto, ibid.
Eius egregia virtus. ibid.
Petrus Phaë. l.3.n.134.
Diuexatur ab Hæreticis. l.4.n.184.
Ad eumdem Hæreticorum literæ minaces. l.4.n.185.
Constantia eius. l.4.n.186.
Petrus Ramus vexat Collegium Parisiense; l.1.n.8.
Socios oppugnat. l.2.n.58.
Petrus Regius, l.1.n.61.
Petrus Ribadeneira Superintendens Romani Collegij. l 1.n.52.
Alloquitur omnes, ibid.
Exemplum præbet modestiæ, & humilitatis; l.1.n.52.
Superintendens Romanorum domiciliorum l.3.n.93.
Secretarius eligitur in Congregatione Procuratorum prima. l.4 n.124.
Procurator Romanæ Prouinciæ. l.4.n.127.
Visitator Longobardiæ. l.5.n.3.
Petrus Riera. l.4.n.280.
Petrus Ruitius sacræ doctrinæ professor. l.3. n.191.
Petrus Saauedra, eiusque virtutes. l. 8. n.250. & seqq.
Mutat sententiam per exercitia spiritualia, l.8.n.251.
Mortis memoriam sibi suggeri curat. l. 8. n.252.
Veneratio in pauperes. l.8.n.253.
Vocatio ad Societatem. l.8.n.255.
Eiusdem ardor. l.8.n.256.
Mors. l.8.n.258.
Efficacitas orationum. l.8.n.259.
Victoria Dæmonum. l.8.n.260.
Iuuandarum animarum studium. l.8.n.261.
Corporis integritas post mortis decennium l.8.n.262.
Petrus Sancius, l.1.n.120.
Prouincialis nouæ Hispaniæ. l.7.n.9.
Petrus Sanctacrucius, eiusque mors, & virtus insignis. l.4.n.122.
Petrus à Sancto Andrea. l.8.n.236.
Petrus Saurius, eiusque opera Neustadij. l. 7. n.77.
Petrus Scarga missus ad Romanum Tyrocinium, l.4.n.183.

Eius

Digitized by Google

INDEX.

Eius industria. l.8.n.206.
Petrus Syluius Moguntiæ occumbit. l.7.n.71.
Ad obediendum diuinitus monitus. l.7.n.72
Petrus Trigosus Antuerpiæ Nostris præest. l.8. n.231.
Corrogat subsidia paupertati ex mercatoribus. ibid.
Hortatur eos, vt emant prædam à militibus. l.8.n 231.
Impetrat à militibus, vt reddant vestimenta Dei seruis. ibid.
Laudatur eius industria à Granuellano. l. 8. n.231.
Trãsgressus ad Cappuccinos Societatis opinionem auget, & caritatem prædicat. ibid.
Petrus Valuius Societati se dedicat. lib. 7. n.117.
Eius feruor. l.7.n.118.
Demissio, l.7.n.119.
De Societate existimatio. l.7.n.120.
Humilia exercet cum voluptate. l.7.n.121.
Pie moritur. l.7.n.122.
Commotio animorum ad eius obitum. l.7. n.123.
Exequiarum celebritas. l.7.n.124.
Interest illis Ludouicus Strada. ibid.
Petrus Vela Concionator. l.1.n.86.
Eius apostolica peregrinatio. l.6.n.72.
Petrus Versorius in Senatu Societatem tuetur. l.1.n.9.
Eius oratio diserta pro Societate. l.1.n.10.
Philippus II. Rex Hispaniæ iubet in quolibet carcere fieri sacellum. l.1.n.22.
Societatem in Hispania, Flandria, & Brabantia collocauit. l.1.n.13.
Petit vt Araozius maneat in Hispania. l.2. n.75.
Quid illi responsum à Borgia. ibid.
Abunde Socijs prouidet. l.3.n.268.
Scribit ad Borgiam. l.7.n.135.
Accipit ab eo particulam sanctæ Crucis. l.7. n.124.
Pictauium Socios accipit. l.6.n.54.
Res ibi gestæ. l.5.n.37.
Pionius studiorum Præses Lugduni defendit Societatis scholas. l.5.n.137.
Piscariæ Marchio Siciliæ Prorex vtitur Socijs in iuuanda Sicilia. l.5.n.53.
Moritur in sinu Nostrorum. l.7.n.38.
Piscatorum ducentorum baptismus. l.2.n.102.
Pius IV. duos ex Societate designat ad Episcopatus Sinarum, & Iaponiæ. l.1.n.6.
Probat electionem Borgiæ. l.1.n.32.
Eius literæ ad Carolum IX. pro Societate. l.1.n.19.
Prandet in cœnobio Franciscanorum ad Aræ Cœli. l.1.n.32.
Eius obitus, & constantia. l.2.n.1.
Commendat Societatem, & Collegium Parisiense Card. Borbonio, & Senatui. l.1. n.19.
Pius V. creatur Pontifex. l.2.n.2.
Præbet se benignum Societati. l.2. n.3.
Vtitur ea multum. l.2.n.4.
Confirmat eiusdem priuilegia. l.2 n.5.
Instituit plurimas missiones. l.2.n.6
Scribit ad Andream Oniedum, & Michaëlem Carnerium. ibid.
Dat Societati vertendum Catechismum Gallicè, Germanicè, Polonicè. ibid.
Commendat Heluetios Pontificiæ custodiæ Societati. ibid.
Tradit eidem procurationem Catechumenorum. l.2.n.7.
Borgiam accit ad lectiçam, & tenet adiens Lateranensem Basilicam. l.2.n.2.
Mittit Natalem, & Ledesmam ad Comitia Augustana. l.2.n.20.
Eius grauissimæ literæ de ijsdem Comitijs ad Commendonum. l.2.n.25.
Eiusdem sapiens responsum. l.2.n.34.
Chorum iubet haberi in Societate. l.3.n.23.
Clementia. l.3.n.24.
Vetat fieri Sacerdotes non professos. l.3. n.26. & seqq.
Inde nouandi voluntas in Societate. l.3. n.36.
De eius in Societatem animo mutato sermones. l.3.n.28.
Eius verus animus qualis. l.3.n.39.
Operam Societatis plurimum impendit in iuuanda re Christiana. l.3. n.40, & l.4. n.133.
Quid senserit de Religione, ac Pontificatu. l.3.n.84.85.
Claudium Aquauiuam tyronem vocat ad se de via. l.3.n.85.
Scotiam iuuandi ardet desiderio. l.3.n.167.
Mittit duos ex Societate cum Nuntio Apostolico in Scotiam. l.3.n.168.
Consulit Vrbi ægræ per Nostros. l.4.n.132.
Adhibet Nostros Concionibus in Vaticano l.4.n.134.
Beneficentia in Societatem. l.4.n.138.
Laudat, & restituit priuilegium de non curandis Virginum cœnobijs. l.4.n.139.
Eius literæ pro Collegio Duaceno. l.4.n.273.
Sententia in vulgando Baptismate. ibid.
Probat libertatem dicendi in suo Concionatore. l.5.n.37.
Literæ pro innocentia Posseuini. l.5.n.145.
Tradit Societati Collegium Pœnitentiariorum S. Petri. l.6.n.1. & seqq.
Monita ad Pœnitentiarios. l.6.n.5.
Moritur. l.8 n.8.
Benemeritus de Orbe terrarum, ac Societate. ibid.
Magnitudine animi, ac sanctitate eximius. ibid.
Eius de Societate opinio. l.8.n.16.
Pluris facienda quæ cum Deo coniungunt. l.5. n.16.
Pluuia impetrata flagellatione supplicantium. l.3.n.215.
Pœdagogium Ingolstadiensis Academiæ tradi-

Digitized by Google

tum Societati, l.7. n.64.
Pœnitentiæ dilatæ horrenda pœna. l.8.n.203.
Pœnitentiariorum Vaticanum Collegium Societati à Pio V. traditur, l.6. n.7. & l.5. n.40.
Quare traditum, l.6.n.2.
Difficultates in eo recipiendo. l.6. n.3.
Pontifex iubet recipi. l.6.n.4.
Eius procuratio cæpta. l.6.n.5.
Scholastici quidam ibi collocati ad formam Collegij retinendam. l.6.n.6.
Successus felix. l.6.n.7.
Fructus. l.6.n.8.
Politianorum in repetendo Collegio studium, l.4.n.168.
Politunenses petunt Collegium, l.5.n.44.
Poloniæ auxilium allatum à Socijs. l.1.n.110.
Eius res, & status. l.8.n.197.
Polonorum pietas in Societatem. l.1.n 111.
Posnanense Collegium recipitur. l.6.n.128.
Eius exordium, l.7.n.46.
Fundator Adamus Konarscius Episcopus, l.7.n.47.
Primitiæ fructuum. l.7.n.49.
Posnanensis Palatini humanitas in Magium, l.6.n.111.
Posnanensium benignitas in Socios. l.6.n.110.
Pragæ res gestæ à Socijs, l.1.n.21.
Res Catholica periclitatur in tumultu, l.8. n.214.
Pragense Collegium peste contactum, l.7.n.60.
Eius industria, l.5.n.86.
Fructus, l.2.n.33.
Præpositus Generalis Societatis qualis debeat esse. l.1.n 25.
Optimus legendus, ibid.
Eorum inter se comparatio. l.1.n.2.
Præsidum novorum vitium est noua moliri. l.6. n.161.
Precatio ad Deum adhibenda in eligendo. l.1. n.26.
Preces, & sacra oblata Romæ pro Gallijs. l.4. n.47.
Principum Confessarijs monita tradita, l.1. n.66.
Probationis domus in singulis prouincijs instituendæ, l.1.n.45.
Institutæ in Italia. l.1.n.54.
Procella insignis. l.8.n.297.
Procurator constitutus in Aula Hispanica. l.3, n.95.
Procurator Generalis transfertur in Collegium Romanum, l.3.n.93.
Procuratorum Congregatio prima, eiusque successus, & ordo. l.4.n.117. & seqq.
Congregatio secunda. l.7.n.1.
Professi per Vrbem doctrinam Christianam tradunt. l.1.n.59.
Eorum quod proprie munus. l.5.n.14.
Romani creant Vicarium Borgiam. l.1.n.3.
Professio Fidei inducitur in Academias. l.4.n.130.
Professionis dilatio necessaria Societati. l.3. n.33.
Adnexa Sacerdotio à Pio V. l.3.n.26.& seqq.
Proreges tres moriuntur in sinu Nostrorum. l.7.n.38.
Prosper Malauolta mittitur cum classe Veneta, l.6.n.26.
Prouincia Romana instituitur. l.3.n.93.
Prouincialis eligi non potest in Procuratorem, l.4.n.121.
Prudentia seculi peruersa, l.4.n.11.
Publicis necessitatibus succurrendum. l.3.n.7.
Pueri constantia. l.7.n.84.
Puerorum insignis pietas, l.7.n.83.
Bene instructorum fructus, l.4.n.335.
Pultouiæ pestis sæuissima. l.8.n.209.
Pultouiense Collegium inchoatur. l.1.n.115.
Perficitur. l.2.n.32.
Punensis viri nex pro Cruce tuenda. l.5.n.262.

Q

Quintilianus Mandosius probat Societatem mendicantem, l.7.n.11.
Quonquenindonus Cubosa Japoniæ Imperator. l.1.n.143.
Inuaditur à Mioxindono, & Daniodoreo. l.1. n.147.
Mactatur, l.1.n.148.

R

Raphaël Peregrinus. l.5.n.189.
Rationes cur Sacerdotes non debeant fieri Professi, l.3.n.27. 30.& seqq.
Raynaldus Galesius mittitur in classe Pontificia contra Turcas. l.6.n.26.
Insignis operarius. l.6.n.28.
Rectorum ex probitate pendet Domorum probitas. l.6.n 162.
Regnum Tambæ l.8.n.282.
Eo Euangelium inuectum, ibid.
Regulas seruandi compendiosus modus, l.3. n.97.
Religioni cuique suus finis. l.3.n.8.
Sua munera tuenda. l.3.n 9.
Eius instituta non facile mutanda, l.3. n.3.
Nec facile abroganda. l.3.n.17.
Religiosis non attingenda publica negotia, l.2.n.71.
Reliquijs sacris habita veneratio, l.3.n.241.
Earumdem mirum auxilium, l.3.n.242.
Per eas, & Agnum cereum sedata tempestas, l.7.n.213.
Remis ab Augerio gesta, l.6.n.70.
Res ex exitu non iudicandæ. l.3.n.224.
Respectus humani malorum causa. l.1.n.30.
Reuelationes Hæreticorum insanæ. l.1.n.103.
Rex Bungi, eiusque in Christianos studium. l.6. n.200.
Rex Galliæ Societati legata testamentis rata esse iubet, l.5.n.138.
Rex Lusitaniæ exceptus ab Eborensi Academia. l.5.n.237.
Eius studium in Societatem. l.5.n.235.

Rex

Digitized by Google

Rex Nobunanga vindicat Militis impudentiam. l.5.n.280.
Rex Sanguin, cum Primoribus, petit Christianus fieri. l.4.n.265.
Rex Sionis in regnum restituitur. l.4.n.262.
Eius Pater baptizatus. l.4.n.264.
Auctoritati est Euangelio propagando. l.4. n.275.
Rhenanæ Prouinciæ. l.5.n.1.
Rigor in regendis hominibus noxius. l.4.n.150.
Robertus Bellarminus Louanij concionatur, & docet. l.5.n.119.
Eius discessus ægre fertur. l.5. n.120.
Obedientia. l.5.n.121.
Eius prædictionum euentus. l.5. n.122.
Theologicæ scholæ, ac conciones. l.6. n.82.
Robertus Clayssonius exiguo corpore concionator ingens. l.2.n.47.
Occulte subsistit Antuerpiæ. l.2. n.48.
Tornaci concionatur. l.4.n.202.
Rodulphus Aquauiua, & eius vocatio. l.4.n.1.
Eius misericordia. l.4.n.2.
Aliæ virtutes. n.3
Orationis studium. n.4
Amor paupertatis. n.5.
Societatem expetit. n.6.
Matri morienti adstat. n.7.
Romam ductus à Patre. n.8.
Certat pro Societate impetranda. ibid.
Impeditur à Parente. l.4.n.9.
Eius perpetua virtus. l.4.n.12.
Festinat ad Religionem. n.13.
Animi præparatio ad aspera perferenda. l.4. n.14.
Domi apud Patres manere finitur. l.4.n.15.
Contendit ne abducatur. n.16.
Eius verba ardentia. n.17.
Obedire cogitur à Borgia. l.4.n.18.
Reducitur ad paternam domum. n.20.
Superat oppugnantes. ibid.
Agitur causa apud Pontificem. l.4.n.21.
Tandem Societati adiungitur. l.4.n.23.
Tres virtutes deligit sibi colendas humilitatem, obedientiam, caritatem. l.4.n.24.
Rodulphus Austriacus Possonij Rex Hungariæ creatur. l.8.n.211.
Rodulphus Florius cum exercitu Pontificio missus in Gallias. l.5.n.42.
Rogerius Bolbertus. l.2.n.47.
Moritur in obsequio pestilentium. l.8.n.229
Romana Collegia reseruata Generali. l.1.n.51.
Romana Prouincia instituitur. l.3.n.93.
Romæ auxilia præbita proximis. l.1. n.6.
Romanum Collegium esse vtile Ecclesiæ tenetur Pius IV. l.1.n.19.
Eius opera vtitur. ibid.
Eiusdem fidei, & regimini committitur Seminarium Romanum. ibid.
De eo Bustamantij existimatio. l.6.n.164.
Rothomagense Collegium designatur. l. 5. n.153.
Rothomagenses excoluntur à Possuino. l. 1. n.85. l.6.n. 51.& 55.
Russia duplex. l.6.n.106.
Agitur de Collegio in ea instituendo, l. 6, n.115.
Rutheni qui dicuntur. l.6.n.107.

S

Sabellus Cardinalis mittit Vimarum Goissonium ad inspectandam Diœcesim Beneuentanam. l.3.n.42.
Sacaianus Medicus ad Societatem animum adijcit. l.1.n.146.
Sacerdotum peruicacium pœna. l.1.n.79.
Salsettæ, & earum conuersio. l.1.n.134.
Progressus Religionis in ijs. l.2.n.101.
Idola, & fana sublata. l.3.n.229.
Templum nouum conditur. l.3.n.236. & l.6. n.191.
Periculorum, & laborum feraces. l.4.n.237.
Sanctis acceptissima Humilitatis, & Caritatis munia. l.4.n 90.
Sanctius Sauallius in Floridam proficiscitur, l.6.n.266.
Sanctus Ioannes necatus ab Hæreticis cum Nostris. l.6.n.255.
Sanitas mire recuperata. l.7.n.166.
Sardinia reseruata Generali. l.1.n.51.
Collegia visuntur ab Aragoniæ Prouinciali. l.5.n.189.
Ibi succursum militibus ægris. l.2.n.83.
Eius res, & status. l.7.n.98.
Sassaritanum Collegium, & in eo primi Theologiæ professores. l.7.n.102.
Satisfacere omnibus operosum. l.2.n.86.
Schismatum pericula in mutatione Instituti, l.3.n.14.
Scholarum fructus Viennæ. l.3.n.119.
Scholasticus bonus ex nouitio bono. l.5.n.10.
Quomodo illis agendum in Collegijs. l. 5. n.12.
Scotiæ status. l.3.n.166.
Sebastianus Cabarasius. l.5.n.57.
Sebastianus Consaluius cum exercitu. l. 5. n.244.
Sebastianus Lopius in mare abiectus seruatur. l.7.n.201.
Sebastianus Morales Confessarius Mariæ Parmensis. l.1.n.67.
Comes Visitatorum Ecclesiasticæ ditionis. l.7.n. 16.
Sebastianus Rex Lusitaniæ impetrat diploma à Pontifice contra desertores Religionis. l.1.n.129.
Eius pietas l.4.n.229.
Duo Collegia impetrat Funçali, & Angræ. l.4.n 231.
Tandem expugnatur ad matrimonium cum Rege Galliarom. l.7.n.146.
Seculi peruersa prudentia. l.4.n.11.
Sedes Armuziana relinquitur. l.3.n.228.
Segoviæ scholæ publicæ sublatæ. l.6.n.130.
Seguritanum Collegium conditur. l.5.n.193.
Seminarium Clericorum Bononiæ nostris commen-

Digitized by Google

mendatur. l.5.n.69.
Quo apparatu eius exordia sumpta. l.5.n.70.
Seminarium Louanij dimissum. l.8.n.227.
Seminarium Romanum edueat tres & sexaginta Clericos. l.1.n.52.
Et nonnullos Conuictores. ibid.
Eius Superintendens Vsmarus Goissonius. ibid.
Eius pietas. l.2.n.11.
Senense Collegium, eiusque status. l.3. n.98.
Eiusdem incrementa. l.4.n.172.
Sententia sustinenda in electione ad horam orationis. l.1.n.28.
Sforcia S.Floræ Comes præficitur exercitui Pontificio à Pio V. l.5.n.128.
Sicilia accipit sacræ doctrinæ professorem. l.3. n.103.
Eius Visitatores. l.3.n.102.
Signa diuinæ comprobationis. l.3.n.5.
Signa mortis quæ in Christo vitam abscondit. l.5. n.20.
Sigismundus Poloniæ Rex II. conciliatur Societati vbi eam cognouit. l.8.n.201.
Ornat Societatem cunctis priuilegijs aliarum Religionum. l.3.n.7.
Eius mors. l.8.n.201.
Legat Bibliothecam suam Collegio Vilnensi. ibid.
Simon Acosta mittitur ad Soriam. l.6.n.237.
Interimitur ab Hæreticis. l.6.n.250.
Simon Consaluius Ludouici Consaluij frater parum Nostris æquus l.6.n.183.
Simon Emrius Apostata, eiusque exitus Luctuosus. l.5.n.99.
Simon Lopius Azebedij socius ab Hæreticis necatus. l.6.n.251.
Simon Rodericius. l.2.n.65.
Non interest electioni Generalis. l.1.n.31.
Simon Trauacius. l.2.n.88.
Simon Visocius rem agit Catholicam Posnaniæ. l.7.n.47.49.
Sinica Legatio. l.1.n.140.
Sionis Rex in Regnum restituitur. l.4.n.262.
Eius Pater baptizatus. l.4.n.264.
Auctoritati est Euangelio. l.4.n.275.
Tradit filium disciplinæ Patrum. l.4.n.277.
Prosper successus. l.4.n.276.
Societas Iesu qualis sub mortem Lainij. l.1.n.1.
Eius Generales inter se comparantur. l.1. n.2.
Recepta in Poloniam. l.1.n.7.
Nascitur Parisijs. l.1.n.12.
Approbatur. l.1.n.13.
Defenditur à Petro Versorio. l.1. n.10. & seqq.
Eius nomen ab eodem propugnatur. l.1.n.13.
Vtilis Academijs. l.1.n.14.
Non onerosa populo. l.1.n.15.
Exagitatur Parisijs ab Aduocato Regio. l.1. n.16.
Congregatio Generalis eiusdem inchoatur. l.1.n.23.
Eius conseruãdæ causa quæ decreta. l.1.n.43.
In eiusdem temperamento S. Ignatij prudentia. l.1.n.47.
In ea gubernanda Dei prouidentia. l.1.n.1.
Eius feruor instauratur cum nouo Præposito l.1.n.53.
Laudatur à Ioanne Tapia. l.1.n.33.
Eius homines collocantur tanquam in stationibus à Principibus ad propugnandam rem Catholicam, ac Religionem. l.1.n.13
In eam pietas Polonorum. l.1.n.111.
Cedit iuri concesso à Concilio Tridentino. l.1.n.42.
Eius res in Austria laborant. l.1.n.47.
Laudatur à Pio IV. & commendatur Regi Galliæ. l.1.n.19.
Calumnia læditur per Septentrionem. l.1. n.109.
Eius priuilegia confirmantur à Pio V. l.2. n.4.
Ei multa offeruntur Collegia. l.2. n.28.
Defenditur ab Anna Mommorancio, eiusque filio. l.2.n.58.
Vexatur in Hispania. l.2.n.69.
Eius status in Brasilia. l.2.n.132.
Penetrat in Indias Occidentales. l.2.n.135.
Occasiones eius ad profectum. l.2.n.145.
Quare non vtatur choro. l.3.n.1.
Vota eius simplicia iustissima. l.3.n.20.
Iubetur admittere chorum. l.3.n.23.
Ei necessaria dilatio professionis. l.3.n.33.
Differt in eo multum ab alijs Religionibus. l.3.n.34.
Obedit Pontifici. l.3.n.37.
Viri præstantissimi ad eam admissi. l.3.n.46.
In eamdem liberalitas, ac benignitas Henrici Cardinalis. l.3.n.213.
Ad quid condita. l.3.n.6.
Rite comprobata. l.3.n.4.
De eius Professione quid senserit Concilium Tridentinum, & Pontifices. l.3.n.35.
Iubetur à Pio V. Sacerdotes admittere ad Professionem. l.3.n.26.
Quomodo se habuerit hac de causa. l.7.n.2.
Premitur difficultatibus. l.4.n.122.
Ex ea quatuor in Vaticano concionantur. l.4.n.134.
Ei attribuitur ordinaria oratio in Parasceue ad Pontificem. l.4.n.137.
Qua de causa. ibid.
Ex ea Tres intersunt primo Concilio Indiæ, & decreta, canonesque componunt. l.3. n.226.227.
Cupidissime recipitur in Peruuiã. l.4.n.318.
Eius cura erga suos ægrotos. l.5.n.210.
Collegium Pœnitentiariorum S.Petri ei traditur à Pio V. l.5. n.40.
Statio eius remota ex Albayzino. l.5. n.166.
Status eius in Gallia. l.6.n.78.
Desertores damnationem habere conuincuntur. l.6.n.96.97.
Declaratur Ordo Mendicantium. l.7.n.11.
De ea iudicium, ac literæ Alberti Bauariæ Ducis. l.7.n.55.& 65.

Expe-

Digitized by Google

Expetitur in Transiluania, l.7.n.56.
Accipitur in Sueciam, l.7.n.57.
A Palatino hæretico laudata, l.7.n.48.
Ei nimius Aulæ vsus displicet. l.7.n.139.
Sed necessario ferendus quia è re christiana, l.7.n.140.
Vnde ei obtrectationum causſa, ibid.
Miserandam potius esse, quam inuidiosam, expedit. l.7.n.146.
Ei afficta crimina quam aliena à veri specie, l.7.n.148.
Redintegratur eius Institutum de choro, & Professione post obitum Pij V. l.8.n.17.
Tribus conseruatum iri censet Borgia, orationum, ac sacramentorum vsu, aduersariorum molestijs, & obedientia. l.8. n.123.
Eius caritatem calumniantur. l.8.n.232.
Confirmatur in Gallia nouo Senatus decreto. l.8.n.236.
Eam posse capere legata declaratur. ibid.
Fit notior arte caritatis, & patientiæ. ibid.
Vexatur, & oppugnatur Parisijs. l.8.n.237.
Gregerij XIII. in eam amor, & benignitas. l.8.n.10.
Eiusdem de ea opinio, & existimatio. l.8. n.20. & 24.
Eam post annos centum cognitum iri ait. l.8.n.19.
Socij auxilia præbent proximis Romæ. l.1. n.6.
Quid egerint Pragæ. l.1.n.21.
Quid Hispali. ibid.
Profecti in classe contra Turcas. l.1.n.49. & l.6.n.26.
Cuiusdam insignis constantia, & caritas. l.1. n.21.
Inuitantur ad scribendum contra Arrianos, l.1.n.106.
Mortui in pestilentibus iuuandis. l.1. n.123. & l.5.n.222.
Missi in Indiam. l.1.n.130.
Eorum periculum in tumultu. l.1.n.149.
Liberantur Dei tutela. l.1.n.150.
Excedunt Meaco. l.1.n.151.
Eorum ardor in ægrotis sublenandis. l.2. n.9.
Iuuant Trebonenses. l.2.n.35.
Tornaci constantia. l.2.n.45.
Dispersi quæ gesserint. l.2.n.49.
Qualiter descripti ab Hæreticis. l.2.n.53.
Ardor virtutis l.2.n.67.
Petuntur à multis Magnatibus. l.2.n.136.
Inseruiunt pestilentibus. l.5.n.204. l.4.n.220.
Labores eorum. l.3.n.150.
Destinantur ad mortem ab Hæreticis. l.3. n.156.
Mittuntur in Scotiam à Pio V. l.3. n.168.
Caritas eorum corporibus, & animis vtilis, l.3.n.216.
Mittuntur in Peruuiam. l.3.n.265.
Orationes habent latine coram Pontifice, l.4.n.136.
Patientia. l.4.n.196. & l.7.n.205.
Nauant operam Hispalensibus. l.4.n.220.
Fructus in bellica expeditione. l.4. n.236.
Per Ecclesias Laponiæ sparguntur. l.4.n.289. & l.6.n.207.
Munera cum laude exercent. l.4.n.325.
Laboriosa caritas in ægris curandis. l. 4. n.238.
Distribuuntur per Floridam. l.4.n.304.
Missi cum exercitu Pontificio. l.5.n.42.
Curæ in exercitu. l.5.n.128.
Ac labores. l.5.n.147.
Missi cum exercitu Hispanico. l.5.n.167.
Erga milites amor, & sedulitas. l.5.n.169.
Caritas. l.5.n.233.
Feruor. l.5.n.234.
Præeunt cum Crucibus in pugna aduersus Turcas. l.5.n.257.
Domicilium impetrant Meaci. l.5. n.286.
Promptitudo in proximis iuuandis. l.6.n.64.
Aduentus in Insulam Materiam. l.6. n.181. & 182.
Exempla. l.6.n.188.
Piæ exercitationes. l.6. n.210.
Mactantur ab Hæreticis. l.6.n.240.
Missi ad Pictauos. l.6.n.54.
Addiscunt sonitus campanarum. l.6.n.245.
Missi in classe Fœderatorum à Pontifice. l.7. n.15.
Destinantur Comites Visitatorum Ecclesiasticæ ditionis. l.7.n.16.
Labores in nauali pugna l.7.n.40.
Audicti ægrorum ministerijs. l.7.n.110.
Ex Europa Goam missi. l.7.n.161.
Goæ res gestæ l.7.n.151.
Modestia. l.7 n.115.
Tendunt in Brasiliam. l.7.n.179.
Occurrunt Hæreticis. l 7.n.181.
Occiduntur in odium fidei. l.7.n.187.
Vexantur ab Hæreticis. l.7.n.196.
Disputant cum ijsdem. l.7.n.198.
Deijciuntur in mare. l.6.n.199.
Interficiuntur in Florida in odium fidei. l.7. n.203. & seqq.
Perbenigne accepti in noua Hispania. l. 8. n.304.
Versantur in periculo ob turbas Hæreticorum. l.8.n.214.
Quaterni Vrbem peragrant ad Catechismum inducendum. l.8.n.236.
Viri boni à Gregorio XIII. nominantur. l.8. n.24.
Sodalitas Misericordiæ constituta inter Tacuximanos. l.1.n.155.
Sodalitas Nominis Iesu restituta. l.3.n.197.
Sodalitas Maurorum instituta. l.3.n.198.
Spinosa Cardinalis vtitur Nostris ad lustrandam Diœcesim. l.25.n 201.
Fauet Societati. ibid.
Spirense Collegium designatur. l.2. n 29. Inchoatur. l.3.n.136.
Spoletini, Legatis Romam missis, petunt Collegium. l.5.n.44.

Sta-

Digitized by Google

INDEX.

Stanislaus Grodicius. l.7.n.46.
B. Stanislaus Kostka, & eius prima ætas. l.4.n.25
Eiusdem genitores, n.26.
Habitus, & species. n.27.
Vitæ cursus. n.28.
Virginitatem seruat. n.29.
Nunquam peccat lethaliter, n.30.
Viennam Austriæ mittitur cum fratre, n.31.
Eius mores diuersi à Paulo, n.32.
Eius firmitas in virtute, n.33.
Vexatur à fratre, n.34.
Obseruat fratrem magis, n.35.
Eius precandi studium. n.36.
Reuerentia in Diuino cultu, n.37.
Estases frequentes, n.38.
Pietas erga Deiparam. n.39.
Præcipuè colit S. Barbaram. n.40.
Proficit in literis etiam ex pietate. n.41.
Sacramenta quomodo frequentaret. n.42.
Vocationem Religiosam celat Confessarium n.43.
Eius consolatio vocatione detecta. n.45.
Societatem expetit vehementissime. n.46.
Non recipitur in Societatem metu turbarum. n.47.
Obstringit se voto Societatem ingrediendi, n.48.
Ægrotus vincit Satanæ terriculamenta, n.49.
Accipit ab Angelis Corpus Christi. n.50.
Experitur opem S. Barbaræ. n.51.
Apparet ei B. Virgo cum puero. n.52.
Sanatur à B. Virgine. ibid.
Monetur à B. Virgine vt ineat Societatem, n.53.
Tentat omnes aditus in Societatem. n.54.
Consultat de fuga. n.55.
Fugit rusticano habitu. n.56.
Eius mira vitæ religiosæ cupiditas. n.57.
Effugit mirabiliter manus insectantium, n.58.
Angeli manu iterum donatur Eucharistia, n.59.
Dilingæ seruilibus ministerijs exercetur, n.60.
Mittitur Romam. n.61.
Auspicatur Tyrocinium Romæ. n.62.
Quos habuit Tyrocinij magistros. n.63.
Obit exercitationes spiritus n.64.
Literas à parentibus accipit. n.65.
Respondet literis parentum. n.66.
Contemptus sui. n.67.
Restituit mentis tranquillitatem socio, n.68.
Pro exemplo Tyronibus ponitur. n.69.
Eius modestia, & pudicitiæ fulgor. n.70.
Eius sancta hilaritas. n.71.
Perpetua cum Deo coniunctio. n.72.
Indiget externa refrigeratione ob ardorem cordis. n.73.
Amat vnice Deiparam. n.74.
Eius facies visa splendere. n.75.
Asperrimus in se. n.76.
Obedientissimus. n.77.
Vocationis gratia in eo excellens. n.78.
Vocationem religiosam quanti faceret. n.79
Societatis Institutum magni æstimat n.80.
Obedientia singularis. n.81.
Quanti fieret à Magistris Nouitiorum, n.82.
Eius virtutis solidæ signum. n.83.
Ingenium, ac prudentia. n.84.
Colloquia pia. n.85.
Obseruantia erga Socios. n 86.
Prædicit obitum suum. n.87. & 93.
Pius erga Sanctos. n.89.
Corripitur morbo. n.91.
Impetrat à Deipara vt Assumptionis die moriatur. n. 92.
Cupit mori abiectus humi. n.94.
Qua pietate susceperit vltima Sacramenta. n.95.
Quomodo se comparauerit ad mortem. n.96.
Moritur sanctissime. n.97.
Morienti se offert B. Virgo. n.98.
Eius mors insignis. n.99.
Reuelatur eius vita beata. n.100.
Fama eius sanctitatis. n.101.
Eius in morte dictum Cardinalis Toleti. n.102.
Primus de Societate ad S. Andreæ moritur. n.103.
Epistola de eo mittitur per omnem Societatem. n.104.
Eius vita describitur à Varseuitio. n.105.
Primus de Societate Beatus dicitur. n.106.
Miraculis illustratur. n.107.
Stanislaus Mieleckius, eiusque obitus l.8.n.199
Stanislaus Rozdrazouius. l.8.n.205.
Stanislaus Varseuitius animum ad Societatem applicat l.1.n.113.
Ingreditur Societatem. l.3.n.49.
Remittitur in Poloniam. l.6.n.109.
Cum laude concionatur. l.6.n.114.
Conuertit ad fidem catholicam Ioannem Comitem Corkouiscum. l.8.n.205.
Collegij Vilnensis primus Rector. l.6.n.121.
Secularibus negotijs immiscere se renuit. l.8.n.202.
Eius virtus, & fructuosæ curæ. l.8.n.204.
Conuertit plures nobiles. l.8.n.205.
De eo testimonium Stanislai Rozdrazouij, ibid.
Stephanus Lopius Monomotapiam missus. l.5. n.238.
Stephanus Nunnius in obsequio pestilentium moritur. ibid.
Stephanus Rimelius inuisit Oppanienſem Diœcesim. l.5.n.90.
Græcij præclare agit. l.5.n.91. & l.8. n.222.
Restituit supplicationem Corporis Christi, ibid.
Vita defungitur. l.8.n.223.
Stephanus Tuccius eiusque drama Messanæ datum. l.5.n.59.

Ste-

Digitized by Google

Stephanus Zurara Azebedij socius. l.6.n.233.
Diuinitus monetur se sanguinem daturum, ibid.
Storeæ pro vestimento sunt Ludouico Almeidæ. l.6.n.204.
Strotius Cardinalis Collegium Albis expetit, l.1.n.85.
Studia literarum recognita in Collegio Romano. l.1.n.58.
Sulpitij Clerici mors memorabilis. l.3.n.165.
Superstitio Iaponum in Primorum morbis. l.2. n.120.
Superintendentes sublati. l.1.n.44.
Quidam tamen decreti. l.1.n.52.
Omnino demum sublati. l.4.n.157.
Supplicatio flagellantium impetrat pluuiam, l.3.n.15.
Supplicatio solennis in festo Corporis Christi Viennæ. l.3.n.120.
Synodi celebrantur in Hispania. l.1.n.116.
Syrorum ficta legatio, ad Pontificem detecta à Io.Baptista Eliano. l.4.n.131.

T

TArquinius Raynaldus. l.6.n.32.
Moritur. l.7.n.19.
Taurinensis Collegij exordia. l.3.n.113.
Tempestas immanis Bazaini l.2.n.104.
Maxima. l.5.n.172.
Tempestas Cereo Agno, & Reliquijs sedatur, l.7.n.213.
Templum nominis Iesu cæptum extrui ab Alexandro Card. Farnesio. l.4.n.141.
In eius fundamentis iaciendis Dei patrocinium. l.4.n.142.
Templum in Salsetis conditum. l.3.n.236.
B.Theresia excolitur à Balthassare Aluario. l.3.n.192.
Terræmotus Ferrariæ, & ex eo facta mutatio morum. l.6.n.44.
Olomucij, & Halæ. l.8.n.224.
Salubris animabus. l.6.n.178.
Theatini Collegium petunt. l.8.n.192.
Mittitur ad eos Carolus Regius. l.8.n.193.
Excoluntur ad pietatem. ibid.
Theodorus Canisius Proprouincialis loco Petri Canisij fratris. l.1.n.51.
Rector Collegij Dilingani. l.3.n.125.
S.Thomæ memoria mons celebris. l.2.n.108.
Thomas Darbishirus mittitur in Scotiam cum Nuntio. l.1.n.6.
Thomas Iaponius, eiusque mors in odium fidei. l.3.n.244.
Thomas Lauretanus. l.6.n.14.
Ei audita loqui Virgo. ibid.
Obtemperat Virginis iussis. l.6.n.15.
Societatem ingreditur. ibid.
Petit Indiarum missionem. l.6.n.16.
Austeram, & asperam ducit vitam. ibid.
Thomas Orsinus Strangulanorum Episcopus Visitator Regni Neapolitani. l.1.n.6.
Cum eo Socij missi, ibid.
Thomas Radius mittitur cum Classe Pontificia. l.6.n.26.
Thomas Seuerinus obit in obsequio morbidorum Messanæ. l.3.n.104.
Thomas Zdelaritius Collegij Vilnensis inges columen. l.8.n.200.
Moritur sanctè. ibid.
Multarum linguarum peritus. ibid.
Omnium virtutum, & omnium munerum homo. ibid.
Thusciæ Prouincia, & nomen aboletur. l.3. n.93.
Tigris Neophyto blanditur. l.5.n.253.
Tirnauiense Collegium solutum. l.3.n.123.
Titulus Don à nostris iubetur omitti. l.1.n.48.
Tolerana Domus, eiusque exordia. l.2.n.65.
Disciplinæ ratio in ea. l.2.n.66.
Ardor virtutis. l.2.n.67.
Tolosanum Collegium, & in illud studia, Principum. l.2.n.64.
Tolosatum caritas in Augerium. l.2.n.56.
Benignitas in Collegium. l.2.n.57.
Tolosæ gesta. l.2.n.55.& l.6.n.69.
Tonus Bungensis suos fieri Christianos studet. l.5.n.271.
Tornacense Collegium. l.2.n.42.
Vexatur ab Hæreticis. l.2.n.43.
Dissipatur. l.2.n.46.
Restitui cæptum. l.3.n.147.& l.4.n.201.
Tornaci terror inanis pestilentiæ. l.1.n.96.
Strages. l.2.n.40.
Tyrocinium instituitur. l.5.n.118.& l.6.n.80.
Trauancorensis ora christianæ religioni aperta l.4.n.244.
Progressus in fide. l.5.n.254.
Rex multum promouet Christianum cultum. l.5.n.254.
Ædes ibi sacræ erectæ. l.5.n.255.
Treuirense Collegium, eiusque progressus. l.6. n.84.
Treuirensem Diœcesim excurrunt Tyræus, & Derkelius. l.6.n.85.
Treuirensis Archiepiscopus vtitur opera Canisij. l.2.n.23.
Treuirensium solicitudo de Collegio l.3.n.144.
Treuiris molestiæ ex bello. l.4.n.195.
Sociorum patientia. l.4.n.196.
Cura Nosocomij Nostris cõmissa. l.4.n.198.
Promulgatur Concilium Tridentinum. l.5. n.111.
Tridentini Concilij sensus de Societatis Instituto. l.8.n.15.
Triũphus mortis exhibitus Panormi. l.3.n.106.
Turonenses Socij ad mortem destinantur ab Hæreticis. l.3.n.156.
Turonibus publicæ ad Eucharestiam preces, l.5.n.150.
Tusculana sedes primum domui Probationis, mox Collegio Romano subiuncta. l.5. n.47.
Inde scholæ ablatæ. l.5.n.46.
Tyrocinij Romani ad S.Andreæ origo. l.2.n.16.
Tyronum fructus in exteros. l.3.n.191.

Digitized by Google

INDEX.

V

VAlentianus ad Indos profectus. l.1.n.130.
Valentinus Iungadanus ab hæresi conuertitur. l.8.n 208.
Valentinum Collegium, eiusque Gymnasium vexatum. l.7.n.131.
Commodum Societati ex ea vexatione. l.3. n.132.
Valerianus Episcopus Vilnensis. l.4. n.180.
Eius literæ de Societate. ibid.
Et ad Patres Bransbergenses l.5.n.181.
Cura de Collegio Vilnensi instituendo. l.6. n.108.
Pia benignitas in Socios. l.6.n.119.
Valles Lucernæ, & Angronnæ excoluntur à Codretto. l.4.n.175.
Vallisoletanæ domus initia. l.3.n.184.
Vatandonus Dynasta Iaponiæ. l.5.n.276.
Eius propensio in Christianam Religionem. ibid.
Absentia Christianis obest. l.5.n.293.
Calamitas quod faueret Christianis. l.6.n.197
Constantia. l.6.n.198.
Restituitur, & aduersarius deijcitur. l.6.n.199
Interemptus. l.7.n.171.
Visa cum ipso concidisse res christiana. ibid.
Venatio quæ optima. l.8.n.68.
Venetijs exercita à Socijs caritas, & patientia. l.6 n.46.
Versandum coram Deo. l.5.n.25.
Viaticum reis præbendi consuetudo indicta. l.1.n.21.
Viennæ Collegium pauperum vexatur. l.1.n.98
Supplicatio magnifica in solennibus Christi Corporis. l.3.n.120.
Procella in Socios ab Hæreticis excitata. l.3.n.121.
Sedata à Magio. l.3.n.122.
Pabulæ sparguntur ab Hæreticis de Societate. l.6.n.93.
Viennensis Collegij labores. l.5.n.83.
Fructus scholarum. l.3.n.119.
Vigilantia necessaria. l.5.n.7.
Villagarziensis Collegij, & Tyrocinij initia. l.8. n.272.
Villaregium Tyrones ducti. l.3.n.190.
Vilnæ Collegium cur properandum. l.4.n.182.
Situs. l.6 n.103.
Fœcunditas, ac frequentia. l.6.n.104.
Status Religionis. l.6. n.105.
Nostri excepti cum gratulatione. l.5.n.94.
Disputatur à Socijs magnificè de Eucharistia contra Hæreticos. l.6.n.123.
Vilnense Collegium. l.5.n.92.
Cœptum. l.5.n.292.
Et addicitur Templum S.Ioannis. l.6. n.124.
Progressus, & incrementum. l.7.n.51.
Vilnensis Palatini Ariani horrendus exitus. l.1. n.107.
Vincentius Baldinatius Societatē probat Mendicantem. l.7.n.11.
Vincentius Brunus Collegij Romani Rector. l.6.n.12.
Vincentius Caskouius moritur. l.8.n.198.
Vincentius Laureus Montis Regalis Episcopus. l.1.n.6.
Missus à Pio V. Nuntius Apostolicus in Scotiam. ibid.
Vincentius Parpalia conditor Templi Taurinensis. l.3.n.118.
Vincentius Porticus Nuntius Pontificius in Polonia. l.8.n.206.
Vincentius Tonda cum Prorege proficiscitur. l.2.n.91.
Vincentius Verius. l.8.n.229.
Leodium missus. l.4.n.203.
Virdunense Collegium inchoatur. l.1.n.86.
Restituitur. l.7.n.82.
Episcopi benignitas. l.7.n.85.
B.Virgo videndam se exhibet Adolescēti Conuictori. l.8.n.218.
Eius monitu conuertitur Paganus. l.5.n.248.
Imago Exquilina Borgiæ studio expressa. l.5.n.296.
Thomam Lauretanum alloquitur. l.6.n.14.
Sese videndam exhibet cum puero B. Stanislao. l.4.n.52.
Eius imago arctissimè tenetur ab Azebedio moriente. l.6.n 242.
Erga eā summopere afficitur, & afficit alios Bustamantius. l.6.n.148.
Virtus blandior est quam credatur. l.6. n.213.
Hominum paucitati supplet. l.4.n.326.
Virtutis solidæ signum. l.4.n.83.
Eius fructus voluptate maior. l.3.n.271.
Visitatores missi à Borgia per Societatem. l.2. n.18. & l.5.n.3.
Vita abscondenda in Christo. l.5.n.21.
Eius commodis quomodo vtendum. l.1. n.40.
Vldaricus Comes ab Helffstein conuertitur. l.3.n.123.
Vlricus Hosius frater Cardinalis reconciliatur Ecclesiæ à Varseuitio. l.8.n.205.
Vocatio diuina, & eius indicia. l.2.n.101.
Quid postulet à nobis considerandum. l.5. n.27.
Quomodo periclitanda. l.4 n.10.
Vocatio Religiosa nō ex melancholia. l.4.n.22.
Memorabilis Thomæ Lauretani. l.6.n.13.
Notabilis Ioannis Creton. l.3.n.145.
Vota Societatis simplicia iustissima. l.3.n.20.
Ex auctoritate Apostolica. l.3.n.21.
Ea probat Pius V. l.3.n.22.
Votorum instauratio. l.5.n.240.
Vrbinas Dux petit Collegium Pisauri. l.5.n.44.
Vrbs Sancti Angeli. l.1.n.169.
Ibi domus Probationis instituitur. l.1.n.169.
Vsmarus Goissonius Seminarij Romani Superintendens. l.1.n.52.
Mittitur Beneuentum à Card. Sabello administrandam Diœcesim. l.3.n.42.
Eius res gestæ Beneuenti. l.3.n.42.
Prudentia in munere inuidioso. l.3.n.43.

Vten-

INDEX.

Vtendum oblatis ad proficiendum præsidijs, l.5.n.15.
Vua calcatur vt vinum fundat. l.5.n.26.
VVimphelingæ religionem sustinet Christianus Aluerius. l.3.n.142.

X

XErexij res gestæ per Portillum, & Aluarium. l.3.n.201.
Ximabaranæ Ecclesiæ vexatio, l.3.n.249.
Xiqui Insula Christianam Religionem suscipit l.2.n.128
Progressus Religionis in ea. l.3.n.245.
Xiquianæ Ecclesiæ vastatio. l.7.n.174.

Z

ZAcana salsamenti genus in Iaponia prælibari dapibus solitum. l.1.n.143.

FINIS.

CVM Sanctissimus D.N. Vrbanus Papa VIII. die 13. Martij anno 1625. in Sacra Congregatione S.R. & Vniuersalis Inquisitionis Decretum ediderit, idemque confirmauerit die 5. Iulij anno 1634. quo inhibuit imprimi libros hominum, qui Sanctitate, seu Martyrij fama celebres è vita migrauerunt, gesta, miracula, vel reuelationes, seu quæcunque beneficia, tanquam eorum intercessionibus à Deo accepta continentes, sine recognitione, atque approbatione Ordinarij, & quæ hactenus sine ea impressa sunt, nullo modo vult ~~censeri approbata. Nouit autem Sanctissimus~~ die 5. Iunij 1631. ita explicauerit, vt nimirum non admittantur elogia Sancti, vel Beati absolutè, & quæ cadunt super personam; benè tamen ea, quæ cadunt supra mores, & opinionem; cum protestatione in principio, quod ijs nulla adsit auctoritas ab Ecclesia Romana, sed fides tantùm sit penes auctorem. Huic Decreto, eiusque confirmationi, & declarationi, obseruantia, & reuerentia, qua par est, insistendo; profiteor me haud alio sensu quicquid in hoc Libro refero, accipere, aut accipi ab vllo velle, quàm quo ea solent, quæ humana duntaxat authoritate, non autem diuina Catholicæ Romanæ Ecclesiæ, aut Sanctæ Sedis Apostolicæ nituntur. Ijs tantummodo exceptis, quos eadem sancta Sedes Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum catalogo adscripsit.

Digitized by Google

Errata grauiora quomodo corrigenda: leuiora tute corriges.

		Errata	*Corrige.*
pag. 11.	vers. 12.	faciendam	faciendum
	v. 13.	vuniuerſa	vniuerſa
	v. 27.	panè	planè
p. 13.	v. 13.	conſulerat	conſuluerat
p. 37.	v. 32.	Rector	Rectori
	v. 33.	vſura	vſurus
p. 39.	v. 26.	Camerium	Carnerium
p. 41.	v. 55.	auſit	auxit
p. 50.	v. 13.	Camerium	Carnerium
p. 59.	v. 54.	Serra	Secta
p. 61.	v. 53.	nebolunũ	nebulonum
p. 62.	v. 21.	eptulanter	petulanter
p. 87.	v. 55.	naucarcho	nauarcho
p. 119.	v. 28.	ſcripſis	ſcriptis
p. 120.	v. 32.	Antiſtites	Antiſtes
p. 121.	v. 42.	eras	erat
p. 128.	v. 2.	auxlio	auxilio
p. 154.	v. 6.	nuntuim	nuntium
p. 159.	v. 42.	reddedà	reddenda
p. 172.	v. 8.	Clançulũ	clanculum
pag. 172.	v. 46.	accitti	acciti
p. 137.	v. 4.	Andomarẽsẽ	Andomarenſem
	v. 12.	adiugens	adiungens
p. 177.	v. 28.	coniuxi	coniux
	ibid.	ali	alij
p. 183.	v. 43.	oſibdio	obſidio
p. 250.	v. 16.	tanquum	tanquam
p. 260.	v. 5.	ſubiungandã	ſubiugandam
p. 271.	v. 4.	deducãtur	deducuntur
p. 298.	v. 28.	Adomi	Adorni
p. 308.	v. 3.	varias	varios
p. 317.	v. 41.	cenſeritur	conſeritur
p. 329.	nu. 5.	Alexandrino	Commendono
p. 339.	nu. 50.	Stanislai	Iacobi
p. 340.	v. 9.	Societate	Societatem
p. 351.	v. 27.	doctrinæ	doctrina
p. 367.	nu. 175.	Conſtanita	Conſtantia
p. 373.	v. 52.	Qurio	Quirio
p. 379.	v. 15.	Vgnottis	Vgonottis

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google